









# REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO

# D^N. VRBANO

## ILLVSTRISSIMI CELEBERRIMIQVE ADMONTENSIS IN STYRIA COENOBII

## Vigilantissimo Meritissimoque ABBATI

### DOMINO ET MECÆNATI GRATIOSISSIMO, OBSERVANDISSIMO.

INurbanus omnino essem, VRBANE Reverendissime Præsul, qui tamen Nominis Tui à primâ juventâ observantissimus, Tibi autem mille nominibus fui deinceps obstrictissimus, nisi tot beneficiorum à Te acceptorum memor, urgente & perurgente conscientia tantorum debitorum, aut censualis Tibi fierem, aut proprius. Illud juratæ paupertatis homini cum minus congruat, quam istud, in Tuam, quod unum possum, lubens, libens, inhiantissimè insuper, concedo potestatem. Ne tamen omnino nihil una mecum conferrem, syngrapham saltem volui, me etiam tacente ut illa loqueretur, & hoc crassum tenuis ingenii filum, hilo ut potior Tibi essem aut nihilo, qui id saltem conor quod possum, quod non possum, satisfacere tot tantisque Tuis in me beneficiis, animitus desidero. Ea describi quia fers iniquissimè non ausim, abstineo tamen quam ægerrimè ab illis, quæ merito recolo quotidie, & gaudeo domi inter amicos, & ad aram Ipsi Numini recensere & commendare. Conqueror autem identidem, cum laudare prohibeor quod tantopere gestio, & haud minimùm doleo, mihi saltem non licere quod partium mearum est, cum Tu, quod Tuarum est, prudenter quidem facias & religiosè laudes Tuas aversando, minus clementer tamen, quos ipsa cogit æquitas, prohibendo. Id unum solatur moerorem meum, nemini latere posse, quantus ille sit Montiū Præses & vertex VRBANVS meus, qui montes revera omnes Styriæ æques animi magnitudine, superes ingenii sublimitate. Ita Te eminus

nus contuetur Vienna, æstimat Cæsar; ita propius veneratur Græciũ, ita tota miratur Styria, Austria, Carinthia, nemini mirum ut esse possit, quomodo tantillus, uti stipula, uti atomus ad Te rapiar, quomodo attinear, qui Magnatum omnium attraxisti animos, omnium in amoribus es, summaque in Veneratione, mihi uni durior Montibus Tuis es, adeo rigida tristique laudum Tuarum prohibitione, cæterùm tractivâ tot beneficiis virtute, magnetis potentissimus & in me, & in omnes quotquot manum experti sunt Tuam proprietate. Et quanto plausibilius est, à congruenti Magnis celebrari Liberalitate quam ipsa Magnitudine? Cætera non attingo, magni Tui Nominis ingentia monimenta, Tuis minimè Montibus conclusa, sed in clivos usque Sclavonicos, in Ungariam usque & oculos Turcarum Christi & Ecclesiæ hostium exporrecta. Loquetur me tacente, notabit digito, mirabitur & depræcabit posteritas universa. Mihi satis est, etiam absque me, Te vel invito quidem, prodi merita Tua, ipso Cænobii Tui Admontensis splendore, quod Tua opera eo usque excrevit, ut ipsum etiam cælum rapere videatur, nedum terras & terrigenas ad contuendum invitare. Ita taceo, simulque in sinum rideo, dum facere prohibeor meum pro debito officium, erumpere aliunde, multo potiores meis, pro prohiberi se non patiantur plausus, quibus concors ego animi mei ferventissimo voto, etiam dum taceo clamo plaudo & applaudo, proque prohibitis ne erumpant æstuantissimi cordis pulsibus, sed & pro meis tot tantisque debitis, totidem quotquot liber hic habet syllabas ac litteras, silenter ad numero, meque quam humillime & devotissime commendo. Veldtkirchii Rhætorum Christi anno 1656.

Reverendissimæ & Amplissimæ Dominationis V.ᵃ

*Clientum ultimus, sed observantissimus*

F. Gabriel Bucelinus.

# LECTOR BENEVOLE.

Annales damus Ordinis, non illos quos expectas, quosque vel maxime vellemus & meliori servamus tempori, nempe universales; sed illarum solummodo rerum, & ex innumeris paucarum, quæ vulgare jam nimis factum, illud Sectariorum, Ordinisq; Monastici hostium scomma: *Monachos inutilia esse terræ pondera*, commentum esse doceant, dignum vulgantibus, & ipsorum, *qui ab initio mendax fuit*, patre omnis invidiæ authore qui, utinam! inutiles solummodo essent, nec ita perniciosi ac pestilentes S. R. Ecclesiæ & pacis publicæ turbatores comprobentur. Pauca proin ex innumeris afferimus, eaque vix obiter attingimus, non alio fine, quam ut calumniam ab Ordine sanctissimo, amplissimo, deque Ecclesia Christi optimè semper merito, amoliamur. Quod dum facimus, & cum Apostolo, *quia oportet* (2. ad Corinthios 12.) *gloriamur*, ne forte ob scandalum, sive æmulationem, ut fit subinde, nonnullorum, minus *expediat gloriari*, pauca præfari voluimus, atque inprimis protestari: Tantum abesse, ut per hæc, quæ de Benedictino Ordine, contra *ora loquentium iniqua* deprædicamus, quidquam cuicunque Religiosæ familiæ, cùm antiquæ, tùm novæ, & recens etiam natæ, seu edendæ deinceps, detractum sive præreptum, ut neque comparatum cum quocunque Ordinum velimus: cum in omni potius occasione laudis, omnibus & singulis ultro deferamus, & in novissimis æquè ac primis, eamdem DEI manum, eumdem spiritum, religiosissimè & devotissimè veneremur. Afferimus proin ea solummodo quæ post receptam, inque Vrbem Romanã introductam, & approbatam, superstite etiamnum plurimis annis Sanctissimo Legislatore nostro, ab Hormisda Papa, Benedictinam Regulam, ab ejusdem cultoribus & professoribus, in orbem quamprimum universum beneficia dimanarunt, nec ea, ut nonnemini videri posset, hoc loco producimus, quæ communi cum Vetustissimis, coævi Apostolis, tantopere à Divino Dionysio laudati *Monastici Ordinis* titulo, merito etiam usurpare possemus; verum illa potissimum, quæ, ut diximus, ab Ipsa maximè, dictatâ à Divino Spiritu Divo Patri BENEDICTO Regulâ, à tot deinceps Romanis post Hormisdam Pontificibus, à tot Conciliis approbatâ, orbique universo commendatâ, neque Occidenti solum, sed & Orienti, Asiæ, atque Africæ, Justiniano Magno efflagitante ab ipsomet Magno Patriarcha nostro Benedicto per suorum introductas Colonias illatâ, haud sine Divino miraculo statim se prodidere ingentia, & incomparabilia merita, ut haud immerito magni nominis Doctor apud Arnoldum Duacenum asseverare sit ausus: *Post sacratissima & sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, nihil ita in Ecclesia utile fuisse, atque Sanctorum Monachorum Benedictinorum Ordines & Instituta.* Fuit siquidem Sanctissimus Pater Noster, non tam novi Ordinis sub nova omnino Regula Institutor, quam Veterum Monachorum sub diversissimis Regulis, institutis & consuetudinibus, diversimode viventium, Reformator, ut qui Divino dictante Pneumate, Regulas omnium in unum collegerit Compendium, inde merito à priscis & sanctissimis Patribus, nomine *Regulæ Patrum* appellatum. Quæ causa fuit, ut ipso etiamnum superstite S. P. N. non Italiæ solum Scotiæ, Hiberniæ, Galliæ atque Hispaniæ Cænobia, illam adeo suis conformem institutis ætati insuper mundi, nec non naturæ hominum adeo congruam certatim amplecterentur Regulam, sed & Orientis plurima eamdem magno fervore expeterent atque susciperent, Justinianus autem Imperator non in Bizacena solum provincia, sed in Asia passim universa, Ægypto, Thracia, Lybia, Armenia & triumphata nuper Africa, propagari longè lateque expeteret, sed ab ipsomet Sanctissimo Patriarcha (uti plurima cùm sacri Casinatis, tùm Sublacensis Cænobii quam disertissimè testantur monimenta) eodem mitti Monachorum colonias ferventissimè perurgeret, & ex Imperiali liberalitate, & partis per eadem amplissima Regna spoliis, in fundanda Cænobia, sumptus penè, incredibiles faceret. Et vero licet aliqui sive ex Divi Basilii, sive Patricii aliorumque Insti-

tutorum

tutorum ritibus, quædam Divi BENEDICTI Regulis non adversántia subinde retinuerint, constat tamen non uno unius Monasterii sed ex innumeris millium Cœnobiorum documentis, plerisque in hanc usque diem à proximâ Divo BENEDICTO ætate conservatis, ne unum quidem, ab Hiberniæ & Scotiæ Monachis sic conditum, in cujus primæ fundationis tabulis, Pontificū Rom. & Regum Diplomatibus, non expressa Regulæ Divi BENEDICTI mentio habeatur, ita ut superstite (verbi gratia) Divo Columbano & sociis atque discipulis: *Sub Sancti BENEDICTI, & Domini Columbani Regula, &c.* Bonifacius V. Pont. Max. Columbano æqualis, aliique seu Pontifices seu Reges confirmatas à se sive factas Fundationes Monasteriorum affirmarent; ut taceam, nullius omnino Regulæ, præter Divi BENEDICTI, ab hujus ætate à tot decursu sæculorum ad usque annum Christi millesimum & SS. Norberti & Ivonis tempora, sive in Universalibus S. R. E. Conciliis, sive particularibus diversarum Synodis, sive quibuscunque Comitiis & Conventibus publicis, vel minimam quidem fieri mentionem, cum in illis solemnissima jussione Monachi omnes ad Regulam Sancti P. BENEDICTI remitterentur, eademque universis publicè prælegeretur & quasi inculcaretur; à præfata autem Divi Norberti ætate plurima deinceps aliarum Regularum mentio incidat, & innumera ex eodem tempore sit monimenta reperire. Quod ideò scribimus, ne falcem mittere in alienam messem videamur. Eademque est ratio dum Canonicos subinde aliquos nostris adscribimus, quos nunquam, nisi Monachi fuissent adscriberemus; sunt enim in manu etiamnum diversissimarum tota Europa Cathedralium Ecclesiarum, indubitatæ fidei Diplomata & Diplomatum rescripta, quibus ingens earumdem numerus, Monachorum fuisse comprobatur, multisque sæculis non alios Canonicos quam Monachos habuisse quam evidentissimè demonstratur. Habeturque idem de Collegiatis etiam Romanæ inprimis Urbis Ecclesiis, quæ in viventis etiamnum Magni Legumlatoris Benedicti, multosque annos cùm Vaticani tùm Laterani Cænobiis reali & personali præsentia Antistitis, verba & Regulam juravere, quæ cum pleraque constet ad annum usque millesimum centesimum Monachorum fuisse, & subinde Præpositos atque Decanos pro reformatione disciplinæ monachicæ è Monasteriis, Casinensi, Cavensi, Cluniacensi petiisse & accepisse, inde factum est, ut suo loco dicemus, tot tantosque ex iisdem ad supremum in terris honorum apicem Christi vicariam cathedram assumptos ascendisse. Evenitque idem aliis plerisque Europæ Cathedris, ut vel primos vel præcipuos eodem ex Ordine Pontifices meruerint, pleræque eosdem & subjectæ Diœceseos & Apostolos & Tutelares. Cæterum merita singulorum etsi obiter, & è plurimis paucissimorum, ipso decursu libri dabimus, Apostolica inprimis tot gentium & Regnorum conversione admiranda, & planè incomparabilia, quam ipsam gratiam Archiparenti nostro BENEDICTO DEUS ipse pollicitus, ipsum ultimum ætate Apostolum Italiæ, ad evertendas tanto post Idololatriæ reliquias, non solum eligendo, & destinando: *Te namque elegi* (ait apud S. Gordianum in Vita S. Placidi) *ex omnibus incolentibus orbem, tu Evangelii mei tuba cælestis existens, spiritu es meo repletus, surge jam & vade ad castrum Casinum & populum &c.* sed & discipulos ejusdem ad totius orbis conversionem designando, uti disertè magnus noster Ecclesiæ Doctor Divus Gregorius asseverat: *Sanctus BENEDICTUS precatus fuit DEUM* (inquit libro 20. cap. 17.) *ne permitteret Monachos suos ab infidelibus interimi, quoniam decreverat, ut illi nomen ejus, per totum orbem terrarum ferrent, prædicando Evangelium &c.* quod partim ex præsenti liquebit opere, partim è Menologio Sanctorum & Illustrium Ordinis, aliisque quæ propediem edemus innotescet. Ista monere Te volui, simulque rogare siquid Symbolarum conferre possis, Cælitum honorem concernentia, conatibus meis congrua, impertiri non differas parato vicissim siqua re possit tibi quam promptissimè inservire.



# ANNALES BENEDICTINI,

Quibus potiora Monachorum ejusdem ordinis facta, & merita ad Compendium referuntur,

*AVTHORE*

## R.P.D.GABRIELE BVCELINO, &c.

BENEDICTINI Ordinis originem, etsi ad eum potius, à quo omnis est Benedictio, gratia, & sanctitas, Divinum spiritum referamus; & vero ejusdemmet Divinæ Hildegardi, dictatis, quin, & sanctissimorum virorum Ruperti, Godefridi, Bernardi, Ioachimi, Abbatum, Petri Damiani S.R.E. Cardinalis, pluriumque maximorum orbis Pontificum authoritate, certi simus, post illum verò, non tam ad Benedictum, quam Benedictam illam, & Admirabilem Dei Matrem, Cæli terræque Imperatricem, cujus favore, Benedictus, (illo à secretis tantæ Augustæ compertissimæ fidei Alano Authore,) *tam Divinæ Monasticæ institutionis fundator fieri meruit*, toti respiciamus, ejusque sapientiæ, & viscerum misericordiæ, nec non thesaurorum gratiæ profunditati quidquid amplissimus ordo meruit, unquam, sive in orbem transfudit universum, jure merito totum transcribamus: quia tamen, cum de illius Benedictam plenè inhabitantis, Benedictum *spiritu iustorum omnium implentis*, gratia, & benedictionibus, prolixè, & frequentius alias egimus, de istius verò in ordine jure, & proprietate, justis, nec paucis voluminibus, comprobata tantæ Matrifamilias, in plenitudine Sanctorum habitantis, legitima ac perpetua possessione, ex instituto tractavimus, & à conditæ primum ejusdem familiæ initijs, ad hæc usque tempora probavimus, & demonstravimus, decretum jam est, designatum eorundem electione atque informatione Magni ordinis Patriarcham obiter describere, & quæ cum ab ipsomet, tum ab instituto ejusdem, in orbē, dimanarunt universum, immortalia beneficia compendio explicare. Quod ipsum invocata Divini Spiritus gratia, ope ac favore Benedictæ Dictatricis, Matris, & virginis, ab ipsis Benedictini ordinis, & Benedicti Patris incunabulis aggredimur atque inchoamus.

*A.C. 680.* *S. P. B. I.*

NAscitur hoc anno, maximo orbis Christiani bono, Magnus Monachorum Patriarcha, exercituum Domini sacrorum Archidux, atque imperator, verè gratia, & Nomine Benedictus; parentibus nobilibus, uti concorditer Romana, & Græca testantur Ecclesiæ; Anicio Eutropio patre, Claudia Abundantia matre, uti vetustissima cùm Nursiæ tum Sublaci atque Casini, innumera preterea antiquissimorum Cœnobiorum pergameno descripta, in parietibus depicta, marmoribus insculpta, ære, argentoque fusa, sacris tabulis expressa monimenta, & insignia; plurium insuper, & præstantissimarum familiarum Frangepaniorum, Iustinianorum, Michaeliorum, Brancaleonum, Stephanescorū, Tusculanorum, Aquini, Signiæ comitum, aliorumque Dynastarum, vetustissima documenta, constans traditio, & deductiones probationesque eorumque stemmatographicæ perhibent; Nursiæ, in palatio recens à patre structo, de cujus regio splendore, & magnificentia, veteres Annales, & monimenta ejus-

dem urbis habent, necnon Adrevaldus Floriacensis, vetustissimus, & tertio post S.P.N. sæculo clarissimus. *Tantæ, inquit, magnitudinis, perplexique operis, ex fundamentis constitisse convincitur, ut quælibet palatia potentissimorum superaverit Regum, nec modicis queat reparari impensis, &c.* quo ipso deinceps loco, primo Religiosæ vitæ Tyrocinio, à Magna Magni Patris & Scholastica sorore consecrato, insigne paulo post virorum etiam Monasterium cōsurrexit, & in ipsa nativitatis area, structa Basilica atq; ara nomen Benedicti non tam Nursiæ quam innumeris eo confluentibus peregrinis, tanto decursu sæculorum commendavit, & urbem ipsam supra omnem priscæ magnificentiæ gloriam, & venerabilem reddidit.

Natus est autem sanctissimus, & admirabilis Pater, afflictissimo tunc Reip. Christianæ statu, singulari optimi numinis providentia, morbo deploratissimo, felicissimum hunc medicum submittente, qui ferventi non solum tunc malo, sed sequuturus quoque de hinc sæculis repullulascenti, occurreret, & mederetur. Observavit idem eminentissimus eruditione nō minus, quam dignitate Annalium Tomo 6. Cæsar Baronius, & his ipsis verbis memoravit: *Sanè quidem, in S. Benedicti vocatione summa Dei in consulendo suæ Ecclesiæ innotuit providentia. Etenim tempore, quo (ut diximus,) universa Italia, Gallia, Hispania atque Africa à Gotthis, & VVandalis Hæreticis Arianis possidebatur, oriensque penè totus esset interfectus hæresibus, in tam tetræ noctis obscuritate, densaq; caligine, ejusmodi claritudo lucis effulsit, qua universus Catholicus orbis illustraretur. Quatenus autem splendor ex viro Dei Benedicto, ad Ecclesiam illuminandam divinitus emicuerit, inferius suis locis, ordine temporis enumerabimus.* Ita Polyhistor Baronius.

Præstitit abundè, & seipso, & per suos Benedictus; ita ut non dubitaret, nostri temporis, apud Arnoldum VVionem, magnæ auctoritatis scriptor de tanti Legumlatoris Regula, & sacra posteritate, hoc elogium texere: *Post sacratissima, & sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, nihil ita Ecclesia utile, atque Sanctorum Monachorum Benedictinorum ordines, & instituta.* Quippe, ut sub unum ferè obtutum, orbem (qui haud frustra in unico solis radio oculatissimo Patri nostro prodigiosissimè objectus est,) universum, deque hoc amplissima atque immortalia Benedicti filiorumque Monachorum merita, abducamus: Christi se legibus imbutas, adeoque inferi ipsius faucibus ereptas Benedicto immortaliter debent.

*DEBENT BENEDICTO:*

Anglia universa
Northumbria
Berniciorum
Deirorum
Lindissinorum
Merciorum regiones amplissimæ
Orientalis, &
Occidentalis Saxonia
Franconia
Noricum Universum
Bavaria supra inferaque
Styria
Carinthia
Superior atque inferior Austria.
Palatinus uterque
VVestphalia
Taxandria
Kempiniensium provincia
Flandria, & Flandriæ ocellus
Antuerpia, & qui prope accolebant
Hulstenses
Birflitani
Hasnenses
Axellani
Vvaria
Helsinga
Daventria. Sed &
Batui
Bommelenses
Tielenses
Teisterbandi
Sorabi
Hunni
Boruchtuarii
Rugii
Frisia Orientalis &
Occidentalis
Transiselania
Hollandia
Zelandia
Belgium omne
Pomerania
Stormaria
Dithmarsia
Clivia
Iuliacum
Berga
Bohemia
Moravia
Silesia
Vngaria
Dalmatia
Croatia

Sclavonia
Polonia
Lithuania
Russia
Prussia
Sarmatia Vniversa
Wandalia
Suecia
Gothia
Dania
Orbis partes Septentrionales omnes
Bulgaria
Vasconia
Imo felicitatis potiora ipsæ etiam
Suevia
Helvetia
Lotharingia
Burgundia
Gallia atque
Italia.

De quibus omnibus dignius, & prolixius suo loco, & tempore, in decursu præsentis operis.

*Multis in partibus seu ab Gentilitate sive Hæresi liberatæ.*

Hibernia
Scotia
Venetiæ
A schismate liberatæ
Hispania ab Arianismo revocata
Africa à Donatistis erepta
Ægyptus noviter excultis solitudinibus barbarie absoluta
Græcia ad unitatem Roman. Fidei sæpius pellecta, convicta, inclinata
Armenia Minor Majorque
Macedonia
Persia
Syria
Palestina
Orientis Imperium omne
Nostrorum sanguine fæcundatum
Æthyopia
Brasilia
America
Orientalis Occidentalisque Indiæ
A nostris, post Apostolos Christi primos primum fidei lumine illustratæ
Omnes omnino Martyrum nostrorum sanguine purpuratæ.

VT jure sanè merito, post DEVM Ter. Optim. Maxim. Sanctosque primos Christi discipulos, Benedicto Patri nostro sanctissimo, tanquam potiori, plenioris suæ felicitatis Auctori, orbis terrarum universus, æterno debito obstrictissimus, & obligatissimus, quod Beatissimus ille summus Pontifex, Stephan. III. nongentos ferè ante annos, (astantibus Regibus Carolomanno atque Pipino, ejusque filiis Carolo, & Carolomanno juniore, & S. R. E. Cardinalibus, ac Romanis Patriciis, eumdem Sanctissimum Patriarcham alloquutus, inclamet ingeminetque.)

*Ave Christi Discipule, Ave veri sponsi amice, Ave Prædicator veritatis, & Doctor gentium, ave Legislator universalis; ave Abba Abbatum; ave Archimandrita Oecumenice; ave columna orthodoxiæ: Tuus ego, & hi septem Episcopi,* (imo Gentium omnium filiorum tuorum, per Evangelium, & in Spiritu Filii filiorum tuorum in tot cathedris successores innumeri.) *Tuus clerus, tuus populus Romanæ urbis.* (pariter, & orbis.) *Tui & hi Patricij.* (Principes omnes Christiani.) *Tua Lateranensis Ecclesia, & in qua alitus, & nutritus es.* (Quippe, qui ea in Ecclesia Hormisda Papa sedente, ædificato à se Monasterio, cui & ipse primus præfuit, & ex qua tota Romanorum Pontificum cohors prodiit, chorum instituit, & scholas Romæ aperuit.) *Tuum Casinense Cœnobium, in quo corpore, & spiritu habitas. Non patiaris. Nos ovibus tuis excludi; Sedem Apostolicam protege: Romanum Imperium, & hos gloriosos Patricios, corpore tibi simul, & mente prostratos, ab hostibus visibilibus, & invisibilibus defende, & Christo pro omnibus ovibus funde, quatenus hic, & in æternum, omnes tuo munere lætemur.* Ita Stephanus Papa, sermone Casini habito ex monimentis ejusdem loci, Anastasio Biblioth. Alph. de S. Vict. Const. Cajetan. Mauro Marchesio Aquila nostr. Bened. Sed certa sæculorum annorumque serie Monachorum studia, & præclarè gesta numeremus.

*A. C. 686.* *S. P. N. B. 7.*

HIc primùm annus, Orbis Vrbi, & capiti Romæ, patriæ parentum suorum, Benedictum dedit, ut qui olim orbis Patrum Religiosum adeo gloriosè acturus erat, sæcularis etiam, urbis patriæ *Principem*, non minus præclare ageret, juventutis. Et verè egit, cum in patriis regionis Transtyberinæ ædibus, tùm in Patriarchio, (ut jam ex Stephano Papa intelleximus.) Lateranensi, illis S. Felici II. Papæ, cognato optimo, Magni Gregorii patruo comendatus; solatium Sanctissimi senis, juventutis Romanæ, & Pa-

triciæ ornamentum singulare. Et facilè Nursini Palatij, patris, matris, jam tunc amoribus valefaciens, adeo felix Felice patre, ut Felix ille filio tanto, ac nepote, etsi iam tunc totus ab illa penderet Matre, quæ deinceps, & ipsi, & Ordini, non minus, quam *Virgo* dicitur, *Mater* extitit verè *Singularis*. Extat Romæ etiam num effigies, in qua puer tantus, tantam Matrem adeo deamavit, ut per suum illum à secretis secretissimum Alanum de Rupe, sanctissimum candidissimæ Dominicanæ familiæ alumnum, fateretur tanta Augusta: cultu sui, & devotione erga se, adeo singulari, singularissimum illud à filio suo meritum. *Vt tam Divinæ Monasticæ institutionis,* (uti supra retulimus,) *Fundator fieri mereretur.* Et sanè admirabilis jam tunc puer, ut deinceps Pater; Matris Sapientiæ Magisterio, tantum Romæ profecit, ut supra omnem Philosophorum veterum, eminentitam potius, in fastidio rerum humanarum, quam veram sapientiam, & professionem, ipse verè, & reapse, puerili etiamnum ætate, omnem sæculi gloriam, in tanto ejus applausu fastidiret: ita ut discipulo etiamnum, non minus quam postea Magistro, convenire jam illa Sancti Vincentij Ferrariensis, (sermone de S. P. N. viderentur: *Beatus Benedictus, famosus de vita, & de scientia non acquisita; sed habuit scientiam infusam, &c. scivit plus quam Aristoteles, vel Ptolomæus, vel aliquis Philosophorum, &c.* Ita Sanctus Vincentius. Quæ quidem omnia, uti Magnum illum Theologorum solem, Anicii item generis sobolem, Thomam Aquinum, ad Crucifixi; sic Benedictum ad Crucifixi Matris Imaginem, divinitus tradita, credimus accepisse. Vt haud immerito, illam ipsam mox ab obitu Sancti Patris effigiem, constructo Romæ oratorio, ejus discipuli honorarent, simulque tanti Patris, erga tantam ordinis Matrem, & Magistram, studium, & juxta, studii tam digni imitationem omni ejus sacræ posteritati filiorum commendarent. Ex vita ejusdem cum typo vulgata tum M.S. Menolog. & diversis oper. nostr. Mauro Marchesio, Cajetano, Monimen. Casin. & Sublac.

*A.C.* 493. *S.P.N.* 14.

ORBEM terrarum universum, ulterius multo feliciusque Magno Alexandro triumphat, etsi puer etiamnum, Magnus Archidux noster Benedictus, & quem calcaverat pridem, invicto animo, generoso pede, gloriosissimè rejicit, omnem Philosophorum, & septem sapientum sapientiam, septuenni studio transgressus, usus occasione felicissima, Felicis cognati Pontificis morte; cujus adeo amanter sibi, intendentis, cum neque animum paternum turbare, neque oculos vellet fallere ubi primum hoc ille in somnum mortis clauserat, fugæ consilium, & mox fugam inijt, ne incomitatus tantus abiret Princeps, cœlestis aulæ Ephæbos duos meritus, qui quo Divinus vocaret Spiritus, securè conducerent, simulque latera tegerent, nuspiam hominum industria, nisi in DEO reperiundum. Solùm videre fugientem, & assequi Cyrilla Nutrix, pia sollicitudine sua meruit, & magna fidelis & longi servitii merces fuit, frui ultimam meruisse, atque insuper cœlestium illorum geniorum, spectabili humanis oculis forma, cœlesti spectaculo in terris recreari. Meminit memorabilis hujus fugæ etiam Cæsar Baronius, & his verbis retulit: *Hoc eodem anno, Magnus ille Monachorum Patriarcha, Occidentalis Ecclesiæ decus Benedictus, Nursinus patria, Romæ litteris dans operam, ab urbe recens, profecturus in solitudinem, sublimioris vitæ Monachicæ, prima jecit feliciter fundamenta, &c.*

Miratur super hoc fugæ consilio magnopere Magnus ille Odo Cluniacensis, & quamvis Magno Turonensium Pontifici Martino, exemplo ipsiusmet Benedicti, mirificè addictus, tanto Tutelari utriusque istum, in hoc ipso præferre non ambigit: *Nam, quam magnificum*, inquit, *illud est; quod paternas, ut fertur, eo deserente opes, ad modum domicilij sibi Spiritus Sanctus in ejus sacro pectusculo collocaverat, qui esse Philosophorum inania studia, adhuc tenerrimus cognovit, qui grandævo animo, jam tunc eremi vastitatem subire ausus est; quod nec ipse quidem Martinus toto orbe mirabilis, ante eum fecisse refertur; & quia jugum non solum ab adolescentia, sed etiam ab ipsa infantia portavit*, &c. Ita Sanctus Odo.

Latuit Effide primum. (Aufidena in arce,) sub tutela Apostolorum Principis, in Ecclesia ejusdem, paupere juxta Tugurio Magnus puer, & jam tunc Apostolicum, ut sequutus exemplum, ita imbibit spiritum, ultimus ipse Italiæ, & per suos deinceps discipulos, tot tantarumque orbis provinciarum, Apostolus futurus.

*A.C.*

A.C.644. S.P.N.15.

PIO furto Cyrillæ nutrici suffuratur pius puer, & totum ab hominibus se abripiens, ut totum Deo daret, obvio pauperi togam Romanam elargitus, cum cilicina veste mutat, fune ad renes constricta, & ad talos usque propendente; pileolo ejusdem materiei, caput adeo Augustum coopertus; quem ex itinere occurrens Romanus Monachus, sacra insuper veste impertitur cui soli cognitam eremum, & specum ingreditur: Eremitarum occidentis non minus Patriarcha futurus, quam Cœnobitarum, quibus utriusque deinceps regulas condidit, ipsis etiam urbibus inducens tranquillissimam solitudinem, vitam, quam usque hodie mirantur universi, & ordinem, ut vocant, inclusorum. De quo videantur nostri in regulam Commentarii, Matth. Raderus, Maurus Marchesius, Const. nostr. Benedict. &c.

A.C.647. S.P.N.18.

*Tribus annis, excepto Romano Monacho, hominibus incognitus manserat Benedictus*, in speleo adeo horrido, ut tenerrimo adolescenti, equulei instar esset, & per longos omnino cruciatus, juxta perpetuata jejunia, & vigilias, Martyrem faceret, cum super candelabrum ponere lumen tam illustre numini placuit, & ipsa quidē maximi Festorum Paschali solemnitate, cœlesti oraculo Presbytero cuidam proditus, deinceps pastoribus, uti infans verbum innotuit; imo insonuit quamprimū, & velut, *vox clamantis in deserto* invaluit, Apostolica jam tunc vocis virtute, ita quidem, ut *ut Nomen ejus per vicina loca cunctis innotesceret*, (verba Magni Gregorii sunt,) *multique ad pietatis gratiam, à bestiali mente mutarentur*.

Indoluit infero nimium à juvene triumphari, & cum desperaret alio quovis pugnæ genere jam tunc ipsum aggredi: illo statuit, quo Goliathi, quo Magni Macedones, quo invictissimi Cæsares, Victores victi sunt, tantoque magis victi, quanto minus, ab imbelli muliere viri, & tanti meruebant. Et vero Romanum, & Augustum juvenem, augustissimæ formæ Veneribus provocabat; certus jam vincere, etiam cum vestem ille, quo felicius luctaretur, abjiceret, donec toto cruentatum corpore, animari primum, & accendi ad pugnam videret, & sagum jam pro toga indutum, totum in spinis floridum, totum purpureum, imo igneum totum, Maxumæ Virginum clientem, *rubum ardentem incombustum*, intueretur. Tanti arcam illam Mariani pugilis, septingentis post Benedictum annis, Seraphicus ille Franciscus fecit, ut velut calentem etiamnum, & fumantem sanguine inspicere gestiret, eoque peregrinatus coram venerari, in cujus oculis, (res admiranda!) vepretum illud ex tempore, præter tempus floruit, & virginitatis fructus, stupenti ostendit, rosas Francisco dignas, dignas Benedicto. Luc. VVaddingus Cher. Mirtius, March. &c.

A.C.698. S.P.N.19.

*Coeperunt postmodum multi* (pergit Gregorius) *iam mundum relinquere: atque ad ejus Magisterium festinare*. Et mox causam subdens: *Liber quippe à tentationis vitio, verò jure, jam factus est virtutum Magister*. Quo tempore, ne absque Legibus discipuli viverent, dum Regulam meditatur, & in seipso, velut ad cotem acuit accuratque omnia, à Divino dictatam spiritu meruit, ipsa, quæ post Deum, non tam fortunæ conciliatrix ipsi erat, quam Fortuna, Mater Gratiæ, & Felicitatis, Regina Cœli, Hildegardem suam edocente, *Vocavit*, inquit, *DEVS Benedictum in montem*. (Simbroinum,) *& composuit eis Regulam de spiritu DEI*, &c. Quam quidem Regulam, illa ipsa veritatis Mater, & sapientiæ, & Moysen hunc nostrum mirificè cōmendans, eidem Magnæ Prophetissæ, quantum auroræ lucem, à solis vinci claritate, manifestum est, tanto excellere Benedictum insinuat: *Aurora*, inquit, *initium hujus conversationis; quæ primùm in solitudine, & in speluncis post beatam doctrinam germinavit, demonstrat: Sol autem, discretam, & bene dispositam viam in servo meo Benedicto declarat*, &c. Vnde eadem Hildegardis in Reg. S.P.N. *Nihil*, inquit, *eidem doctrinæ, addendum, vel auferendum est, quia ei nihil deest, quoniam in Spiritu Sancto facta, & completa est*. Inde S. Petrus Damiani: *Spiritus Sanctus*, inquit, *servum suum Benedictum propriæ vocis organum fecit*, & S. Bruno, *B. Benedicti auctoritas maxima est, utpote, in quo Spiritus Sanctus loquebatur.*. Gotfridus Vindocinensis, S. R.E. Cardin. *Fuerunt*, inquit, *ante S. Benedictum Abbates, & Abbatum Institutores, sicut ante Christum Legislator exitit Moyses. Bonam quidem, & sanctam legem Iudaico populo Moyses attulit, sed Christus Christiano populo attulit meliorem. Ita Sancti viri illius*

*temporis, secundum datam sibi à DEO gratiam, Monachorum leges statuerunt. Sed Pater, & legifer noster Benedictus, sicut à DEO majorem gratiam percepit, ita meliorem legem instituit, &c.* Item Cardinales: *sicut post Beatos tres Evangelistas, Matthæum scilicet, Lucam, & Marcum, eorum quartus Ioannes scripsit, & melius, sic vir iste Beatus Benedictus,* &c. Sed antiquis unum ex recentioribus, summæ tamen auctoritatis, Romanum Pontificem, Vrbanum Octavum addamus: *Quidquid in vita Sanctorum,* ait, *imitabile est, quidquid altum sub lumine fidei,* (grandis revera sensus, & profundissimæ doctrinæ nostrorum exhortatio!) *ad vestram vocationem pertinet. Spirituales gratiæ, quæ alios ordines sanctificant varietate incompræhensibilis earum divisionis, unam partem constituunt plenitudinis earum, quæ ordini vestro communicantur: Quandoquidem illius institutor plenus erat spiritu omniū justrorum, &c.* Ita Vrbanus VIII. Sed de Regula satis, quam etsi sepesius aliiq; Casini seu scriptam primum, sive absolutam contendant, Sanctus Leo tamen Nonus Pont. Max. aliique disertè Sublaco tribuunt, docentque vetustissima Sublaci monimenta, nec juvenilis obsistit ætas Benedicti, quam in Samuele, ac Daniele specialiter delectam novimus, quo magis Divini se spiritus gratia proderet, ac manifestaret. Ex cit.

*A. C. 505.* *S. P. N. 26.*

ETSI jam plures discipulos numeraret Benedictus, sua se tamen specu eousque continuit donec à Monachis S. Cosmatis, ad sui regimen Cœnobii vocaretur: minimè, ut prædixerat, diuturnum, quod quos in discipulis suis requirebat mores, ab horum nimis quam alieni essent. Itaque veneno, sed nec quidquam, appetitus specu se denuo sua recondidit, ubi multo tempore mansit, postquā plures jam discipulos (ut ex Gregorio patet,) habuisset quos cum antrum illud deserti non caperet, sive ipsi è diversis locis ad ipsum recurrebant, sive Magister (neque enim Abbatis, junior etiamnum, etsi ante ætatē maturescens, titulum admiserat.) Alter Occidentis Antonius ad discipulos, pro informatione eorumdem occurrebat, & tam pro Anachoretica, (cujus ipse deinceps plurimos sectatores felicissimos habuit,) quam pro Cœnobitica vitæ ratione, præclarissimè instituebat.

Ex vita MS.

*A: C. 506.* *S. P. N. 27.*

PRIMA Cœnobiorum suorum fundamenta jacit hoc anno, magnus Monastici Ordinis fundator, plurima jam collecta discipulorum mulitudine. Quorum cum alii remotius abessent, & magna cum difficultate, ad Scholam viræ, & salutis occurrerent, eorumdem misertus pius Magister, tectum aliquod latius sub quo se reciperent substruere voluit, Monasterium, ipsis Ordinis tanti primitiis, omni posteritati venerabile, Sublacense, primum è Schola privata, publicū gymnasium, maximorum deinceps Academiam Philosophorum, nec tam mundi hujus, quam cæli sapientum, donec Casini, de qua suo loco, plenissimam, magno splendore, erigeret universitatem. Chrō. Subl. Cherub. Mirt. libr. donat. Vita MS. cit.

*A C. 512.* *S. P. N. 33.*

MEmorabilis hic annus, & sequentes, cum plurium Cœnobiorum haud longè à Sublaco, tum deinceps in diversis etiam provinciis constructione, cum ad ipsum, virtutis fama longè lateque celebratum, magnus jam concursus fieret, cœperatque cū annis prædicationis Christi, & Ioannis, & multo deinceps ferventius conversioni incolarum intendere, & priusquam Casinum pergeret, ut disertè notavit Gregorius, *à bestiali mente,* & vitæ ratione irrationabili, multos ad saniora consilia vocare, cujus inter miracula doctrinam posuit idem Doctor, *&c.* inquit, *nolo te lateat, quod Vir DEI inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo, non mediocriter fulsit,* &c. Quo quidem factum omnino credendum est, ut priusquam Romanæ urbis nobiles aliique viri illustres ac potentes, Monasteria ejusdem amplis possessionibus dotarent, ipse & primi ejus discipuli, collatis concurrentis populi symbolis, & eleemosynis, aliquot annis viverent; *Factumque est,* ait Magnus Ecclesiæ Doctor, *ut ex illo jam tempore à multis frequentari cœpisset: qui cum ei cibum afferent corporis, ab ejus ore, in suo pectore alimenta referrent vitæ.* Ex Monim. Sublac. Cherub. Mirtio, Cajet. Marches.

*A. C. 520.* *S. P. N. 41.*

INnotuisse jam pridem Romæ non fama solùm, Patriarcham Sanctissimum, sed ex facie atque operibus, cum ex Venantio Fortunato illius ævi scriptore constat, tum

tùm ex epiſtola Sancti Remigii, & viciſſim ad Remigium Benedicti; quam etſi convellere quidam niſi ſint, perennat nihilominus conſtans traditio, ipſaque fidem meretur ſancta antiquitas, & communicatio ejuſdem antiquæ traditionis, ante ſeptingentos jam penè annos, ipſa etiam antiqua, ubi tunc indubitata, ita religioſius obſervanda, nec ita temerè, nulla ſufficiente cauſſa trahenda in dubium, quam florentiſſimum ſanctitatis opinione Rhemenſium Monachorum collegium apud ſe ſummo in pretio, & æſtimatione habitam, caſinatibus non minus tunc celebribus ſanctitate ſub Anno Ch. 1000. ex ſpeciali tranſmiſerat dono religioſæ affectionis. Et ſanè Vaticano jam tunc Cœnobio præfuiſſe, (ubi tria poſtea Monachorum collegia, & quartum inſuper Virginum Cœnobium religioſa diſciplina inſtituit, haud verò abſimile eſt, quod tamdiu à ſuis abeſſe non poterat, niſi majoris cauſa fructus atque utilitatis, dum *ad Principis Apoſtolorum Confeſſionem ſedulo excubaſſe*, à Beato Venantio memoratur, quod ipſum *ſedulitatis* verbum, nemo non videt, & temporis diuturnitatem, & ſtudium atque induſtriam notare, *excubaſſe* autem ſollicitudinem, & munus aliquod ſubindicat, uti paſtores benè dicuntur pro gregibus ſuis excubare. Quod autem *cum auxilio ſacri corporis*, (Divi Petri Apoſtolorum illi conditi Principis,) *plurima patraſſe ſigna virtutum*, dicitur manifeſtum omnino reddit, cum auctoritate illic præfuiſſe, cum præterea ſexcenta alia ſuppetant argumenta, ſimulque tot familiariter colentium Romanæ Vrbis procerum doceant, & donationes, & quorum aliquot ſuperſunt uſque hodie litteræ donationum, Benedictum per hæc tempora, Romæ, & pluries, & diutius commoratum, priuſquam ab Euticio, & Tertullo Patriciis, ut mox videbimus pro familiari neceſſitudine, ſuique animi pabulo, & filiorum inſtitutione atque oblatione, inviſeretur. Venant. Fortun. Hincmarus Archiep. Flodoardus Hiſt. Rhem. l. 1. c. 12.

*A. C. 523.* *S. P. N. 44.*

REverterat ſuperiore anno Sublacū S. P. N. ſolitudinis amantior, quam ejus, cujus jam puer faſtidio afficiebatur urbis, & frequentiæ, ut, etſi occupatior tanti condendi Ordinis magna molitione, quietius nihilominus, quantum ſinerent labores, cùm ſibi intenderet, tum corpori ſacræ quam condiderat Reipubl. invigilaret univerſo. Traxit tamen, etiam urbem in ſolitudinem tanti viri deſiderium, ita ut viri Patricii, & poſt Cæſares maximi, Sublacenſia deſerta, ſplendori urbis præferrent, & ad ſolem inde Occidenti Orientem, tanta ſydera reſpicerent. E quibus Equitius, ſive Euticius Senator, Tertulluſque Patricius, hoc ipſo, quem Gordianus annotavit anno, religioſiſſimo ſtudio occurrere. Verſabatur tunc magnus legiſlator, in Sanct. Clementis, (columbariam poſteri dixere,) ad lacus Sublacenſis ripam Monaſterio, in quo hortū pomiferum plantaverat, ſolitus ipſe tantis, alijs negotiis, hæc etiam jungere, ne qui in aliis omnibus, ſuis exemplo eſſet, in labore deeſſet manuum, cui poſt ipſum tanto promptius Carolomanni, Rachiſii, aliique Reges, & Principes, manus quoque ſuas ſtrenuè adhiberent. Nec tam ſalutatores venere illi, quam ſupplices, ut ſe, ut ſuos, ut ſua omnia Benedicto comendarent, rogarentque comendatis haud aliter atque domeſticis conſulere, Romam ſæpius occurrere, cœpta illic feliciter, proſequi conſtanter, urbiumque Principem, & per hanc orbem, atque Orbis Imperatorem, imo cœlum ipſum demereri. Obtulit uterque præter alia tantis digna Principibus munera, & donationes, ſuum quiſque chariſſimum proprij pectoris pignus, Auguſta prolapia filios, Maurum Equitius matre Iulia editum, duodecim tunc annos natum; Tertullus Placidum Fauſtinæ matri chariſſimum, Boetio Severino gratioſiſſimum, qui Placidum eodem poſtea in Cœnobio complexus eſt, multaque ejus etiam gratia contulit, & donavit Sublaco, quod Elpis, quam conjugem meruerat, Fauſtinæ ſoror eſſet, haud minore ſtudio erga Placidum, quam ipſa mater affecta, in quo deinceps, virtutis, & ſanctitatis famam, ſupra omnia neceſſitudinis jura reſpexerat, & adamaverat. Et mirum ſanè, ſeptuennem etiamnum, dilectiſſimū diligentiſſimas à ſe tam promptè dimiſiſſe, Tertullum obtuliſſe, ut appareat, quantum ſe Patrem oculatis parentibus Benedictus comendaverit, ut ipſius filios mallent eſſe quam ſuos: minuſque mirandum ſit, quod ipſe poſtmodum *Maurus* tantus teſtis conteſtatus de tanto Patre eſt, tanto numero, qui ſe paternæ ejus fidei crederent confluxiſſe, ut priuſquam vita excederet, *tanta Domino millia, acquirerrt perfectorum Monachorum*, tanto-

rum tantus pater lectissimorum filiorum. Ex Gordiano, Monim. Subl. Cherub. cit. Cajetan. Margarino, Thoma Porcachio, Ioann. Petr. Villa de canibus, Marchesio, &c.

*A.C.524* *S.P.N.45.*

IVstinus Imperator, exporrectis ab Occidente ad ipsum etiam Orientem sanctitatis radiis, & fulgoribus Benedicti; factam eidem à Tertullo patricio donationem, *Imperiali sanctione roborat*, & ad illustrandum etiam Orientem sua sive per seipsum, sive per suos suaque Ordinis Monastici Instituta, præsentia solemniter invitat, & verò etiam amplissimis ad id ipsum donationibus attrahit, etsi ante Iustiniani Imperium, non constet pro certo, Colonias in Orientem destinatas, priusquam Græci etiam Monachi, inde ad ipsum occurrerent; & Magno ille *Patri suo Basilio* tantus filius, sic etiam ipse in suæ coronide Regulæ Basilium appellat;) in restituenda, & colligenda multis in locis ac Regnis ejus familia, præclarissimam, & gratissimam operam navaret, tanto magis ad Benedictum, & promptius respicientibus Basilianis, quanto diligentius ipse Basilium coleret, patrem agnosceret, pleraque & potiora ejus Regulæ in sua haberet, ejusque & nomen, & sanctitas, atque apud Cæsarem auctoritas mereretur. Ex Moniment. & Donat. Sublacens. Chron. Cherub. Mirtii Anastasio, Cajetano, & cit.

*A.C.525.* *S.P.N.46.*

COnfluentibus ad S.P. N. non illustribus solum, & patriciis Romæ, & Italiæ viris, sed etiam variis, & sub vario eousque instituto viventibus viris Religiosis, tanta ejus Sanctitatis fama illectis mirificè consuluit Italiæ Magnus legumlator, & magnum illum titulum meretur, quo usque hodie per totum terrarum orbem, magnus Monastici Instituti per Occidentem non solum Author sed & *Reformator*; S.R.E. & Martyrologii Romani verbis celebratur; quibus, non de discipulis, sed de ipso dicitur: *Monachorum disciplinam in Occidente penè collapsam restituit* (quod ad Monasteriorũ antiquorum reformationem nemo non spectare videt,) *& mirificè*( novam ad se conditam.) *propagavit*, novis insuper plurimis ( teste Sanct. Mauro : *tot Sanctorum existens Fundator Monasteriorum.*) Sub hoc ipsum tempus per Italiam sparsim universam exædificatis; quorum aliqua, sua ipse præsentia honoravit, alia designata, manu propria Idea (quam utinam non minus quam Regulam, tanti majores, litteris saltem descriptam, post tot primævæ modestiæ ædificiorum ruinas, posteris transmisissent) tãtus Architectus ipse architectatus est; ut de prodigiosa illa nihil Idea dicam, quam, mirabiliter præsens cum etiam absens esset, suis de structura anxiis discipulis prope Terracinensem urbem, teste magno Gregorio designavit.

*A.C.526.* *S.P.N.47.*

CElebre jam sub hoc tempus Benedicti in Galliis nomen, apud Remigiũ in primis Rhemensium antistitem, qui etsi Pontificem dignum cathedra ageret, quidquid tamẽ à publicis otii concessum Monasticis dabat suisque Cathedralibus Ascetis exemplo præibat, ita ut haud absque fundamento Trithemius, Andreas Bambergensis, Christophorus Hartmannus aliique, Remigium nostratibus adjungerent, ita pendentem à nostris, ut alios quoque multos, eodem traheret, magnus Benedictini Ordinis, ante Maurum in Galliis promotor atque propagator. Illi familiaris admodum fuit Romanus S. P. N. lectissimus discipulus ( alius ab illo Sublacensi, qui & ipse in Galliis tunc vixit, & Remigio innotuit) Vigilii Papæ consobrinus, Mentuniacensis postea Abbas, egregia sanctitate Monachus, quem pro sua & Magistri dignitate Remigius plurimum coluit, incertum, qua primum occasione in Gallias delatum, utrum petente, postquam Benedictus per litteras eidem cognitus est, Remigio; an potius singulari Numinis destinatione. Certè sic meruit de Galliis, & Rhemensibus Romanus, ut Remigio transeunte ad superos, ipse eidem succedere in Pontificatu cogeretur primus è nostris inter Galliæ Pontifices, & vere ut loco, & honore proximus Remigio, sic & meritis atq; eximia vitæ sanctitate. Christ. Hartm. Const. Cajet. & citati.

*A.C.527.* *S.P.N.48.*

NEc infelicior Galliis Germania, eadem ex Schola S. Fridolinum meruit, qui regio apud Scotos genere edit⁹, pro Christo spontè exul, & peregrinus, viatoris vulgo nomen obtinuit, inter primos ex Ordine Apostolos, merito censendus: *Sanè verò*, inquit eruditissimus Coccius, *sicut D. Benedicti disciplinam, Alsatia nostra benigne complexa est, ita eam longè lateq; Sancti Patris alumni, insigni meritorũ, & rectè factorum*

rum

*rum gloria repleverunt. Quorum Principem, referunt Veterum Annales, S. Fridolinum, Regio Scotorum sanguine editum, cognomento Viatorem, quod ad cultum Religionis Christianæ inserendum multas terrarum oras indefessus obiret, &c. Is transitis Vogesi jugis, in Alsatiam devenit, & Argentoratum subiens, incolas partim vana Deorum superstitione adhuc obtenebratos: partim Arriana scabie infectos, Christum servatorem ac sanam fidem condocefecit. Mox Rheni littora legens, non sine Divini verbi præconio, multorumq; parta salute Seckingam, olim Sacconiam nuncupatam, deveniens, in ea geminum domicilium, virorum unum, alterum sanctimonialiũ figere cæpit, &c. Jamq; alios etiam populos ad salutarem doctrinam adducendi, magno ac cœlesti quodam igne vir Apostolicus ardens, primo ad Burgundionum fines, mox longa ac difficili peregrinatione ad Grisones progressus est. Exinde Constantiam, & per montem Vocetium aspero itinere Claronam appulit, populosq; ab Idolorum cultu abstractos ad Christi lavacrum perduxit, &c.* Huc usque Coccius. Vt videas, quantum superstite etiamnum, & rerum in Italia satagente Benedicto, primi ejus alumni, *excitato* in se Magistri, *cui ipse inservierat Spiritu*, pro Ecclesia, & Regno DEI laboraverint, de quorum deinceps laboris profectu ac fructu, mira audiem⁹. Iud. Coccius in victa Dagoberti. Chron. Alsat. Nottarus Abb. Ioan. Leslæus, Arn. Duac.

*A. C. 527.* *S. P. N. 49.*

MIrificè efflorescit restituta plurimis Europæ in Regnis disciplina Monastica, per Galliam inprimis, Hyberniam, Scotiam, quibus etsi incertum, quo primum anno, novi à Benedicto conditi, & tantopere à viris sanctissimis comprobati Ordinis, felix fama innotuerit, certissimum tamen est, cum plurium monimentorum, & authorum fide tum magni Rhemensium Antistitis Remigii assertione, toto jam orbe tanti Magistri, & Legumlatoris nomen insonuisse, qui aliquot, ante hunc, annis, ob hoc ipsum, in DEI laudes, & gratiarum actiones erumpens, cum tantopere jam tunc DEI in Benedicto magnalia suspexisset, argumẽtum nobis præbuit, de cæteris ominandi, *gratias Tibi Christe Redemptor clementissime,* inquit, *qui nostra tempora, tanta sublimasti gratia, ut in speciali famulo tuo Benedicto, tota te per orbem magnificet Ecclesia, &c.* Quo quidem haud video, quid amplius de tanto magistro, à tanto Pontifice dici potuerit, ex quo, de præsentiore saltem ipsi, in Gallis fructu, oculato, & tantæ fidei testi animi accommodans, multa alia facilè conjecteris.

*A. C. 529.* *S. P. N. 50.*

TANTO Novelli Ordinis flori, reflorescenti veterum Ordinum novitati, nimium invidens cacodæmon, dum nihil non contra molitur; Presbyterum quendam contra Monachos excitat juratissimum tanti hostem boni odoris, & floris Florentium, mille deinceps hostium antesignanum, qui cum in Benedictum, nec veneno quidem potentissimo quidquam posset, in discipulos saltem tanti Magistri, grande scelus machinatus, parum habuit, si corpore perderet, si fortunis quas pridem riserant exueret, nisi æternæ mortis reos faceret, & quæ omni charior vita, fama, & tanti patris gloria filios, dispoliaret. Inventum scelerati ingenii ut nequissimum, sic turpissimum, Gregorius retulit, ut de industria supersedeamus. Mœrorem ex scelere presbyteri, & discipulorum periculo, Sanctissimi Patris, gratiosissimo solatio DEVS ipse sustulit: Gordianum lectissimum ejus discipulum, imò solantis verba Numinis, & ad Apostolatus vocantis munus ac dignitatem, audiamus? *Vt quid dulcissime ac dilectissime Benedicte tristaris? Te namque elegi, ex omnibus incolentibus orbem: Tu Evangelij mei tuba cœlestis existes; Spiritu meo repletus, Surge jam, & vade ad Castrum Casinum, & populum ejusdem Provinciæ, qui adhuc idolorum nefandis cultibus servit, & in quorum præcordiis Sathanæ versutia regnat, sermone vivifico prædicans, meum ad cultum convertere stude: quia tecum ego ero, & non te deseram, & confundam omnes adversarios tuos. Proficiscere Idolorum ad pugnam, confortare, & esto robustus, &c.* Ita Gordianus. Proinde, solemniore jam Numinis vocatione ac jussione, (ne filiis suis Apostolico exemplo deesset) ipse etiam Prædicationis munere, strenuè functus est; suumque caput, si ita Numini visum Gentilium furori libens objecit; Nam in montem Cassinum concedent: *Vbi vetustissimum fanum fuit* (verbis Magni Gregorii referimus.) *In quo ex antiquorum more Gentilium, à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu dæmonum luci succreverant, in quibus adhuc eodem tempore, infidelium insana multitudo, sacrificijs sacrilegis insudabat. Illuc itaq; vir Dei perveniens, contrivit idolum, subvertit aram, succẽdit lucos, atq;*

*in ipso templo Apollinis, Oraculum B. Martini, ubi vero ara ejusdem Apollinis fuit, Oraculum S. Ioannis construxerit, & commorantem circumquaque multitudinem, prædicatione continua ad fidem vocabat, &c.* Ita locus olim celeberrimus, frequentissima, & ornatissima Vrbe (quam nobilem Romanorũ Coloniam Livius, Illustrissimam Latinorum civitatem Strabo, appellant) egregiè cultus, Marci præcipuè Varronis Illustri Domicilio, & Amphitheatro, Tullio Ciceroni comendatissimus, singulari Numinis providentia ac benevolentia, Sanctissimo Patri nostro reservatus est, quo nimirum *nemini post Beatos, & primos* (ut loquitur B. Faustus) *Christi Apostolos secundus*, ejusdem Collegij Apostolici Principibus Petro, & Paulo, in præcipua Europæ, imò universi portione Italia, simili legatione ac functione succederet, eamque provinciam, quæ cæteris longè obstinatior, longo sanè errore pertinacior multa, & in scelere audentior, sua denique constantia edomaret. *Quippe dæmonum Idololatria* (ut benè observavit, in suis Abbatum Casinatum elogijs eruditissimus Scipio.) *Tam altè Casini radices egerat, ut missi postmodum*, ab ea provinciæ perversione) *in eam Regionem sanctissimi Episcopi, Severus inprimis*, (*quem spectata virtute celebrem*, deque re Christiana optimè meritum, duobus Cõcilijs interfuisse comperimus,) *eam tamen assidua prædicatione, crebrisque miraculis convellere nequiverint: Idolorum sacrificulis sacrilegas aras ac Fana, inq; animis oppidanorum penitus infixam superstitionem, acerrimè propugnantibus.*

Meminit migrationis ejusdem è Sublaco Casinum, Cæsar Baronius. *Hoc ipso*, inquit, *anno Magnus ille Benedictus, ex angustijs Sublacensium montium, Divino monitu egressus, Cassinum petens, ad cujus Montis radices, erat sita villa M. Varronis, illic excitato Monasterio Monasticum Ordinem mirificè propagavit, &c.* Corrigendum tamen in paulo post consequentibus venit, dum pergit: *Vt autem ad Cassini montem, Christi Athleta divinitus vocaretur; certatim, quod adversus dæmones, mox ibi esset initurus, causa fuisse videbatur. Nescio enim, qua incuria dormitantium Episcoporum, quæ longè lateq; in Christiano orbe extincta erat Idololatria, in monte illo altioribus fixa radicibus, adhuc vigebat. Ibi namque fortis armatus, tanquam Impietatis arce munitus* (Quæ summa Imperatoris nostri Benedicti laus est, hostẽ, unico denique hoc præsidio, asylo atque propugnaculo exturbasse) *cultum à sibi subditis infeliciter exigebat: sed cum fortior ipso venit, penitus cedere cogitur, &c.* Præclarè de Benedicto temerè nonnihil, de Sanctissimorum Episcoporũ oscitantia, quorum nos plures scimus, inquit Scipio, in loco expurgando, & expugnando, strenuè, fructu tamen aut nullo, aut modico, quemque sceleris vorago, mox voraverit laborasse. Sed de hoc alibi. De conclusi illic angustiatique inferni Principis, lamentis ac molitionibus, plura Magnus Gregorius, & ex hoc Baronius, quæ consulto hîc præterimus, istum autem, quin denuo admiratione defixum, super successu felici Sanctissimi Patris nostri, & felicitate Casini, recitemus, præterire non possumus: *At, quis Dei consilium*, inquit, *non magnopere admiretur? Dum considerat eodem fermè tempore, quo in Oriente Monachismus esset magna ex parte collapsus, compluribus ex iis, à fide Catholica, ad diversos Hæresum errores deficientibus, aliis quoque ab illo veteri instituto rigido in delicias prolabentibus: eodem, inquam, tempore, in Occidente instaurari, atque longè lateque diffundi observantiam Monasticæ disciplinæ, eamque adeo fæcundo germine propagari, cum veluti è surculo prægrandium exortæ sint frugiferarum arborum sylvæ, quæ universam repleverint Occidentalem Ecclesiam; extiteritque locuples Seminarium, ex quo plurimi progressi sint, Sanctissimi diversarum Ecclesiarum Episcopi: nec defuerint ex iis, qui in throno Apostolico considentes, universam Catholicam Ecclesiam, cum vehementiores urgerent fluctus* (id ingens nostrorum de universo periclitante, & immortale meritum, suo loco memorabimus) *constantissimè gubernarint: progressiq; ex eodem ordine Monachorum sint, qui Apostolico munere complures barbaras nationes, Christi jugum ferre impatientes, tandem ad Christianam fidem spontè capessendam converterint: prodierintq; alij, qui ob suscepta grãdia pro Religione certamina, sint victores consequuti coronam Martyrij. Præterimus modo illos, qui sacrarum rerum scientia nobiles, inter scriptores Ecclesiasticos floruere; nec numeravimus, quæ numerari vix possint, sacrarum examina Virginum; sicut nec facilè sit recensere, quot ex hoc uno, verè dicendo sui humilitate fonticulo, immensa flumina sint derivata: quot, inquam, ex Benedicto, diversorum Ordinum sint progressa agmina Monachorum, qui licet diverso nomine, in Ecclesia Dei, circumamicta varietate censeantur, instituti tamen esse S. Benedicti, & ab ipso progredi glorientur. Hæc tãta tibi hic, uno intuitu, tanquã immensum Cælum in parvo globo descriptũ, inspiciẽda obiter*

*modo proponimus, quo sentias, facturos operæ pretium, si tanti viri primordia atque progressus, temporum ratione distinctos, quantum licuerit, Annalibus interseramus, atque cum opportuna se occasio dederit, ejusdem contigerit meminisse.* Huc usque Baronius.

*A.C.530.* *S.P.N.51.*

DVM discipuli passim alijs in diversas mundi effusi plagas, Christi simulque Benedicti patris legem promulgant, totum se ipse Archidux noster hoc anno in evellendis radicitus Idololatriæ per Italiam Reliquijs impendit, &, ut loquitur Magnus Ecclesiæ Doctor Gregorius *Prædicatione continua* (ne putes, unius diei opus fuisse) indomitum populum edomat, frendente simul infero atq; ingemiscente, adeo firma atque antiqua possessione se ejici, nec jam dolorem porro dissimulante, quin lamentis atque ejulatu maximis proderet, eoque ipso rei ipsius magnitudinem, & Benedicti merita, vel invitus commendaret. Apertam hac cacodæmonis, & inferni Principis Confessionẽ, prolixius idem Gregorius describit, & conatus atque stratagemata à Benedicto cùm fortiter, tum sapienter elusos recensens, sic inter alia inquit: Sed antiquus hostis, tacitè non ferens, non occultè, vel per somnium, sed aperta visione ejusdem Patris oculis sese ingerebat, magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita ut voces illius etiam fratres audirent, quamvis imaginem minimè cernerent. Vt enim discipulis suis venerabilis Pater dicebat, corporalibus ejus oculis idem antiquus hostis teterrimus & succensus apparebat, quin in eum ore oculisque flamantibus sævire videbatur. Iam verò, quæ diceret, audiebant omnes; prius enim hunc vocabat ex nomine. Cui cum vir Dei minimè responderet, ad ejus mox contumelias erumpebat. Nam cum clamaret dicens: Benedicte, Benedicte, & eum sibi nullo modo respondere conspiceret; protinus adjungebat, maledictè non Benedicte quid mecum habes? quid me persequeris? &c. Ita Gregorius de Principe tenebrarum ut ex dolore hujus jacturam, & cladem, ex his de gloria, & victoria Imperatoris, & Apostoli nostri facilè omineris.

*A.C.531.* *S.P.N.52.*

QVanti autem meriti, quantæque auctoritatis Sanctissimus Patriarcha noster haberetur, hoc denique anno manifestius constitit universis, quando per occasionem Generalis Concilii, quod Bonifacius II. sub hoc tempus Romæ coegerat, raro exemplo evocatus, cæterosque inter Christiani orbis Pontifices, & Christi sacerdotes considere est jussus. Illic nomen etiam suum apposuisse compertũ habemus, ex vetustissimo M.S. codice Bibliothecæ Vaticanæ, Pauli V. Pont. Max. jussu, ex Bobiensi Cœnobio deportato, & à M. Ant. Scipione citato: Prodente nimirum fama Benedictum: Eo quod jam tunc *liquido omnibus patuit, quod virum venerabilem*, teste Gregorio, *latere nil posset, in cujus auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent, &c.* Et, qui Prophetico non solùm, sed *Spiritu Justorum omnium plenus*, de plenitudine utique illa, sacro illi, collecto in nomine Divini Spiritus Patrum Senatui, tanto uberius communicare posset, quanto magis in ipso Sancti Spiritus gratiam, & gratiæ abundantiam, recens victoria, tot signa, & prodigia, vox populi, vox Dei loquebantur, & nemo nõ ex illis, suscipiebat, & venerabatur. Retentus eodem anno, suis per urbem Cœnobiis consuluit, & petentibus Pontifice, ac proceribus, plura deinceps per eãdem Monasteria cùm noviter instituit, tum antiqua reformavit: succrevitq; hoc ipso statim tempore, cum placeret tantopere summis Pontificibus, & Ecclesiæ Christi universæ, Divinum hoc ordinis Monastici institutum, ut teste egregii nominis, & eruditionis Doctore, Raulino aliisque *Romæ tunc, vigente cœlestis patriæ desiderio, omnes Ecclesiæ Titulatæ atq; collegiatæ* (res admiratione immortali dignissima?) *Monachales factæ sint; Quinimo Beati Petri Ecclesia tribus Monachorum Collegiis, & eorum frugi vita adornaretur, &c.* Ita citatus Author, &c. & præter alios multos Cajetanus, Margarinus, Marchesius, &c.

Certè ut aliquas saltem, cùm superstite etiamnum S.P.N. tum non multo post ejus gloriosum ad cœlos transitum, Specuensi Congregationi seu juncta sive subjecta, è Monimentis, Casinatis, Sublacensis, S. Pauli Romano aliorumque Cœnobiorum memoremus; fuere ordinis nostri tria inprimis juxta Vaticanum, primum S. Stephani, secundum SS. Ioannis, & Pauli, tertium S. Martini præcipui Tutelaris Benedictini nomine, in quibus, uti & Lateranensi S. Pancratii, & SS. Ioan. Bapt. & Evangelistæ Sanctissimus Patriarcha Chorum, & Scholas instituit, eoque de Rom. Ecclesia, & Vrbe mirificè meruit: *Fundo*, ait Alphonsus de S. Victore, *e scuela publica*

*cas en Roma que fuera de ser todos los Monasterios de nostra Sagrada Religion, universidades, y todas las universidades, Monasterios de nuestra ordem, &c.* Et vaticanis quidem Transmundum præposuit, Lateranensi Valentianum, quo dictante multa Gregorius Magnus de vita S.P.N. excepit, & posteris commendavit. Ita S. MARIÆ Majoris, ita S. Laurentii, & cætera Patriarchalia Monasteria, sive de novo fundata, sive novo Legislatoris nostri instituto reformata sunt; ita ut nullius deinceps Regulæ nisi Benedictinæ in Conciliis universalibus mentio habeatur, & Monachi (ut ex ipsismet actis patet) omnes ad illam remittantur. Sic in sola urbe, præter jam dicta Cœnobia duæ, & viginti aliæ Abbatiæ, ejusdem ordinis, diversis in Diplomatibus nominantur: SS. Cosmæ & Damiani in Vico aureo; S.M.V. in Monte Aventino: S. Sabini Episcopi: S. Cæsarij in Palatio: S. Pancratii via Aurelia; S. Thomæ juxta forum Claudii alias juxta formã claudiam; S.M.V. in capite, alias castro Aureo; S. Blasii inter Tyberim, & portam S. Petri; S. Blasii juxta Trajani Palatium; S. Laurentii in Panisperna; S.M.V. in capitolio, ubi est ara filii Dei, S. Agathæ in Suburra; S. Sabæ, cellæ Novæ; B.M.V. in Pallaria; SS. Alexii, & Bonifacii; S.M.V. in Monasterio juxta S. Petrum ad vincula; S. Trinitatis Scotorum; S. Silvestri inter duos hortos; S. Agnetis Virginis extra muros; S. Anastasii via Ostiensi; S. Valentini juxta pontem extra Vrbem via Flamminia; S. Gregorii in Clino Scauri, ut de plurimis aliis, quorum hodie penè omnino intercidit memoria, sileamus. Ex quo manifesto apparet, quantum Romæ consuluerit, tanta multitudo, primævo inprimis in flore Ordinis tam benè instituti Religiosorum quorum pleraque cum non unum solummodo sæculum, sed plura incoluisse Monachos, quamplurimis instrumentis litterarum possit edoceri, & ex his plerosq; Romanorum Pontificum ad annum usque Christi millesimum centesimum, ad Petri Cathedram, summumque orbis Christiani Imperium constet extractos atque subvectos, nemini non rem serio expendenti patebit, quot, quantosque Ecclesiæ amplissimus hic Ordo pastores dederit, quorum non nemo, supra centum triginta numeravit, de quo numero, etsi necdum certi quid statuamus, donec tamen tot Romanæ Vrbis Ecclesiarum, & Monasteriorum tam diuturna possessio, maximam omnino inde Pontificum copiam prodiisse, quam productis in publicum documentis, & diversorum Monasteriorum monimentis, ut extra controversiam deinceps res versetur Monastica, speramus cum tempore evidenter demonstrare.

Ipso anno, Romæ agentem, & comorantem Sanctum Patrem, fama concitatus tantæ virtutis atque sanctitatis, convenit, & veneratur, magnus ille Turibius Palentinæ postea sedis Episcopus, attonitusque sublimioris vitæ exemplo, accenseri tanti Magistri discipulis, suppliciter ab eodem exposcit, ac meretur, quod ipsum familiaris Turibio S. Maximus noster, Cæsar Augustanus Archiepiscopus, his ipsis verbis diligenter annotans: *Aera 569.* inquit, *Thuribius Palentinus à Sancto Benedicto Romæ accipit habitum.* Dignus revera tanto Magistro discipulus, de cujus meritis, uberius tractabimus.

*A.C. 532.* *S.P.N. 53.*

IDEM, de quo nunc primum Turibius, in magnæ spem sementis, & messis Hispanias repetit, adjuncta insigni Monachorum Colonia, quam in magnum sane opus, cum infidelium atque hereticorum Regnis illis incumbentium, ad gremium Romanæ Ecclesiæ adducendorum, tum sanctioris vitæ, & disciplinæ Monasticæ latius propagandæ, ipse Sanctissimus Archidux Monachorum, maximo Hispaniarum fructu eidem addiderat, exquisitissima semina recens ab ipsomet plantatæ, Religiosæ perfectionis. Enumerat ex ijsdem aliquot, oculatus rerum testis S. Marcus Maximus Cæsar Augustinus: *Euphemium, Exuperium, Venantium, Adelphiũ, Exuperantium; quorum aliquot,* inquit, *de facie novi.* Qui ad diversas postea extracti Cathedras, admirabili Sanctitate Pontifices, Hispaniam universam mirificè illustrarunt. Ex M. Max. Hist. Iuliano, Laurentio Ramirez, Francisco Bivar. Const. Cajet. Alfonso de S. Vict. Mauro Marchesio, &c.

*A.C. 533.* *S.P.N. 54.*

MAgnum in Oriente etiam, non solum Occidente, Benedicti nomen, apud Iustinianum inprimis cognatũ Cæsarem plurimũ potuit; qui sub hoc ipsum tempus, & ipse Benedictinorum non unã sed plures Colonias, novæ Romæ, & diffusissimo Orientis Imperio mitti efflagitavit, & ad varia, per diversa Regna ejusdem, ac provincias, construenda Cœnobia,

bia, Augusta sanè liberalitate, maximas opes, & possessiones obtulit; *in provincia* quidem *Bizacena, Carathum, Gitim, Isiriã, Lymnidem, &c. In Ægypto, Thmueos, Afroditum, Pelusium, Nicium, &c. in Thracia, Patiticum, Libissam, &c. juxta Alexandriam: Aristeum, Vicundium, Talaim, &c. juxta Antiochiam, ullam Sycamam, & modia terræ viginti millia: juxta Damascum, Nemeseam, Heriopolim,* & plurima alia, de quibus omnibus, nimis quam disertè, ipsa litterarum, & diplomatum nec non M.SS. Codicum, diversissima, cum Sublacensis, tum Casinatis Cœnobiorum, monimenta, ut ad illas, in fine Historiæ Ostiensis, recurrere non oporteat, quibus prisca simplicitate scriptor, dum testium subnotaret nomina, insignia cujusq; familiæ notans, Leonifer, Lucifer, &c. fidẽ suã suspectam reddidit, & ex diversis cùm Iustini, tum Iustiniani Impp. aliorumque donatiouibus, compendio facto, inscitè potius quam perfidè agens, fidem, quam maximè astruere videbatur, non meruit; plurimis aliis documentis, donationes amplissimas confirmantibus; & multa Italiæ quoque Tyrannorum, quæ Cæsares contulerant, ratihabitione firmata, cum neque Augusti suo in Occidentem jure cederent, & donationes è jure suo facerent, etsi roganda quoque illorum gratia esset, qui alieno Imperio, & possessionibus per tyrannidem incubabant.

Meruit, & de Oriente tantopere Magnus noster Legumlator, tantumque meruit, ut vetustissimi Græcorum Ecclesiarum Fasti, miniato charactere tanti Tutelaris nomen, inter festa, seu duplicia reponerent, & præter Romanæ Ecclesiæ, (ut in plurimis solemnitatibus alijs,) consuetudinem, non duodecimo, Calen. April. sed pridie Iduum Martii, Magni Monachorum Patriarchæ diem Natalem his ipsis verbis, interprete Genebrardo, designarent: *Sanctus Pater noster Benedictus.* Dignam Magno Basilio Magistro rependente vicem Magno Benedicto, qui cum in Oriente non minus, quam Occidente, ob invalescentes hæreses, disciplina Monachica plurimũ nutaret, oportunè subvenit, suosque illuc lectioris notæ discipulos destinans, plurima Regna immortaliter demeruit. Minimè auso reclamare, quocunque suos mittere rogaretur Sancto Patre, ut cui volente id fieri, ac jubente numine, certum esset, uti disertissimo è cœlis oraculo edoctum S. Faustus discipulus affirmavit. Ex cit.

*A.C. 534.* *S.P.N. 55.*

NEQUE verò Asiæ solum contentus consulere, & Bizantinis provinciis Cæsar Iustinianus illatis Benedictinæ ubertatis felicissimis seminibus, subactis hoc anno per Belisarium Wandalis, & Africa in Iustiniani potestatem redacta, eo quoq; quamprimum Monachorum Archiducem invitavit, & magnã denuo possessionum multitudinem obtulit, illa quoque amplissima ut Regna, imissis cœlestis viæ ac vitæ ductoribus atque doctoribus bearet. Extant Donationum diplomata, & vetustissima Imperatoriæ Pietatis ac liberalitatis, in Archivis Casinatibus, & Sublacẽsib⁹ monimenta, quib⁹ juxta Carthaginem, idem Augustus, ad Monasterium cõstruendum, modia terræ viginti millia; totidem juxta Hipponem Regiũ, triginta millia, in Cæsarea Mauritaniæ, plurima alia diversis locis DEO, & S.P.N. obtulit, & juxta suum, Divinum quoq; honorem ac Regnum verè pius, verè felix, verè Augustus propagari voluit.

Sed & maturè admodum, incertum an eodem promotore, an potius, (quod de discipulis Christi aliquot legitur) utili admodum navigantium errore, impellente Numine, ad amplissimas Abyssinorum Æthyopum atq; Armeniorum appulisse regiones, nõ tam scriptorum nostrorum fide, & relatione quam constanti eorumdem et traditione habemus, & probabile omninò reddit, maxima Cœnobiorum Ordinis multitudo, quorum in sola Armenia mille circiter sub legibus Magni Patriarchæ nostri degere oculati testis, superioribus annis Romæ procuratorem Patriarchalem agentis, asseveratione docti sumus Reverendissimi D. Arachielis Beglierij S. Stephani, ejusdem Ordinis, pe urbem Spaanensem in Perside, Abbatis, viri spectatæ probitatis, & eruditonis, qui apud eosdem strictissimam etiamnũ vigere Regulæ observantiam affirmavit non solùm præcepta, sed & cõsilia S.P.N. religiosissime observantes, ita, ut non cõtenti sint à carnibus perpetuo abstinere, sed & in quadragesima nec piscibus quidem utantur, omne autem anni tempore præterquam in Missæ sacrificio vino sibi interdicant, verba illa, magni Patris: *Vinum omnimodo non esse Monachorum* adeò cautè, & religiose excipientes, ut ad ejus beneplacitum conformare se malint, quã indulgentia uti quadam, & concessione. Et verò maximam eorumdem cum apud

plebem tum apud proceres esse auctoritatem, tanquam virorum, & olim & hodie de re Christiana meritissimorum, de quorum, & vitæ integritate omnibus constet, & eruditione, è quibus nostra, & proxima nobis ætate, virtutis opinione maximi Gregorius, David & Andreas Patriarchę Ierosolymitani, insigniter exsplenduere. Certè apud Abyssinos tanta in veneratione usque hodie Archidux noster est, ut vulgo etiam, Angelum appellent, *Abba Bruck Amlak.* (*Abbas Benedictus Angelus.*) alterum scilicet in terris, per tot, toto orbe provincias, ministerio discipulorum suorum Incarnati Numinis Angelum, & Nuncium, cujus ipsi seram posteritatem, *Malkos*, vel *Rooban Abbuna Abba Bruk Amalak* appellant; id est *Monachos* vel *Fratres Patris nostri Abbatis Benedicti Angeli*, ea & ipsi apud *Ase* id est Imperatorem (alias Presbyterum Ioannem.) authoritate, ut siquid in moribus sive regimine exerret, ipsi libere Principem adeant corripiantque claro sanè argumento Apostolici Spiritus à Magno Benedicto in remotissimis Regnis per tot sæcula propagati. *Susenius cogn. Michael, Sertedengkelius, Arachiel Beglierius, apud Maurum Marchesium, & Constantinum Cajetanum.*

In Hispaniis maximis se meritis commendant, missi nuper à magno Patre nostro magni discipuli, & Hispaniarum illuminatissimi Doctores, è quibus, primus hoc anno ad Episcopales expetitur infulas, & renitens in cathedram Telensem sive Palentinam evehitur, S. Turibius noster; qui magno quamprimum animo, & Pontificia auctoritate, cum in idololatriæ evertendas reliquias, tũ hæreses profligandas totus incũbit, & mire ꝑficit.

*A. C.* 535. *S. P. N.* 51.

INsigni erga sedem Apostolicam, & sacra limina studio, Scoti atq; Hyberni Monachi dum Romam frequentius repetunt, & fama etiam proclamante mirifica de magno Benedicto, gratiosissima de ejus legibus, discipulis, & restituto ordine Monachico condiscunt, & verò etiam cum Romæ, tum, alia sacra invisentes loca, suis oculis usurpant, & ad suos referunt, magno omnes gaudio afficiunt, universis quamprimum Spiritus Divini operationem in tanto Legumlatore agnoscentibus gratiã Numinis adorantibus, exemplaria novæ disciplinæ inhiantissimè expetentibus, tanto non solum illorum Regnorum fructu, sed & aliarum amplissimarum provinciarum, ut totas deinceps Germanias, Galliasque ex instituto Benedicti, Hyberni atq; Scoti implerent, plurima in hodiernum usque diem florentia Cænobia conderent, atque im̃ortalibus meritis, tanta Regna demererentur.

Quo ipso etiam tempore, ad renascentem in Occidente disciplinam Monachicam, tanti syderis fulgoribus velut stella Magi in Oriente, excitati Græci Monachi, à discipulorum exemplis ad ipsum Magistrum abrepti, contempto omni terra marique discrimine in Italiam convolarunt, tanti ut Magistri ac Patris cõtutu, alloquio, & benedictione fruerentur. Retulit rem̃ memorabilem, in occursu quandoque Græcorum factam, Sanctus Desiderius Casini Abbas, dein Victor III. Vrbis, & Orbis Pontifex consalutatus: quod cum in Spiritu Sanctissimus Patriarcha eorum aduentum prævidisset, convocatisque Fratribus prænunciasset, iisdẽ ad milliare à Casino, obvium cum Fratribus processisse, exhaustosque ac fractos longi itineris laboribus, & maris jactatione, præter Cænobii consuetudinem, etiã carnibus vesci voluisse: *Quibus illatis,* (verbis Benedicti Bobiensis ex Desiderio referimus) *cum moneret illos, ut manducarent, scantalizati sunt, & noluerunt. Quod advertens, mellifluis cœpit eos verbis consolari, & ut cum charitate comederent, etiam vivis exemplis,* (discipulorum pro ipsa magistri tanti jussione ex obedientia com̃edentium) *exhortari. At cum consolari nollent; Domino nostro se committens, duxit eos ad cæmeterium Fratrum, & facta oratione vocans mortuos, Fratres, clara voce præcepit, ut omnibus audientibus dicerent, si pœnam aliquam sustinerent pro comæstione carnium, quas jussu ejus comedissent. Mira res, & omnino stupenda! clara voce, omnibus audientibus responderunt: Imo, Pater Sancte, magna est nobis gloria; & quia mandatis tuis in omnibus obedivimus, in sinu Abrahæ collocati sumus & ante conspectũ Divinæ Majestatis, cum Angelis & S. Sanct. confessoribus semper astamus, donec dies judicij veniet, & resumptis propriis corporibus duplicem stolam recipiamus. Tunc jussu ejus iterum dormierunt,* & Græci pœnitentes, mirifice consolati recesserunt. Ita Desiderius, Benedict. Bob. Const. Cajet. Maurus Marchesius, &c.

*A. C.* 536. *S. P. N.* 57.

MEmorabili omnino prodigio, orbis terrarũ universus, divino quodã in solis radio, illuminatissimo Divinitus Patriarchæ

triarchæ ostenditur, & quasi adducitur atque Abrahamo nostro, (juxta illud, *universa terra quam conspicis tibi dabo, & semini tuo.*) stupendo quodam contuitu exhibetur, tanquam tot Regnorum atque provinciarum futuro deinceps in suis discipulis Apostolo, magno omnino Regni, & Ecclesiæ Christi in terris, post primos, ac præcipuos Christi Apostolos propagatori. Dignissima omnino res, quam ex Magno Ecclesiæ Doctore Gregorio repetamus: *Cum vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc Fratribus, instans vigiliis nocturnæ orationis tempora prævenisset; ad fenestram stans, & omnipotentem Deum deprecans: subito, intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset: Mira autem res valde in hac speculatione sequuta est: quia, sicut post ipse narravit, omnis etiam mundus, velut sub uno solis radio collectus ante oculos ejus adductus est, &c.* Ita Gregorius, qua quidem mirabili in visione Dei ipsius juxta essentiam contuitum, gravissimi Theologi & Doctores inprimis Salmanticenses affirmarunt, accedente ipsomet Magno Gregorio, dum visionem explicaret. *Quia animæ*, inquit, *videnti creatorem, angusta est omnis creatura.* Benedictum ob hanc ipsam gratiam dignissimo, tanto post elogio, celebrante paucos ante annos S.D.N. Urbano IIX. Pont. Max: in Bulla de festo S. P. N. anno 1632. expedita, apud Tambur. t. 3. disp. 24. q. 5. *Divina*, inquit, *interius lucesplendens, sublatus in mentis lumine, superior mundo, & expansus in Deo, mentis laxato sinu, beatifico lumine humani imbecillitatem intellectus elevante, Deum ipsum, & in ipso Deo, adhuc mortalis, omne, quod infra Deum est, videre meruit, &c.* Ita Vrbanus Papa. Quo quidem ipso tam admirabili in spectaculo, illa præ aliis vidisse censendus est, quæ ad se, & ad suos, in conversione scilicet orbis, & adducendo ad Deum, sicut à Deo ad se ducebatur, orbe, potissimum pertinere videbantur. Gregor. M Marcus Ant. Scipio, Ant. Iepez. Alfonsus de S. Victore, Const. Cajet. & nos prolixius in vita S. P. N. aliisque rer. Bened. Hist.

Eodem anno Legati Calaritanorum cum muneribus, ad Sanctum Patrem nostrum è Sardinia occurrunt, & ab eodem enixissimis atque humillimis precibus, Monachorum coloniam pro Regno illo atque insula petunt. Quibus cum ille pro sua ad id ipsum Divina vocatione, & electione deesse non posset, pro voto satis fecit, lectissimosque è Scholis suis discipulos, & jam perfectionis Magistros, & professores, magno cunctorum plausu destinavit, Sanctos Raynerium, Florum, & Vidrianum, qui plura deinceps per Sardiniam Monasteria, & Florus quidem Beat. Mar. Virg. de Pala, Raynerius Sulcitanum Vidrianus autem Sanct. Nicolai Calaritanum, ante alia, construxere, mirificè efflorescente quamprimum ibidem disciplina Monastica, & ope piorum plurimis conditis Cænobiis, quæ non multo post persecutione VVandalica per Africam sæviente, magno ditata sacrorum codicum, & Reliquiarum thesauro, Magni etiam Aurelii Augustini illato corpore, illud religiosissimè ad annũ usque Christi septingentesimum vigesimum quintum custodierunt, donec ex Sardinia item periclitante, Papiam traductum, recens, nostris à se condito, Sanct. Petri in Cælo aureo, per Luitprandum Regem Longobardorum inferretur. *Ex Ioan. Cajo Canon. Caralit, Franc. Bivar. Alfonso de S. Victore, Cajet. &c.*

*A. C.* 538. *S. P. N.* 58.

DEmeruerat jam pridem, incertum, quo primum anno, Siculos Sanctus Patriarcha, & (ut ex diversis Siciliæ monimentis docet manifeste doctissimus atque meritissimus de re Benedictina R. P. D. Maurus Marchesius Panhormitanus) per regnum utrumque recens à se conditam Regulam transmiserat hoc tamen anno, ut speciali aliquo, & quasi convulso ab ipsis suis visceribus, & medullis munere eosdem honoraret, filium, & nepotem charissimum Placidum, eodẽ ablegavit. Is cum Messanam applicuisset, sibi quãprimum ac sociis Monasterium condidit, & Divi Ioannis Baptistæ honori nuncupavit. Vbi parvo tempore, triginta sibi Mon. sociatis, initium Congregationi novæ (reliquis ad ipsum, tanquã alterum sui parentis oculum, respicientibus) quæ post ejus mortem, Sicula appellata est dedit, regnis Siciliæ, multis deinceps sæculis utilissima, ex qua maximi Pontifices Doctores, S. S. Ioannes, Zozimus, Elias, Sophronius, Theodosius Siracusani Episcopi; S s. Faustus, Clemens, & Robertus Abbates ibidem; Ss. Iacobus Martyr, Sabinus, & Leo Thaumaturg⁹ Catanensiũ Antistites, Ss. Potamius, & Gregorius Agrigentini, aliiq; magni Ecclesiarum pastores prodiere. Illud stupendũ omnino, & sane prodigiosissimum,

ſimum, quo tanti Magiſtri diſcipulus, ſui, Regno utiliſſimi, adventus auſpicatiſſimũ initium commendavit, & Siciliæ non ſolum univerſæ, ſed finitimis quoque Appuliæ, & Calabriæ urbibus atque provinciis mirificè innotuit, ac benefecit, dum in tranſeundo omnes, oblatos quoſcunque infirmos ſanitati reddidit; ſed dum moleſtiores, dies noctesque deinceps Meſſanã occurrerent, die indicta, omnes undecũque Regni, & confinium ægros, debiles, mancos, &c. ad ſe confluentes, raro atque inaudito ad eam diem exemplo, *per merita viventis etiamnum, Sanctiſſimi Patris ac Magiſtri ſui* Benedicti ſanos eſſe juſſit, meruitque non tam prodigio ipſo, non minus magno cum multo, atque pro reverentia tanti patris tam diligens atq; reverens filius immortali memoria ad poſteros celebrandus. Vt ex hoc ipſo juxta appareat, quanta hæc fundamenta fuerint diſciplinæ Monaſticæ per Siciliam ſuperextruendæ, & longè lateq; in tali applauſu populorum propagandæ.

*A.C.538.* *S.P.N. 59.*

ETſi jam pridem cum ipſi Cœlorum Auguſtæ tum Cœlitibus, & Numini pro ſingulari ſuo atque eximio in DEIparam ſtudio ſummopere ſe probaverit, & cõmendaverit Mariani Nominis, honoris, & Regni Magnus aſſertor, & promotor Benedictus, & verò, uti libri dictũ initio, ab inſtantia cœperat, & ob id ipſum ad id eminentiæ provectus ſit: ſub de hoc tamen imprimis tempus memorandum cenſuimus, non tam privatim adamatum, ſive inter domeſticos Sublaci ſeu Caſini parietes concluſum atque coercitum tantæ Reginæ obſequium, ſed per urbem, ſed in orbem longè lateque ſparſum, longè pulcherrimũ illud, utiliſſimum Pſalterii Mariani Iuventutum, tantæque demerendæ Dominæ exercitium, quod tanto poſt candidiſſimus ille Dominæ Dominicus, Novæ familiæ Marianæ, cœlis dilectiſſimæ, inſtitutor, veteris Reformator ac Reſtitutor, ipſamet plaudente DEI matre, poſt ſeptingentos verè annos, inveteratum atque in oblivionem deductum, de novo in orbem introduxit, eoque ipſo, ſupra omnia alia, etſi maxima ut plurima, ſeſe merita cœlo terriſque amabilem reddidit; illud, inquam, illud ipſum Pſalterium, ſub poſtremos maximè ſuæ ætatis annos, deſtinatis ad tam diverſas mundi plagas, diſcipulis, Sanctiſſimus Patriarcha noſter, immortali cum fructu atque merito protulit, cœlum terraſque amabili nexu illigavit; tanto proculdubio, feliciore Apoſtolicarum miſſionum ſucceſſu, quanto diſcipuli ejuſdem, cum Fide Chriſti, Apoſtolorum quoque Reginæ cultum, exemplo tanti Magiſtri ſui, & Patris promotum voluiſſent. Retulit idipſum, magnus ille à Secretis Cœlorum Auguſtæ, ab ipſamet annullo è capillis Virgineis donatis, & ſponſi honore ac nomine inſignitus, S. Alanus de Rupe Dominicanus Monachus, tertius à Benedicto, & Dominico, ipſamet jubente, & cogente DEIpara mirificus promotor atque Reſtitutor in ſuo, quod de Pſalterio Mariano ſcripſit volumine his ipſis verbis tanti Patriarchæ, in uſurpando atque propagando, ejusque Diſcipulorum ſtudium atque devotionem celebrans: *Sanctus Benedictus, novi factus Inſtituti Patriarcha inclytus cui ante diu inſueverat, Pſalterium MARIAE ſimul, & inter ſuos, non tam præcepto ullo, quam uſu ipſo, in Sanctam conſuetudinem introduxit; quæ in Religionem dein vertit, ac inſedit, &c.* & iterum: *Sanctus Benedictus porro,* inquit, *Sacri Ordinis Ampliſſimi Patriarcha digniſſimus, ea cura, & religione, Sanctum in Pſalterio ſalutatorio, cultum DEI familiarem ſibi, perpetuumque voluit, & obſervavit ſic, ut eo tam Divinæ Monaſticæ Inſtitutionis, & Autor fieri mereretur. Tanti Patris ab exemplo, ſacer mox chorus Fratrum univerſus, per orbem latè ſecum circumtulit Pſalterium, & cætera præter, conſueta Ordinis, exercitia Divina, iſtud quoque velut privatum quisque, in deliciis ſuis ſecretioribus deamavit interius, & in eo Almam Virginem Matrem, Sponſam Sponſi ſui, ſancta quadam familiaritate, cordialius diſſuaviavit, &c.* Ita parte 1. Apologiæ pro prædicatione ſua de Pſalterio S. Alanus cap. 8. num. 7. & parte 2. & 4. num. 1. Ioann. de Prato, Coppenſtein, & nos in Gerardo Belga noſtro, & Hiſt. Monaſt. &c.

*A.C, 539.* *S.P.N.60.*

NOVAM denuo Coloniam in Hiſpanias mittit Sanctus Pater noſter, & Toletanum Regnum atque Vrbem demeretur, duodecim è ſuis deſtinatis diſcipulis, quem numerum pro reverentia Apoſtolici Collegii, in condendis quoque primis per Valeriam Cœnobijs obſervavit, eoque per ſingula duodecuplicato, uti fervorem primitivæ Eccleſiæ, ſic & numerum Fratrum (Actuum cap. 1.) centũ viginti repræſentavit magno deinceps,

&à

& à prima, & ab altera missione fructu per Hispanias consequente. Quo ipso tempore plura jam per eadem Regna Benedictini Ordinis Cœnobia constructa memorantur, eaque inter celeberrimum illud Lorbanense in Portugallia, de quo vetustissimæ in Archivo ejusdem tabulæ attestantur: *Domus nostra Lorbanensis constructa fuit, vivente Patre nostro Benedicto.* Cæterum de propagatione Regulæ per Hispanias superstite etiamnum Sancto P.N. legendi Ambrosius Morales, Hieronym. Zurita, Genebrardus, Alphons. de S. Victore Cajet. Marchesi. aliique

*A. C.* 540. *S. P. N.* 61.

SOlatur exilium suum, cucullo, & Monasterio S. Silverius, superiore anno, summam per injuriam à Belisario, in exilium deportatus, & veste Monachica indutus, quam ipse haud invitus complecti potuit, tantopere à se ante Pontificatum adamatam, & ut nonnullis visum est, ab ipsomet S. P. N. pridem expetitam atque susceptam. Cæterum Palmariam jam tunc Insulā Sanctissimo Patri nostro dono datam, & immissa Monachorum Colonia occupatam, monimenta Sublacensia habent, in qua etsi exulem ageret Sanctus Papa, & absque fuso sanguine Martyr moreretur, magno tamen solatio fuit, exulare cum sponte exulantibus, famere cum famentibus, non alio mœrore consumptus, quam ex scelere alieno; illic à militibus, qui servabant malè habitus, ut molestia eadem eorumdem, Sanctissimi Monachi caruisse non videantur, facti cōmartyres Eusebii condolentissima tanto Patri, filij observantissimi Compassione. Maurus Marchesius Monim. cit. Const. Cajetan. &c.

Laborat grandi fame Italia, fit magnus egentium ad Sanctissimum Patrem nostrum occursus, quibus mira pietate, & prodigiosa ipse liberalitate occurrit, Author præcipuus cum per se tum per suos innumerabilium per orbem terrarū, Xenodochiorum, Nosocomiorum, & Hospitalium condendorum; imo, sua omnia Cœnobia pauperibus, & hospitibus, memorabili inexhaustæ liberalitatis exemplo aperiens, Hospitalitatem suis præcipiens, necessaria quidem omnia, primum domesticis, & à Deo atque altari servientibus, honestè concedens, cætera paupetibus, & Hospitibus. (*Qui nunquam desunt Monasterio*) non solum liberalissimè tribuens, sed & superiores Cœnobij, ipsumque Abbatem, ad pedes eorumdem lavandos abjiciens, *ut impius sanè sit*, inquit Gerardus Belga, *qui illos excludat, cui Dominus ipse januam aperit*, idem alias asseverans, pleraque Ordinis, quæ esse desijssent Cœnobia, sive in commendam data essent, *ipsa in hospitalitate, thesaurorum congregatione, & pomposa ædium structione, exigente super pauperum atque hospitum querelis, justissimam vindictam Numine meruisse.* Quantum autem sæpe sæpius multæ orbis terrarum provinciæ commodi, innumerabiles pauperum greges, auxilii, de pauperatorum Nobilium liberi, subsidii; à Benedictinis habuerint, prolixius alias demonstramus, & supera omni, atque nostra etiam ætate, maximis à Numine cōmendatam Hospitalitatem Benedictinā miraculis, plurimis, & gravissimis exemplis confirmamus. Quod quidem inter tanti Patriarchæ præcipua de orbe merita, numerandum, jure merito hoc loco celebrandum esse existimavimus.

*A. C.* 561. *S. P. N.* 62.

ABARES, Manucha Duce, Siciliam populantur, & dignissimum Christo hostiam Placidum Sanctissimi Patris nostri nepotem ac discipulum, Cœlo transmittunt. Occubuit Magni Ordinis felicissimus Protomartyr tertio nonas Octobris, Faustini, Firmati, & aliorum insuper triginta Monachorum Martyrum comitatu dignè stipatus, sed & Euticij, & Victorini ac sororis Fluviæ egregiorum Principum, singulari tunc Numinis voluntate, & concessione, ad se invisentium, longi, & difficillimi certaminis sociorum, communi triumpho, præcipuè à DEO honoratus, ut non jam urbe solum rem insolitam admirante, qualem in Placidi majoribus, Sexto Anicio Probino, & Hermogeniano germanis fratribus, ijsdemque simul semelque designatis consulibus Fasti cōsulares deprædicant, verum orbe terrarū universo applaudente, multo melius de quadrifida beatitate, Placido nostro. Claudianus multo probatior, ut minus claudicans veri atquè æterniti honoris celebratiore, accinat:

*Omni nobilior lustro, tibi gloria soli*
*Contigit, exactum nunquam memorata per ævum*
*Germanos habuisse Duces, &c.*

Vt vix plausibilius Germanis hisce, & ipsi maximè Placido esse possit quam tantę gloriæ ut triumphi collegas sese mutuo meruisse, habuisse.

Intuitus in Spiritu hæc omnia Magnus Patriarcha, ipsa hora, qua Placido triumphatis hostibus decretus triumphus est, plenus ipse gratulationis, ad suos Casini congregatos rem omnem retulit. Placidi autē, an tanti parentis ejus meritis, grandi eorumdem piratarum peste Italia, & orbis liberatus, & Manucha cum sedecim suorum millibus, & octingentis, ultricib9 Oceani procellis absorptus est. Siculus vero ager, fœcundo sacratæ cohortis cruore irrigatus, accepta Religionis incomōda, lætiore in posterum proventu rependens, copiosissima semper Monachorum sobole redundavit.

Superstesne Anicius Tertullus filiorū tam illustri triumpho fuerit, an è cœlo spectarit, & expectarit incertum, certum autem ab ipsomet Sanctissimo Patriarcha domum Placidi in Monasterium conversam. Quo ipso tempore Romæ aliquamdiu subsistentem conveniens B. Sylvia Anicii Gordiani conjux lectissima, prægnās tunc, magno revera filio, à Magno Benedicto amantissimè compellata, & mirificè recreata, prophetico Spiritu ab eodem, *de Nativitate, Nomine, & officio* ejus quem gerebat in utero infantis, Magni per omnia Gregorii edocta est, magna, & ipsa vitæ sanctitate, & egregia cum marito in Sublacense non minus quam Casinense Archisteria liberalitate, præcipuè primorum Ordinis Cœnobiorum Fundatorib9 jure merito accensendam. Ex Petro Diacono, libro de ortu, de vita Instit. Casin. Monim. Sublac. pervetusto Martyrolog. Codice quodam Bibl. VVeibling. Marchesio, &c. Dom. Vischero &c.

*A.C.* 542. *S.P.N.* 63.

ADMIRANDUM omnino æternis sæculis, imperterriti invictique animi exemplum, quo ut Castrorum acies ordinata, unus contra potentissimū Reipubl. Christianæ hostem, victor perstitit, & de grandi illo universi terrore, flagello non minus DEI, atque se Attila jactabat, de Totila inquam Rege, felicius Narsete, & Belisario, quin & Cæsare ipso ac Magno Macedone triumphavit. Quippe fastu majore an contemptu adventantem, tantus solo magni Imperatoris nostri Benedicti à conspectu, horror invasit ac perculit, ut etiam humo, trementem affligeret; imo ita affigeret, ut nec suspicere quidem ac hiscere ausus, etiam jussus non posset, prius quam auxiliatrice, & benefica victoris manu allevaretur: Verbis ex Greg. Bar. referamus. *Tunc per se idem Totila ad DEI hominem accessit; quem cum longe sedentem,* (neque enim occursu suo DEI hostibus blandiri, ut neque metuere eosdem noverat) *cerneret; non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui, cum vir DEI, bis terve diceret, surge; sed ipse ante eū de terra erigere se non auderet, Benedictus Christi IESu famulus, per semetipsum dignatus* (*Ecce,* cum victoria, usum digna quoque animi submissione,) *accedere ad Regem, prostratumq. de terra levavit, & de suis actibus increpavit: atq; in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant eventura prænunciavit dicens:* (ô inauditam animi, non coram Theodosio Catholico Cæsare, sed Totila Tyranno libertatem.) *Multa mala facis: multa mala fecisti; iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, novem annis regnans, decimo morieris.* Profecit multum exhortatione sua admirabilis orator noster, si nulla porro re alia, de universo, de Italia, deque utriusque capite Roma longè meritissimus: *equidem his auditis*, pergit Gregorius, *Rex vehementer territus, oratione petita recessit: atq. ex illo jam tempore minus crudelis fuit, &c.* imo, quod Baronius paulo post, anno eodem subtexit: *Benedicti monitis redditus minor, ut ejusmodi humanitatis non solum, sed & continentiæ exempla ederet, unde factum, ejus ut nomen, ut sapientiæ, ita & benignitatis, celebre apud Romanos jam esset, & maximi fieret.* Ita Gregor. Baron.

Nec minore in Gallum Totilæ Ducem usus constantia, grandi insuper prodigio, sævitiam hominis compescuit, dum solo aspectu, captivum, quem ille locis arctissimè constrictum ante equum impulerat, nexibus absolvit, & Gallum, pari quo Totilam terrore, in terram dejecit. Sed de his, aliisque fuse Gregorius noster, cujus Natalem hunc ipsum, quo hæc gesta sunt annum, haud improbabiliter, ominamur, etsi sint, qui prædictionem ejusdem in utero latentis, adeoque etiam nativitatis annum, maturius antevertant.

*A.C.* 543. *S.P.N.* 63, *sive* 64.

MOritur invictus Sanctissimi sui, & jam *multorum millium, dum superstes esset Perfectorum Monachorum*, ut loquuntur Sancti ejus discipuli Maurus, & Faustus, deinceps autem imēnsi atque innumerabilis exercitus Dux, & Imperator Benedictus, æternum gloriosissimæ, & felicissimæ mortis speculum; *eamdem longè etiam posi-*

*positis discipulis non solum prænuncians*, verum ipsa suprema hora eidem lætus occurrens: quippe in Oratorium à suis se deportari præcipiens, Sacrosancto Dominici corporis, & Sanguinis epulo refectus, aperto, quem sibi ac sorori paraverat tumulo, elevatis in cælũ manibus, digne Cæsareano illo: *Oportet Imperatorem stantem mori*; stans, inter discipulorum Sanctissimorum suprema obsequia, & profundissimè haustos singultus, victricem animã ad triumphos æternos, Creatori rransmisit; visus memorabili prorsus triumpho, via longè, quàm Appia, cultiori, ut longiori, *palliis strata* cœlestibus, & innumeris corusca lampadibus, à terris, (prô quanto interstitio:) ad sumos usque porrecta cœlos, ovans ac triumphans cõscendere. Vixit annos tres sive quatuor supra sexaginta, totidem, quot, vulgatiore opinione, Admirabilis illa Dei, & Benedictini Ordinis Mater, seu consimili prorsus de ætate controversia. Ejus ea merita omnia esse, quæ à seipso non solum, sed sui Instituti posteris, & universis Regulæ sectatoribus facta sunt, & nos paucissima ex innumeris præsenti volumine referimus, expertus autem deprædicat etiam fidens orbis universus, revelatione Numinis didicit Magna Gertrudis nostra, & libello Insinuationum Divinæ pietatis, insinuavit nobis, orbis cõmunicavit, ut merito, non tantum tot millium sacra generatione filiorum Admirabilis Pater, sed tot sine numero meritorum copia quasi imẽsa, gratiarum Oceanus aliquis deprædicetur. Præter illa autem, quæ plurima, & sumo Ecclesiæ bono à filiis ejus instituta per universum postea dicemus, eique uni etiã, & quidem tanquam parenti, & fonti referendã jam diximus, fuit Sanctissimæ ejus Regulæ, à Spiritu Sancto, ut jam supra docuimus inspiratæ, in universum propagatio, qua Magno Iustiniano patruele suo, multo gloriosior, quos ille conditis, & collectis ac compositis Legibus, à feritate ad humanitatem traduxit, ipse ex hominib⁹ Angelos fecit. Præter autem Angelorum Reginæ ipsorumque Angelorum (ipsi spectabili forma familiarium, & servientium) cultum, miro prorsus studio, & à se, & suis mirificè propagatum, salutationisque Angelicæ congeminatum, & toti orbi cõmendatum fructuosissimè visum, primus idem manifestius videtur orationem vocalem ad septem horas Canonicas reduxisse, quandoquidem solertissimus hujus indagator, verè Eminentissimus eruditioné, & Religione Illustr. S. R. E. Cardinalis Bellarminus: *Et nomen, & tempus Completorij* (septimæ horarum Canonicarum,) *primum invenio, in Regula S. Benedicti*. Idem Magnus institutor, quà erat mirabili in salutationem Angelicam studio, ut orationis Dominicæ prærogativam orbi Christiano exponeret, deficiens in sublimitate interpretationis, eam, ut in SS. Missæ Sacrificio alta voce, sic in officio quoque Ecclesiastico seu horario, & quidem à nemine nisi Abbate dici voluit, & sua lege complexus est. Idem ex Magno Augustino atque Ambrosio, solemnẽ illũ mutuatus Hymnũ: Te Deum laudamus, primus Matutinis univit. Idẽ Damasi, Hispani, Romani Pontificis in celebranda Gloria SS. Trinitatis reverentiam tantopere suspexit, ut primùm præceperit suis, in recitatione versus ejusdẽ, omnes consurgere, & tantam Majestatẽ pro dignitate revereri, qui dein mos, in omnem Christi Ecclesiam emanavit. Vt de alijs per ipsummet institutis, & promotis, compendii studio, omnino sileamus. Meruit Patriarcha felicissimus, quod Sanctorum vix alicui contigit, tres omnino Christi Vicarios Summos Pontifices, eosdemque omnes rara sanctitate conspicuos, vitæ atque à se gloriosè gestorum dignissimos concinnatores: Magnum Gregorium, Principem Ecclesiæ Doctorem, Sanctum Zachariam qui Græco sermone Græcis, & Orienti cõmunicavit, & S. Victorem III. qui Baronio, & Petro Diacono testibus, mira ejus libris omnino quatuor complexus est. Nos fusius volumine singulari, & compendio vitæ superioribus annis typis vulgato, Tom. I. de SS. Ord. & alias referimus, ut de sexcentis alijs, quos passim allegamus, hic nil superet meminisse.

De Divi Mauri, paulo ante mortem Sanctissimi Patris, in Gallias legatione, ut & fructu, qui initio, prædicente admirabili Patriarcha, est impedimentum passus, anno sequente dicemus.

Isto, rursum in acceptis Benedicto refert Cæsar Baronius, occupata Neapoli, & qui parent atque accolunt in deditionem acceptis; Totilam in omnes tanta mansuetudine usum, imò universos tanta benevolentia complexum, quantam nec ab Amicis expectassent. Vt rursum, Regnum amplissimum, & urbs pulcherrima atque opulentissima debeant, ejus se auspiciis, & providentia conservata. Causam ex Baronio audiamus: *Quod verò Totilas*

*tilas tantam præstiterit superatis humanitatem, non parcendo tantum, sed alendo, & commeatum iisdem præbendo, ut neque aliquis propinquorum, vel intimorum Amicorum talia illis officia exhibere valuisset; planè apparuit, quantum ex S. Benedicti congressu atq; monitis barbarus profecisset, effectus insuper Summæ Iustitiæ, cultor cum videlicet anno sequenti, in armigerum suum animadvertit, quod Virgini vim intulisset, cui & morte affecti armigeri, bona dari voluit, &c.* Hucusque Baronius.

Vixit sibi, sed vivit suis, & in suis ab hoc anno Magnus Patriarcha noster, etiam in terris im̃ortalis; sanè in sæcula omnia Redivivus, quando ab isto ejus mortis, nullũ ad hoc usque postremum, & infimum affluxit, quo non aliæ atque aliæ provinciæ, cum tempore senescentibus, & languentibus aliis, alii, & alij, diversis, & iisdem, novo fervore, & Spiritu, maximo universæ Ecclesiæ bono, & exemplo, nascerentur quotidie, & adolescerent. Quæ suis singula locis referemus.

*A.C. 544.* *S.P.N. 64.*

CELEBRATA per orbem Vniversum eximia vitæ Sanctitate Beatissimi Patriarchę nostri, missis ad eundem anno superiore oratoribus, insigni pietate atque iñocentia Cenomanensium Antistes Innocentius, aliquot tantæ virtutis æmulos ad propagandam Monachorum sobolem in Gallias postulaverat. Commissa provincia Mauro est, multa in agendis dexteritate, sed & constantia sacri rigoris, cæterarumque virtutum probatissimo. Additi Comites Faustus, Constantinus, & Antonius, digni omnes quos sibi Gallia universa mirandos imitandosque proponeret. Sed sublato morte Episcopo, cum lucta mora intervenit, donec Patronum alium nacti, multa auctoritate, & potentia Principem, cujus hoc anno studiis, & munificentia, insigne illud Glanofoliense Galliæ Archisterium surrexit. Florus is erat, Theodeberto Regi in paucis unice carus, qui perspecta familiari usu, miranda Mauri sanctitate, adeo in amorem ejusdem reventiamque exarsit, ut dicato amplissimis reditibus Cœnobio, nõ satis habuerit, novo quotidie nomine, & liberalitate, magis magisque de eodem mereri, nisi stupente Gallia, filium insuper, quem habebat unicum, Bertoldum adderet, & DEI obsequijs in Religioso statu manciparet. Ejus exemplum plures quam primùm è proceribus alijsque subsequuti, tanto numero cucullum exambierunt, ut præter innumeros, quos in diversa à se condita Cœnobia distribuit, centum ipse, & quadraginta Cœnobij Glanofoliensis choro, & laboribus reservaret. Ingenti prorsus Regni amplissimi commodo, quod opera assidua Maurus ita exercuit, ut longe Religiosissimũ, *& Copia Sanctorum fœcundissimum*, myriades perfectorum integras cœlo submitteret. Ex S. Fausto, & diversis rer. Gall. & Monast. script.

*A.C. 545.* *S.P.N. 65.*

PRIMÆVO ordinis flore, fragantissimus odor, universam terræ superficiem opplevit. Italiam tamen præcipuè, præcipuam orbis provinciam, cui præ aliis hoc anno, opera, exemplo, & meritis præstitit *Sanctus Constantinus, solus tanto ex perfectorum Monachorum exercitu,* supremis à Benedicto Magisterij, & Imperatorii muneris honore dignissimus, quem Cassinensi, Abbatia sublimatus, ita gessit, qualem Maximo optimoque successorem boni omnes ultro delegissent. Sumpsit hoc præsule, nõ indigna principijs incrementa, sacer ille Cassini mons, quibus in eam denique sublimitatem succrevit, qualem deprædicatissimi montium suspicerent, & adorarent, ab ea inprimis unius unici Cœnobii Sanctorum Monachorum fertilitate, quam in maximorum Regnorũ, & provinciarum magnitudine, multitudinem, omnis jure merito posteritas miraretur. Eam sanè ut numero præfinire difficillimũ fuerit, superasse tamen quinquies mille quingentorum sum̃am vetera Cænobij ejusdem, monimenta habeat, quodq; prodigii simile sit, numerum tantum Cœnobij unius de Canonizatis solum (quos publica Ecclesiæ, & Pontificis auctoritas inter cœlites adnumeravit, & coli præcepit;) esse intelligendum. Vt nemo satis explicet quantum denuo Orbis debeat Christianus uni huic Italiæ Archisterio, quod unum videtur Sanctitati Ecclesiæ probandæ quodammodo sufficere potuisse, imò exemplo prorsus inaudito, æternitati sæculorum, gloriam tam singularem addere, & facem præferre. Celebravit hanc Cassinatis Cœnobij etiã amplitudinem, dignissima attestatione Cardinalis Baronius; *Sed ut illud*, inquit, *absq; trepidatione mendacii asseri jure potest, nullum unquam toto Christiano orbe extitisse aliquando Monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui, atque doctrina, tanta numero-*

*vositate, ad regimen Sanctæ Apostolicæ sedis, adsciti fuerint, ut plane dici possit, fuisse idem aliquando, seminarium Sacrorum Antistitum, prout quæ suo loco dicturi sumus, docebunt. Ant. Iep. t. 1. Ann. Marc. Ant. Scipio, Arn. Duac. Baron. &c.*

*A.C.546.* *S.P.N.66.*

NE quanti faceret, Monachorum virtutem, & ex coactam cellulæ solitudine, & sacro otio, scientiam sapientiamque, nullo exemplo Romana Ecclesia proderet, Herculanum eximiæ vitæ integritate Cœnobio extraxit, & vivente etiam tunc Sanctissimo Patriarcha nostro, Perusinum Pontificem renunciavit. Is quandiu commendatis sibi ovibus præfuerit incertum hoc certum est anno, re obita, & multa cum Ordinis Monastici cõmendatione præsulatu defunctum, Martyrio insuper nobili Italiam illustrasse. De eo prolixius hoc anno Gregorius, & Baronius. Hac laude post mortem longè maximus, quod Totilæ impijssimo Regi, maximè invisus, sed & primus è nostris Episcopus, honore insuper illum, sanguinis purpura condecorarit tamque egregium de se dignissimi tanto Ordine Episcopi exemplum præbuerit. Iepes, &c. Breviarium Perusinum, &c. Fuit supremus hic quoque annus S. Romano Abbati, decrepitæ ætatis, multorumq; meritorum sanctissimo seni, illi ipsi, quem Sanctissimus Patriarcha noster consilij sui ducem, sed & in eremo (juvenilibus annis,) nutritorẽ habuerat. Meruisse id denique mercedis à DEO Opt. Max. & Sanctissimo nostro Patre, ut superstite hoc eodem, an jam Cælite ejus institutis à discipulo Mauro informaretur, quidam è nostris volunt, & alios inter Antonius de Yepes, vir doctissimus, & de ordine nostro meritissim⁹, cõtendit, etsi non nemo existimet, etiam in Gallia sedulo, in successus Benedicti inquirentem, ante alios omnes Regulam novam complexum, alios item induxisse, & ut Maurus mitteretur per Episcopos solicitasse. Nos beneficium in Patre acceptum rite agnoscimus, & gratia saltem compensamus. *Ex vita Cajetan. Marches. &c.*

Quæ in favorem Monachorum sub hæc tempora Sancta decreverit Ecclesia, minimè prætereundum. Eorum crescentibus pia liberalitate fidelium fortunis, ne ullo titulo sæculares, seu Ecclesiastici inhiarent, aut usurparent, sequuturis quoque sæculis cautum voluit. In Concilio siquidem Valentiæ celebrato, statuitur: *Ne Clerici vel sæculares teneant, aut usurpent possessiones Monasteriorum, cum titulo: quod à Patribus suis fuerint condita. Tales esse homicidas, & interfectores pauperum, &c.* Buccardus l. 3. c. 10. Et in Concilio Leridensi: *De Monachis vero id observare placuit, quod synodus Agatensis vel Aurelianensis noscitur decrevisse. Hoc tantum modo adijciendum, ut pro Ecclesiæ utilitate, quos Episcopus probaverit, in Clericatus officio cum Abbatis voluntate debeant ordinari, ea vero quæ in jure Monasterij de facultatibus offeruntur, nulla Diœcesana lege, ab Episcopis contingantur, &c. Ex est Concil. &c.*

*A.C.547.* *S.P.N.67.*

FLORO, de quo superius, Principi, Sancti Mauri discipulorumque integritate, & exemplis capto, non satis, unam posteritatis suique generis spem, Bertholdũ filium devovisse; Oblatis DEO fortunis ac sobole, locupletissimum se arbitratus, si profusa in Christũ liberalitate, seipsum, ac sua eidem tradidisset: volens ac lubens Monasticæ vitæ se addixit. Cui postmodum cucullum induenti, cum Theodebertus Rex intervenire voluisset (mirandum sanè celebritatis Monachicæ argumentum!) eidem proximè post S. Maurum, præ gaudio ac Religione manantib⁹ lachrymis capillum totondit; Regem subinde primores aulæ (qui frequentes convenerant) in sacra cæremonia imitati. Ita Scipio noster, & S. Faustus. Illud celebrius multo de meritis Mauri, & Discipulorum ex submissione, & devotione tanti Regis, (Theodeberti) judicium: quos nimirum tanti ipse fecerat, & suspexerat, & ad pedes eorundem, prostratus, non nisi elevatus à Mauro surgeret, imo eorundem quibusvis precibus non parere, nefas putaret; hanc unam officii, obsequii, atque amoris mercedem impensissimè flagitans; ab ijsdem communi fratris Titulo censeri, & Sancta operum piorum communicatione accenseri. *S. Faust. in vita S. Mauri, Rer. Gall. script.*

*A.C.548.* *S.P.N.68.*

SUstulit optimum hunc Regem hic annus, & quod sperandum, promoventibus nostris, cœlo invexit prodiga liberalitate de Mauro longè meritissimum. Excepit honorem Patris, Theobaldus filius, idemque Mauri alumnus, & discipulus, quem illo Magno Abbati, Regno formãdum, atque ut Sancto viro videbatur, dirigen-

rigendum, & movendum penitissimè commendarat. Meruisse de se & Regno universo Maurum, Regia in nostros munificentia testatus splendide est Theobaldus, ita ut mortui Patris i ijs Manibus, pium bellum indiceret, quo uterque de suis in Monachos affectu, & liberalitate contenderent, uterq; vinceret. Rer. Gall. script.

*A.C.549.* *S.P.N.69.*

TRAXERE omnium obtutus, & oculos non intuentium modò, sed longè lateque inaudientium animos DEO attrahente, miranda nostrorum per Italiā, Hispaniam, & Gallias gesta, & merita, ut suas, multa mortalium millia, opes ac Fortunas, acervatim congererent, seque ipsos cum iis, quæ sperare etiam poterant, una contraderent, fuit contempti honoris pre omnibus speculum felicissimus Magni & Admirabilis Patris nostri nepos, & discipulus suo si quis ullus alius nomine, professione, & sorte Benedictus; qui Magistrū sedula imitatione consequutus, nobilitatis Romanæ speculum circa hæc maximè tempora, singulari Numinis gratia, velut repercussi solis, charissimè resplenduit. Mec minor speciosi, & Gregorii per Italiam fama, Theodori, Honorati, Paulini, atque Augustini summa perfectione Monachorum, laus in ore omnium, amor in animis singulorum, quotidie invaluit. Antonius etiam Surrentinus Abbas, & Benedictus Iunior, sed & Marcius eremita ille, quem vivens Sanctissimus Patriarcha noster catena absolverat, iis verbis; *Si servus DEI es, non te teneat catena ferri sed catena Christi*, legibus denique nostris addicti iisdem recto directi tramite perfectionis culmen attigere.

In Hispaniis mirificè sese, incomparabilibns meritis commendat S. Turibius noster Palentinus Episcopus, & felici admodum successu Idololatriam profligat, Hæreses fugat, Concilia promovet, & disciplinam Monasticam propagat; quæ omnia fusius, rerum Hispanicarum scriptores persequuntur, celebrat autem nonnulla Montanus Toletanus Episcopus, data ad ipsummet Turibium insigni Epistola, dignissima quæ hic inseratur.

*Domino eximio, præcipuoque Christicolæ, Domino, & filio Turibio, Montanus Episcopus: Alumnum te fidei, & Catholicæ Religionis amicum, etiam in actis mundialibus conversantem,* ( nempe ante professionem Romæ in manus S.P.N. factam, ut supra vidimus) *valde, & novimus, & probavimus Cum enim adhuc floreres in sæculo, ita claritas tuæ vitæ perpatuit, ut secundum sententiam Domini, & quæ sunt Cæsaris Cæsari non negares, & Deo quæ sua sunt devota mente persolveres. Iure etenim te Divini cultus, in hac præsertim provincia te nominabo ....... Putasne quanta tibi apud Deum maneat merces, cujus solertia atq; instinctu, & idololatriæ error abscessit, & Priscillianistarū detestabilis, & pudibunda secta contabuit* ( magna omnino commendatio. ) *Si tandem adhuc, & in nomine honorare desistant, cujus per tuam admonitionem collapsa esse opera non ignorant. Nam de terrenorum Dominorum fide quid loquar? Cui ita tuum impendisti laborem, ut feroces tibi cohabitantium animos, ad salubrem regulam, & normam Regularis disciptinæ duceres præstitit Divina Clementia: quo id, quo summo labore conatus es, precibus, & oratione perficeres. Quæ tamen ad nos ex palatino Conventu pervenerint, Celsitudini vestræ indicari curavi, quo facilius per vestram increpationem, nefanda præsumptio in posterum conquiescat, &c.* Huc usque Montanus Toletanus Episcopus.

*A.C.550.* *S.P.N.70.*

MVltiplicatis per Italiam Vniversam Cœnobiis, cum plurimi relicto veteri instituto, tantis tot Sanctorum provocati exemplis, iisdem institutionibus parem profectum sperarent tales sibi itineris ad cælum probatissimos Duces, omnes undique expetiere, & Benedicti Regulam omnia fere Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Scotiæ Cœnobia amplexa sunt. Vixisse Græcorum consuetudinibus Dionysium illum quem vulgo *Exiguum*, magni, & docti *Maximum* deprædicant, incompertum licet, haud improbabile tamen, veroque simile est. Ejus accessione, sub hæc tempora, commendatio Ordini haud modica accessit, quam ipse dein Dionysius, multo, tam in re litteraria, quam sacro Regularis disciplinæ profectu, summopere non solum auxit, verum fulgidissimis suæ doctrinæ, & sāctitatis radijs in orbem terrarum universum latissimè propagavit. Pari in Ordinem nostrum propensione affectuque struxisse circa hunc annum, & legibus nostris addixisse Vivariense illud celeberrimi nominis Cœnobium Magnum illum V. C. Cassiodorum, vere, & convenienter annis gestisque ejusdem Antonius noster de Yepes habet. Nos plura de Cassio-

do-

doro, quando se in Monasterio eodem, Deo, tantæ gloriæ Princeps, quem in vivariense à conditum pellexerat, & pluribus etiam annis sub legibus ijsdem convixerat, quorum nos paucissima hic subdenda censuimus: *Scripturas* (de Dionysio inquit Cassiodorus) *Divinas tanta curiositate discusserat, atque intellexerat, ut undecunque interrogatus fuisset, paratum haberet competens, sine aliqua dilatione responsum. Qui mecum Dialecticam legit* (in Cænobio intellige, vetustissimo Monachorum instituto, & usu, quod alibi, fuse probavimus, & Historiarum vel leviter peritis, evidentissimum est) *& in exemplo gloriosi Magisterij, plurimos annos vitam suam, Domino præstante transegit. Pudet me de consorte dicere, quod in me nequeo reperire. Fuit in illo cum sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas &c. Interveniat pro nobis, qui nobiscum orare consueverat: ut cujus hic sumus oratione suffulti, ejus nunc possimus meritis adjuvari, &c. Qui tanta Latinitatis, & Græcitatis peritia fungebatur, ut quoscunque libros Græcos in manibus acciperet, Latine sine offensione transcurreret, iterumque Latinos Attico sermone legeret, ut crederes hoc esse conscriptum, quod os ejus inoffensa velocitate fundebat, &c.* Paschali Cyclo, sed & tralatis è Græco Canonibus, præcipua autem inprimis Sanctitate de Ecclesia universa meritissimus. De præclarissimis ejus scriptis plura, & dignissima memoratu, nisi compendium non admitteret, ad manum effluerent, videatur etiam. *Ant. de Yepes t. 1. cent 1. Trithem. Hieronym. Platus.*

*A.C.* 551. *S.P.N.* 71.

QVAM prodesset mundi, hujus seu naufragis, sive periculorum saturis, tutissimus, & quietissimus vitæ Monasticæ portas, sub istum jam annum, etiam Reges testati suo exemplo sunt, quando plures Regni, & honorum digna nausea, fastidientes, cellulæ dulcedinem quæsierunt, inveneruntque tantam sacra cum voluptate, etiam utilitatem, ut ea eorum solum numero, qui habenas imperiii, & fasces tractaverunt, aliquot supra viginti, inter consecratos sive Canonizatos, ut vocant, præter eos, qui pari honore, & opinione celebrentur, dignissimo sanè regibus exemplo, numeremus.

Hoc anno Sanct. Clodoaldus Clodomiri Aureliorum Regis filius, & Sancta Tichildis sive Chendechildis Clodovæi magni filia, cucullo dignius; quam auro, & purpura exsplenduere; quos sæculis consequentibus tanta Regibus natorum, etiam unicorum, & primogenitorum, multituto est consequuta, ut horum, verè expertorum exemplis, ridenda planè, cum omni Regnorum opulentia, sæculi vanitas; manifeste comprobetur. Floruere item diversis provinciis multi ex ordine nostro viri perfecti: Sanct. Liphardus præ aliis hoc anno, ex Monacho Magdunensi apud Aurelios, dein Abbas, in Gallia, in Scotia Sanctus Convallanus, & ipse Abbas Insulæ Ionæ, uterque eximiis meritis commendantur. *Yepes, Trithem, &c.*

*A.C.* 552. *S.P.N.* 72.

UNiversi oculus in Italiam defixus, ob admirandam Monachorum nostrorum sanctitatem, sed & per Galliam Sancti Mauri opera, & auctoritate, tanta multitudine cænobia ope, & facultatibus piorum surrexere, quanta Alemanniæ juxta, Galliæ, atque Britanniæ simul juxtaque sufficerent. Vnde coloniæ quamprimum ductæ, provincias etiam easdem opplevere. Sanè in Francia solum Maurum centum supra, & sexaginta monasteriorum conditorem, veterum monimenta asseverant, præter ea, quæ suis, aut vetustioribus obligata legibus, in Benedicti Regulam, primis statim à Mauri adventu annis, juravere. Meminit hujus successus in Divi Majoli vita, etiam Odilo noster, quam Surius tomo tertio, Maii undecima inseruit: *Post Sancti Benedicti migrationem, per Beatum Maurum illius discipulum, omnis pene Gallia ejus institutionis & Religionis instituta suscepit.* (Canonicorum nimirum quædam, & Clericorum, sed & monachorum collegia, ubi tanti à Regibus suis fieri, sed & esse nostros, planius animadvertere) *atque per eundem Maurum, eosque quos ille ad justitiam erudivit, per longa temporum spatia, eadem Religio ad perfectionis cumulum crevit, &c.* Primum vere, ac præcipuum, quod nostræ se Regulæ, & Mauro Galliæ Generali subdidit, monasterium Sanct. Martini, vulgo Majus dictum, fuit, cænobium si qua realia, exuviis ejus, cujus nomen gerit, Magni Turonensium Pontificis, longè felicissimum, Martino utique ipso agente, Patriarchæ nostro Benedicto commendatum, quod singulari, dum viveret,

ret, in Martinum amore atque observantia meruisset. Protulit Archisterium hoc, cum sibi subditis Cœnobiis, novos quamptimum novis auspiciis fructus, & plurimas dein Sanctorum copias, & à primis statim annis Sanctos Venantium, Leobardum, sed & vetere nostrorum instituto, in proximo Virginum Parthenone Monegundem aluit, aliosque de Ecclesia Regnoque Galliæ longè meritissimos: de quibus legendi *Yepes tomo 1. Greg. Tur. VVion. & alij.*

*A.C.* 543. *S.P.N.* 73.

SPECTACULUM factus mundo, & Angelis, & hominibus, hoc maximè tempore orbem insolenti fama implevit M. Aurelius Cassiodorus noster, Vivariensi condito à se in Cœnobio Monachum professus, quem summis defectum honoribus, irrisu eorumdem omnis posteritas æternum commendabit. Is nobilissimo ortus genere, eruditione, rerum gerundarum dexteritate, supra fidem, & præconium omne excelluit, primum comitiva rerum privatarum, deinde largitionum sacrarum insignitus est: insuper præfecturis provinciarum Siciliæ utriusq; Brutiorum atque Lucaniæ potitus, Patriciatus postea sublime suggestum cōscendit. Palatinæ item quæsturæ munere functus, crevit in Magistrum officiorum, mox præfecti prætorio grandi honore actus, verticem denique dignitatum, *Consulatum Vrbis meruit.*

Sed nostrorum solida virtute motus, ac pellectus, suisque deque habenda omnia censuit, dummodo ista potiretur, & Vivariensi Cœnobio constructo, quo nostris in id accitis familiarius uteretur, adeo paulo post, ubi solidiora Religionis Monachicæ bona penitius dignovit, periturorum bonorum atque honorum fastidio occupatus est, ut cucullum illico sit amplexus, quo æterna, & digna animo felicius assequeretur. Baronium audiamus: *Sed ratio temporis à nobis exigit, ut doctissimū illum, & æque sanctissimum virum, decus Romanæ Nobilitatis*, præfecturis innumeris diutius illustratum conveniamus Aurelium Cassiodorum, *non otiosum illum quidem, licet feriatum agentem in Monasterio, quod exstruxit: ubi velut in portu residens, post naufragia Regum Gotthorum, quorum Regna Prætoria præfectura curarat, DEO, & litteris vacans, reliquum vitæ tempus, ad obitum usque semper aliquem fertilissimi ingenij partum edens, effœtam licet annis, fæcundam frugibus senectutem ducebat, &c.* Et paulo post: *Vt autem tanti viri memoria nostris Annalibus pressius inhæreat, &c. quæ sunt reliqua recolamus; ne, qui nobis scribentibus quamplurima suppeditavit, suumque sæculum mirificè illustravit, ipse obscurus prætereat,* ( ecce quantum se debere agnoscat uni Monacho Baronius, quid primum omnibus omnino orbis universus, à quibus solis ferè, litterarum, librorum, & Historiæ omnis thesaurus est reservatus.) *atque ingrata nimis oblivione sepeliatur inglorius. Quis igitur à tempore Theodorici Amali Regis, usque ad Vitigemitidem Italiæ Regem, apud ipsos Gotthorum Reges florentissimè vixit, summis semper honoribus auctus; exsaturatus ad nauseam usque continuatione amplissimorum magistratuum quo turbulentius mūdi pelagus magis expertus est, eo libentius tenui cymba, contulit se in solitudinem, exoptatum diu portum tranquillitatis, nempe in Monasterium à se constructum, de quo ipse pluribus in libris de divinis lectionibus meminit, &c.* Hucusque Baronius. De Monachismo ejus Benedictino præter plurimos alios: *Antonius de Yepes, Trithemius, Hieronymus Platus, Carolus Stengelius, &c.*

*A.C.* 554. *S.P.N.* 74.

NE Hispaniarum Regna, pro sua in Ordinem nostrum singulari propēsione, nihil itidem singulare reciperent, præter doctrinæ, & sanctitatis illustrissima, & frequentissima exempla, Sanctissimus Vincentius, Hispaniæ è nostrorum numero *Protomartyr*, qui strenuus in conversione Sancti Ermenegildi, Leovigildi Regis filii, Sancto Leandro nostro cooperator, jubente eodem impio Rege, ab Arrianis ob Catholicæ fidei defensionem Martyrio coronatus, sanguine suo, merita sua præclarè insignivit, Hispanias irrigavit. Fuit Monachus, & Abbas S. Claudii Legionensis. *Videantur Anton. de Yepes, Arnoldus, Franciscus, Yuannes, Prudentius Sandoval, &c.*

Gallias illustrissimis sanctitatis radiis illuminavit Sanctus Carilephus, primus Aninsulæ Abbas, quod dein Cœnobium ob præclarissima ejusdem sui Antistitis merita, Sancti Carilephi nomen meruit, & plurimos rarissima virtute, Divos Cœlo, Galliæ Patronos edidit. Fuit Carilephus discipulus S. Adjuti Abbatis. Vid. Yepes, VVion, alii &c.

Floruit hoc eodem tempore in Italia Sanctus Isaac Syrus, Græcus utique primum Monachus, sed qui sub Regula San-

Sanctissimi Patris nostri excitato Cœnobio, eidem, novo instituto, Abbas præfuerit, & multis virtutibus Italiam egregia illustraverit. De eius gestis legendi, *Sanctus Gregorius libro Dialect. 3. Trithem. de viris Illustr. Ordinis nostri, Annales Yepesii, &c.*

Obijt hoc anno Magna illa Franciæ Regina Clotildis, Clodovei Magni uxor, Chilperici Burgundiæ Regis filia, quæ à morte mariti, prope Divi Martini Turonicæ civitatis, in sacrarum Virginum Parthenone inclusa, Religiosis operibus addicta, multis annis vixit, merita denique felicia hæc tempora attingere, quibus Mauri adventu Gallia egregiè refloruit, ut & ipsa novis adstricta legibus, suprema senecta, Magni Patriarchæ nostri filia renasceretur. Ejus ope primum, Maurus plurima Cœnobia condidit, ipsam vicissim per suos ad summam vitæ perfectionem promovit, ut in vita postque mortem plurimis prodigijs effloreret. *Ex vita, &c. & div. rer. Gall. Script.* Fundator hoc ipso año celeberrimum, & Sanctissimum illud S. Iuliani Martyris, Agalliense Cœnobium, in gratiam S. Euphemij nostri, Sanctissimi Patriarchæ, & Legumlatoris discipuli ab Athanagildo Rege constructum, de quo S. Marcus Maximus Cæsar Augustanus his verbis: *Aera 592. Athanagildus Rex in planitie suburbij Toletani ædificavit Monasterium Ordinis Sancti Benedicti in honorem Sancti Iuliani apud Avernos passi, dictum Agalliense, ab Agallula villa propinqua, quod distat minus quam 120. passus, ab Ecclesia Prætoriensi SS. Petri, & Pauli, inter Occidentem, & Septentrionem situm, & sibi constituit primum Abbatem, Sanctum virum Euphemium, qui postea fuit vocatus, ad primam Toleti sedem, &c.* Nobilitatem hujus Monasterij extollit summopere Iepesius, & vocat, *Seminarium Toleti Archiepiscoporum.*

*A. C. 555.* *S. P. N. 75.*

NE sola Germania in communioribus plausu Benedictina semente, & fructu careret, & destitutam se omni solatio gemeret, non diutius distulit bonum numen ipsam quoque juvare, & à feritate, qua tunc universa ferè laborabat ad humanitatem traducere. Ita ut Germania penè universa, (quod suo tempore reapte videbimus.) Magno Patriarchæ nostro debeat, non tantum Christianos se, verum homines alere, tanta tunc vastitate, sive legibus sive urbibus, ea Regna jacuerant. Gloria hæc primum Casino debebatur; proin Leobardum ante alios, Sanctissimi Patris nostri discipulum Germania suscepit, dein VVandelinum, de quo supra, utrumque Apostolorum labore meritissimum Disibodus exin, Hybernorum Episcopus, invidentia suorum sede pulsus, in Germaniam, dirigente DEO sub hoc tempus appulsus, hanc gratiam hospitæ terræ retulit, ut Coloniam Monachorum nostrorum ei excolendæ adduceret, quoad è Gallijs denique Scotia, Anglia, Hybernia, justi Monachorum exercitus affluerent, & provincias Germaniæ omnes, admirando proventu fructuum verè beatas redderent. Sed sanctissimam nostram de Disibodo Hildegardem audiamus, *Spiritu Divino dictante,* hæc ipsa quæ subjungimus prodentem: *Agente autem Spiritu Sancto, omne animi sui studium.* (Disibodus.) *& voluntatem, ad vitam, & doctrinam Sancti Benedicti, qui jam ad DEVM transierat, & quosdam Beatos viros, sanctæ Institutionis suæ fideles administros, iis temporibus adhuc superstites reliquerat, appulit: & ad longinqua loca, ubi ea institutio Religiosè, & sanctè colebatur, nuncios misit, supplices preces offerens, ut quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabbaoth, ad præscriptum doctrinæ B. Benedicti plantaturi. Is enim Sanctus Pater Benedictus, Regulam, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, & Sanctis viris Sancto Spiritu docente, & ostendente, condiderat. Ita ergo quamplurimos Beatos Disibodus ejusmodi instituti; & conversationis viros Religiosos ad se adduxit, quibus etiam oratorium, & congrua domicilia, in montis supercilio, propter difficilem, & arduum accessum, contra Orientem construenda curavit, ne adventantis populi strepitu intertur barentur, &c.* Pergitque *atque hac ratione effectum est, ut beata illa congregatio, annis duodecim ad quinquagesimum numerum usque perfectorum fratrum.* (quanta tantillo tempore meritorum, & fructuum accessio facta Germaniæ à tot unius Cœnobij perfectis.) *excreverit. Illa enim tempestate, pauci hujus instituti homines visebantur.* (nostris nimirum eousque in Italia, Hispania, Gallia, Scotia, Anglia, Hibernia, Oriente, &c. occupatis, & solo Leobardo, in tantam Germaniæ messem non sufficiente.) *Nec quisquam vitam hanc, nisi probatus aggrediebatur, sed Spiritus Sanctus, qui congregationem hanc plantaverat, etiam rigavit eam, perinde ut ros solet, in pingue solum decidens, ita ut fratres in ea sub Monastica disciplina vi-*

*na viventes, de virtute in virtutem proficiscerentur.* Ita Hildegardus.

*A. C.* 556. *S. P. N.* 76.

INCREDIBILI, pro meritis, in nostros propensione, Childebertus Rex, ut quomodocumque eamdem explicaret, innumera in Cœnobia nostrorum beneficia profudit; hoc verò præcipuè anno, celeberrimam illam Parisiorum Basilicã Sancti Vincentij, addito cœnobio amplissimo exstruxit, & Regia planè munificentia locupletavit. Sacravit magnum illud, & eximium Ordinis Benedictini decus, Sanct. Germanus (à quo dein locus ille nomen invenit,) ex Abbate S. Symphoriani, Parisiensis Episcopus, qui ex cœnobio illo suo (quod, etiam Episcopus, nunquam deseruit.) Beatæ memoriæ Auctarium loco gubernando concessit. Potentissimum ad hæc usque tempora Cœnobium, sed cujus patrimonium ut, & plerorumque Galliæ, alienigenæ indigenæ vorent; ut testatur doctissimus Breulius: *Nunc domus nostra*, inquiens, *Abbate caret, sed non receptore, eoque Principe Liligero.* Effulsere unico ex hoc loco, tanta Ecclesiæ Gallicanæ lumina, quæ universo suffecissent, primis præcipuè annis præter Auctarium egregia virtute Antistitem, Sanct. Droctoveus, Sanct. Babolenus, Scubilio, & ex Abbatibus plures, ut cæteros prætereamus, qui cellulæ quiete multo feliciores, exemplis tamen mirandæ Sanctitatis, prodesse, & præesse tantorum sæculorum continuatione non desinunt.

Claruit eodem tempore, S. Briocus, Sancti Germani item discipulus, & ex Sancti Vincentij Parisiensis Monacho, Sanvincentianæ sedis in Minore Britania Episcopus, cui exin Sanbriocanæ nomen perpetuum mansit, ea nostrorum apud omnes auctoritate, ut plurima orbis loca à nostris non opem solum, sed nomen, & à nomine celebritatem sempiternam acciperent. Meruit autem de Gallia immortaliter Briocus à cujus extrema ac nobili Religione Armorica, verbo prædicationis, & exemplo vitæ potentissimo Idololatriam profligavit, & multum populum Christi Regno adjunxit. *Rob. cænalis period. 6. Iepez. Hist. Gall. &c.*

*A. C.* 557. *S. P. N.* 77.

HIBERNIÆ præ aliis Regnis, & provinciis, hoc inprimis anno notandus splendor venit, qui post acceptam à nostris legem Patriarchæ nostri, usque adeo densitatem tenebrarum in remotissimis regnis flagellavit, ut ad insolentiam lucis, omnes obstupescerent, alterius deinceps orbis, ignoti eousque incolæ, de eodem liberalissimè communicarent. Et quantum orbi utilitatis, Cœlo ornamenti accesserit, ex tanta multitudine perfectissimorum Monachorum, quis dignè unquam, aut satis explicet? Fuisse sanè Monasteria, in quibus duo, aut tria Monachorum millia DEO inservirent, plurimi, & fide dignissimi Authores habent. Nos, quid potuerint cõjuncti horum, seu alternis vicibus continuati gemitus precesque expendamus. De multitudine horum: *Videantur sepesius noster, hoc anno, tomo I. Hieronymus Platus l. 2. S. Bernard. Vit. Malach. &c.*

*A. C.* 558. *S. P. N.* 78.

THEOBALDO Aurelianorum, & Austrasiæ Rege, egregio Sancti Mauri, & nostrorum fautore mortuo, eæ Provinciæ Clotario obtigere, qui pari nõ solum benevolentia Ordini nostro favit, sed Regni curam ac negotia cum Mauro ac Monachis ita partitus est, ut nihil fere, quam pro eorumdem arbitrio ageret, summisque eos honoribus, & beneficiis, quotidiana pene largitione ꝓsequeretur. Quantum suadente Mauro per Regna hæc mali aversum, boni institutum, nemo facilius, & certius, quam qui de Mauro, ut æquũ est, de Admirabilis Patris nostri selectissima cordis portione, sentiet, & judicabit. Propagatus ab eodem mirificè Beatissimæ Matris Virginis, cultus, & Sacratissimi ejusdem Psalterii usus, instituto Benedicti Patris, summo Regni Gallici bono, fidelibus longè lateque cõmendatus est. Leg. Yepes, Alanus, &c. Subscripsit, hoc ferè anno, an priore, Legibus etiam nostris, & institutæ per Sanctissimum Maurum Glanofoliensi Congregationi se aggregavit, nobilissimum Lerinensis, Insulæ Monasterium, quod ex eo statim tempore, multo celebrius, & Sanctis viris frequentius, id nominis in hodiernam usque diem meruit, ut *Sancta Insula* diceretur. De Sanctis, qui illic ingenti numero floruerunt, & odore sanctitatis nõ solum, sed & eruditionis fragrãtissimo, universum impleverunt, cõsulatur Chronicõ Lerinense, Ant. de Yepes, Wion 29. Maij, &c. Additũ sub hæc tẽpora nostris Agaunẽse S. Maur. Asceteriũ: Yepes noster, & alii meminere, certum

certum, non multo post, sive ante Congregationi Glariosoliensi accessisse. Ex eo autem quam Illustres viri prodierint, indignum arbitramur, brevi hoc syllabo potius quam libro, vel quidem nominasse. Illud perpetuum ab hoc fere tẽpore, quo Sanctus noster floruit Marculphus Nantuum Abbas, celeberrimum sanè prodigium, quo Gallorum Reges, in hodiernã usque diem strumas curant, ejusdem Sanctissimi viri meritis debere, grandis ad laudum Ordinis nostri Benedictini cumulum accessio est, uti & Francici diadematis, & honoris per egregia, & æterna commendatio. *Videantur Papirius Massonus libr. 3. de S. Ludovico, Surius Tomo VII. Maij 1. Antonius de Yepes, VVion. 25. Apr. & nos tom. 1. SS. Ord.*

*A.C. 559.* *S.P.N. 79.*

CLaret magnus ille Abbas Novaliciensis Sanctus Leonardus noster, de cujus meritis continuata tot sæculis memoria testatur, & infinita toto terrarum orbe ejus nomini, & honori, dicata, templa, statuæ, altaria, verè unicum afflictorum, & captivorum solatium. Floruit eodem omnino, tempore, nec minore Sanctitatis opinione, nomine, ut celebritate par, Sanctus Leonardus Abbas de Vandopera. *De quo vide Vincentium in speculo Hist. lib. 21. c. 82. Trithem. lib. 3. c. 45. Ant. de Yepes tom. 1. VVion. &c.*

*A.C. 570.* *S.P.N. 80.*

FERTILISSIMUS Sanctorum hic annus, ampliorem requireret campum, si explicandus. Meritus de universo dmiranda vitæ sanctitate, & Apostolici muneris functione de remotissimis provinciis, *Insulis* ex eo primum tempore verè *Fortunatis*, quas hodie Canarias appellamus, Sanctus noster Abbas Maclovius, qui in ea primum loca sacræ fidei semina intulit, & admiranda illic patravit, quẽ in hodiernam usque diem Patronum suum Tutelaremque venerari Canarienses, Gõzaga lib. de Orig. Seraph. Ord. & Honorius noster Philoponus in sua novi orbis navigatione attestantur. Nec minor S. Brandani hoc eodem tempore fama, quẽ, Maclovii Magistrum, & *Insularum primum Inventorum* honoris causa, prius oportuisset nominasse; qui trium millium Monachorum in Britannia Abbas, non sat habens, tot tantisque benefacere, septem annorũ difficillima, & periculosissima navigatione cum quatuordecim Monachis susceptа sollicitè circumspexit, si quos exerrãtes veris pascuis, Christiano gregi optimus pastor aggregaret. Legantur præter citatos Sigebertus Gemblacẽsis, Maurolycus Abbas Messanensis. Wion, Yepes, &c. Inter plurimos alios præcipui effulsere hoc ipso tempore Sanctus Vigor Bajocensis Episcopus, *Sanctus* ab Angelo, etiam antequam nasceretur prænunciatus, de quo Trithemius, VVion, Claudius Robertus, &c. Sanct. Domitianus, de quo cit. VVion, & Trithem. Sanct. Liphand⁹, de quo Yepes, &c. Sanct. Theodoricus, Sanct. Ebrulphus, Sanct. Scubilio, S. Briocus, S. Paternus, S. Vrsus, S. Leobatius, S. Basolus, S. Ioannes Abbas, viri longè meritissimi, quorum laudibus, quia indulgere non licet, compendio huic ipsi subtrascimur. Videantur citati, Annales præcipuè Ord. Hisp.

Casini, hoc ipso anno diem obiit suum, & Admirabili Patri suo in cœlis triumphãti se addidit *Sanctissimus Constantinus*, primus ab ipso Casini Abbas, qui recens adhuc Ordinis Institutum latius propagavit, erectis plurimis apud exteras nationes Monasteriis dignus magno illo honoris titulo, quo maximus à Petro Romanorũ Pontifex, *Gregorius* noster *Primus* ipsum honoravit: *Reverendissimus valde vir*, universo huic tanto magis suspiciendus. Successit Sanctissimi Patriarchæ nostri alius discipulus, *Sanctus Simplitius*; vir præter integritatis egregium nomen, etiam à litteris plurimum cõmendatus. Vid. Marc. Ant. Scipio Monachus Casinas, Leo Ost. & nostri ferè omnes. Felicitatem Cœnobii hoc etiam anno plurimum cõmendarunt, quia Regnis amplissimis prætulerunt, S. VVeinfredus Conani Scotiæ Regis filius (sanctitatis multo potius titulo, quam Regni, beatus) Ingertrudis itẽ Clotarii, & Cordilla Chereberti Francorum Regum filiæ, ipsa propè Divini Martini; hæc in Sanctæ Crucis Pictavis Ordinem nostrum professæ. Ex cit.

*A.C. 561.* *S.P.N. 81.*

SANCTI Mayni, celeberrimum hoc anno in Minore Britannia, nomen, & tãtum fuit, ut statim à morte ipsius, quod ipse præstantissimum inter alia condiderat piorum ope ac opibus Divi Ioannis Baptistæ honori Monasterium, quo honori tanti viri, æterna memoria Britanni consulerent, & grati animi immortali pignore ejus merita revererentur, deinceps *Sanctæ Mayni* appellarent. Quod ab eo

etiam tempore multo honoratius non solum opulentiuſq; ſed ſanctitate præcipuè, præcipua inter Britanniæ emicuit adeo magni, iſto nomine, habitum, ut opulentiſſimi Reges, de quibus ſuo loco, Iudicael I. Iudicael II. Salomon &c. eidem Regnũ, Regnique voluptates, & opes longiſſimè poſtponerent.

In Hibernia ſub hæc tempora, tanto numero, ſed & Religione, & ſacro rigore, crevere cœnobia, ut Hiberni omnes omnino *Monachizare*, imo Monachi eſſe, non fore judicarẽtur. Sanè, quod de Lerinenſi Inſula paulo ſuperius, de iſta tanto potius, quanto amplior patebat, Titulus *Sanctæ* decantaretur. Manſit in hodiernam uſque diem, profundiſſimis radicata radicibus, & per noſtros inſtillata pietas, in animis Hibernorum, qualem Apoſtolico quotidie exemplo, viri nobiliſſimi, & meliore fortuna digni (niſi iſtum ſingulari eorumdem commodo DEVS diſtuliſſet) *in montibus, & ſpeluncis latentes, egentes, anguſtiati,* digno æternitate omni cõſtantiæ, & magnanimitatis clypeo peregregie tuentur, noſtrorum juxta merita, & primi laboris fructum univerſo repræſentantes. *Ex fideli relatione Hibernorum, virtute, genere, & eruditione ſpectatiſſimorum, Steph. vito, &c. Hiſt.*

*A. C. 562.* *S. P. N. 82.*

MAgnus ille meritis maximis Põtifex, Sanctus Samſon, orbem, velut novum è cœlis Sydus, illuminat, ea apud ſummos infirmoſque auctoritate, ut maximi illum Reges humillimè venerarentur. Elevatus ad Pontificiam dignitatem, non plebis ſolum favore, ſed Concilij totius Pariſienſis auctoritate, & conſenſu, ex Abbate, & Monacho Dolenſis cœnobii, primus, eodem nomine *Dolenſis Metropolites* conſecratus eſt. Quæ laus Benedictinorum longè maxima: ampliſſimos, & potentiſſimos præſulatus, & Archipræſulatus, eiſdem Orignem non ſolum, ſed, & opes, potentiam, auctoritatẽ, famam, nomen deniq; ipſum debere. Argumento ſunto plerique per Angliã præſulatus, Hiberniæ, Scotiæ, &c. permulti; Germaniæ denique longè celeberrimi: Magdeburgenſis; primatus Moguntinẽſis, Saliſburgenſis, Bremenſis, &c. Archiepiſcopatus: Herbipolenſis, Erfordenſis olim, Friſingenſis, Argentinenſis, ſecunda Inſtit. VVerdenſis, Eiſtettenſis, pluresque alii Epiſcopatus, qui pro eo ſanè, & longè pluribus aliis, multorum continuatione ſæculorum beneficiis, Ordini noſtro ęternum obſtricti ſunt atque obligati. Fuit idem Samſon, Apoſtolicus ſanè vir, cum S. Machute noſtro, pro diſſeminãda Chriſti fide multas gentes, & provincias pervagatus, idem eo nomine de Armoricis Britannis benè meritus, quo, cum S. Maino Abbate acceſſit, & Dolenſe Cœnobium condidit, cujus nunc diximus Epiſcopum ordinatum. De cujus Spiritu quo regebatur facilè omnibus innotuit. *Sedente namque illo in Cathedra,* inquit vitæ ſcriptor antiquus, *omnes qui ibi aſtabant, viderunt columbam ſuper eum cœlitus emiſſam, vocem cõſuetam reddentem; atque ſuper caput ejus tamdiu immobilem ſtantem, quoad totum officium Completum eſt. Celebrante autem illo eodem die* (de ſolemni inauguratione ejus loquitur.) *Miſſarum ſolemnia, coram omnibus, viſum de Dubritio Epiſcopo, & aliis duobus Monachis, ignem de ore ipſius, & naribus emanare; atque, quod eſt mirabilius ex illo eodemque die, ad felicem vitæ ſuæ finem, quando Miſſarum ſolemnia agebat, Angeli DEI miniſtri ei ſemper adſtabant, &c.* Vt nulla ſatis poſteritas mirari poſſit tanta noſtrorum exempla Epiſcoporum. De Sancto Samſone vid. Trithem. de Vir. Illuſtr. Ord. lib. 3. cap. 41. & lib. 4. cap. 46. Robert. Cænal. lib. 2. Vincent. in Spec. l. 2. VVion. l. 1. Yepes Tom. 1. &c. Data hoc anno reperitur à Childeberto Francorum Rege Pragmatica Sanctis de bonis à ſe donatis Eccleſiæ, & Monaſterio noſtro Sancti Vincentij, quæ ſuperius ipſum ſtruxiſſe ſumptuoſiſſimè meminimus. Veneratur illud Donationis ſcriptum, ut *memorabilis antiquitatis monumentum* Cæſar Baronius, & Annalibus ſuis inſerit apud quẽ requiratur. Locupletavit Baſilicam eandem pretioſiſſimis Sanctorum exuvijs Sanctus Germanus noſter, quarum præcipuas, (eam ob cauſſam Hieroſolymam profectus) ab Imperatore Iuſtiniano retulit, de quibus nos in Ephemeridibus noſtris, ſeu Calendario tripartito, quo, præter Sanctos ordinis noſtri *Canonizatos*, alia ſerie, *Beatos*, ſive Sanctorum ab Eccleſia univerſa receptorum necdum ſyllabo inſertos: tertio denique *Sanctorum cujuſcumque Ordinis ac ſtatus, in Cœnobiis tamen noſtris conditorum,* memoriam inſerimus; quorum ſanè copia tanta eſt, ut præcipuorum toto orbe Sanctorum nobiliſſimæ exuviæ, magna ex parte apud noſtros quieſcere videantur, & Sancta Romana Eccleſia pro meritis Monachorum, ſibi tot annis, & ſæculis præcipuè collaborantium,

tium, de Thesauro suo, Ordini dignissimo, liberalissimè communicans, eo ipso merita ejusdem, æterno sanè monimento sequuturis quoque sæculis, quam manifestissimè observetur commendasse. Præfert citatum à nobis, prolatum à Baronio Instrumentum seu Diploma, magnam sanctitati Germani nostri Parisiensis Episcopi, orbi universo propalandæ, facem; in quo, viventem etiamnum Childebertus Rex, *Sanctissimum Parisiorum Vrbis Pontificem*, dignissima sanè appellatione veneratur. At quam profuerit Regi, Regno, immo illuxerit universo Germanus, præcedente anno commemoravit idem Baronius, his verbis: *Quod vero pertinet ad Sanctum Germanum: ipsum ex Abbate Monasterij S. Simphoriani, sanctitate vitæ, dignis moribus, & miraculorum editione præstantem, præcedentibus, prophetiis vocatum ad regimen Parisiensis Ecclesiæ, Fortunatus Pictariensis Episcopus tradit, qui res ab eo præclare atque mirifice gestas enarrat.* Sed & de Ecclesiæ Parisiensis felicitate, qua sub eodem S. Germano polleret eleganti carmine ad Clerum Parisiensem inscripto Venanti⁹ Fortunatus cecinit:

*Sub duce Germano felix exercitus hic est*
*Moyses tende manus, & tua castra juva.*

*Cuncta planè*, pergit Baronius *docuerunt, maximo Dei beneficio, his calamitosis temporibus, evectum esse in sedem Pontificiam tantum Antistitem, cujus Virtutum fulgore, non Gallia solum, sed universus orbis occidentalis; illustraretur, proficerentque omnes tanti viri monitis, & exemplis. Inter alios autem, quantum sub eodem Antistite Childebertus Rex Francorum pietate enituerit, plura sunt exempla & egregia monumenta, atque inprimis Basilica, quam Sancto Vincentio, ipso Germano hortante construxit*, &c. de Eleemosynarum vero copiosa largitione, Fortunatus, &c. habet his verbis: *Quæ* inquit *eleemosynæ tam de rebus Ecclesiæ, quam populi oblatione, vel Regio munere, per manus ejus sanctificatæ sint; solus ille, qui omnia scit, novit, & numerat. Denique quadam vice præexcellentissimus Dominus Rex Childebertus, cum ei direxisset sex millia solidorum, pauperibus eroganda: expendens tria millia, revertitur ad palatium. Interrogatusque à Rege, si adhuc resideret, quod egenis tribueret: respondit medietatem resedisse, nec invenisse se inopes, quibus mox totum expenderet. Erat spectanda contentio inter sacerdotem, & Principem: faciebant apud se de misericordia pugnam & de pietate certamen.* Hæc Fortunatus. Addit Baronius: *ut plane fuerit experimento cognitum, ubi sacerdotes Sancti, digne numeros explent suos, Reges sponte se illis suaque bona subjicere, secundum vulgatum illud Machabeorum: Propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat, ut & ipsi Reges, & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis honoribus illustrarent.* Hæc Baronius, nec brevius nos de Germani meritis potuimus.

*A. C.* 63. *S. P. N.* 83.

SUb huncannum memoranda, quæ in cænobio dignius, quam in summis Magistratibus præclare gessit Magnus Aurelius Cassiodorus noster, qui tantus olim consul, vili cucullo tectus, etiam *Ludimoderatorem* inter Monachos suos agens, admirando humilitatis exemplo, etiam prima elementa, & rudimenta litterarum edocere minime est dedignatus. Sacra Baronii verba audiamus: *In quibus omnibus*, (enumeraverat eius ingenii, de quibus nos inferius monimenta. *Sanè admirari non desino doctissimi viri incredibilem animi demissionem facti, secundum Apostolum omnia omnibus; etenim non quæ sua sunt quærens, sed aliorum prima etiam rudimenta in decrepita ætate Monachos veluti pueros docere voluit, & tanquam puerorum manum tenere, & ad characteres rectè formandos ducere non recusavit, &c.* Et Paulo post: *Sed quid postea? Num hic finis ejus didascaliæ? minimè gentium. Etenim post hæc, quos rectè scribendi facultatem docuit, eosdem ante Grammatica reddere voluit diligenter excultos; dum eisdem de eadem Grammatica librum conscripsit: sed & postea de Rhetorica breve adjecit compendium; de Dialectica etiam copiosius volumen, nec non de Arithmetica, de Musica, de Geometria, & Astronomia, non evanescens quidem in Philosophorum sententiis,* (observatione dignissima periodus) *sed de ea persecutus, quæ lectorem sobrium reddant, ac pium, &c. Ad postremum autem libellum addidit, de Paschali computo, &c.* De quo hic, & sæpius multis Baronius. De scripturis etiam intelligendis suos edocuisse idem ibidem commemorat, & de se ipso testatur Cassiodorus; cujus dein docendi institutum, & publice, & privatim, diversis toto orbe cænobiis, eo successu fructuque sunt imitati monachi nostri ut videatur, *Servatæ Rei litterariæ* corona, & fama unis illis, post tantas Reipub. clades, orbis calamitates, & longissimam deplorandamque vastitatem jure merito deberi, sicut grati animi est signum, à viris doctissimis, eisdem deferri. *Baronius cit. Iepes, Steng.*

*A.C.574.* *S.P.N.84.*

VItæ rigore, & exacta integritate, sed & miranda prodigiorum fama celebratur hoc anno Sanctus Paulus, ex Monacho, Sancti Eltulti Abbatis nostri discipulo, ob meritorum magnitudinem, ad sublimitatem Leonensis Cathedræ evectus. Neque ejus vacat aut licet magnalia referre, ne, quod jam sæpius contigit, denuo cõtingat, nimium diffluere. Quid judicarent Leonenses sui, de se Paulum Episcopum meruisse, contestati sunt immortali gratæ voluntatis exemplo, ac memoria, qua Cathedrali exstructa Basilica, eamdem tanti Præsulis sui honoris, & nomini dicavere. Sed neque hoc exteris, si incolis satis fuit, Ecclesiam ejus nomine nuncupasse, nisi etiam urbem ipsam, ceu habitatione Sancti Pontificis consecratam, sacratiori nomine, Divi Tutelaris sui (*S. Paul de Leon*) honorarent. Vt novo jam denuo constet exemplo, alijs deinceps diversissimis provincijs usurpato, plerosque, & spectatissimos Præsulatus, dignissimos ex ordine nostro sibi patronos delegisse, & in hanc usque diem unicè, & præcipuè coluisse. *De vita Sanct. Pauli consule Vincent. in spec. lib. 21. cap. 22. & 23. Trithem. de Vir. Illustr. Ordin. S.P.N. libro 1. c. 48. & libr. 4. cap. 134. Rob. Cæn. libr. 2. per 6. Petrum in Catal. libr. 3. Yepesium Chron. Tomo primo.*

*A. C. 565.* *S.P.N. 85.*

HEROICUM planè, & æterna dignissimum cõmendatione facinus, quod magna illa Francorum Regina, Clotarii I. Galliarum Monarchæ sanctissima uxor Radegundis, sub hæc tempora, patravit; dum ultimum Regni Gallici Fanum, ad ea usque tempora, cultu fædissimo demonum execrandum, ipsa frementem inter populum, & micantes undique mucrones, immota imperterritaque cremari jussit, & everti, neque prius loco discessit, quã eversum conspiceret, sed & furorem insanientis turbæ sopiret, eandemque DEO conciliaret. Sed longè majus illud, quod paulo post, & hoc ferè anno, mundo, sibique ipsi, difficillimum sanè certamen indixit, & obstupescente Gallia, Regno florentissimo potentissimo Regi, eidemque sui amantissimo marito, valedixit. Importunis subinde precibus pulsato Rege, dimitti postulabat, ut, quod in deliciis unum haberet, Monachicum professa institutum, Christi unius amori liberius indulgeret; verum surdo ad preces Clothario, ea excogitare cœpit omnia, quib⁹ Regis animum expugnaret. Proin exstructo Pictavis Sanctæ Crucis Cœnobio, favente, & juvante Rege, ea arte permovendum censebat; dum propria ipse munificentia delectaretur, tanto libentius eò concedere, Reginæ annueret. Sed pertinaciorem experta, obstinationem mariti in corpusculo suo ulciscitur, cilicium ad nudam carnem induta, quo omnem voluptatis venereæ motum, & incursum, iis armis eluderet, quo animadverso Clotharius, ne de die in diem crudelior ibi esset, invitus tristisque assensum deniq; præbuit. Illa Novioduni primum, Chinoni dein, postremo Pictavis Cœnobio à se condito, nostris addicta legibus velum assumpsit, & professa Monasticen est. De exactissima ejus Regulæ observantia, vitæ admirando prorsus rigore, virtutum omnium amplissima, & absolutissima possessione, sed & miraculorum multitudine, & magnitudine, quãvis, tacere arduum, loqui tamen, nec eloqui posse, respuente id cõpendio, indignum nimis est. De stupenda tamen tantæ Reginæ ad infima demissione, quin verbis Fortunati Episcopi aliquid referamus, omittere non possumus: Monachabus omnibus soporantibus, calceamenta tergens, & ungens, transmittebat per singulas, &c. De officiis Monasterialibus nihil sibi placuit, nisi prima serviret: & ipsa se castigabat, si bonum fecisset post alteram. Ergo suis vicibus scopans Monasterii plateas, simul, & angulos, quidquid erat fœdum purgans, & ante se sarcinas, quas alius horreret videre, nõ abhorrebat evehere. Secretum etiam opus purgare non tardans, sed occupanter ferens fœtores stercorum, credebat se minorem sibi, si se non nobilitaret servitii vilitate, ligna supportans brachiis, focum flatibus, & forcipibus admovens, calens nec læsa se retrahebat. Extra suam hebdomadam infantibus serviens, ipsa cibos decoquens, ægrotis facies abluens, ipsa calidum porrigens, visitabat, quas fovebat, jejuna rediens in cellulam. Illud quoque quis explicet; quanto fervore excitata, ad coquinam concursitabat, suam faciens septimanam. Denique nulla Monacharum de posticio, nisi illa, quantum ligni opus erat, sola ferebat in sarcina, aquam de puteo trahebat, & dispensabat per vascula, &c. videantur longè plura apud Fortun. cit.

Memorandum, & illud, majus ne in Re-

ge,

ge, an Sancto Germano Archiepiscopo, humilitatis, & in tantam Reginam obseruantiæ argumentum: Vincente carne, non lõgè post discessionem Radegundis: animum Regis, adeò, ut jam Turonem cum Sigeberto filio, eandem reducturus cõtenderet, comperto, quod res erat Regina, litteras quamprimum ad Germanũ, qui cum Rege erat, quã occultissimè destinavit, divina obtestatione plenas: iter ille Regis averteret, & quibus posset modis, aliorsum diverteret, quibus lectis, Sãctissimus Pontifex, apud Divi Martini sepulchrum, multis cum lachrymis, se ante Clotharii pedes prostravit, enixissime obsecrans, ne ulterius Pictavos progrederetur. Precibus id charissimæ conjugis factũ persentiscens Clotharius, affligi quamprimum cæpit, & mox detestari, istud, in Deo jam desponsatam, cogitare, necdum suscipere se ausum; proin & ipse ad pedes Germani abjectus, humillima prece contendit, pro se, ipse Pictavos quamprimum properaret, & à Radegunde veniam efflagitaret. Ita factum; ingressusq; cœnobium Sanctissimus Antistes, Regis nomine ad Radegundis pedes provolutus, veniã deprecatus est, facili ad preces illa, quod nec exprimeret, quanto, eo à metu libera, diffluebat gaudio, ob eam nimirum, qua tũc donatam se adverterat, serviendi DEO pleniorem iam libertatem. *Fortunatus & Baudomina, &c.*

*A.C.566.* *S.P.N.86.*

MEriti, & hoc etiam anno, plurimi de universo ex nostris, quorum virtutis, fama, longè lateq; prędicabatur. Inter eos præcipui, S. Tudualus Trēcorensis Episc. S. Gildas. S. Winwalocus, S. Ethbin⁹, Abbates, pluresq; alii. Tudualus contempti etiam sæculi, & blandientis fortunæ irrisu sumopere laudatus, amplissimas opes, & spem Magni Principatus, cucullo posthabuit, quippe Rumulonii ex sorore Põpeia nepos, cognatus Derochi Britañiæ Regis, Monachus audire, & esse maluit, constructoq; Lambaliensi cœnobio, ibidem professus Monachum, non ita multo post Abbas, septuaginta duos (sacrato à Christi discipulis numero,) ibidem Monachos aggregãs, exemplo iisdem, & verbo illustrissimè præluxit. Verũ aliquos post años MOnasterio extractus, instituto noviter, certè restituto per Derochum Regem Trecorensi Episcopatui, primus Pontifex datus, ita de suis meruit, ut à morte, Princeps Cathedralis Ecclesiæ Patronus deligeretur. Ejus memoriã celebrari proximè festum D. Ioan. Iun. mense, & magno peregrinantiũ concursu applausuq;, sed & amplissimis propositis reatuum indulgentiis, solemnissimo in more positum Robertus Canalis prodit, *lib.2. Rer. Gall. per 6.*

Nec minor de Sanctitate Beatiss. Gildæ opinio, qui minori item Britanniæ, meritis multum profuit, & plurimis conditis sub lege nostra cænobiis, multitudini perfectorum, sed & naufragorum solatio, cãpum ingētem, & portum aperuit. Vid. Ant. de Yepes tom.1. an. 562. VVinwaloci, & Ethbini, præter innumera memoratu dignissima, minimè prætereundum, quod illi ex itinere minimè præteriere; ꝓjecti in terram scatentissimi ulceribus leprosi, vulnera fovere, & petente leproso, defluentium etiam narium saniem, Winwalocus lingua lambere, & molliter obire, usq; dum pretiosissimo in os Abbat. defluente lapillo, visi Ethbino Angeli cœlo descendere, & Christo, qui leprosus videbatur, occurrere cum his verbis eorum se aspectibus subducenti: *Non vos puduit mei in angustijs meis, nec me vestri pudebit in Regno meo. Hæreditas vestra apud me est, & iis, pro quibus petieritis salus in Regno meo.* Vt manifestum fiat omnibus, quantum suis dein precibus, nostri isti meruerint, & mereri, si eorum implorētur suffragia, etiam hodie universo, sive, ut verius loquamur, impetrare possint. Ex vita, &c.

*A C.567.* *S.P.N.87.*

INcredibili successu propagatus in Scotia Ordo noster, Sancto Columba præcipuè rem promovente, ita ut redundante Monachis Scotia, totum ferè terrarum orbem paulo post implerent, & vix provincia superesset, cui non insigni sanctitate, aliquis è Scotia Monachus obtingeret. Qui ita, omnium judicio, visi sunt de Germania, Gallia, cæterisque Regnis mereri, ut insolenti sanè privilegio, & beneficio excultis, frequentissima passim Cœnobia exstruerentur, quæ unis deinceps, per tot sæcula, Monachis Scotis paterent, & uti meritorum eorumdem, sic gratæ Germanorum memoriæ perennarent monumentum. Profecit non solum hac opera, Columba noster, verum prædicatione assidua, prægnantes sine numero manipulos legit, & obstinatos, longo sanè errore, Pictos, pulchra Ecclesiæ accessione, magna nostrorum laude, Christo adduxit. Cõdidit autem plurima deinceps cœnobia, è quibus totæ deinceps cohortes

Sanctorum Galliæ atque Germaniæ accesserunt, supersunt autem posteri eorũdem usque hodie quamplurimi, etsi nunquam satis dedoleamus, pleraque ab ipsis condita monimenta atque illustria tot egregiis viris Monasteria, sive temporum sive hominum injuria destructa, & desolata periisse. Cæterum pro reverentia tanti viri, Columbæ, tantus deinceps ejus, in quo plerumque habitavit cænobio honor habitus est, & reverentia, ut successoribus ejus Abbatibus, ipsi etiam Episcopi provinciæ subiacerent; de quo Ven. Beda noster; *Habere autem solet*, inquit, *ipsa insula rectorem semper, Abbatem, cujus juri, & omnis provincia, & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus sed presbyter extitit, & Monachus, &c.* Adduxit idem Columba secum 12. Monachos, qui, ut Lessæus scribit: *docendo, differendo, scribendo*, in conversione gentis plurimũ allaborarunt. Lib. 4. rer. Scot. Extat vita ejus apud *Henr. Canis.*

*A.C.* 568. *S.P.N.* 88.

CElebrati hoc anno, ex tanto Sanctorum millium numero, Sancti Launomarus, Maglorius, Asaphus, Eugendus, Marcius, Patroclus, &c. singuli singulis voluminibus dignissimi, olim si per vitam licuerit; prolixius commendandi. Launomarus Carnotensis primũ in Gallia Abbas Corbionensis exin cænobii conditor; de quo videatur Cl. Robert. in Gall. Christ. Vsuardus, Sigebertus, Molanus, Anton. de Yepes, &c. Maglorii ingens gloria, & tanta fuit, ut Magistro optimo Sancto Samsoni, Archiepiscopus Dolensis (iis quippe ob horum virtutem Archiepiscopalis honor prius decretus, quam eo Turonenses deinceps insignerentur) succederet; sed longe major inde accessit, quando relicto rursus Archipræsulatu, cellulæ quietem repetiit, & aliud cænobium construxit, in quo innumeris coruscus prodigiis, de morte imminente ab Angelo edoctus, dum benedici ab eodem rogaret, ab Angelo audiit: *quonam modo ego tibi benedicam, cui benedixit is, à quo Sancti omnes benedicti, & sanctificati sunt.* Extat ejus vita tomo V. Surii. de eodem Tritemius, Vincent. in spec. Cænalis, Yepes, VVion, nos, aliique &c. Asaphi nomen, etiam pro sanctitate venerabile fuit; adeo ut ex Monacho Abbas, demum primus ejus cænobii Episcopus, à quo & Episcopatui *Sancti Asaphi* nomen æternum mansit, fuerit ordinatus, quem eadem Ecclesia, insigni ordinis nostri honore, eundem Episcopum suum primum, *& principem iuxta Tutelarem Divum* veneretur. De Eugendo Surius, de Patroclo, ac marcio Sãctus Gregorius noster Turonensis, consulantur, quorum sanè omnium res gestas, multo cum dolore nunc præterimus, aliquando tamen grandioribus voluminibus promendas reservamus; & plerosque jam, dum publici juris fiant, honoravimus.

*A.C.* 569. *S.P.N.* 89.

MAgnus ille, *& singularis Hispaniarum post Iacobum Apostolum Tutelaris Sanctissimus Aemilianus* se sacratissimæ Regulæ nostræ legibus ultro emancipat; satis ipse testatus exemplo suo, quanti ordinem hunc faceret, vir vitæ rarissima sanctitate jam tunc celebratissimus, & à Spiritu Sancto illuminatissimus, quando relicto veteri instituto, ex *Eremita* factus est præstantissimus *cænobita*. Ab illo, hoc statim anno, initia celeberrimi illius cænobii Sanct. Æmiliani Cogalliensis, vere, Sanctorum, & Pontificum Hispanorum, Seminarii, Domicilii, & Promptuarii, cui temporum decursu aliquot supra centum cænobia subdita, & annexa fuere, à quibus omnibus, singulisque quanta Hispaniæ universæ, imo orbi ex tantorum totque meritis, aversa incommoda, commoda promota sint, æquiori, digne expendentis, judicio relinquimus. *Annal. Ord. Hisp. Yep. &c. Cajet. &c.* Ipso anno Aidanus post Kinnatellum factus Rex Scotiæ, à sanct. Columba seu Colũbano nostro, cognomento seniore, Regni insignia suscipit, felicissimè universis inaugurari visus, siquidem à tantæ sanctitatis viro, ad solium regium eveheretur, & tantum Dei, suum quoque amicum meruisset; à cujus deinceps arbitrio totus pependit, ad omnem pietatem, magna cum sua, tum Regni utilitate informatus. Neque multo post idem Rex memorabili victoria ejusdem Columbani precibus potitus est, qua non tam militum suorum virtute, & robore, quam ejus cujus se commendaverat patrocinio, de tribus Pictorum Regibus Ethelfredo, Brudeo & Culino felicissimè triumphavit. Vt nihil de admirandis aliis tanti viri Columbani, operibus memoremus, Ioan. Lessæus de reb. Scot. lib. 4. vitæ script. Anon. &c.

*A. C.*

A.C.570. S.P.N.90.

FErtilissimus Sanctorum hic annus singulis pene per universum provincijs. Ex innumeris paucissimos, eosque sanè maximos,& celeberrimos referimus. Explenduere præalijs,præter eos, quos proximis annis posuimus,Magnum illud Hispaniarum sydus, grande Ordinis nostri decus, Sanctissimus Leander Hispalensis Archiepiscopus;Sanctus verè Amabilis, singulare Galliæ ornamentum, Abb. Arvernensis; sed & in Fundensi Cœnobio, haud impari nominis veritatSancte.Felix Monachus; Sanct.Isanus etiam Abb. Divi Eltuti nostri discipulus: Sanct. Martius Arvernensis Abbas; Sanct. Hospitius spiritu Prophetico admirandus;Sanct.Desiderius,Sanct.Barontius,Sanct.Spes, prope Nussiam Sanctissimi, & Admirabilis Patris nostri patriam, Abbas, S. Suranus Abbas de pauperibus ita meritus, ut amplius non posset, omnibus sui Cœnobii bonis in pauperes expensis;S.Droctoveus Sancti Germani discipulus, spectata Religione,& admiranda pietate vir. Quorum plerorumque, compendij angustiis prohibiti,miranda cogimur tacere, donec pleno olim ore in eorum laudes erumpamus. Consulantur *Greg.Turonen.nost. Trithem.VVion.&c.*

A C.571. S.P. N.91.

SAncti Maclovij, sive Machuti, de cujus, in Fortunatis insulis fortunato successu superius dictum, ingens denuo in Britannia Celtica gloria, Episcopatu præsertim noviter instituto, ea in Vrbe, ubi veteris Alethæ ruinæ superfuerunt, cui *primus*, ipse præesse jussus est. Huic quantum debere se Britanni ut viderentur agnoscere, novo denuo grati animi signo, non solum,(quod in alijs nostri item Ordinis Sanctis jam supra observavimus,) à Maclovio templum, &Episcopatum, verum urbem etiam ipsam, *Divi Maclovij*, sive *Maclovium* appellavere. De gestis ejus admirandis multa extare volumina Arnoldus noster asseverat. Nos, si tanti viri merita singula, singulis tantum annis numeremus, quantum inde Ordini nostro oportebit accrescere?cum certum sit Maclovium, fuisse verè Macrobium,& centum triginta trium annorum Solstitialium curricula complevisse, ut ridẽdi sanè veniant ij,qui vitam hominis nõ posse extendi ultra spatium centum viginti annorum,humano nimirum judicio decrevere,apud Hieronymum Magnum lib.4. Pererium,Cornelium, Delrium Mersenum,& alios,&c. Vide etiam Salianum. De Maclovio,qui plura quærit, reperiet apud. *Sigebertum,Surium,& in Breviario Lingonensi,Bibliotheca Floriacensi,Ant. Yepesio,Arnoldo,&c.*

A.C. 572. S.P.N.92.

HIspaniarum Regna longè felicissima, multis, & præcipui nominis per universam Ecclesiam Sanctis opulenta; alios inter *Martino illo Dumiensi* beata, qui unus sæculi integri explere gloriam, ita ut sæculum sæculis omnibus foret admirandum: ijs, sub hæc tempora, ob præclarè gesta, meritis, ut jure merito, ob Suevorum gentem ab Ariana Hæresi ad sanitatem revocatam, *Hispanorum Apostolus* prædicetur. De hoc Isidorus noster: *Martinus Dumiensis Monasterij Sanctissimus Pontifex,ex Orientis partibus navigans, in Galliciã venit: ibique conversis ab Ariana impietate ad fidem Suevorum populis, Regulam fidei,& Sanctæ Religionis constituit, Ecclesias confirmavit, Monasteria condidit, copiosaque præcepta piæ institutionis composuit,&c.* Fuit Abbas prius. Monasterij Dumiensis, quod vivente,ipso,& sic merente, Pontificali titulo insignitum, & ipse *primus Dumiensis Episcopus*,(sic iterum nostris Pontificatum insignem debet orbis Christianus)renunciatus est. *Ex diversis rer. Hisp. scrip.& Annal.Bened.*

A.C.573. S.P.N.93.

PRimus ex ordine nostro Sanctissimo, dignus qui pari cum Admirabili Patre nostro nomine, benedictionem Ecclesiæ summo cum honore inferret,summam in terris potestatem meruit, Cathedram supremam ascendit, *Sanctissimus Benedictus*, eo nomine *Primus*, creatus XVI. Calend. Iunij. Indict. X. Pontifex sanè,qui *Sanctissimi* nomen, non tam electione ferret, quam è Cœnobio afferret, sed & miranda in summo Pontificatu virtute tueretur,& confirmaret. De eo,sic antiqua pictura, & subscriptio in claustro S.P.N. BENEDICTI de Mantua; Benedictus primus, ex Monacho servus servorũ DEI,electus, & vocatus. Vide Constant. Cajetan. Ant. Yepes, Hieronym. Platus, Aug. Flor. VVion. Ciacon. &c. Eodem anno,ex Monacho Divi Martini Turonensis, Cæsaroduni Turonum Pontifex creatur, *Magnus ille Galliarum Greg.* vulgo *Turonensis*,egregius Sanctitate, ut doctrina

Epi-

Episcopus. De quo nos inferius plura. *Ejus vitam profert Surius tom. VI. Lippoman. tom. 3. de eodem agunt Vincent. in spec. Trith. VVion. Claud. Rob. contra Baronium, &c.*

*A. C. 574. S. P. N. 94.*

MAgnus ille Hispaniarum Patronus, Sanctus Æmilianus, vita mortali defungitur, protector Regni Hispanici singularis, ab Hispanis multa ante sæcula *Patronus atque Defensor* acclamatus, quod plus semel visus fuerat, in eorum patrocinium, adversum Mauros pugnaturus cœlo descendere: atque (ut de reliquis sileam,) in uno tantum Martis discrimine octoginta hostium millia delere, &c. Vid. Antonius noster de Yepes tom. 1. centur. 2. Const. Cajetanus, Aubertus Niræus Orig. Bened. Sandoval. &c. Tumulo ejusdem antiquissimis Gothicis litteris inscriptum Epitaphium Yepes Tom. 1. inseruit.

Purgatissimi Apostolicique viri Æmiliani corpus, hic humatū jacet, qui postquam eremiticā vitam multis annis egit, et Clericalem. Tandem Monasticā ꝓfessus, sub Regula admirabilis Benedicti curam gerens Abbatialem, obijt in Domino clarus miraculis, & prophetiæ Spiritu. Era D. C. XII.

Minoribus verò Gothicis litteris.

Natus est Æmilianus, devotis parentibus in oppido Vergegii, & cum vigesimum annum attigisset, relictis ovibus patris sui, Spiritu Sancto eū inspirante, & dirigente, ad Castellum Bibliense, quod decem, & quinque milliaria, à supra nominato oppido distat, & duodecim à Tritio, adijt, ut Magisterio Felicis Confessoris uteretur.

De ejus vita consulendus Sanctus Braulio Episcopus, Breviarium Hispanicum Ordinis nostri, Cajetanus, Anton. de Yepes, &c. alij. Claret hoc etiam anno cucullo dignius, quam purpura, & diademate, S. Andovera, Chilperici, Clotharij Regis filij, Galliarum, Regis uxor, astu Fredegundis pellicis in Monasterium detrusa; eademque Fortuna sua felicior, quam videri poterat S. Basina, Andoverę ex Chilperico filia, utraque denique scelere Fredegundis, illa in Cænomanensi, hæc in Pictavensi gladio crudeliter post novenium cæsa. *Vid. Script. rer. Gall.*

*A. C. 575. S. P. N. 95.*

SAnctissimorum ex ordine nostro præsulum, & Monachorum copia, illustrissimus annus, & in Regno, ante alia, Galliæ, florentissimus rerum nostrarum status fuit, promoventibus præcipuè auctoritatem nostrorum integritas, sed formidanda etiam dignitas, quibus apud Deū etiam ipsum valere, manifesto Clotharius argumento deprehendit. Et Fortunato audiamus: *Cum Sanctus Germanus ad gloriosum Clotarium Regem occurrisset, nec tamen de Sancto viro stante ante Palatium ei fuisset indicatum: mora facta ante vestibulum, non præsentatus domum revertitur. At sequens nox consuetis in Oratorio vigiliis ducitur. Rex dolore, atque febris infestatione torquetur. Vix primo diluculo ad domum Pontificis à proceribus concursatur: pœna Regis exponitur; & ut sua visitatione Regi doloris vim mitiget, optimates deprecantur. Mox apud pietatis virum injuriæ causa postponitur, & qui ante nec nunciabatur, intrat jam honoratus, & exoratus Palatium visitat. Tunc Rex, vir assurgens à lectulo, cæsum se Divino flagello conqueritur, allambitque palliolum, & vestem sacerdotis deducit gaudens per loca doloris: culpam namque confessus est criminis, & sic dolor omnis fugatur, &c.* Vnde intelligas Clotharij in nostros propensionem, nostrorum per Gallias incrementa, eorum de Regibus ac Regno meritis, non ambitioni ulli, aut importunis flagitationibus adscribenda, ea omnium affectus propensissimi attestatione, ut sua quisque libens nostris concederet, & superstite etiamnum Mauro, Regnum ipsius verius quam Regis esset; affirmante seris, & posteris sæculis Carolo IX. *Maurum solo Breviario suo, plures Monasterijs à se constructis in Gallia, divitias peperisse, quam Reges ipsi gladio, & potentia acquirere potuerint.* Adeo, ut Maurus, Regna potius, quam Cænobia, posteris suis reliquisse videatur, quippe quorum reditus annui, decies cētena aureorum millia confecerint, exceptis ijs, quæ paulo, & longè post, diversorū Principum largitionibus, nostrorum virtutibus, & meritis attributa, summam illam quam longissimè excessere.

Hoc eodem ferè anno, primus è nostris Gallias sanguine purpuravit Sanctus Arnulphus Novaliciensis Cœnobij Abbas, à Longobardis Galliam irruentibus, Martyrio coronatus. Sed neque de illo, neque de alijs per promissam brevitatem ulterius quidquam licet, *Rer. Gall. script. Iepesius, VVion, &c.*

A. C.

A.C.765. S.P.N.96.

TANTI ab universa Ecclesia facti Monachi, ut *omnia* jam *Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ*, & aliarum Italiæ provinciarum *Monasteria*, Sanctissimis sese Regulæ nostræ institutis addicerent. Ita, ante hunc, aliquot jam annis, testatus etiam est Bernardus Abbas Fundanus, in Epistola ad Simplicium, tertium Casini Abbatem. Extat apud Ant. de Yepes Tomo 1. hoc an. cent. 1.

Quo eodem anno, præter plurimos alios, excelluit egregiè Magnus hic Abbas Bernardus, ut & discipuli ejus Hugo, & Paulus, quos iisdem litteris Sancto Simplicio nostro voluit commendatos. Sanctus Launomarus item, & Sanctus Agnellus Abbas splendidissima sydera orbi illuxere. Sed fusius de his Tom. 1. de Vitis Sanctorum nostrorum, paulo post à nobis explicando. In Vivariensi Monasterio, clarent BB. Chalcedonius, & Geronius, digni Cassiodoro discipuli. De relictis à Cassiodoro, (neque enim de mortis constat anno, ut ad eum referamus,) egregiis Divini ingenii monimentis, fusè Baronius Tom. VII. *Antonius Possevinus, Anton. de Yepes &c. plurimi.*

A.C.577. S.P.N.97.

ADministrato Sanctissimè Pontificatu summo, defungitur Sanct. Benedictus primus, ardua inter, & difficillima tempora, sed & onera tanti honoris, constantissima vitæ integritate, imperturbatus, indefessus de orbe non solum universo, sed & Petri Cathedra meritissimus, quam *egregia Sanctitate* condecorans, honorantem se, dignissima compensatione rehonoravit. Successit Pelagius eo nomine secundus, *pari vitæ sanctitate*, ex eodem Sanctissimi Patris nostri Benedicti Ordine assumptus; ut videatur ex hoc statim tempore, ea sacrosanctæ Christi Ecclesiæ, quasi *consuetudo*, initium sumpsisse, quia plurium sæculorum decursu, Cathedra quamprimum suprema vacante, nō alios quam à plenitudine Contemplationis tāto oneri aptos, è Cœnobiis Monachos extraxit, & summa cum potestate, orbi terrarū universo præesse dignissimos indicavit. Nec mirum; formatis tam Divino Regulæ instituto nostrorū, ad maxima quæque præclarè obeunda animis, & Lateranensi Constantia, S. Petri, S. Pauli, Sanctæ Mariæ Majoris, Sancti Laurentii, Sanctæ Crucis in Hierusalem, & Sancti Sebastiani Basilicis (permultis aliis, & insignioribus etiam Romanis Cœnobiis ac prioratibus nunc omissis) ad millesimum centesimum usque Christi annum, non alios, quam è Benedictinis Monachis, Canonicos, & clericos agnoscentibus. De quo, Illustrissimus genere, eruditione, & præclarè de Ordine nostro meritis Dominus Constantinus Cajetanus, in suo Amalario Fortunato, & alibi constanter affirmare se probat, ex earumdem Ecclesiarum monimentis; adduximusq; similia nos superius ex Raulino. Videantur etiam de Monachis Canonicis Anastasius Bibliothecarius in Gregorio II. & IV. & in Adriano I. Paulus Diacon. in Reg. S.P. N. cap. 53. Flodoardus Histor. Rhem. libr. 3. cap. 11. & 28. & ad eum append. init. Vita S. Suiperti apud Sur. & S. Lugderi apud eundem. *Cardinalis Baronius Annal. Tomo 12. Reinerus aliique.* Vnde factum, ut ex his ferè Cœnobijs, sive Monachorum Collegiis, tanquam propioribus, assumpti Pontifices, non ducentorum tantum, sive trecentorum (quod Trithemius noster R.P. Thomas le Branc, Soc. Iesu Theologus, & plures alii affirmant) verum septingentorum ferè annorum spatio, universæ Ecclesiæ curam ac labores soli sustinuerint, eandemque rexerint, ornarint, auxerint de quo disertè doctissimus Cajetanus, loco citato; nec dissimiliter, in insigni illa sua Epistola Encyclica ad universos amplissimi ordinis D.D. Abbates, Spiritus Benedictini, & profundissimæ cogitationis plenissima, in qua, de Pontificum Romanorum è nostro ordine assumptorum multitudine, & meritis, differens, unum, & triginta supra centum Petri naviculæ clavo admotos, mira prudentia, miraq; sanctitate feliciter eandem rexisse, & gloriose ꝓtexisse, serio affirmat, & singulari cōmendatione se probare (quam expectare me propediem in suis ad me datis jussit) ibidē asserit. Sed de eadem Ordinis nostri gloria, extra hoc compendium historiæ, alibi nos prolixius.

A.C.578. S.P.N.98.

SANCTI Ebrulphi Abbatis, ingens per hæc tempora gloria; quam insigni jam olim fortunæ beneficentissimæ contemptu (auctoritate siquidem, & gratia apud Galliarum Reges, Illustrissimi ejusdem parētes, cæteris proceribus longè præstabāt) sanctitatis dein rarissimę exēplo apud omnes meruerat. Quo adducti plurimi, & ipsi

& ipſi calcatis opibus, & ſpe honorum abdicata, ejus ſe Magiſterio devovere, ut, paulo poſt Ebrulphus, mille, & quingentos, quibus præerat Monachos numeraret. Conſtruxitq; proin plura etiam Cœnobia, & Ordinem noſtrum mirificè propagatur. De admirandis ejus virtutibus, & prodigioſe geſtis alibi, quæ nemo ſanè grandi volumine ſatis explicaret. Nec minor famę claritudine hoc eodem anno Sanctus Eparchius Abbas, illuſtri, & ipſe natus loco, cujus prima etiam converſionis initia, ita Monachis noſtris commendata, ut mortuum, fortè prætereundo, in via repertum, illico ad vitam revocaret. De captivis præcipuè, & ſupremo ſupplicio damnatis alijs, alijs jam affectis, longè meritiſſimus, eoſdem prodigioſiſſimè ſæpius liberavit. Sed prolixius de utroque in noſtris de Sanctorum noſtrorum geſtis, lucubrationibus.

A noſtris Admirabilis Matris Virginis cultum mirificè toto orbe propagatum, ab inſigni præcipuè Sacratiſſimi Pſalterij uſu, ingens de cœlis æquè ac terris meritũ noſtrorum eſt. In eo autem uti jam ſedulus in Galliis Maurus, ita in Hiſpaniis hoc jam tempore noſtri à Deiparente id meriti videntur, ut primum ejuſdem Cœli Reginæ nomini, conſecratum jam olim à Iacobo Apoſtolo monimentum, *Sancta Maria de Pilari* eis crederetur. De propagatione Roſarii nos alibi, & conſulendus *Alanus*, &c. De templo autem memorato. *Franciſcus de Bivar. vir eruditiſſimus, & M. Maximus, in contin. Chron. Dext.*

*A.C. 569.* *S.P.N. 89.*

SVPREMUS hic vitæ annus Sanctiſſimo Germano noſtro Pariſienſium Epiſcopo, de quo licet multa plurimi, nemo dignè, nemo ſatis. Illud memorandum, dum ad tumulum, ſacrum ejus corpuſculum deportaretur, ſucclamantibus, & opem rogantibus captivis, illud in humeris deferentium ita degravatum, ut deponere, neque loco movere poſſent, quam ſolutis, qui captivi tenebantur, iiſdemque illud feſtos inter applauſus, ad Eccleſiam proſequentibus. Honoravit illum inſolenti prorſus honore Chilpericus Francorum Rex, dum arte, & ingenio propriis, compoſito rhytmicè Epitaphio, tumbam beati viri honoravit, & merita vix jam tumulo conditi, præclariſſimè commendavit. Viſum non abs re, hic inſerere.

Rex Poëta.

*Eccleſiæ ſpeculum, patriæ vigor, ara reorum*
*Et pater & medicus, paſtor, amorque gregis.*
*Germanus, virtute, fide, corde, ore beatus,*
*Carne tenet tumulum, mentis honore polum.*
*Vir cui dura nihil nocuerunt fata ſepulchri:*
*Vivit enim: nam mors, quem tulit, ipſa timet.*
*Crevit adhuc potius juſtus poſt funera: nam qui*
*Fictile vas fuerat, gemma ſuperna micat,*
*Hujus opem ac meritum, mutis data verba loquuntur,*
*Redditus, & cæcis prædicat ore dies.*
*Nunc vir Apoſtolicus rapiens de carne tropheum,*
*Iure triumphali conſidet arce throni.*

Coruſcaſſe eodem hoc anno Caluppam, ſive Caluppanum, Meletenſem Arvenẽſis territorii Monachum, rara item Sanctitate virum, ſed & Sanctum Patroclum ejuſdem inſtituti, rigoris, & integritatis; plures è noſtris, aliique, (quos inter Baronius, habent;) illos autem omnes, pro eximijs meritis, anniverſaria memoria, univerſa Sancta colit Eccleſia. *De quorum geſtis egregiis, videndi Sanctus Gregorius Turonenſis, Yepeſius, &c. & nos in Tomis de rebus geſt. Sanct. Ordin. S. Benedictini & SS. Ord.*

*A.C. 582.* *S.P.N. 99.*

PElagii noſtri, ſummi Pontificis, indefeſſus in arduis labor, & ſervatum Pontificii honoris decus, inſigniter commendantur. In eo verò gloriam immortalem, & æternam ad poſteros famam cõſequutus, quod agente partim eo, partim jubente, ſeu approbante, plura Concilia (quibus univerſo terrarum orbi, & Sãctæ Eccleſiæ, utilius nihil, nihil glorioſius eſſe poſſe, per ſe cognoſcitur manifeſtum,) paſſim celebrata, & utilitati Reip. Chriſtianæ, & Regnorum, provide eſt conſultum. Sed quo facilius, & perſpicacius, uni quaſi oculorum, & primo obtutui, quæ per Benedictinos Pontifices, ſeu agentibus præcipuè noſtris, ſola Cõciliorum, & Synodorũ celebratione, univerſo ſint præſtita univerſis pateãt, & brevi ſyllabo omni poſterorũ ætati cõmendentur; potiora quæ occurrunt, & ſub iis tantum, qui abſque cõtrover-

versia nostri sunt, & iam olim, à negligentioribus rerum nostrarum, è nostris tamen esse manifesto deprehensi sunt, Pontificibus, enumeranda, & subijcienda censuimus.

*Concilia per Benedictinos Pontifices.*

Concilium Parisiense in caussa Prætextati hoc anno.
Concilium Cabilonense Anno Christi 582.
Concilium Matisconense A. C.... de anno dubitatur.
Concilium Matisconense secundum A. C. 588.
Synodus Tertia Toletana, in qua Pelagij nomine præsedit, Sanctus noster Leander, fuitq; septuaginta Episcoporum, &c.
Concilium Narbonense. Incertum quo anno.
Concilium Romanum.
Concilium Brenacense. Anno Christi 583.
Concilium Constantinopolitanum A.C.572.
Concilium Hispalense A.C. 590.
Concilium Lugdonense II. A.C. 587.
Concilium Toletanum III. A.C. 589.
Concilium Valentinum. A.C. 579.
Sub Pontificatu Magni Ecclesiæ Doctoris sanctissimi Gregorij Primi.
Concilium Hispalense, præsidente rursum Sancto Leandro nostro.
Concilium Oscense, cuius duo extant Canones A.C.598.
Concilium Narbonense in Gallia.
Concilium Barcinonense, A.C. 599.
Concilia Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense à S. Gregorio nostro Primo Ecclesiæ Doctore confundata, & ut SS. Quatuor Evangelia colenda, & sacra jussa. *Vid. Breviar. Rom. & Histor. Eccl. Sub S. Bonifacio IV. eius nominis Summo Pontif.*

*Concilia per Ordinis nostri Pontifices maximos aliosque è nostris Episcopos.*

Concilium Toletanum æra 648
Sub Adeodato Papa.
Concilium generale Toletanum.
Concilium item Toletanum Vndecimum.
Concilium Bracarense Tertium.
Sub Sancto Agathone Papa.
Concilium Anglicanum. *A.C.679.*
Concilium Mediolanense. *A.C.679*
Concilium Romanum. *A.C.* 680.
Constantinopolitana Synodus. *A.C.*.....
Concilium Constantinopolitanum. III. *A. C.* 680.
Concilium Toletanum XII. Anno 681.
Sub Sancto Benedicto II. Papa.
Concilium Toletanum. *A.C.* 684.
Sub Sancto Sergio I.
Concilium Toletanum XV. *A. C.688.*
Concilium Cæsar Augustanum III.
Concilium Toletanum XVI. *A.C.693.*
concilium Toletanum XVII. *A.C.*694.
concilium Traiectense, præsidente Sancto Willibrordo nostro, *A.697.*
Sub Ioanne VI. Papa.
concilium Toletanum XVIII. *A. C.*701.
Sub S. Gregorio. II.
concilium Romanum I. *A.*721.
concilium Rom. II. *A.*724. In causa S. Corbiniani nostri.
concilium Rom. III. *A.*726.

Sub S. Gregorio III.

Concilium Romanum I. Anno 731.
Concilium Romanum II. A. 731.

Sub Sancto Zacharia Primo PP.

Concilium Ratisponense A.C. 742.
Concilium Leptinense A. 743.
Concilium Romanum A. 743.
Synodus Suessionensis A. 744.
Concilium Germanicum auctoritate S. Bonifacii nostri A. C. 745.
Concilium Rom. II. eodem anno.

Sub Sancto Stephano III. PP.

Concilium in Palatio Vermio. A. C. 756.

Sub Sancto Stephano IV. Papa.

Concilium Romanum A.C. 769.
Concilium Wormatiense A.C. 770.

Sub Sancto Leone III. Papa.

Synodus Romana A.C. 800.
Concilium Altinense A. C. 802.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Aquisgranense. | Anno Christi. | 809. |
| | Arelatense IV. | | 813. |
| | Turonense III. | | eodem. |
| | Cabilonense II. | | eodem. |
| | Moguntinense. | | eodem. |
| | Aehemanse I. | | ...... |
| | Theodisvillanum. | | ...... |
| | Noviomense. | | 814. |

Sub Sancto Paschali I. PP.

Concilium Aquisgranense A. C. 817.
Concilium Attinacense A.C. 822.

Sub Sancto Gregorio IV. PP.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Parisiense | Anno Christi. | 829. |
| | apud Compendium | | 833. |
| | Metense | | 835. |
| | Theodonis villæ | | 835. |
| | Aquisgranense | | 836. |
| | Lugdunense | | 836. |
| | Conventus Cabilonensis | | 839. |
| | Aquisgranense II. | | 842. |
| | Constantinopolitanum. | | 842. |

Sub Sancto Leone IV. PP.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Parisiense. | Anno Christi. | 847. |
| | Moguntinum I. | | 847. |
| | Moguntinum II. | | 848. |
| | Turonense. | | 849. |
| | Synodus Regiaticina. | | 850. |
| | Conventus Ticinensis | | 852. |
| | Moguntinum III. | | ...... |
| | Suessionense. | | ...... |
| | Romanum. | | 853. |
| | Constantinopolitanum. | | 854. |
| | Valentinum. | | 855. |
| | Ticinense. | | 855. |

Sub Joanne IX. Papa.

Concilium Romanum. Anno Christi. 996.

Sub

Sub Sylvestro II. Papa.

Concilium Romanum. Anno Christi. 999.

Sub Sancto Sergio IV. Papa.

Concilium Bambergense, Anno Christi 1011.

Sub Ioanne XVIII. aliis XIX. Papa.

Concilium Lemovicense. Anno Christi. 1029.

Concilium Pampilonense. A. C. 1032.

Sub Sancto Leone IX. PP.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Romanum. | Anno Christi. | 1049. |
| | Rhemense. | | 1049. |
| | Moguntinum. | | 1049. |
| | Romanum Secundum. | | 1050. |
| | Vercellense. | | eodem. |
| | Covacense. | | eodem. |
| | Romanum Tertium. | | 1052. |
| | Romanum IV. | | 1053. |

Sub Sancto Gregorio VII. PP.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Romanum Primum. | Anno Christi. | 1074. |
| | apud Sanctum Genesium. | | eodem. |
| | Anglicanum. | | ...... |
| | Romanum Secundum. | | ...... |
| | Moguntinum. | | 1075. |
| | Anglicanum Secundum. | | eodem. |
| | Romanum Tertium. | | 1076. |
| | Romanum IV. | | 1078. |
| | Romanum V. | | eodem. |
| | Romanum VI. | | 1079. |
| | Britannicum. | | 1079. |
| | Romanum Septimum. | | 1080. |
| | Lugdunense. | | 1080. |
| | Avenionense. | | ...... |
| | Meldense. | | ...... |
| | Romanum VIII. | | 1081. |
| | Romanum Nonum. | | 1083. |
| | Romanum Decimum. | | 1084. |

Sub Sancto Victore III. Papa.

Concilium Capuanum. Anno Christi. MLXXXVIII.

Concilium Beneventanum ......

Sub Beato Vrbano II. PP.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Romanum Primum. | Anno Christi. | 1089. |
| | Troianum I. | | eodem |
| | Tolosanum. | | 1090. |
| | Melfitanum. | | ...... |
| | Beneventanum. | | ...... |
| | Troianum Secundum. | | 1093. |
| | Constantiense. | | 1094. |
| | Ostionense. | | ...... |
| | Placentinum. | | 1095. |
| | Claromontanum. | | ...... |
| | Anglicanum. | | ...... |
| | Turonense. | | 1096. |
| | Barense. | | 1097. |
| | Romanum Secundum. | | 1098. |
| | Romanum Tertium. | | 1099. |
| | Hierosolymitanum. | | ...... |

Sub Sancto Paschali II.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Pictavienſe | Anno Chriſti. | 1100. |
| | Lateranenſe | | 1102. |
| | Londinenſe Primum | | ..... |
| | Londinenſe Secundum. | | ..... |
| | Trecenſe Primum | | 1104. |
| | Florentinum | | 1105. |
| Concilium. | Quintelinburgenſe | Anno Chriſti. | ..... |
| | Moguntinum | | ..... |
| | Guaſtellenſe | | 1106. |
| | Hieroſolymitanum | | 1107. |
| | Tercenſe Secundum | | ..... |
| | Londinenſe | | 1108. |
| | Beneventanum I. | | eodem. |
| | apud Cyperanum | | 1113. |
| | Belluacenſe. | | 1114. |
| | Syriacum. | | 1115. |
| | Troianum. | | ..... |
| | Colonienſe | | 1116. |
| | Lateranenſe III. | | ..... |
| | Romanum | | ..... |
| | Pictavienſe II. | | 1109. |
| | Rhemenſe | | ..... |
| | Hieroſolymitanum II. | | ..... |
| | Lateranenſe II. | | 1112. |
| | Viennenſe | | ..... |

Sub Sancto Gelaſio II.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Capuanum | Anno Chriſti. | 1118. |
| | Colonienſe | | 1119. |
| | Frideslarienſe | | ..... |
| | Viennenſe | | ..... |

Sub Calixto II. Papa.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Concilium. | Rhemenſe. | Anno Chriſti. | ..... |
| | Lateranenſe Generale Oecumenicum. | | ..... |
| | Neapolitanum. | | ..... |
| | Romanum primum. | | ..... |
| | Romanum II. | | 1123. |
| | Toletanum. | | ..... |

Sub Innocentio IV. Papa.
Concilium Lugdunenſe I. Generale.

Sub Clemente VI. PP.
Concilium Toletanum, &c.

Ecce ſi nihil debeat orbis terrarum univerſus Benedictino Ordini, quid debeat, aut non debeat, ob tot Concilia, per Monachos eiuſdem indicta ſeu approbata. *S*ed hæc obiter; neque enim longè plurium aliorum ex Ordine noſtro Pontificum, hoc loco licuit meminiſſe.
Ad alia maturandum.

A. C. 581. S.P.N. 501.

CLaret inter innumera Ordinis nostri sydera, Gregorius noster Turonensis Episcopus ex Monacho Urbis eiusdem, vir doctrina, sanctitate, & meritis per universum celebratissimus, nullis ritè laudibus, aut cuiusquam facundia exornatus, acerrimus Catholicę fidei defensor, & Mysterii Sacrosanctæ Trinitatis, contra Arianos propugnator. Relictis dignissimis tanto nomine, librorum monimentis, de Ecclesia universa præcipuè meritus. Ant. de Yepes, Stengellus, &c. Cæterum idem Gregorius, quanta constantia atque authoritate Chilperici Regis se licentiæ in publico Episcoporum Conventu opponeret, & pro Iustitia stare contra Regem non vereretur, mirandum omnino est. Placet ipsummet audire: Nam dum cæteri Concilij Patres timore concepto, ob furorem Gallorum, & impiæ Reginæ Fredegundis conticescerent, Gregorius animo interrito, sic loqui orsus est: *Attenti estote quæso sermonibus meis, ô Sanctissimi sacerdotes Dei, & præsertim vos, qui familiares esse Regi videmini. Adhibete ei Concilium Sanctum, & sacerdotale, ne exardescens in ministrum DEI* (Prætextatum Episcopum à Rege male habitum intelligit,) *pereat ab ira ejus, & Regnum perdat, & gloriam. Illis vero silentibus, adieci, Mementote Domini mei Sacerdotes, verbi prophetici, quod ait; Si viderit speculator iniquitatem hominis, & non dixerit, reus erit animæ pereuntis. Ergo nolite silere, sed prædicate, & ponite ante oculos Regis peccata eius, ne forte ei aliquid mali contingat, & vos rei sitis pro anima eius. Duo adulatores ex ipsis (quod de Episcopis dici dolendum est) nunciaverunt Regi dicentes, quia nullum maiorem inimicum, quam me haberet. Illico unus ex aulicis cursu rapido ad me repræsentandum dirigitur. Cumque venissem, viso me, Rex ait: O Episcope, iustitiam cunctis largiri debes, & ecce ego justitiam à te non accipio, sed, ut video, consentis iniquitati, & impletur in te proverbium illud, quod coruus oculum corui non eruet. Ad hæc ego; Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest; si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi; sed si volueris audis; si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciat esse Iustitiam? Ad hæc ille* (*ut erat ab adulatoribus contra me accensus*) *ait: Cum omnibus enim invenio justitiam, & tecum invenire non possum. Sed scio quid faciam, ut noteris in populis, & iniustum te esse omnibus perpatescat. Convocabo enim populum Turonicum, & dicam eis: Vociferamini contra Gregorium, quod sit injustus, & nulli hominum justitiam præstet. Illis quoque hæc Clamantibus respondebo: Ego, qui Rex sum, justitiam cum eodem invenire non possum, & vos qui minores estis invenietis? Adhæc ego: Quod sim injustus tu nescis, scit enim ille conscientiam meam, cui occulta cordis sunt manifesta. Quod vero falso clamore populus, te insultante vociferatur, nihil est; quia sciunt omnes à te hæc emissa; ideoque non ego, sed potius tu in acclamatione notaberis. Sed quid plura? Habes Leges, & Canones: hæc te diligenter rimari oportet, & tunc quæ præceperint, si non observaveris, noveris tibi DEI judicium imminere. Ille verò porrecta dextera, juravit per omnipotentem DEUM, quod ea quæ Lex & Canones edoceant, nullo prætermitteret pacto &c.* Ita Greg. cap. 18. libr. 5. Quæ prolixius referre visum est, ut pote, nostro sæculo, ratiora, & quibus merito sacerdotum omnium studia, & fervor, in corrigenda quoruncumque Magistratuum licentia, accendantur, & concitentur. Romę quantumvis Cęnobia plurima, superstite etiamnum Admirabili Patre, & Patriarcha nostro, & ad hunc usque annum multo plura, Monachis nostris constructa sint, imo Basilicæ Urbis præcipuæ, & collegiatæ omnes Ecclesiæ (teste doctissimo Raulino) à nostris occupatæ; Gregorio tamen (qui dein noster; Magni nomen à meritorum magnitudine meruit) Urbis Præfecto, minimè visum satis, nisi etiam ipse, optimos quosque Monachorum fautores imitatus, de suo Cænobiū moliretur, immo aliorum liberalitatem longè transgressus, ædes ipse proprias nostris cederet, & congruè Monachorum habitationi appararet. De inducta Monachorum colonia, satis contra Baronium, Caietanus, Yepes, Reinerus, aliiq; nostri, & ex superius dictis constat (quantumvis illud Sancti Equitii Cænobium, quod Baronius obiectat, ex iis nō fuerit, quæ prima duodecim Sanctissimus Pater noster construxit, quamvis multo plura dein ipse quoque condiderit) omnia, iam pridem *Valeriæ Tusciæ, &c. Cænobia*, se nostris subdidisse: Sed

de his acuratius, & prolixius. Nec Romæ solum beneficentia Gregorij in nostros se continuit, in Siciliam usque amplissimè se extendit; in qua ipse provincia sex omnino Cænobiis extructis, eadem necessariis multitudini Monachorum, reditibus dignè communivit. Hoc anno magnus ille Cænobiorum Galliæ Archiabbas Maurus, mortis suæ, prædictione Sanctissimi Patris sui *Benedicti* præscius, biennio ante, & sex ferè mensibus, quam communis illa mortalibus lex subeunda, Glanofoliensi Abbatia se abdicat. Neque visus dignior, qui tanto Antistiti succederet, quam Bertulphus Flori Principis filius, egregia sanctitate, & rerum gerundarũ dexteritate laudatissimus. Maurus vero, meditationi Divinorum, & sublimioribus vitæ Contemplativæ exercitijs totum se impendens, imminenti ad cælestes triumphos profectioni se se accingebat. *Ex vita &c.*

*A. C.* 582. *S. P. N.* 102.

CElebrata hoc anno duo Concilia Cabilonense, & Matisconense, utrumque Guntrammo Rege instigante, Principe, si quis ullus, verè nostro, adeo nostrorum consiliis, virtute, ope, nitebatur. Sed Pelagij nostri auspiciis, & solicitudini cuncta adscribenda, cujus hoc eodem anno extat Decretalis, ad Episcopos Italiæ totius, & inprimis Campaniæ: *de accusationibus, & Iudiciis Episcoporum*, data Kal. Dec.

Meruit de cælo, & Gallia universa, hoc ipso quoque anno, Sanctus Maurus noster, qui intra paucissimorum mensium decursum centum, & sedecim è suis moriturus præcognoscens, eosdem, cæteroquin cælo natos, & formatos recto itinere cælo, & quidem pro Gallia strenuos deprecatores destinavit. Ex vita, & tomo 1. Sanct. Ord. De Sancti Gildæ meritis, sub hoc ipsum tempus, toto pectore in Apostolicos labores incumbentis, ita vetustimus vitę scriptor apud Ioannem à Bosco: *Audiens igitur, quod gentes, quæ Aquilonarem plagam Britanniæ Insulæ incolebant, adhuc gentili errore detinerentur; & quod hi etiam, qui inter eos Christiani, non Catholici essent, sed diversis hæreticorum fraudibus irretirentur, &c. de Christi adiutorio confidens, cœpit illuc pergere. Stans autem succinctus lumbos mentis, inter paganos atque Hæreticos, indutus lorica Iustitiæ, & calceatus pedes, in præparationem Evangelii pacis, in omnibus periculis sumebat scutum fidei, in quo posset omnia tela nequissimorum dæmoniorum extinguere, galeamque salutis, & gladium Spiritus quod est verbum DEI. His itaque armis munitus Gildas Christi miles præclarus, prædicabat nomen Christi Gentilibus; Hæreticis autem Verbum salutis opponens à cunctis eos revocavit erroribus, & ad viam veritatis adduxit. Namque ei tantam dederat Dominus noster Iesus Christus gratiam sanitatum, ut eius orationibus cæci illuminarentur, surdis auditus redderetur, & claudis debilibusque gressus, dæmoniaci curarentur, leprosi mundarentur, & infirmi quique sanarentur. Pergebat igitur Gildas Beatissimus, Evangelium Christi prædicando, docens veram fidem per universas provincias gentemque suam, ad veram Catholicamque fidem convertebat. Hæc & his similia agente B. Gilda, omnis Gens Aquilonaris* (NB.) *plagæ, ad eius prædicationis doctrinam, cœpit undique confluere, quatenus derelicto Gentili errore, & percepta eius admonitione Sanctæ Trinitatis fide, in gremio collocaretur Sanctæ Matris Ecclesiæ. Destruebantur itaque idola, ab eis qui ea fabricaverant, & Ecclesiæ ædificabantur per congrua loca, baptizabantur viri nobiles, cum uxoribus, & filiis, atque familiis, &c.* Hæc in Britannia insignis iste Apostol.

Porro de eiusdem in Hibernia sudoribus, idem vitę scriptor, his verbis prosequitur *Quia penitus Catholicam fidem, à maximo usque ad minimum, omnes amiserant: tunc Sanct. Gildas munitus clypeo fortitudinis & galea salutis omnes fines Hibernensium circuivit, & Ecclesias restauravit; Clerum universum in fide Catholica, ut Sanctam Trinitatem colerent instruxit. Populos graviter morsibus Hæreticorum sauciatos curavit, fraudes hæreticas cum Auctoribus suis ab eis longè repulit, &c.* Sed & de augmento vitæ Monachicæ, alijsque magnis revera eius meritis agens: *Multa deinceps*, inquit, *vir Beatus Monasteria construxit, in eadem insula, non paucos in eis Nobilium filios enutriens, & norma Regularis disciplinæ informans, & ut plures Domino offerre posset alumnos, iam factus Monachus collegit Monachos secum, tam ex nobilibus, quam ex pauperibus, pupillis, & orphanis; nec non & captivos tyrannica servitute, paganorum irretitos, misericorditer liberavit. Omnem denique regionem*

Hiber-

*Hibernensium, & Anglorum, nec non & exterarum nationum, suo instruxit exemplo, & erudivit sermone; quarum gentes, & nationes, actus, & virtutes eius, usque in hodiernum diem honorificè venerantur ubiq;, &c.* Hucusque scriptor cit. apud Ioann. à Bosco Biblioth. Floriac. Caiet. Menol. nost. &c.

*A. C. 583.* *S P. N. 103.*

FVnestiorne an gloriosior hic annus Galliæ Vniversæ, immo orbi Christiano, nemo, satis explicarit; tanto nimirum thesauro orbata terra, ut iure merito cælis invideat. Obiit Sanctissimus Galliarum Archi abbas Maurus, laterum dolore confectus, maior septuagenario. Ordinis sui institutum, admirabili vitæ innocentia, crebrisque miraculis coruscans, mirabiliter auxit ac propagavit: ut mirari satis non possimus, tantum tantillo tempore Monachorum copiam, summo Ecclesiæ universæ bono natam, florente sub hæc ipsa tempora Columbano nostro (quem de nobis nec quidquam detraxisse Tomcum Zagrabiensem tomo primo Constantiæ Benedictinæ clarissime demonstramus) tam providè, ut & strenuè propagatam, in incredibili Cænobiorũ numero, uno sæpè sæpius Abbate, Monachorum duo, triave millia gubernante, iisque ferè omnibus, rara vitæ integritate, inter quotidiana prodigia viventibus, una, sed plane *Sanctorum omnium Spiritu* bene imprægnata radice prodiisse. Vt satius proin sit, in tanto perfectorum Monachorum numero, multa millia, numerare, certius singulorum ætatem centenis millibus ęstimare. *De Mauro nostro consulendi S. Faustus, & Yepes noster tomo I.* De Sancto Magno Gregorio, ita ex Boronio Bisciola: *Gregorius qui anno Domini 581. Præfecturam Vrbanam gerebat, sed animo ad Monasterium anhelabat, nuncium remittens sæculo, paulo post factus est Monachus.* *At Pelagius Papa, qui benè cognitam eius virtutem habebat, doctrinam, pietatem, & in rebus agendis industriam, atque dexteritatem, statim ferè avulsum à Monasterio, Apocrisarium sedis Apostolicæ Constantinopolim destinat ad Tiberium. Quod munus, cum non nisi S.R.E. Cardinalibus committi moris esset, eum licet invitum ac renitentem, creat Diaconum Cardinalem.* Sed de Monachismi Gregoriani annis, videantur nostri superius citati. Illud egregiam ad laudem Gregorij sanè peregrium, quod legatus ipse Cõstantinopolim, miro quodammodo, ipsum Monasterium secum veheret, cum videlicet complures ex eodem ipse inde duceret secum Monachos, quo, ubicunque locorum esset, ijdem nobile redderent Monasterium. Vid. Baron. tomo VII. anno eodem.

Celebratum ipso anno Concilium Brennacense in causa Gregorii Turonensis nostri. Purgat se iuramento Gregorius, Regina Rigunthe pro ipso valdè sollicita, & jejunium cum omnibus domesticis celebrante. Causa cognita, cęlitus in accusatores nefarios animadversum. De Rege vero sibi conciliato, ipse Gregorius, se alloquentis, & valedicentis ponens verba: *ad me, inquit, conversus, postulat, ut accepta benedictione discederet, ait enim; dicam, inquit, tibi ô sacerdos, quod dixit Iacob ad Angelum, qui ei loquebatur: non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Acquievit Sanctus, & facilè, quia Regi nunquam succensuit.

Interfuit Concilio eidem Sanctus Salvius noster, Albigensis ex Monacho Episcopus; qui ipsa die gravissima mala domui Regiæ imminentia, Gregorio insinuavit; & consequuta quamprimum ingens populi, grassante per Gallias pestilentissima lue, clades; duo etiam Regis filii morte absumpti sunt. Fuit insigne Ordinis nostri decus, Ecclesiæ sydus, & ornamentum Sanctus hic Salvius, qui singulari etiam nomine, ipso hoc anno, de Gallia meruit: Chilperico quippe Regi, aversanti iam Arianismum, sed in Sabellianismum declinanti, cum strenuè se opponeret Toronensis noster Gregorius, sed nihil, quam iram Regis mereretur, occurrens liberrime Sanctus Salvius, repugnantem deniq; flexit, & ingentia mala à Galliis avertit. Dignissimus ipse Gregorius Turonensis, qui de suo cum Rege conflictũ audiatur: *Per idem tempus,* inquit, *Chilpericus Rex scripsit igniculum, ut Sancta Trinitas, non in personarum distinctione, sed tantum Deus nominaretur, asserens indignũ esse, ut DEVS persona sicut homo carneus nominaretur; affirmans etiam ipsũ esse Patrem, qui est filius. Sic, inquit, Prophetis, & Patriarchis apparuit, sic eum ipsa Lex nunciavit,*

*vit. Cumque hæc mihi recitari iussisset; Sic, inquit, volo, ut tu, & reliqui Doctores Ecclesiarum credatis. Cui ego respondi. Hac credulitate relicta, pie Rex, hoc te oportet sequi, quod nobis post Apostolos alij Doctores Ecclesiæ reliquerunt; quod Hilarius Eusebiusq. docuerunt; quod & in Baptismo es confessus. Tunc iratus Rex, ait; Manifestum est mihi in hac causa Hilarium Eusebiumque validos inimicos haberi. Cui ego respondi. Observare te convenit, neque Deum, neque Sanctos offensos. Nam scias, quia in persona aliter Pater, aliter filius, aliter Spiritus Sanctus. Non Pater assumpsit carnem, neque Spiritus Sanctus, sed filius, &c. At ille commotus ait. Sapientioribus te, hoc pandam, qui mihi consentiant. Et ego. Nunquam erit sapiens, sed stultus, qui hæc, quæ proponis sequi voluerit. Ad hæc ille frendens siluit, &c.* Porro de S. Paulo, ipse mox Gregorius subiungit; *Non post multos vero dies adveniente Salvio Albigensi Episcopo, hæc ei præcepit recenseri, deprecans, ut sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens ita respuit, ut si chartam in qua hæc scripta tenebantur, potuisset attingere, in frusta discerperet. Et sic Rex ab hac intentione quievit.* Ita Greg. lib. 5. cap. 44. Vt videas, quam animosè Episcopi nostri se gesserint, cũ pro Dei gloria, maximis esset Regibus obnitendum.

Nec minore laude, Ecclesię bono consulit in Hispaniis Sanctus Leander noster, Sancto Hermenegildo Rege opere maximè Ingundis coniugis, ab Arianismo converso. Vnde imminente eidem Hermenegildo, à patre Leovigildo, acri prælio, Leander idem legatus Constantinopolim ad Tiberium Imperatorem destinatur.

Eodem anno, relicta corporis sarcina, liber in cælum evolat, celeberrimus ille, & meritissimus de Vniverso, Sanctus Martinus, ex Dumiensi Monacho, & Abbate, primus eius loci Episcopus, *doctrina*, ut ait Bisciola, *nulli suis temporibus secundus.* Cui quantum (Apostolo nimirum suo) debeat Hispania, consulatur Baronius passim tomo VII. Eius Epitaphij pauca ponimus ex Fort. lib. V. & Bar. loco cit.

*..... Martini Gallia Prisci*
*Excellente fide luminis arma capit.*
*Martini servata novo Gallicia plaude*
*Sortis Apostolicæ, vir tuus iste fuit.*
*Qui virtute Petrum, præbet tibi dogmate Paulum.*
*Hinc Iacobi tribuens, inde Ioannis opē.*
*Pannoniæ, vt perhibent, veniens ex parte, &c.*

*A. C. 577. S. P. N. 97.*

PRæter innumeros è nostro ordine viros, sanctitate, & doctrina celebratissimos, claret ante alios, & puro velut ac ludo exsplendescit cælo aureus sol, Sanctissimus Leander noster, Hispalensis Archiepiscopus, de cuius laudibus plura alibi, nunc de felicitate referimus, qua pari sanctitate, germanis tribus, Isidoro, & Fulgentio, iisdemque pari postea Episcopali dignitate fulgentibus, nec non Florentinæ sorori, omnibus, eundem Sanctissimi Patriarchæ nostri ordinem professis, pater iuxta ac frater extitit. Quorum egregia de Ecclesia merita suis annis, & ut licebit, prædicabimus; nunc auroram, & in ortu primam lucem obiter ostendimus. Videndus Yepes, & vita eorumdem Hispanicè edita Transiit ad supera, isto etiam anno, Sanctus Eparchius Abbas Engolismensis, cuius. *Cum Sanctitate vitæ*, ut ait Baronius, *admirabili*, magna enitebat virtus in ostensione signorum. Quæ idem auctor (Gregorius Turonensis, lib. VI. cap. VII.) recenset, resque ab eo gestas, libello conscripsit.

*A. C. 585. S. P. N. 105.*

ANnus iste totus Leandri denuo laudibus assignandus, quamvis magnus Sanctorum syllabus occurreret. Is multa à Leovigildo Rege perpessus, ob filium ab Arianismo revocatum (quem superiore anno occidi præceperat) patientia tandem Regis infesti animum mirè superavit, adeo, ut facti pœnitens, eidem ad se convocato, Reccaredum filium commendaret. Ipsum de hac re Gregorium Magnum, Leandri diligentissimum, audiamus: *Leuvigildus, oborta ægritudine ad extrema perductus est, & Leandro Episcopo, quem prius vehementer afflixerat, Reccaredum filium suum, quem in sua Hæresi reliquerat, commendare curavit: ut in ipso quoque talia faceret, qualia in fratre eius, exhortatione fecisset. Qua commendatione expleta defunctus est.* Quam egregiè præstiterit, quod rogatus est, Lean-

Leander, Reccaredi conversio, & laudatissima pietas, virtus, & fortitudo, universo patefecit. De quo Rege fusissimè Baronius, & alii, rerum præcipuè Hispanicarum, scriptores. Vt supra modum meritis denuo commendarit Sanctissimum Ordinem nostrum, Sanctissimus hic Doctor, & Pontifex Leander.

*A. C.* 586. *S. P. N.* 106.

MAgnum illud Magni Gregorii nostri celebrandum hoc anno, quo Eutichius Patriarcha Constantinopolitanus, hac vita excessit. Is à Gregorio de resurrectione corporum palpabili dissentiens, adeo ut Originis errorem, in hoc suo, tueretur, & libro integro sententiam suam propugnaret, adeo à Gregorio convictus est, ut eius librum Imperator (Eutichio cæteroquin addictissimus) in ignem injiceret; sed & Patriarcha, cùm paulo post in morbum incidisset, instante morte, pelle manus suæ, multis præsentibus, apprehensa, liberè assereret; *Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus.* Ex Breviario Romano, Ioanne Diacono, Baronio, & ut facilè pateat, quantum pro hoc unico, debuerit Gregorio nostro Tyberius Imp. & Oriens, si sapere maluisset, universus.

Destructo hoc ipso anno Casinate Cænobio, Longobardorum furore, ut pridem didicerat & prædixerat Sanctissimus Patriarcha noster, nostri ad suos Romam diffugiunt, in Cænobium nimirum Lateranēse; de quo Leo Ostiens. Caietanus, Yepes aliiq;.

Romam à legatione reversus Sanctus Gregorius noster, inchoatos Moralium libros perficere curat. Tuetur insuper, egregiè, scripta epistola adversus Schismaticos, Eliam Episcopum Aquileiensem. Consulantur Baronius, Bisciola aliique.

In Galliis defungitur Sancta Disciola Virgo, S. Salvii Episcopi Albigensis neptis, monialis in Divæ Radegundis Pictavis, vel pro honore Salvii memoranda. In eius transitu, quæ admiranda effulserint sanctitatis signa, narrat sanctus Gregor. Turon. l. 6. Eodem anno, illustre Galliis, & orbi universo, contempti honoris exemplum, Bosso Austrasię Dux, Sigeberto Regi familiarissimus, exhibuit, dum cucullum, auro gemmisque præferens, Mundum, exemplo Patriarchæ nostri, quo uti liberè potuisset, iam aridum quasi, cum flore despexit. *Arnoldus Anton. de Yepes, &c.*

*A. C.* 587. *S P. N.* 107.

EXcelluit hoc anno inter nostros Sanctus Sulpitius, cognomenro Severus Monachus & Abbas Sancti Nicetij Lugduni, vir Sanctissimus æquè ac doctissimus, à Guntheramno Rege maximi factus, & plurimis Archipræsulatum Bituricensem exambientibus, merito prælatus. Eum, quod Gregorius noster Turonensis, à Rege, commendatum dicat à nobilitate generis, & tunc primum ad clericatum promotum, nihil officit eius Monachismo, quem alii constanter asserunt, locusque & dignitas Abbatialis utique non conficta, ut temerè, & nulla alia de causa de aliorum fide dubitemus, certè tam facile detrahamus. Videndus Wion aliique. De Sulpitii nostri meritis alias plura. Requirendi Gregorius Turon. Demochares, & plures, quos iste allegat.

Edidit egregium hoc anno constantiæ exemplum, Beata Radegundis nostra, dum duobus Regibus, ambienti, & iubenti, absque metu, Sancta mulier, se ausa est opponere. Reccaredus Hispaniæ Rex, Chilperici Galliæ Regis filiam in uxorem expetierat: iste Basinam, Andovera uxore natam, spondet; quæ tunc in Radegundis cænobio alebatur; verum resistente Radegunde, & in hæc prorumpente: *non est dignum, ut puella Christo dicata, iterum ad sæculi voluptates revertatur*; tradita exin Reccaredo Balda est. Ex vita & tom. nost.

Moritur eodem anno, Sanctus Salvius noster, Episcopus Albigensis, quem *mirificè Sanctitatis virum* Baronius nominat. *De eius vita vid. Greg. Turon. & tom. nost. ord. SS.* Martyrio item coronatur Sanctus Lupentius, Abbas Sancti Privati. Consul, iidem.

*A. C.* 588. *S. P. N.* 108.

MAtisconense Concilium celebratur, ex quo plurima orbi, anniten te præsertim Pelagio II. commoda enata, & Episcoporum negligentiæ medi-

medicina adhibita; Rege Gutheramno edictum dante ad Episcopos, & judices, *de prædicatione verbi DEI, de munere Episcopali per seipsos, non per Vicarios exercendo, &c.* Extat tomo 2. Concil. post acta Concilii Matiscon. Quod nostri dein, proximis sæculis, ad Pontificatus honorem evecti strenuè præstiterunt. Videantur ibidem, & apud Baronium plura memoranda, in Concilio hoc præstita.

Eodem anno, horribili invalescente Parisiis incendio, Sanctus Germanus noster afflictorum dum viveret, sed & dum deportaretur ad tumulum, unicum captivorum solatium, nec nunc quidem, tumulo latens, de vinctis mereri destitit; quibus in carcere prodigiosè visus, comminuens trabem, ac catenas, quibus vincti tenebantur, reseratisque ostiis, eos liberat, qui ad eius tumulum per incendia fugientes, novo miraculo illic quoque inter ignium globos, cum Ecclesia Sancti Martini servati sunt. Histor. Franc. Gregor. Turon. lib. 8. c. 33.

*A.C. 589.* *S.P.N. 109.*

CONcilium Generale Toletanum celebratur, præsidente Pelagii Papæ nomine Sanctissimo Leandro nostro, congregatum ad condemnationem Heresis Arianæ, quam, altero iam è Regibus ad Catholicæ fidei veritatem traducto, fortissime attrivit, & profligavit, Sanctus hic Hispalensium Archipontifex Leander, de Regnis Hispaniæ, longe meritissimus. De Reccaredi, in Concilio hoc præsentis, Religione, virtute &c. videatur Baronius hoc anno, tomo VII.

Celebratum, eodem anno, Concilium Narbonense, & Synodus Valentina, Apostolica Pelagii nostri auctoritate, ut nunquam satis gratum se exhibeat, quantumcunque conetur, Pelagio nostro; & tantum negotium promoventibus Monachis, omnis posteritas, quæ sæpe tantorum, necquidem memoriam aliquam consectatur.

De Fundato celeberrimo, & potentissimo Gabilonensi cænobio, per Gunthramnum Regem, deque eiusdem in nostros propensione, & laudatissimis virtutibus, multa, & dignissima hoc anno prædicat Antonius noster Jepesius. Videatur tom. 1. centur. 2. fol. 366. & 367.

Celebrat idem plures nostri ordinis Sanctos, qui interfuere Concilio Toletano III. Sanctum Eufemium, ex Monacho Agaliensi Abbatem ibid. & demum Archiepiscopum Toletanum, Sanctum Agapium ex Monacho item Episcopum Cordubensem, Sanctum Tonancium Episcopum de Palentio, Sanctum Eutropium Abbatem, &c. de quibus latius disserit. Requiratur loco cit. fol. 369. & sequentibus. Evenit hoc ipso anno memorabilis illa Casino clades, quam diu ante sanctissimus eius author, & fundator præviderat prædixeratque, meruerat autem ipse, ut fassus est suis, sibi animas donari, evadentibus in tutum universis, priusquam Saraceni in locum adeo sacrum impie incumberent, & sacra omnia prophanarent. Bonitus Abbas cum Monachis Romam profugit, de quo disertissimum Scipionem nostrum audiamus: *Monachi cum Bonito Abbate silentij ac tenebrarum beneficio furtim elapsi, Romam incolumes ex fuga devenere; ubi ad Pelagium Pontificem adeuntes, comiter ab eo benigneque accepti sunt, & in Lateranensi Monasterio, (cui Valentinianus iam diu præsidebat, supra eximiam vitæ sanctitatem, ipsiusmet etiam Divi Benedicti consuetudine, ac Magisterio venerabilis,) collocati. Ex hac porro cænobij utriusque convictorum, non Domicilij magis quam instituti, atque animorum coniunctione, una atque eadem Congregatio Casinas coaluit, quam unus idemque præses, & utramque domum pari auctoritate moderabatur. Quo postea ex loco tam multi ad Christianæ Reipublicæ gubernacula nostri ordinis homines evocati sunt, ut verè totius sanctitatis, & meliorum artium clarissima palæstra, idemque posset Romanorum Pontificum Seminarium nuncupari. Neque dubium est, quin rationes ad hoc ipsum comprobandum permultæ, aliaque insuper dignissima relata suppeterent, nisi (magno sane, & irreparabili detrimento,) locum ipsum, & universa tabularij monimenta idem casus sustulisset, ut molestissimè mihi ferendum sit, exceptis Abbatum nominibus, tam longo annorum decursu, nihil aliud relictum esse, &c. Sed spes est, brevi fore unum aliquem è nostris, qui honestissimo hoc munere, (quod iam pridem laboriosè urget, feliciter ex animi sententia defungatur. Cæterum cum locus apud Lateranum angustior esset,*

*esset, quam ut admittendæ tot Religiosorum hominum multitudini sufficeret, ab eodem Pelagio denuo constructus est, qua Romanum Pontificem decebat, Aedium laxitate, & magnificentia,* &c. Huc usque eruditissimus M. Ant. Scipio.

*A. C.* 590. *S.P.N.* 110.

ANnus, nostrorum successu, fructu, ac gloria, præcipuè memorandus; Pelagii tamen Pontificis Romani morte, & lue inguinaria grassante, qua sanctissimus vir sublatus est, funestior fuit. Eius præclarè gesta, Conciliorum inprimis celebratione, & approbatione, satis innuimus, si non exhibuimus. His insuper meritus, dum domum suam, Xenedochium senum pauperum fecit, cæmeterium Beati Hermetis Martyris, & Basilicam supra corpus Beati Laurentij à fundamentis exstruxit; & tabulis argenteis exornavit. De corpore Sancti Petri (id est) Confessione excolenda, sollicitus, idem argenteis similiter tabulis. & ad splendorem deauratis, honoravit. Concilium Romanum, quod celebravit de statutis Ecclesiasticis, eo quod ad annum certum referri non poterat, referre hic placuit. Evolavit ad sedes superas Beatorum Sanctissimus Pontifex VI. id Febr.

Solatus communem Ecclesiæ moerorem, post sex mensium, 21. dierum vacationem *Gregorius noster*, ab immortali, gloriosissimè gestorum, fama, *Magni nomen*, iure meritissimo indeptus, amoribus S. P. N. à parentibus, Casinensi, & Sublacensis cænobiorum præcipuis Dotatoribus, à puero innutritus, *cuius, & nativitatem, & nomen atque munus* tanto ante, prægnanti tanto Doctore matri Silviæ, Benedictus prædixerat; ipse autem Gregorius, confirmaverat auxerat, & plura deinceps eiusdem ordinis cænobia, donec seipsum quoque impenderet, & DEO consecraret, de novo struxerat. De cuius Benedictino Monachatu, præter innumera tot Monasteriorum toto ordine, & orbe monimenta, & contestatissimas tabulis, Eiusdemnet à Gregorii discipulis varias fundationes, legendus iuxta alios multos, Antonius Iepesius, Clemens Reinerus, &c. Extant parentum Gregorio, plures cum Sublaco, tum Casino factæ donationes, consignatæ litteris, quas inter, antiquitate cæteris pręstans, illa Iustino Iuniore imperante: *In nomine Domini Dei salvatoris nostri, Imperante Domino Iustino iuniore P P. Augusto anno IV. indict.* 2, *mense die Iulii* 14. *Sancto, & Venerabili Monasterio in Monte Cassino, à Beatissimo Benedicto, in quibus fiduciam habeo ego Anicius Gordianus pro Dei omnipotentis amore, & redemptione animæ meæ ac meorum parentum, &c. interventu quoque ac postulatione, dilectissimi filij mei Anicij Gregorij, de præsenti, in perpetuum concedo, dono & offero, &c. Actum Casini die, anno, mense & indictione supra scriptis.* Vt mirũ sit, in mentem venisse nonnullis Gregorium tot nominibus Benedicto obnoxium, aliam tunc, cum vel maximè florerent, & orbem percellerent universum quam Benedictinam Regulam complexum tantoperè à se commendatam. Cæterum Gregorius gravissimas illico ad Imperatorem litteras dedit, disuadens confirmationẽ electionis suæ. Sed à Germano Vrbis præfecto, his interceptis, aliæ pro confirmatione eius substitutæ sunt. Vestitu dehinc alieno, in spelunca quadã delitescens, deprehensus indicio colũnę igneæ, tractusq; ad S. Petri, consecratus est: Eius, hoc statim anno, illustre factũ, quo instituta septiformi Litania, & deportata ab ipso, Admirabilis Matris Virginis imagine, placat⁹ hoc Pontificis Religione Deus, & Angelus ad molem Hadriani visus nudatũ gladium vagina recondere; quo facto, lues illa, maximo illico ex parte, cõquievit. Fuit consecratio Gregorii *Græcis* etiam ipsis, eo in honore, ut solemnem eius memoriam etiam posteri celebrarent. Gregorius imminenti dein dirissimæ fami subsidium, simul ac ordinatus est Pontifex, è Sicilia frumentum advehendum curavit. Hisque tot, ac tantis circumdatus malis, non dimisit animum, sed quasi Monastica ut olim quiete frueretur, tum (ut ipse testatur epistola ad Sanctum Leandrum nostrum,) præclarissimum illum *de Pastorali cura* commentarium elaboravit. Ecclesiis plurimis per Gotthos vastatis, ope & consilio consulit, & ipso hoc statim anno omni conatu admittitur Schis-

Schismaticos, derogantes quintæ Synodo, Ecclesiæ Romanæ adiungere. Vt nemo satis explicet, quid uni huic, solique primo Gregorii anno orbis debeat universus. Celebratum hoc eodem anno Hispalense Concilium, præsidente rursum Sancto Leandro nostro, & synodi decreta ad Pelagium, quem vivere putaverat, destinante. Obijt Beata Radegunda Regina nostra, iam ante, omnibus Episcopis, per litteras, quæ extant, commendato suo, gravi cum obtestatione, Monasterio: quod fortasse præviderat, quęnam per Gallias cęnobiis, multo post à Commendatarijs lues, & clades immineret. Vitam eius scripsere Fortunatus Episcopus, & Bandominia Monialis, eius alumna, quę extat apud Surium 13. Augusti.

*A.C. 591.* *S.P.N. 111.*

EXundant meritis Magni Gregorij nostri, singula etiam temporis momenta. In pauperes beneficentissimus, eorumdem numerum descriptum habebat; Vrbanorum pręcipue, quibus quotidie largius necessaria submittebat. Peregrinos mensę quotidie adhibuit: *in quibus, Angelorum, Dominum,* (ex Breviario Romano) *peregrini facie accepit.* Episcopis pręcipue invigilans, ne quid eorum negligentia grex Christianus offendiculi pateretur. Monachorum curam inter primas habuit, & bono eorumdem, omni quo poterat modo, consuluit. Pręclarum illud, quo inhiantium fauces provide pręclusit, illud admonens, *ne ullum, ex delictis alienis, Ecclesiæ fiscus commodum acciperet.* Sed Compendio parcimus.

In Hispania, felix nostrorum successus, & innumera Sancti Leandri nostri merita, quorum haud ignarus *Gregorius*, datis hoc anno, ad eundem, sibi longe dilectissimum, litteris, amorem suum egregie contestatus est; *Quamvis sentiam, inquit, absentem corpore, præsentem mihi te, semper intueor, quia vultus tui imaginem, intra cordis viscera impressam porto, &c.* In nostros, hoc ipso tempore liberalissimus, Rex Reccaredus, plurima passim cęnobia molitur. Vid. Ant. Iepesius tomo 1. cent. 2. & supra Baron.

Baioariorum per hac tempora conversio (ingens sane ad gloriam ordinis & merita accessio,) nostris debita. Theodonem ipsum gentis Principem, salutaribus verbis aggressus Sanctus Rupertus noster, Regio Francorum genere ortus; animum paulo post illius ita permovit, ut sacris expiatus undis, Regionem omnem exemplo suo, ad Christi fidem pelliceret. Extructo dein Iuvanij Divi Petri cęnobio Rupertus, eodemque sese cum fratribus concludens, Abbatis iisdem titulo biennium pręfuit; fundataque exin Salisburgensi celeberrimo Pontificatu, primus eundem multo & perpetuo subditorum fructu, ingentiq; suorum gloria, gubernavit. Vt denuo, ordini nostro debeant orbis, & Germania, eiusque amplissimum tunc Regnum (sic enim non multo post appellatur.) Bavaria, potentissimi initia Archipręsulatus.

*A.C. 592.* *S.P.N. 112.*

MAgnus *Gregorius*, novo & ingenti merito, Africam, mox etiam Hiberniam, in quam usque error se Schismaticus insinuaverat, demeretur, in illa Donatistis oppressis; in ista, iis qui exerraverant, ad Ecclesię sinum recollectis. Baron.

Ordinem etiam universum, immensa Sanctorum copia nobilitat; ex quibus paucissimos nominamus: Floruit in primis, grande ordinis nostri decus, Sanctus Kentigernus, Eugenii III. Scotię Regis filius, sed sceptro contempto, Regius vili cucullo Monachus, Abbas dein cęnobii illius, quod à discipulo, & successori Sancti Kentigerni, Sancti Asaphi dicitur. Kentigernus *G*lascoensium primus Pontifex, eo honore abdicato, ad Monasterii quietem se contulit, in quo dein Abbas, sexcentis sexaginta tribus Monachis pręfuit. Clarent item, Sanctus Batherius Abbas, Sanctus Cominus Abbas, Sanctus Eternanus, Sancta Æmiliana, Sanctus Deicola, Sancta Adelgundis, Sanctus Aredius, Sancta Oda, Sanctus Sigirannus, &c. omnes præcipuæ sanctitatis, exemplis, de singulis provinciis meritissimi. *Vid. Annal. Ord. Hispan.*

(o)

(o)

A.C

A. C. 593. S. P. N. 113.

HOc anno Magnus Gregorius noster, sepositis nonnihil curis, studens solitudini, quatuor Dialogorum libros composuit; quorum secundo, Sanctissimi Patris sui Benedicti gesta complexus, eiusdem memoriam, raro exemplo, orbis Pontifex, orbi universo commendavit. Transtulit in Græcum sermonem Sanctus Zacharias Primus Romanus item Pontifex, & orientalibus Ecclesiis (bono nimirum nostrorum illic agentium,) divulgavit. Sed neque feriata quidem secessio illa brevis omnino fuit; quippe negotia quamprimum gravia eius quietem turbavere: Altercandum nimirum illi cum Joanne Ravennate Episcopo fuit, qui obiurgatus, cum ægrius tulisset, illa, Gregorio digna, audire meruit: *Contra morem quippe Ecclesiasticum est, si non patientissime toleratur (quod à nobis absit,) etiam iniusta correptio, &c.* Ex queis constat, quæ Pontifici summo reverentia exhibenda. Corripiendi eodem anno Dalmatiæ Episcopi; quod se inconsulto, Pravum quendam, Salonitanæ Cathedræ suffecissent. Cætera apud Baronium videantur, tomo VII. Sanè manifestum; Gregorium nihil commodo suo, sed universi, omnia egisse, ideoque quam maximè meruisse.

A. C. 594. S. P. N. 114.

MErita rursum Gregorii nostri innumera, ut studiosè, cæterum omnia prætereamus. Verbo, ingentia innuimus verius, quam exprimimus. Contra hæreticos certamen illi hoc anno, & in Africa quidem fuit, quam Donatistæ totam pervaserant. Sed & adversum Manichæos præliandum in Sicilia fuit. Insuper Iudæi aggrediendi, quos tamen captos benevolentia, quam minis aut malis, maluit. Denique in convertendis Gentilibus Barbaricinis, qui Siciliam insederant, nec vano labore, strenuè laboravit. Ecclesiarum etiam in Urbe, ne exteris potius, quam domesticis intendere videretur, curam diligentem habuit; interque alias, Sanctæ Agathæ in Suburra restauravit, Sancti Pancratii autem, à clericis derelictam, Monachis, & Mauro Abbati tradidit. *Annal. Eccles. & script. rer. Rom.*

A. C. 595. S. P. N. 115.

PER hæc tempora clarent è nostris multi egregia vitæ sanctitate, & doctrina præstantes viri: Marinianus inprimis, sive Marian⁹ Archiep. Rav., ex Monacho Sancti Andreæ: Sanctus Maximianus Archiepiscopus de Zazagoza, sive Syracusanus, aliique cælestibus prodigiis à DEO commendati. De utroque Antonius de Yepes noster, & plura colligere licet ex Epistolis Gregorii.

Fregit hoc anno, Joannis Constantinopolitani Patriarchæ arrogantiam Gregorius Pontifex, qui sibi universalis Ecclesiæ Episcopi nomen arrogabat. Quanti autem Marinianum nostrum de quo paulo ante, faceret, eo ipso ostendit, quando Salonitanum intrusum in Dalmatia Episcopum, ad se Romam venire renuentem saltem Ravennam venire annuit, illicque Mariniani iudicio stare iussit. Nec minore in Virgilium quoque Arelatensem ex Lirinense Monacho Episcopum benevolentia usus, eidem pallio misso, vices juxta suas in Gallia commendavit, additis ad Galliarum Episcopos litteris, quibus hortabatur, ut Virgilio paterent, seque in ipso vicesgerente venerarentur. Hispanias verò, vel pro amore Leandri sui, singularius fovens, datis ad Leandrum litteris, eisdem paternè iugiter prospexit. Misit, & ad eundem hoc ipso etiam anno librum Regulæ pastoris, & partem Moralium quam in promptu habebat: ut pateat clarè universis, quantum ipse Leandro deferret, & quanti idem, ab omnibus etiam posteris, faciendus esset. *Ex Eccles. Annal. & Cit.*

A. C. 596. S. P. N. 116.

OBiit sub hæc tempora Gregorius Turonensis noster, propugnator Mysterii SS. Trinitatis invictissimus, & scriptorum Monimentis clarissimus, de quibus consule Yepesium tomo 1. cent. 2. & libros eius Colon. editos. Steng. V Vion, M. Gregorius Papa, præter innumera alia, destinat ad conver-

sionem Gentilium Anglorum, Sanctos nostros Augustinum, Mellitum, aliosque plures Monachos, de quorum Benedictina professione, infallibiliter asserta, necquidquam oppugnata, videatur in doctissimo suo tomo, Apostoletus Benedictinorum in Anglia, Reinerus, noster, & in Gregorio suo Magno, Constantinus Caietanus, Antonius Yepes, Zippe, alii plurimi.

Singularem item curam, idem Sanctissimus Pontifex hoc anno habet Monialium nostrarum; quarum tria circiter millia, in sola urbe Romana alebat, earumque precibus, tantus Pontifex, plurimum confidebat. *Harum vita,* inquit, *talis est, &c. ut credamus, quia si ipsæ non essent, nullus nostrum iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset.* Hæc Gregorius, & quod addit ipse Baronius: *salutem urbis, ex harum precibus venire professus,* ne quis, nihil, aut parum Ecclesiæ sacras Deo virgines, utpote prædicationi, & activæ vitæ impares, prodesse, stultè, an impiè affirmaret.

*A. C. 597.* *S. P. N. 117.*

CONversionis Anglicanæ, per nostros eo appulsos, hoc anno initium factum, & Augustinus de licentia Pontificis, ordinatus Anglorum Episcopus, cum sociis fermè quadraginta, operam quam potuit strenuè navavit, adeo ut hoc ipso anno, ad Natales Domini ferias baptizata sint, plus quam decem hominum millia, auctore ipso Beato Gregorio. Edilbertus quoque Rex Christo adiunctus est. De his fusè præter nostros Cæsar Baronius. Eccles. Hist. tom. VIII.

De plurimorum sub hæc statim tempora Monasteriorum per nostros, & novitios Christianos erectione, *videatur Yepes hoc anno, tomo citato.*

Siciliam maximis meritis demerentur nostri, plerisque hoc ipso tempore, & aliquot deinceps sæculis, Pontificibus, non aliunde, quam ex Monasteriis, ad cathedras, (etsi plerisque diu multumque reluctantibus,) utilissimè extractis. Ita ex Monasterio S. Luciæ, quod S. Eulalius (apud quem diversatus est Syracusis S. Fulgentius Ruspensis Episcopus) sub Regula S. P. N. condidit, post ipsum ad sedem illam non evehebantur, nisi Benedictini fuissent, ut cum eius Ecclesiæ monimentis, affirmat Hieronymus Pauli Barchinonensis, in Provinciali Ecclesiarum, & optimè liquet ex Gratiani Decreto, ubi Glossa super verbum illud: *Syracusana* apertè fatetur hanc Ecclesiam Monachorum esse, sicut & Cantuariensem, &c. cæterum de aliis Ecclesiis, & Episcopis nostris per Siciliam, fusius Maurus Marchesius, Constantinus Caiet. & diversi rer. Sicul. Script.

*A. C. 598.* *S. P. N. 118.*

HOc anno tandem urbi, & Italiæ pacem Magnus Gregorius noster ab Agilulpho Longobardorum Rege impetrat, misso in eam rem Probo Abbate, tantæ prudentiæ viro, ut ante, eum Abbatem Gregorius, quam Monachũ faceret; qui negotio illo tam feliciter functus est, ut æternum etiam, de more nostrorum, Italiam, imo Imperium Romanum, faceret sibi ac Monachis obligatissimum. *Ann. Eccl.* Hæreticorum Thessalonicæ exorientium semina, hoc ipso etiam anno, opprimit, & evellit Gregorius. Iudæorum etiam, in Siciliæ Agrigentino agro conversioni intentus, multa summo eorum commodo statuit, & suis præcipit observanda. *Baronius t.* 8.

*A. C. 599.* *S. P. N. 119.*

SAnctorum copia copiosissimus annus. Enitet inter præcipuos, Sanctus Goar, vulgo Presbyter sicut Beda noster, à presbyteratus honore, quod inter Monachos olim presbyteri pauciores essent. Cæterum Monachus Trigoriensis, Monachicæ perfectionis speculum fuit, Præter plurimos, prope Treverim ad fidem conversos, vitæ exemplo longe plures Christo lucratus est. Invidentium gloriæ eius scelere, apud Treverensium Pontificem delatus, cum evocatus se sisteret, admirando prodigio, solari radio per rimam se immittenti, cucullũ appendit, quem pro vecte aspexerat. Iactantiæ, & præstigiis magicis id Episcopus tribuit, quod ignorans fecerat Divus. Tentanda alio prodigio viri Sanctitas videbatur; neq; impune: quippe illato in medium trium dierum infante expositio quodam; tũ

forte

fortè reperto, coactus Goar, cuius is esset enunciare, multum reluctans, tandem paruit, & infanti, ut rem ediceret, imperavit. Infans protensa manu, Episcopum designans, illum patrem esse suum, Flaviam verò matrem appellar i verbis disertissimis pronunciavit. Delatum dein Treverensem Pontificatum, multo maiore respuit gloria, quamsi acceptasset; eo ipso tanto magis commendandus, quod flexo precibus, in voluntatem eandem Numine, cum morbo diuturno septem annis conflictatus neglecti honoris, & reiecti oneris, culpam tamen ipse nullam ferret, quod per ægritudinem, à Deo impetratam, Episcopatus laboribus impar esset. Cætera eius vitæ, & actuum legantur apud *Laur. Surium t.4.* Agunt de eodem *Molanus, Maurolycus, Vinc. in Spec. Miræus, &c.*

Florent insuper: Sanctus Similianus (Claudio Roberto, Samilianus, vel Samelianus) ex Abbate Cauracense, Episcopus Nannetensis; Sanctus Eutropius ex Monacho, & Abbate Sirbitano, Episcopus Valentinus de quo Franciscus Tarapha, Ambr. Moral. Trithem. VVion. &c. plures item Sancti, quorum gesta, hoc anno enumerat Yepesius *Ann. tom.1. cent.2.*

Gregorii tamen Magni, super omnium omnia, & rursum hoc anno nova merita, ut quamvis iam undecim mensibus, perpetuis ægritudinibus affligeretur, nihil tamen prorsus Ecclesiasticorum negociorum remitteret. *Immo quod magis mireris,* verba Baronii sunt, *nullus est annus, in quo scriptæ ab eo plures reperiantur epistolæ, & negotia maiora pertractata, ut quem decumbentem in lecto vidisti, eundem epistolis suis, veluti alitem pennis ferri, orbemque Christianum lustrantem, verbis instituere, ac disciplina corrigere sentias, &c.* Laborat autem inprimis, in conversione Schismaticorum, in partibus Istriæ; ut eam etiam Regionem, Monachis debere fatearis. Cætera vide apud *Baron. tom.8.*

*A.C.600.* *S.P.N.120.*

SUb hæc tempora fulgentissimum illud Hispaniarum sydus, Sanctissimus Fulgentius ex Monacho nostro, primum Astigitanus, dein Carthaginensis Episcopus occubuit; *qui quantum in Pontificatu utroque fructus fecerit* (verba sunt Lucii Marinæi) *plures testantur, Cæterum, cum Ariana Hæresis Christianos à DEI cultu conaretur abducere convocato multorum Episcoporum, & Hispanorum Principum Concilio apud Toletum, Fulgentius concionibus suis, & miris operibus, Arianos omnes fortiter oppressit, & Christianos, qui à fide Christi nonnihil erant alienati, summa prudentia, & exemplis, ad pristinum DEI cultum reduxit. Fuit autem, vir eruditissimus, quippe, qui linguam Hebræam, Græcam, Latinam, & Arabicam callebat. Demum cum annum ageret sextum, & sexagesimum convocato Leandro fratre Hispalensi Episcopo, & Laureano amicissimo Episcopo Gaditano, quem non secus ac fratrem diligebat, summa cum gloria, Calendis Ianuariis è vita migravit, cuius funus, à plurimis Episcopis, & à Recaredo Rege honorificentissimè celebratum est, &c.* Scripsit, teste Mariana, librum de fide Incarnationis, aliisque nonnullis quæstionibus, & fratri suo Leandro, in conversione Reccaredi Regis egregiè collaboravit.

Claruit, an obiit, eodem fere tempore, soror eiusdem Fulgentij Sanctissima Florentia, vitæ sanctioris exemplo, longe meritissima. Ordinis nostri Patres Hispani, ex Breviario Toletano in Divinis officiis ita legunt; *Florentia, sive ut alii eam vocant, Florentina, Fulgentii, Leandri, & Isidori Episcoporum soror; cum à teneris annis, Virginitatem DEO vovisset, Monasterium tandem Monialium Ordinis Divi Benedicti ingressa est, quod olim, ad Singilis fluminis ripam in agro Astigitano, trecentis, & eo amplius Christi Virginibus, ibidem congregatis, amplissimum fuit, in quo tanta vitæ, & morum sanctimonia Florentina Virgo præfulsit, ut non tantum huius, sed etiam aliorum plurium* (quadraginta numerat Mariana) *eiusdem Instituti Monasteriorum regimini præfecta fuerit: in quibus innumeræ Virgines* (& quantum mereri poterat *tantus numerus*, si de longè minori tantum præsumpsit, ut supra vidimus, Magnus Ecclesiæ Doctor Gregorius) *mira vitæ austeritate, & puritate Domino serviebant. Denique cum ultra septuagesimum ætatis annum vitam, quam Angelicam semper duxerat, produxisset, ad cælum cum sponso Christo in perpetuum regnatura evolavit 12. Cal. Iulii, &c.* Neque Sanctitatis solum, Germani isti, sed præ hoc contemptus opum, & hæreditatis amplissimæ (erant quippe Seve-

riano Duce nati, cuius pater fuerat Theodoricus Ostrogotthorum, & Italiæ Rex) exemplo, ordinem egregiè commendarunt; ostenderuntque manifesto, quanto potius esset cucullo latere, quam auro gemmisque ac lato imperio explendescere. *Videatur Caietanus in vita Sancti Isidori, Luc. Marinæus, Ioan. Mariana, Ioan. Vasæus Chron. Hisp. an. 567. & alii.*

Claruerunt inter innumeros, nostri Ordinis Sanctos, præcipuè hoc anno, Sanctus VVolfius, & Sancta Ermelinda; uterque prodigiosè gestis, universo facem eximię lucis præferentes de quibus consulatur Yepes noster *tomo 1. cent. 2. hoc anno.* De VVolfii admirando vitæ rigore ipsiusmet verbis, ita Gregorius noster Turonensis, ante illum cælo assertus; Columnam etiam statui, in qua cum grandi cruciatu, sine ullo pedum stabam tegmine itaque cum hyemis tempus solito advenisset, ita rigore glaciali urebar, ut ungues pedum meorum sæpius vis frigoris excuteret, & in barbis meis, aqua gelu connexa candelarum more penderet, &c. Vt videas nostris, nec Stylitarum quidem exempla defuisse.

*A. C. 601.* *S. P. N. 121.*

BEne mereri de Ecclesia Vniversa, suo iam more studuit Magnus Gregorius noster, & præcipuè hoc anno de Gallia, quam Symoniaca purgare labe omni industria conatus est, datis ad Brunichildem Reginam malorum omnium fontem, non semel litteris. Ipsumque non minore nostrorum laude, facit præsens, adulari nescius Reges ipsos, noster Columbanus (de cuius vera Benedictina origine, contra nonnullorum. & Tomici inprimis, opinionem multis, tomo primo Constantiæ Benedictinæ, agemus) quod absens Gregorius evincere litteris satagebat. In Anglia, nostri, universi Regni immortali bono, strenuè desudant; quibus, ipso hoc anno, pro insigni ex tantis laboribus fructu, gratulatur Gregorius; Regem item & Reginam amicissimis litteris compellat, & ad maiora exhortatur; partitur item, & designat per Angliam Episcopatus.

Sed quem de universo meritum, etiam de nostris omnibus meritissimum audiamus: *Cum autem adeo* (verba Baronii ponimus, nequid nostris videamur affingere,) *Gregorius laboraret corporis morbis, nihil tamen reperitur remisisse curæ pastoralis, prospiciens cunctis, in omnibus vigilans, & laborans. Hoc namque anno collegit synodum Episcoporum, in qua ante vitæ exitum, quem proximè imminere, ob ingem corporis malam valetudinem, sentiebat, voluit consulere Monachorum quieti, & indemnitati, probè sciens, ipse iam antea Monachus id expertus, quantas interdum solerent ab Episcopis Monachi molestias pati. Sic igitur collectis Episcopis viginti, Presbyteris pariter atque Diaconis Cardinalibus, Nonis Aprilis, pro Monachis edidit decretum, quod appellari consueverat Constitutum.*

*Gregorius Episcopus omnibus Episcopis.*

Quam sit necessarium Monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, ante actum nos officium, quod in regimine Cænobii exhibuimus, informat. Et quia in plurimis Monasteriis, multa à præsulibus præiudicia, atque gravamina Monachos pertulisse cognoscimus: oportet, ut vestra paternitatis provisio de futura quiete eorum, salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis, in Dei servitio, gratia ipsius suffragante libere perseverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine quisquam Monachis quicquam molestiæ præsumat inferre, necesse est, ut hæc quę inferius enumerare curavimus, ita studio fraternitatis Episcopi debeant custodire, ut ex eis non possit ulterius inquietudinis occasio reperiri.

Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & ex auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, cuius vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, prohibemus, ut nullus Episcoporum, aut sæcularium, ultra pręsumat, de reditibus, rebus, vel chartis Monasteriorum, vel de cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo, vel qualibet occasione, minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Si qua causa forte inter terram venientem ad partem suarum Ecclesiarum, & Monasteriorum evenerit, & pacifice non potuit ordinari: apud electos Abbates, & alios plures timentes Dominũ, sive voluntaria delatione, mediis Sacrosanctis Evangeliis finiatur.

De-

Defuncto autem Abbate cuiuscunque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate, concors fratrum societas elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo, vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si ipsi inter se personam invenire nequeant, solerter sibi curent de aliis Monasteriis similiter ordinandum Neque constituto Abbate, quæcunque persona, qualibet occasione preponatur, nisi fortè extantibus, quod absit, criminibus, quæ Sacri Canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, ut invito Abbate, ad ordinanda alia Monasteria, aut Sacros Ordines, vel Clericatus officium tolli exinde Monachi non debeant. Descriptiones quoque rerum, & chartarum Monasterii, ab Episcopo Ecclesiasticas fieri omnino vetamus: sed si quando res exigit, Abbas loci cum aliis fratribus, causas rerum inventarum faciat, & eorum consilio, & judicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Episcopus in describendis providendisque rebus Monasterij acquisitis, vel datis perquirendis, nullatenus se permisceat. Missas quoque publicas ab eo in Cænobio fieri omnino prohibemus, ne in servorum DEI recessibus, & eorum receptaculis, ulla popularis prębeatur occasio conventus, vel mulierum fiat novus introitus; quod omnino nec expedit animabus eorum. Neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantumlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate. Nullumque Monachum sine testimonio, vel concessione Abbatis, in aliqua Ecclesia teneat, vel ad aliquem promoveat honorem.

Hanc ergo, scriptorum nostrorum paginam, omni futuro tempore ab omnibus Episcopis, firmam statuimus illibatamque servari, ut & suæ Ecclesiæ iuvante Domino tantummodo iure contenti, & Monasteria Ecclesiasticis conditionibus, seu angariis, vel quibuslibet obsequiis sæcularibus nullo modo subjaceant, nullis canonicis iuribus deserviant, sed remotis vexationibus, in cunctis gravaminibus Divinum opus cum summa animi devotione perficiāt. Hactenus Gregorii Constitutum.

Vniversi Episcopi respondere; libertati Monachorum congaudemus, & quæ nunc de his statuit Beatitudo vestra firmamus. Sequuntur ista omnia subscriptiones, & primo loco eiusdem Pontificis hoc modo.

*Gregorius Episcopus Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ huic constituto à nobis promulgato subscripsi.*

*Agnellus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Ferentinensis, huic Constituto à vobis promulgato subscripsi.*

*Humilis Episcopus Belitrensis, huic Constituto à vobis promulgato subscripsi, & sic alii omnes Episcopi &c.*

Hæc in Magni Gregorii nostri, apud suos commendationem, quorum rebus non tam providit, quam quę consequuta dehinc, pridem prævidit; struentibus omni sęculorum decursu, Monasteriorum opibus, privilegiis, Abbatibus, insidias varias varijs, sed ope Divina, & Sanctorum, Gregorii inprimis, tanti Ecclesię Doctoris, ac Summi Pontificis; nec non aliorum item Sanctissimorum Orbis Pontificum, sua Decreta, Constituta, & jura, sua suosque defendentibus; nostris denique triumphantibus, gravi, & æterno plerumque eorum qui invaserant, aut ambierant, corporum, honoris, animorumque dispendio; quod in nostra Germania, & Vniversis tomis, evidenter docebimus.

Et quidem, uti in genere Cænobijs per universum universis, ad posteritatem sęculorum omnium consultum Constituto hoc voluit, sic & in specie diversis partim Cęnobiis virorum ac mulierum ope, opibus, atque immunitate liberalissimè providit, dignè nimirum ea sua ad Bonitum Abbatem Casinensem seria contestatione *pro amore* nimirum, *quem in communem Patrem, & Magistrum nostrum Benedictum, & in discipulos eius specialem, & singularem gerimus, &c*, ut suis nimirum eodem Patre fratribus, viscera sua, revera consecraret. Ex Epistola ad S. Bonitum quintum Casinensium Abbatem *conf. Const. Caiet. Matth. VVeis. alii plures.*

*A. C. 602.* *S. P. N. 122.*

STudiis & laboribus irrequietis Gregorii nostri, debet rursum Ecclesia universa, diversissimis Regnis, & provinciis submittentes se, & devoventes ingenti numero Hæreticos, & Schismaticos. De quorum reversione seu conversione, exquirendus hoc anno Baronius. Rebus inprimis Africanis intentissimus, eo, operæ ac cogitationum hoc anno ferè plurimum contulit; Bizacense, inter alia, Concilium, sed & aliud in Numidia convocavit. Restituendis denique Sancti Pauli, & Sancti Petri in Vrbe, Basilicis animum ac sumptus impendit.

Clarent rara Sanctitate è nostris: Sanctus Paterius Brixiensis Episcopus, è Monacho Sancti Andreæ Romæ, dignus Magno Magistro Gregorio discipulus de quo videndi Baronius, Prosper Martinengus, Arnoldus Wionius, &c. Sanctus Sindulphus Monachus Presbyter, Sancti Basoli Abbatis discipulus, de quo Trithemius *lib. de vir. Ill. Ord. 3. cap. 46. Baronius in notis Martyrologii Roman. VVion, &c.* Felicitatem etiam potiorem in cucullo, quam Regnis quærunt, Beatus Drostanus Aidani Scotiæ Regis avunculus, Regio, & ipse genere ortus, qui obediendo utilior Regno, quam imperando, Sanctitatis exemplo multos ad bonam frugem reduxit, quos pompis delusos mundus secum præcipitasset. Et Sopatra Mauritii Imperatoris filia, florente etiamnum in Imperio patre, imminenti vel ideo cladi subducta, quod indemnitatem egregio, & generoso fastus Imperatorii cōtemptu mereretur. Effulsit miranda, & ipsa Sanctitate, æternum Augusti Sanguinis exemplar, & ornamentum. *Videndi Leslæus lib. 4. de Drostano, & VVionius fol. 497. & 99.*

*A. C. 603.* *S. P. N. 123.*

EFfulget prodigiosissimus ille mirandorum patrator Sanctissimus Abbas Venerius, qui hoc ipso tempore, de Insula Palmaria immortaliter meruit; omnibus illius Cœnobiis egregie restitutis, & ad certam vitæ rationem adductis. De mortuis ab eo suscitatis, & aliis insolentibus sane prodigiis, quibus Ecclesiæ Sanctitati dignissimus ipse testis accessit, fusius alii, & legendi Antonius de Yepes tomo 1. cent. 2. hoc anno, Petrus de Natalibus, Philippus Ferrar. Petrus Æquilinus, alii &c. Corpus mortui, raro etiam miraculo, Angelicis manibus, quod humanis id obsequii non conveniret, sepultum est, in Cœnobio Divi Prosperi. Cit.

Brunichildis Regina, quantumvis scelerata, & sacrilega, atque à nostris, pro sceleribus nefandis acrius correpta, in se corripientes multa machinaretur, & gravia, de Ordine tamen universo quid sentiret, quidve ab eodem, saltem à morte, animo suo solatii seu remedii speraret, incredibili liberalitate in nostros jugiter testata est, quando tot, ac tanta, sacra construxit ædificia, ut incredibile videatur, teste Aimoino ab una fæmina, regnante duntaxat in Austrasia atque Burgundia, erigi potuisse. Hist. Franc.

Migrat hoc eodem anno, ex mortalibus, ad immortalia, & felicia illa Regna, Magnus Leander noster, Hispalensium Archipontifex, Hispaniarum Apostolus: *vir*, ut ait Isidorus, *Suavis eloquio, ingenio præstantissimus, ut etiam fide eius atque industria populi Gentis Gotthorum ab Ariana insania, ad fidem Catholicam reverterentur. Vid. Yepes, & Isidorus libro de viris Illustr. c. 28.*

*A. C. 604.* *S. P. N. 124.*

VT illustrissimus meritis Magni Gregorii hic annus est, sic morte eiusdem longè tristissimus de quibus Baronius consulendus. Eum Alfredus Rex Angliæ, *immensum Thesaurum* appellat, *quia generis humani maximam partem cælo lucrifecerit.* Isidorus, viventem hoc encomio ornat: *Organum Spiritus Sancti, per cuius gratiam, tantum scientiæ lumine præditus evaserit, ut non præsentium modo temporum, quisquam Doctorum, sed nec in præteritis quidem ipsi par fuerit unquam, &c.* lib. de Viris Illustr. Eccles. Script. cap. 27. Sanctus item Ildephonsus noster: *Ita cunctorum meritorum*, ait, *claruisse perfectione sublimem, ut exclusis omnium virorum illustrium comparationibus, nihil ipsi simile demonstret antiquitas; vicisse enim Sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum, &c.*

Eius

Eius merita, quantumvis suspiciat, & deprædicet orbis universus, nulla tamen sæculorum posteritas commendando exhauriet sive æquiparabit. Præter Anglos, ab Idolorum veneratione, dæmonum servitute, vindicatos; *Ligures, Venetos, Hiberos*, aliosque à schismate sub libello confessos, Chalcedonensem synodum venerari compulsos, ad unitatem Sanctæ Ecclesiæ revocavit; insuper *Barbaricinos, Sardos, & Campaniæ rusticos* à paganizandi ritu removit. Sed & *Donatistarum Hæresim in Africa, Manichæorum in Sicilia, Arianorum in Hispania, Agnoitarum Alexandriæ*, scriptorum suorum validissimis rationibus, auctoritate, importunisque legationibus, compressit. *In Galliis quoque Neophytorum Hæresim* Symoniacis muneribus pullulascentem, sustulit, nulli non, cognito tunc fere regno aut provinciæ, benefecit, sanè facere studuit. Debet Gregorio nostro Ecclesia universa, & omnis posterorum ætas: *Ordinationem Breviarii Romani*, & alia inter, solemnem illum usum versus: *Deus in adiutorium meum intende, &c.* initio omnium Horarum Canonicarum, à Sanctissimo Patre suo nostroq; Benedicto, primum in Cænobiis nostris institutum, iussu dein Gregorii in universam Ecclesiam introductum. Debet Ecclesia: *Antiphonarium* ab ipso de novo compositum. Debet: *Officia Festorum plurium*, totum præcipue *Circumcisionis Domini*, & omnium ferè Sanctorum Romanorum Pontificum, ut Sancti Marcelli, Felicis, &c. *Omne vero officium Ecclesiasticum* stylo elegantiore, & compendiosiore renovando idem composuit. Videantur Fasciculus temporum, Polyd. Virgil. de inuent. rer. Panvinus, Platina, Ioan. Belet. Iacobus Pamelius, Rat. Divin. Microl. Wion, &c.

Debet Ecclesia Vniversa Instituenti Gregorio:

Missæ sacrificium ita auctum, & pulchrè compositum, ut sensu quorundam minimè malo eiusdem quasi Auctor habeatur. Instituit autem de novo:

Introitum, loco psalmorum olim initio Missæ in Ecclesia decantatorum.

Gloria Patri, & filio, &c. post Introitum.

Kyrieeleison novies repetitum, nomine nimirum novem Angelicorum ordinum, quorum cultum, imitatione Sanctissimi Patris sui Benedicti mirificè propagavit, & de cælo terrisq; insigniter meruit.

Alleluia, ex usu Hierosolymitanæ Ecclesiæ, ipse in universam introduxit, extra tempus Septuagesimæ.

Tractum, omisso Alleluia, à Septuagesima nimirum usque ad Pascha.

Collectas, sive orationes, Secretas item, & quæ post Communionem recitantur, ipse composuit.

Offertorium post Evangelium cantari instituit.

Præfationes alias auxit, alias sustulit.

SS. Missæ Canonem his verbis auxit: Diesque nostros in tua pace disponas: atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.

Orationem Dominicam cum humili illa præfatione dici voluit. Præceptis salutaribus moniti, & Divina institutione, &c.

Antiphonam illam quæ dicitur Postcommunio ipse composuit, & cantari præcepit.

Denique supra Sanctorum Martyrum corpora celebrari voluit, & ab hora tertia ad Nonam, quia illa Iesus Christus linguis Iudæorum crucifixus; hac vero Spiritum Patri reddidit. Consulendi de his Amalarius Fortunatus noster, Berno, Abbas de offic. Miss. Micrologus, Radulphus, Rhabanus, Platina, Rat. Div. Panvinus, Durandus, Yepes, Wion, &c.

Sed quanto plura commemoramus, tanto se amplior, & profundior nobis aperit *meritorum Gregorii verè Magni Oceanus*. Paucissima numeremus.

Debentur instituenti primum Gregorio nostro:

Dignissimus ille summo culmine, humillimus iuxta titulus: *Servus servorum DEI*, quo in hodiernam usque diem Pontificia Maiestas utitur, eoque designatur.

*Institutio Ieiunii adventus*, ante Natalem Domini, quod ille sacrum tempus, *Feriale*, sic appellant, & Dominicale, officio à se composito exornavit, & in hanc usque diem Ecclesia Romana celebrare perrexit.

*Institutio festi commemorationis Sancti Pauli Apostoli, cuius officium ut & SS. Apostolorum Petri, & Pauli, atque Sanct. Andreæ* ipse composuit, & eo præcipuè de Sanctissimo Petro aliisque imo Roma ipsa, Romano Pontifice atque orbe universo insigniter meruit.

*Institutio festi Dedicationis Ecclesiæ*, qua Gregorius noster, ita de universo meruit, ut neque Ecclesia uspiam ulla esset, neque Tutelaris alicubi Divus coleretur, cuius ipse honori non consuluerit, & juxta, commoda inde nascentia peregregiè promoverit.

*Institutio feriæ IV. Cinerum*, in capite jeiunii qua mortalibus omnibus longè utilissimus, peccato omni, remedium certissimum, & efficacissimum, mortis memoriam obligavit.

*Institutio lotionis pedum*, die Jovis sacro, mos longè sanctissimus, & cum Pontificis Romani, aliorumque præsulum maiestate visendus.

*Institutio adorationis Sanctæ Crucis in die Parasceves*: quo ritu quantum Ecclesiæ DEI adjumenti accreverit, quantum bonis devotionis, malis verò, præcipuè Iudæis, confusionis, judicent, contra inimicos Crucis Christi, vivifici signi amatores.

*Institutio Cantus firmi, Romani, seu Gregoriani*: qui ipsi debetur repertus, & institutus; aliis vero nostris, maximæ item sanctitatis Monachis, posteris sæculis auctus, exornatus, propagatus.

*Institutio Litaniarum, Rogationum, & Processionum*: de quarum utilitate, & Gregorii inde meritis, ij solum ignorant, qui Historiarum ignari prorsus, ea nesciunt, quæ longè prodigiosissima, ope harum nostris successisse, est compertissimum.

*Institutio stationum, sive indulgentiarum*, ut vocant, iis, qui certis, & assignatis temporibus seu diebus, ad diversas urbis Ecclesias convenirent, collatarum, de quarum utilitate, adeoque Gregorii nostri meritis quid iudicent, opinio, & sententiæ eorum expendantur, qui tanto sæculorum decursu, tot mortalium, sine numero, millia, ex universo terrarum orbe, Romam confluxere. Quas vero instituit, præcipuæ sunt:

*Stationes Vrbis seu Indulgentiæ à Gregorio institutæ:*

Ferijs Quarta, sexta, & Sabbatho quatuor temporum.
Vigilia, & festo ipso Sacratissimæ Nativitatis Christi.
Diebus Sanctorum Stephani Protomartyris, Ioannis Evangelistæ & SS. Innocentum.
Diebus Circumcisionis, & Epiphaniæ Domini.
Dominicis in septuagesima, sexagesima, & quinquagesima.
A Feria IV. Cinerum, usque ad Dominicam in Albis inclusive.
In Litaniis Maioribus die Sancti Marci Evang.
In festo Ascensionis Domini.
Vigilia Pentecostes usque ad Dominicam SS. Trinitatis exclusive.
In festivitatibus Sanctæ Crucis.
In Anniversaria Dedicatione Ecclesiarum S. Salvatoris, & SS. Petri, & Pauli, &c.

Videantur, & de supra dictis consulantur: *Ioan. Diac. Guil. Dur. Rhaban. Amalar. Fortunatus, Berno Abbas. Microl. Polyd. Virgil. Rupertus Abb. Ioan. Beleth. Radulphus.*

*Panvi-*

*Panvinus, Platina, VVion, Yepes, Alphon. Villegas, VValafridus, Sigebertus, Alcuinus, &c. & ante omnes Gregorii ipsius opera Coloniæ edita, & alii plurimi.*

Debet Gregorio nostro Terrarum Orbis Vniversus
Pacem universalem,

Quam nimirum, ea ad Canonem additione meruit, *& pacem tuam nostris concede temporibus, &c.* de qua iam nos superius, & legendus etiam Wionius noster.

Debet particulariter Imperium Romanum, & Italia
Pacem Particularem,

Compositam inter Imperatorem Roman. & Agilulphum Longobardorum Regem, quem & ipsum ad preces Theodolindæ eius coniugis ex Ariano Orthodoxum fecit, Longobardosque (pro quanto merito!) Ecclesiæ adunavit. Aceptos etiam referant necesse est Titulos suos S. R. E. Cardinales.

Debent Gregorio S. R. E. Cardinales Titulos suos
- Sanctæ Balbinæ in monte Aventino.
- SS. Marci & Achillei.
- Sancti Xysti.
- Sanctorum Marcellini, & Petri.
- Sanctæ Crucis in Ierusalem.
- Sancti Stephani in Monte Cælio.
- Sanctorum quatuor Coronatorum.

Quorum nimirum Eminentissimorum Ecclesiæ Principum, meritis Magni Gregorii sui, Ordo noster iure perpetuo, patrocinium interpellat. Eius Magni Doctoris, opere omnia, quæ extant, excusa sæpius, bono universi maximo, Lugduni, Parisiis, Romæ, Venetiis, Coloniæ, &c. quæ quia cæteroqui longiores fuimus, consulto præterimus, & ad illa lectorem, immo ad solum Breviarium Romanum remittimus, in quo præcipuis ferè festis, Ecclesia universa, Gregorii verbis, suum de celebritate dierum solemnium, plausum, & sensum attestatur. *Videndi latius Yepesius noster, VVion, aliique supracitati.* Sed in ordine annorum, & nostro instituto pergamus.

*A.C. 605.* *S.P.N. 125.*

QVanta Gregorii nostri de se merita fuerint, hoc primum anno, altero ab eius obitu, experti Italię, & Romanæ inprimis Vrbis incolę, & inquilini; quippe urgentibus calamitatibus, & gravi ante omnia fame, cum Sabinianus Papa, liberalitati, & pię Antecessoris consuetudini, Oeconomiæ, an qualicunque alio studio derogaret, *redivivum* voto suo *Gregorium* omnes optavere. Neque desiit hoc primum anno, etiam mortuus Gregorius, benè mereri: Sed monitum bis terque ac quater, acriusque pro tenacitate correptum Sabinianum, baculo denique detersum, ita terruit, ut paulo post emoreretur.

Obiit hoc eodem anno, & in Anniversaria quidem eiusdem Sancti sui Patris ac Magistri Gregorii, memoria, Sanctus Petrus, vulgo Diaconus, ex Monacho Sancti Andreæ Romæ, S. R. E. Cardinalis ab ipso Gregorio creatus, qui Collegii Apostolici eminentissimam dignitatem, Sanctitatis præcipuo ornamẽto, plurimum illustravit quemque ab eo tempore nostrorum plurimi, in sublimi Cardinei honoris eminentia subsequuti, præter locatam insigni cum fructu, Ecclesiæ operam indefessam, innumeris prodigiosæ Sanctitatis exemplis, eum ordinem, non tam ornavere, quam consecravere ideoque se dignissimè ornantem, ipsi ad cęlum usque extulere.

Clarent è nostris innumeri, diversissimis toto orbe provinciis, doctrina, sanctitate, & prodigiorum immensa multitudine. De Gregorio supra, consulendi *Sigebertus noster, Baronius, & citati de sequentibus legendi Annales Ord. Yepesij.*

*A.C. 606.* *S.P.N. 126.*

IN Belgicis partibus, nostrorum dignissimi labore successus, & Vincentius denique ipse, potentissimus Hannoniæ Comes, postquam nostris liberalissime benefecisset, immo plurimos nostrorum ex Hibernia adducendo (inter eos pręcipui, Sancti Foillanus, Vltanus, Furseus, Etto, Eloquius Adalgisus, quorũ memorandissima memorare vix nomẽclatura isthac per Breviarii limi-

limites licet) de universo Belgio immortaliter meruisset, hortatu Sancti Auberti nostri Cameracensium Episcopi, extructo ad Sabim Altimontensi Monasterio, Deo, S. P. N. Benedicto, nostris denique seipsum devovit, & Sanctorum Belgii numerum auxit. Eundem pari quamprimum animo consequuta, Sancta V Valdetrudis, coniux illustrissima, excitato suis sumptibus Castrilocensi cænobio, se mancipavit, & sacrum velamen à Sancto Auberto accepit. Confluente exin, tantæ Principis exemplo, ingenti Virginum multitudine, integram paulo post Heroinarum militiam Deo adduxit, & singularem illum, sponsum Christum sequentium Virginum, Hymnum, Iubilum, & plausum egregiè iuvit, & accendit. Neque abs re videtur, hic saltem meminisse, dum numerare non licet, computato illo, de quo superius, Beatæ Florentinæ, Beatæ Virg. Radegundis Reginæ, Virginum Romanarum Deo sacrarum, à Magno Gregorio commendatarum, nec non Galliarum, Scotiæ Hiberniæ, Angliæ, Hispaniæ, &c. Monialium numero, facile è diversarum gestis evinci: *perfectarum*, adeoque *Sanctarum* numerum, ad hunc, ab obitu S. P. N. Benedicti, annum, *centum millium* parcius, quam amplius definiri. Vt vel uno, immo multo tot millium Virginum exemplo viri, & Heroes ipsi, omnium ætatum, discant, supra omnem Oratorum facundiam hoc argumento edocti, posse se etiam, *de mundo carne, diabolo* triumphare, quando infirmior multo sexus, & tenerrimæ puellæ, summo cum Ecclesiæ ornamēto ac fructu, potuere. De SS. Vincentio, & VValdetrude ex vita eorundem. Vid. etiam Miræus, Balderic. Chron. Cametac. VVion. & nos fusius alibi.

Immortale Ordinis, & Magni Isidori nostri, de Vniverso, & Hispaniarum inprimis, Regnis meritum; Mahometis impiissimi Pseudoprophetæ fraudibus primum proditis ac convictis, ipso etiam ex Hispaniis pulso, iisque quos abstraxerat, seu abstrahere cœperat, ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ recollectis. Ex M. Maximo, & Francisco de Vivar. necnon fascic. temporum, &c.

*A. C. 607.* *S. P. N. 128.*

ILlustrissimus hic annus Pontificatu Romano Sancti Bonifacii IV. is Ioannis Medici filius, Valeriensis, Marsus, ex Monacho Sancti Sebastiani in Vrbe, Congregationis primæ Benedictinæ, ad honorum omnium summum apicem conscendere, eximia vitæ sanctitate, & prudentiæ laude meruit, renunciatus 5. Idus Iunii indict. 9. idem statim à consecratione, Magnum Gregorium imitatus, ædes proprias, in quibus educatus, an Cardinalis habitaverat, in cænobium convertit, & innumero nostrorum numero, nisi aliquem saltem superadderet, satis non habuit. Meritus sub initia statim Pontificatus, non de Vrbe solum, Italia, atque terrarum orbe universo sed cælo etiam ipso, ipsiusque magna Imperatrice Virginum Virgine; cuius honori, nobilissimum illud delubrum, & vetustissimum Romanę magnificentiæ, sed & miseræ juxta servitutis, monimentum, Pantheon, ab antiquæ sordibus Idololatriæ expurgatum, dedicavit & nuncupavit, dignissimo sane titulo, DEOS seu Dæmones omnes, ipsa triumphante, isto Triumphatricem honorante. Illatis proin Sanctorum Martyrum exuviis, Sancta Maria ad Martyres, & paulo post à templi forma, Sancta Maria Rotunda appellatur. Baron. aliiq;.

*A. C. 608.* *S. P. N. 128.*

INter alia ordinis nostri sydera, egregium, ex Hispano climate, sydus, universum illuminat, Sanctus Helladius noster Toletanus Pontifex, ex Monacho Agaliensi eiusdemque cænobij Abbate secundo, qui illustribus conversionis suæ initiis, vir in Regia spectatissimus, quid de instituto nostro sentiret, quantique Monachos faceret, manifeste ostendit. Dignum, ut ex Ildephonso nostro audiamus: *Helladius Episcopus post Aurasium, sedis eius adeptus est locum. Hic, cum Regiæ aulæ Illustrissimus, publicarumque Rector existeret rerum, sub sæculari habitu, votum Monachi explebat, & opus. Nam ad Monasterium meum illud Agaliense, cuius me susceptio Monachum tenuit; quod munere DEI, perennisque ac patentis Sanctitatis*, (intellige, quid uni huic cænobio nostro debeat

beat Hispania, imo Ecclesia universa,) *decore & opinabile est cunctis, & palam est totus, cum sæpe discursantium negotiorum ductus itinere perveniret, remota clientum sæcularisque pompa decoris, adeo Monachorum peculiaritatibus inhærebat, ut turmis junctus eorum, stipularum fasciculos ad Clibanum deportaret. Cumque inter decorem, insolentiamque sæculi, solitudinis, & amaret, & sectaretur arcana, celeri fuga, relictis omnibus, quæ esse noverat mundi, adiit Sanctum Monasterium, quod frequentaverat voto, venit permansurus optati voti usu. Ibi factus Monachus, pariter meritis, & studiis sanctis vitam Monachorum debite rexit, & statum Monasterii totius, rei communis divitiis cumulavit. Ex hoc, fessis pene senio artubus, cum ad Pontificatus, apicem evocaretur: & quia vocaretur, victus pariter, & invitus, illic maiorum virtutum exempla, quam Monachus, dedit: quia statum Mundi,* (notanda sane periodus,) *quem contempsit virtute, magna perhibetur rexisse discretione, &c. Beatus habitus fuit, & post, beatam gloriam cælestis Regni bona plenus senectute, promeruit.* Videatur etiam Baron. in not. Martyrol. Roman. Ambrosius de Morales, Vasæus, Rodericus Tolet. Alphonsus de Villegas, &c.

*A.C. 609. S.P.N. 129.*

OBijt felicissime Magnus ille *Anglorum Apostolus Sanctus Augustinus, primus Cantuariensium Archiepiscopus*, de Regnis illis præcipue meritus, in quibus præter plures celebratas Synodos; vicinos etiam ad societatem fidei pellexit, & plurima tanto præsule dignissima instituit, ratis à DEO, & vivens, & mortuus prodigiis honoratus. Eius hoc Epitaphium Baronius protulit, ex Beda:

*Hic requiescit Dominus Augustinus, Dorovernensis Archiepiscopus primus, qui olim huc à Beato Gregorio, Romanæ Urbis Pontifice. Directus, & à DEO miraculorum operatione suffultus, & Edilbertum Regem, & gentem illius ab Idolorum cultu ad fidem Christi perduxit, & completis in pace diebus officii sui defunctus est VII. Kal. Iunii eodem Rege regnante.*

*Successit autem,* pergit Beda, *Augustino in Episcopatu Laurentius,* &c. *qui Archiepiscopatus honore potitus, strenuissimè fundamenta Ecclesiæ, quæ nobiliter iacta vidit, augmentare atque ad perfectum debiti culminis, & crebra voce sanctæ exhortationis, & continuis piæ operationis exemplis provehere curavit. Denique* (ut, quam ample meruerit oriens iste, in occasu Sancti Augustini, Angliæ Sol, probius intelligas) *non solum novæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ, curam habebat, sed & veterum Britanniæ incolarum, necnon & Scotorum, qui Hiberniam Insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere sollicitudinem curabat, &c.* Fusius, qui ab exemplo maxime rem probatam velit, de his Beda Venerabilis, & Baronius ad annum Christi DCIV.

*A.C. 610. S. P. N. 130.*

DEdicata hoc ipso anno, mirando sane prodigio, Ecclesia Sancti Petri Cænobii Londoniensis, ab ipso Principe Apostolorum Petro, in ingenti Cælitum cælo descendentium frequentia, quam Romani Pontifices deinceps Dedicationem, plurimis miraculis confirmatam, ratam habuere. Eo egregio certe, præcipui in nostros amoris argumento testatus est primus, & princeps Christi, & à Christo Vicarius, quantum nostris, etiam tunc referret pro laboribus gratię, & ab iisdem porro quid deinceps speraret, seu expectaret. Videatur hoc ipso anno Baronius tomo octavo.

Meruit, hoc etiam anno, ęternum, si agnoscerent, apud Anglos amorem, Sanctus Bonifacius noster, id nominis Papa IV. qui solemne summo eorumdem bono, Romę Concilium indixit, & celebravit. In eodem egregie nostrorum honori consuluit, invidentibus iam tunc nonnullis, & dolentibus: Monachos, ceu sui officii ignaros, quod *plangentium* non *docentium* esset, inter turbas versari, summis honoribus, & honoratissimis laboribus fungi, quod suo alii detrimento, & adversum ambitioni fieri, imaginabantur. Existimavit, pro summa sua in Ecclesiam universam auctoritate Bonifacius IV. Monachos defendendos, & in synodo eadem Italię Episcoporum, ita sanxit.

Bonifacii PP. IV. Decretum.

*Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti, audacissime quidem, Zelo magis amaritudinis, quam*

*quam dilectionis inflammati, asserentes, Monachos, quia mundo mortui sunt, & DEO vivunt, Sacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse, per sacerdotalis officii Divinitus sibi iniunctam potestatem. Sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar, Beatissimus Gregorius, Monachico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem hæc ligandi solvendique potestas, à DEO summo conceditur. Augustinus quoque ejusdem Beatissimi Gregorij discipulus, Anglorum prædicator egregius, & Pannoniensis Martinus Beatissimus, cujus Sanctitatis famam, longè lateque diffusam totus personat mundus* (Ecce dignam Dumiense Martino nostro, de quo superius, laudem, & commendationem, neq; enim Turonensis, licet item Pannonius intelligendus est) *aliique quamplutimi viri sanctissimi, pretiosissimo Monachorum habitu fulgentes, nequaquem annulo Pontificali subarrarentur, sed quamvis Monachi fuerunt, prædictis uti perhibentur. Neque enim* (Ecce causam cur Gregorius, &c. aliique honores eiusmodi admiserint) *Sanctus Benedictus Monachorum præceptor Almificus hujuscemodi rei fuit aliquo modo interdictor; sed eos sæcularium negociorum edixit expertos fore tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis, & omnium Sanctorum Patrum institutis, non solum Monachis, verum etiam Canonicis maximopere imperatur. Nemo enim militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Nos vero, tantorum Patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus à Sacerdotibus Monachis, ligandi solvendique officium, DEO operante, dignè administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari. Quod incunctanter affirmat, quisquis statum Monachorum, & habitum potestatemque evidenter considerat. Verbi gratia, Angelus græcè, latine nuncius sonat; Sacerdotes igitur Monachi atque Canonici, qui quotidie præcepta DEI populo nunciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua.*

*Sed unusquisque Angelicus ordo, quanto claritatem DEI vicinius contemplatur, tanto majori virtute eius Divinitati adhærens, sine dubio roboratur. Ergo Cherubim Ordo eximius prædicatur; quorum figuram, Monachorum cultus competenter habere comprobatur.*

*Nam uti Cherubim, ita Monachi sex alis velantur; duæ quippe in Capucio, quo caput tegitur, verisimilibus demonstrantur assertionibus; illud vero tunicæ, quod brachiis extenditur, alas duas esse dicimus, & illud tandem quo corpus conditur, sex alarum numerum certissime implere asseritur. Decertantes igitur, Monachicæ professionis presbyteros, sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnino præcipimus, ut ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur inposterum, quia, quanto quisque est Celsior, tanto in his est potentior.* Hactenus Bonifacii decretum.

¶ Rursum aliud celebrandum Tole Conc. indixit idem Sanctiss. Pontifex Bonifacius, in quo Toletanæ sedis Primatum, & Metropolitani honorem, Sancto Helladio nostro, successoribusque perpetuum decrevit. Vt denuo nostris plurimum debeat, & Sedes Hispaniæ Pontificum Princeps, & Hispania universa, à tantis præcipuè, è nostrorum numero, Pontificibus administrata, qui tantos honores, non rerum gerundarum solum dexteritate, sed rarissima inprimis Sanctitate meruerunt. *Ex rer. Hisp. Script. & Annal. Ben.*

*A. C. 611. S. P. N. 131.*

OCcupat hunc totum ferè annum, solusque Sanctus Austresigilus noster apud Baronium, vel inde eius merita æstimes, quod, dum Ecclesiasticum locupletissimè implet ut annum, totum sui admiratione mundum concitet. Do admiranda eius, qua se Regis Theodorici avaritiæ, & Guarnerii exactioni, vivus non solum, sed & mortuus opposuit auctoritate, eaque subditis plurimum profuit libertate, legenda vita eius apud Laur. Surium 20. Maii, & apud Baronium. Creatus est, ex Monacho Sancti Nicetii Lugduni, Episcopus Bituricensis, vir Sanctitatis, celeberrima longè lateque, & ad posteros fama, ingens Ecclesiæ Vniversę, & Regni Galliarum amplissimi ornamentum. Agunt de eodem *Aymoinus, Claud, Rob, Petrus in Catal. Vince.*

*A. C. 612. S. P. N. 132.*

INexplicabilia verbis, seu scriptis ullis, quæ sub hæc tempora Sanctissimus noster Columbanus gessit; cuius animum, adulari Reges ac Principes potentissi-

tentissimos nescium, incredibilemque animi constantiam, necesse est, omnis omnium sæculorum posteritas demiretur. Gratulabatur sibi sumopere Theodoricus Rex, quod tanti Nominis, & virtutis Divum, in Regno ipse suo alere mereretur. Verum nulla Regis benevolentia captus Columbanus, de adulterio gravissimè correptum, ut agnito scelere, serio doleret effecit; modo pœnitudinē Regis, blandimenta Brunichildis an ira, non rursum divertissent. Audi insolens, magni Abbatis factum: Obtulit venienti ad Regiam viro Dei Brunichildis, filios Theodorici duos, sed ex adulterio natos, suam de Columbano opinionem testatura; quibus ille visis, quid sibi velint, sciscitatur. Cui Brunichildis: *Regis sunt filij, tu eos tua benedictione robora.* Et ille: *Ne quaquam*, inquit, *istos Regalia sceptra suscepturos scias, qui de lupanaribus emerserunt.* Iussit illa furens, abire parvulos, & exeunte Regiam Columbano, dum limitem transiret, terræ motu quamprimum exorto, domus universa contremuit; neque tamen miserę fæminæ furorem compescuit.

Missa dein à Rege, regio sumptu fercula (dicebat namque Theodoricus; *melius esse Virum Dei opportunis subsidiis honorare, quam Dominum, ex servorum ejus offensa ad iracundiam provocare!*) abominatus ipse; *munera impiorum*, retulit, *reprobat altissimus,&c.* iisque dictis, stupentibus ministris, disrupta omnia vasa sunt, cibis vinoque in terram effusis unde pavore perculsus Rex, primo diluculo cum aula ad Abbatem properans, scelerum emendationem serio promisit,& placare studuit. Verum denuo exacerbat9, Columbano minatur, dein in exilium agit; de liberatis, sola manus attactu ruptis, compedibus, plurimis per eundem captivis, de militibus eum quærentibus, sed miraculo delusis, de aliis eidem supplicibus, quod sibi metuerent, Columbano non extra provinciam deportato, de voluntario ejus abitu, aliisque lectu dignissimis, consulendus Ionas in vita, Baronius hoc anno, & nos de Columba veræ suæ Origini asserta tomo primo Constantiæ Benedictinæ parte I. aliique.

Ad Clotharium Austrasiorum Regem delatus, pari libertate usus, ejus tamen magis amorem accendit, & quæ repræhenderat, Rex illico corrigere aggressus est: ea in Columbanum propensione (res miranda!) ut se etiam famulaturum, ad servitia Abbati offerret. Ejus prædictione tunc didicit Clotharius, trienio exacto, sive potius aliquot post años, se Theodeberti, & Theodorici regnis potiturum. Neq; tamen apud sui amantissimum consistere voluit Columbanus, iter in Germanias acceleravit, & primo statim ingressu, de iisdem egregiè meruit; plurimis apud Moguntiam congregatis, ab Idolorum cultu verbo juxta, ac grandi prodigio, aversis, & Christi legibus vindicatis. *Ex vita,& Annal. Eccles.*

*A.C. 613. S.P.N. 123.*

Contentione orta, inter fratres Theodoricum, & Theodebertum Francorum Reges, venitur ad arma, & utroq; de Gentium superbiente robore cum Theodobertus à beato Columbano, ex Divino instinctu moneretur, ut clericus fieret, ne simul cum damno præsentis Regni, æternæ pateretur vitæ dispendia, isque consilium aversaretur, prædixit, fore, ut brevi post invitus fieret. In pluribus igitur conflictibus superatus, & suorum proditione captus, missusque ad aviam Brunichildē, quæ alteri fratri favebat, clericus factus, nec multos post dies, ab illa perimi est jussus. Bisciola; aliique.

Nec minore sanctitatis fama hoc ipso tempore Sanctus Gallus celebratur, individuus Columbani Comes, cum eodem in Germaniam delatus, multo illic labore, de ipsis egregiè meritus, quippe reconciliato Sanctæ Aureliæ templo, Idololatriæ scelus, omni contentione animi, exterminatum voluit, eversisq; ac cominutis fanis, ac simulachris, gravissimum in se Gentilium odium concitavit. Quibus cedendum ratus Columbanus, in Italiam, ad Agylulphum Longobardorum Regē profectus, Gallum febribus detentum, una cum Magnoaldo, & Theodoro Monachis in Germania reliquit. Neque segnior in Italia, optione sibi à Rege data, ubicunque vellet habitandi, Mediolanensibus sumoperè profuit, Ariana, qua laborabant, Hæresi, verbis, scriptisque constantissimè impugnata, felicissimè profligata. Ionas, Brev. Germ. Mortuis hoc anno, Edilbertho, & Saberetho Regibus, gravis procella Angliam concussit, filiis, qui successerant, paganismo addictis, & Christianorum sacra impiè ludentibus. Sed de nostrorum laboribus deinceps. *Vid. Hist. Baron. Yepes,&c.*

A.C. 614. S.P.N. 134.

REfloruit Anglia, & sopitis fluctibus, tanto felicius Christi navicula emersit. Meruit novo merito de Anglis ordo noster, & relapsos, (quod ut periculosius, sic & multo est difficilius,) ad fidem revocavit, ipso etiam Rege Adelualdo, in sententiam pertracto, ut nō solum libenter suos Christo addictos vellet, sed & iisdem legibus se ultro addiceret, rejecto insuper nefario connubio, quod multis aliis solum impedimentum fuit, quo minus *videntes viderent, & audientes intelligerent.*

Baronij opinione, periit hoc anno ictus fulmine, an veneno per Brunichildem sublatus Rex Theodoricus. Salutatus quamprimum Sigebertus ejus filius, Rex laudatissimus, sed quem bonus Deus, digniorem cælo, in paterni licet, vindictam sceleris, paulo post superari prælio permisit, cæteris etiam ejusdem fratrib9, Theodorici filiis, nec non Brunichilde ipsa à Clothario interceptis, unaque omnibus interemptis. Ejus insigne hoc dictum factumque & Sancti Galli nostri juxta meritum fuit; cum Fridiburgam Gunzonis Alemanniæ Ducis filiam Gallus à Dæmone liberasset, eamque Sigebertus sibi desponsam, solemnibus nuptiis ducere pararet, ipsa autem aram amplexa, Regis voluntati, ut poterat, obniteretur, quippe trementem, ac reluctantem Rex Virginē, nuptiali nihilominus, ac Regio cultu excoli, coronari diademate (sacro tamen minimè detracto velamine) & ad se adduci imperans, in hæc denique libera, & Regia voce erupit: *Ecce*, inquit, *meis te nuptiis præparatam, Sponsi cælestis, Domini nostri Iesu Christi, cedo complexibus*, cumque his, dexteram ejus apprehensam ipse altari imposuit, & discedens ab Ecclesia, effusus in lachrymas, ejus amoris indices, quo in Fridiburgam ante ferebatur, Christum, & ordinē nostrum egregiè honoravit. Ipsa autem in Metensi nostro Virginum cænobio cucullo circumamicta, neque multo post, præfecturam ejusdem merita, multis à Rege muneribus est exornata. Baronius, & script. Gall. Eodem anno Sanctus Gallus initium dedit celeberrimo illi, & sanctissimo Helvetiæ cænobio, quod dein ab ipsomet meruit nomen Divi Galli. Cui quanto in acceptis referre habeat Germania Vniversa, cælum etiam ipsum, cui Sanctorum integrum exercitum peperit, alibi dicemus. *Chron. Iod. Mez. M. S. Marianus Bucelinus, & M. SS. Sangall. &c.*

A.C. 615. S.P.N. 135.

SAncti Arnulphi nostri Metensiū Pontificis virtus celebratissima. Is, ab inito statim Austrasiæ potentissimo Ducatu, in nostros propensus, consensu denique conjugis, stupentibus insolentia rei universis, iisdem se prorsus addixit, & in cænobio Lirinensi Monachum professus est. Inde postea extractus, ac Metensiū Episcopus renunciat9, eo honore & amore à Clothario Rege cultus est, ut inconsulto ipso, nec Rex, neque Regina quidquam agerent, Dagobertum item filium Regni hæredem instituendum, ipsi, regnoque pro voluntate formandum, traderent. Intolerantissimus ejus honoris Arnulphus noster, nihil, quam cænobiū, denuo cogitavit, &, ut impetraret molestus Regi, & odiosus esse non destitit, minimè tamen primis annis exauditus. Dignissimū super hoc Epistolæ Regiæ fragmentum recitat Ionas, & ex hoc Baronius: *Hoc*, scribit Clotharius, *quod per Epistolam vestram Domine Pater, rogare voluistis, ut in loco vestro alter substituatur Episcopus, nullatenus nostra præsumptio facere præsumit, sed potius, omni devotione rogamus, ut si in bonorum operum exercitio vitam alibi ducere deliberatis, apud populum, vobis commissum, sicut cœpistis, conversando, exemplum ei sitis promerendæ salutis, &c.* Ita Clothari9, jam Monarcha Galliarum, prædicente Columbano nostro, factus, diligentissimus meritorum nostrorum expensor, & remunerator.

Claret, mira etiam sanctitate, S. Godoberta, sacra Deo virgo Noviomi, discipula S. Eligij Noviomensis Episcopi, Regi Clothario acceptissima, cui, ejusq; virginibus, raro sanè exemplo, Regium ipse Palatium cessit ad Monasterium exædificandum, quod & villis liberaliter locupletavit. Vt videas, quanti etiam Virgines nostræ fierent, quantumq; Reges potentissimi eorum meritis, & precibus sperarent. *Ex vita, & tom. 1. Sacro-Sanct. Ordin.*

A.C. 616. S.P.N. 136.

SPlendidissimum illud Hispaniæ, imo orbis universi, jubar, Isidorus Hispalensium Archiepiscopus, fulgore novo, mundum implet, & in sui admirationem omnes convertit. De hoc Ildephonsus noster: *Vir decore simul, & ingenio pollens. Nam tantæ jucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas*

*admi-*

*admiranda dicendi ex eo in stuporem verteret audientes: ex quo, audita, is qui audisset, non nisi repetita sæpius commendaret. Scripsit opera, & eximia, & non parva.* Sed & Braulio Cæsaraugustanus (prænot. lib. S. Isidori præfix. ipsius operibus.) *Isidorus,* inquit, *vir egregius, in quo quiddam sibi antiquitas vindicavit, imo nostrum tempus, antiquitatis in eo scientiam imaginavit: vir in omni locutionis genere formatus, ut imperito doctoque secundum qualitatem sermonis existeret aptus, congrua vero oportunitate loci, incomparabili eloquentia clarus, &c.* & inferius: *Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum, tu domesticam publicamque disciplinam, tu sedium, regionum, locorũ, tu omnium Divinarum humanarumq; rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti. Quo vero flumine eloquentiæ, & quot jaculis Divinarum Scripturarum, seu Patrum testimonio, Acephalitarum Hæresim confoderit, synodalia gesta, coram eo Hispali acta declarant, &c.* Plura alibi.

Deprædicatur eodem tempore Sanctitas Beatæ Burgundoforæ nostræ, virginis & Abbatissæ, S. Columbani Discipulæ, eo ipso de Triumphante Ecclesia meritissimæ, quod numerum cælestium illarum Heroinarum, de quo supra, plurimis Virginum vexillis, & amplissimis copiis auxerit. *Vid. vita ejusd. Yepes aliiq;.*

*A.C. 617.* *S.P.N. 137.*

EGregium illud, asserendisque nostrorum meritis accommodissimum hoc anno argumentum (quod Yepes noster tomo 2. cent. 1. affert ex Vincentio Belluacensi) quod Concilij Gallici hoc ipso tempore celebrati, Patres subministrant, qui tunc egregia nostrorum commendatione, decreverunt: *ad extirpandas Gentilium reliquias, & succrescentes Hæreses Photini, & Bononij, neminem tam esse idoneum, quam Monachos Luxovienses. Satis luculentum eos Zeli, & industriæ suæ documentum quotidie* (observes velim) *dedisse, in numero populorum, quos prædicatione sua ad fidem adduxerant, &c.* Et sanè, hoc ipso quoq; anno egregiam Ecclesiæ operam Monachos nostros navasse contra Agrestinum Schismaticum, & qui eum sequuti, ex Baronio colligimus, quodque mirandum magis, stupenda certè virilis animi constantia, etiam fæminas depugnasse, & Burgundoforam nostram Agrestino in faciem restitisse Ionas commemorat, & consulendus Baronius; ut planum sit omnibus, quid unico hoc anno, & quantum debeat Respubl. Christiana nostris, tam strenuè defensa & propugnata.

*A.C. 618.* *S.P.N. 138.*

QVid nostrorum ex laboribus speraret quantumq; accepisse Ecclesiam sentiret Bonifacius Papa V. hoc anno universis sæculis comendatum reliquit, data ad Iustum Roffensem, ex Monacho nostro, Archiepiscopum, epistola, cujus partem subjicimus: *Dilectissimo fratri Iusto, Bonifacius. Quam devotè, quamque etiam vigilanter pro Christi Evangelio elaboraverit vestra fraternitas, &c. Susceptis namque apicibus filij nostri Eadualdi Regis, reperimus, quanta sacri eloquij eruditione ejus animum ad veræ conversionis, & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit,* (ecce indubitatum sumi Pontificis juxta, & Regis, de nostrorum labore, & ex hoc fructu testimonium.) *Quæ ex re, de longanimitate clementiæ cælestis, certam assumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium plenissimã salutem, imo quoq; vicinarum, vestræ quoque prædicationis ministerio credimus subsequendam &c.* Misit insuper grati animi, & amoris tesseram, pallium Archiepiscopale, & ordinationem Episcoporum concessit. Vt appareat denuo, quantum Anglia nostris debeat, & maximè Regni ejusdem insignis Archiepiscopatus, in gratiam nostrorum usq; adeo exornatus. *Vid. Baron. Yepes, Hist. Angl. &c.*

Aggregata eodem anno Christi ovibꝰ Edilberga Regina Eduvini Regis uxor, Adelualdi soror, nostris salutem debet; debent & acceptum sanctioris vitæ adminiculum cænobio, sanctissimi Principes, Hildulphus Dux Laubiensis, & Aia Comitissa, Hannoniæ, conjuges; ista in Castrilocensi, ille in Laubiensi cænobio Regulam nostram professi, gravissimo sanè exemplo, mundi stultitiam, & divitiarum vanitatem arguentes, & damnantes. *Ex Hist. Belg. VVion. &c.*

*A.C. 619.* *S.P.N. 139.*

VIrorum sanctitate illustrium, omnes omnino Europæ provinciæ, ex Ordine nostro copia redundant; interq; alios præcipui celebrantur: S. Eustasius Abbas, S. Bertulphus Abbas, S. Ethbinus S. Sivardus, S. Magnoaldus, S. Theodorus, S. Deicola, qui singuli grande volumen requirerent; aliquorum tamen fortè deinceps mentio facienda.

Eodem anno, celebrato Hispali Concilio, Patres denuo pro Monachis sollici-

ti, quod metuerent (quod dein sæpius evenit) nequid à potentioribus paterentur, providè, & amanter eisdem cavit. De hoc videndus Yepes noster tomo 2. Digna sunt illa Canone II. ab eodem citata; dum *Maledicuntur ij, qui spoliant, aut destruunt Monasteria: sicut excommunicati, & alieni à Regno Dei, neque prosit illis ad salutem fides, neque opera quæ fecerint, &c.*

Meritis Sancti Galli delatus Constantiensis, ad Acronium, & Rhenum amplissimus Episcopatus, illoque pro virili obnitente, insignitus eo honore est Ioannes ejus discipulus. Extat sermo Divi Galli, tunc recitatus, quem maximi facit Maldonatus, & Gretserus, litteris ad Iodocum Metzlerum datis; *Vnicus*, ait, *Divi Galli sermo, si Calvinianus essem, reduceret me in viam, &c.* Vt intelligas, quanto etiam hodie fructu, veterum nostrorum scripta exuberent. *Const. Ben.*

*A.C.* 620. *S.P.N.* 140.

SVmmo in flore, suavissimo odore recreant universum, Sancti nostri Walbertus Abbas Luxoviensis Meldensis Episcop9, S. Columbinus Abbas Lutrensis, S. Winebaldus Trecensis, aliique de quibus Arnoldus noster, & Trithemius, &c. Electus eodem hoc anno in Episcopum Meldensem, Sancto Walberto nostro ad cælos rapto, Sanctus Faro, Walberti frater, Monachus & ipse Luxoviensis. Fuit is, Agnerici potentissimi Burgundiæ Comitis filius, Clothario Regi familiarissimus atque unicè charus: qui, quo astu Regis honorem servaret, dum in aula versaretur tradit Baronius tomo 8. ann. 614. moxq; de ejus conversione subjungit: *Interea cum apud Clotharium Regem multa præclarè ageret, sororem Faram, Virginem Sanctissimam* (de qua, superius, eadem enim, quæ Burgundofora) *Cognovit, magno ipsius videndi desiderio teneri. Accessit igitur ad eam, & in tantum familiari ejus colloquio, sapientique sermone permotus est, ut amplissimos Palatij honores, Regisq; singularem amicitiā, sibi negligendam putarit, ipsius conjugii oblectamenta, adhuc vigente juventutis flore respuerit, &c.* Præfuit, & profuit, raro exemplo, Ecclesiæ suæ sexaginta sex annis, inter alia, eo prodigio clarissimus, quo plures aqua submersos, simul semelq; ad vitam revocavit. Claruit, & in Galliis, suo ut nomine, sic virtutis præstantia. Clarus Abbas Sancti Marcelli Viennensis, à prima juventute miris à Deo honorat9. Ipso vivente, quanta in sola urbe Viennensi Monasteriorum ac Monachorum copia floruerit referendum; unde Galliam dein universam æstimes; cujus, si singulis Cænobiis singulos solum sanctos, seu perfectos cōnumeres, numerum deprǽhendas licet, quem sūmopere demireris; cum plurima tamen in Gallia floruerint Monasteria, quorum singula, plura etiam sanctorū millia cælo pepererint. Monasteria autem, tam virorum, quam sanctimonialium, sub sancta professione viventium, pia districtione, tam in civitate, quam extra muros civitatis, hæc præcipua erant: Grimanensium, quadringentos Monachos alebat; sanctimonialium Beatissimæ Virginis Columbæ, triginta Monachos alebat; porro, S. Petri Monasterium, ad australem partem urbis sitū, quingentos penè Monachos continebat; Sanctorum Prothasij, & Gervasij Venerabilis memoria, quinquaginta; similiter S. Ioannis Baptistæ Monasterium, quinquaginta, similiter, S. Vincentij Martyris, quinquaginta, Sancti quoq; Marcelli Martyris triginta; S. Blandinæ viduarum sanctimonialium triginta quinq; S. Andreæ infra mænia urbis, centum; iterum aliud S. Andreæ, centum; S. Nicetij, ejusdem urbis gloriosissimi Episcopi, quadraginta; S. Martini, centum quinquaginta Monachos sub districtione Regulari viventes adunatos tenebat, &c. alia quoq; venerabilia sanctorum in unum conversantium habitacula penè ad sexaginta, sub cura S. Cadoaldi nostri, ex Abbate Viennensis Pontificis, in sola Diœcesi Viennensi sita affirmat, ut lucidissimarum stellarū multitudine, primis etiamnum luce, & ardore vigentibus, sola ex hac uni9 Episcopi, ditione, Firmamentum induceres, & obstippares. De S. Claro, aliisque quorum supra meminimus, consulendi *Ant. Yep. Arnold. Vincent. Trith. Surius, Hæreus, & tom. nostr. de vita SS. Ord. nost. &c.*

*A.C.* 621. *S.P.N.* 141.

SAnctus Gallus noster, eradicandæ Idololatriæ intentus, eximiis meritis nomē suum Ecclesiæ comendat, dignè nomine, & munere, quo seipsum Legatum Dei appellabat, sermone illo, de quo nos superi9; Apostolatum autem ejus Deus, grandibus prodigiis confirmat. *Ex vita, & Constantia nostra Benedictina.*

Clarent, & socij olim peregrinationis S. Galli, Eunocus, Comininus Atquotnanus, Luanus (qui solus centum construxit Cænobia, ut quantos in his pro mundo

mundo deprecatores inutrierit animadvertas) Potentiamus, Agilo, Columbanus junior, senioris cognatus, sed & Sigebertus, Placidus, &c. viri doctrina, & sanctitate præstantissimi; Sancta etiam Clodeswida Mathensis, quæ sponsum suum fugiens, velamen capitis à Deo per Angelum sibi transmissum accepit, & egregia se fide, constantia, & integritate, DEO probavit. *Videantur Ionas, VValafridus, Metzlerus, VVion, VVestmonaster. &c.*

Obiit hoc eodem anno egregius Anglorum Apostolus, Sanctus Laurentius Archiepiscopus Cantuariensis cui succedit, pari doctrina, & sanctitate Sanctus Mellitus noster, jam tunc Loudoniensis Episcopus. *Videndi, Beda, Matth. VVestmonast. Tepes, Arnoldus, &c.*

*A. C. 622.* *S. P. N. 142.*

OBijt hoc, an priore anno, Sanctus Ermenfredus, ex Monacho Luxoviensi Virdunensis Episcopus, Sanctitate illustrissimus cui successor paribus meritis, & vitæ integritate, designatus Sanctus Paulus, è Theologiensi Cænobio postulatus; invitus quantumvis, & omni modo reluctans onus Episcopale suscepit, & summo, non Ecclesiæ solum Virdunensis, sed universæ bono, egregiè multis annis sustinuit. Eum Sancti Parisiensis Germani Germanum, alij, & melius, nepotem fuisse affirmant. *Legendi Rosiers, Claud. Rob. Trithem. &c.*

Clarent item, Sanctus Agapetus ex Monacho nostro Cordubensis Episcopus, & Sanctus Amatus Abbas, de Repub. Christiana meritissimus, Cænobio præsertim Virginum condito, in quod tanto numero adductas, & copulatas Sponso æterno, congregavit, ut in septem distributæ cohortes, & choros, neque diebus, neque noctibus, pro universi salute, precibus, & clamoribus cælum fatigare desisterent. Imaginare, aliquas saltem multum apud Numinis Majestatem potuisse, alij plerasque, & ferè omnes inter perfectas recenseant, & facile erit merita æstimare. *Ex vita. & tom. cit.*

Obiit año eodem magnus ille Regum terror, & amor Columbanus noster, de quo sæpe superius.

*A. C. 623.* *S. P. N. 143.*

CÆlum triumphaturus conscendit, magnus ille, & egregius Bojorum Apostolus, & primus Salisburgensium Pontifex Sanctissimus Rupertus, cui succedit non dissimili sanctitate, Sanctus Vitalis Monachus, & Abbas Sancti Petri Salisburgensis. Sed de Magistri ac discipuli laudibus disserere studiose supersedem9. *Videatur, & Tepes & cit. superius.*

Venerati deinceps meritò Apostolum suum, Patronum, & Authorem Pontificatus S. Rupertum in seris etiam discipulis, illustri grati significatione animi, posteri Pontifices, & Canonici Archiepiscopalis Ecclesiæ: Monachorum, (qui & Canonici cathedrales sub Ruperto, & deinceps, usque ad Virgilium Episcopum fuerant) antiqua merita, dignè recognoscentes, & ob ea ipsa digniorem iisdem locum in Processionibus, ut vocant, Ecclesiæ solemnioribus deferentes; de quo plura etiamnum extant documenta; atque illud inprimis Eberhardi Archiepiscopi de anno 1210. *Innotescimus omnibus, &c. qualiter Simon Abbas, & Fratres Ecclesiæ S. Petri nobis obtulerunt quoddam Privilegium à Ven. Eberhardo antecessore nostro eis datum; in quo plenè continebatur, quod idem Eberhardus: Ob antiquam dignitatem Ecclesiæ S. Petri, quæ metropolis fuit, & omnibus salutis fundamentum* (dignissimum sanè elogium) *totiusque provinciæ, & multarum gentium, à qua dignitas omnis, & magnificentia, cum nullis etiam redditibus ad nostram Ecclesiam processit; Fratribus ibidem annuentibus, eam privilegiaverit cum consensu Canonicorum Ecclesiæ S. Ruperti: ut in perpetuum ultimum, & digniorem locum habere debeant, quemadmodum antea* (NB.) *semper habuerunt, in signum pristinæ dignitatis, & antiquitatis, &c. Nos igitur attendentes, antiquissimam ejusdem Ecclesiæ dignitatem, & consuetudinem in Processionibus, &c.* Quæ non minus pro Illustrissimorum Archipręsulum, & Canonicorum, religiosissimo erga Ordinem commendando studio, quam jure aliquo nostrorum, & stulta honorum affectatione, inserenda censuimus. *Ex Originalibus editis à Reverendissimo D. D. Alberto meritissimo ejusdem loci Antistite, & documentis, antequam ederet, pluribus, Salisburgi nobis communicatis, &c.*

Successere Ruperto, longo deinceps tempore, continua serie, lectissimi ex eodem Cænobio Episcopi de quo Conrad9 I. Archiepiscopus de anno 1139. his verbis, *Notum igitur esse volumus, &c. Cum Sanctus Rudbertus, Sanctæ memoriæ præcessor noster, civitatem Iuvanensem denuo erigens, sedem suam Episcopalem in Monasterio Sanct. Petri collocasset, ac Fratribus quos ibidem sub Regula Sanct. Benedicti sibi perpetuos successores in*

*res in eadem ſede Epiſcopali inſtituerat, & curam Parochialem commiſiſſet, & tradidiſſet, quam uſque ad præſens fideliter exercuerunt, &c.* Ex quo etiam videas Ruperti meritum, non ſolum Sedem inſtituentis Epiſcopalem, ſed & Vrbem de novo erigentis, *& reſtituentis*, ut hæc quoque celeberrima civitas, ut pleræq; Germaniæ (quod ſuo demonſtrabimus loco, & tempore) originem debeat, & referat ad Monachos ſuam, uti etiam deinceps, à tot ſanctis gloriam, & à concurſu civium, pleræque aliæ debent, incrementa.

Callias in ſui admirationem convertit Sanctus Licinius noſter Andegavenſis, ex Monacho Cinciliacenſi, Epiſcopus, cujus honorum, & potentiæ contemptus nullis ſat unquam verbis poteſt deprædicari; quo tamen ipſe multo ſpectatior, quam ſi cum Regibus, & in ſuo ipſe Principatu ſpectaretur, ſed & glorioſior ac felicior fuit. Renatus Benedictus, Annales Yepeſij.

Meritus de afflictiſſimis quibuſque, ac maximè captivis plurimis, prodigioſiſſima ope, ſed & raro ſanctitatis exemplo, Sanctus Winebaldus Tricaſinus Abbas, Regi Clothario, pro eximia virtute, prudentia, & doctrina chariſſimus; unus ſolusque ſi fuiſſet è noſtris, ampliſſimum ampli Regni decus, & firmamentum. *Tom. SS. Ord. Yepes, Trith.*

*A.C. 624. S.P.N. 144.*

SElectiſſimum illud Religionis, & miræ ſanctitatis compendium, Sanctiſſimus Gallus, Helvetiis, Suevis, immo Germaniæ Vniverſæ ſubtrahitur, cælo recipitur. De ejus mirandis, in vita, & à morte prodigiis, fuſe Sangallenſes monachi, & hujus etiam ſæculi peregregii ſcriptores, &c. Fuit Keternaci Scotiæ Regis filius, eruditione multimoda, & diverſarum linguarum peritia inſtructiſſimus; ſuorum vero, perpetuante in Sangallenſi Cænobio, ſanctitate, ad noſtra uſque tempora, terra nimirum cæloque felix, & im̃ortalis.

Eodem anno Occidentalem Eccleſiã coruſcaſſe deprædicat, inſigni illo, ex Ordine noſtro lumine, Sancto Mellito Dorovernenſium Epiſcopo, Cæſar Baronius, quem & *viri Apoſtolici* nomine honorat, & ab eo ſub vitæ finem illuſtri miraculo plurimum com̃endat, quo Dorovernienſibus plurimum profuit, quando flagrantiſſimo incendio ardente, ipſe ſe ægrum, ignibus adverſum deportari juſſit, atque illico flam̃as ſopivit. Herm. Contr. Excepit mortui honorem, & onus, digniſſimus è digniſſimis, Sanctiſſimus Iuſtus noſter Roffenſis Epiſcopus, de quo pluribus Ven. Beda, & Anglicarum rerum ſcriptores.

Sancti Arnulphi Auſtraſiæ Ducis exemplum, hoc anno ſubſequuta Doda, fæmina Princeps, ejus conjux, in Deiparæ Virginis Treverenſi ſe incluſit, & rigorem monachicum delitiis potiorem omnibus, antetulit. *Arnoldus, &c. rer. Belg. ſcript.*

*A.C. 625. S.P.N. 145.*

IN Anglia hoc anno, novus honor, & digniſſimus per Paulinum Epiſcopũ partus, quo novo ipſe, ſed jam vetere, & proprio ordini noſtro munere legatus à juſto Archiepiſcopo, ad Regem Regnumque Northumbriæ Chriſti imbuendum legibus eſt deſtinatus. *Beda, Yepes, Baron. &c.* Replet Gallias fama ſanctitatis, & virtutis fragrantia Sanctus Auſtregiſilus noſter, ex Monacho, & Abbate Sancti Nicetij Lugdunenſis, Archiepiſcopus Bituricenſis; quem mirandis prodigiis Deus univerſo honorabilem propoſuit, eoque in primis, quo ipſi Eccleſiæ oſtia recluſa ſponte patuere, & ad miſcendum vino aquam deſideranti, miraculo allata eſt. *Ex vita, &c.*

Imperat Auſtrofrancis, in collegium Regni vocatus à parte Clothario, Dagobertus filius; dato tamen, cujus arbitrio, & voluntate ſe haberet, beato Arnulpho noſtro Metenſi Epiſcopo, qui Regnis Galliarum, plurimis modis, mirabiliter profuit. *Hermannus noſter, & rer. Gall. ſcript. diverſi.*

*A.C. 626. S.P.N. 146.*

QVos judicaret Deus ipſe ſum̃is dignos honoribus, & Eccleſiæ ſuæ fore utiliſſimos, ſæpè alias, & hoc præcipuè anno prodigioſa vocis ſignificatione oſtendit, quo, gravi clerum inter ac populum Biſuntinum, orta diſſenſione, ipſe audientibus univerſis, Epiſcopum deſignavit ſanctiſſimum Claudium, ex illuſtri Palatinorum Salinenſium Principum familia; quem tamen non multis poſt añis, Idem qui ad Pontificatum ipſum vocavit, exin relicto Pontificatu Monachum noſtrum fieri juſſit. Vt videas, quibus gradibus, ad vitæ Monaſticæ perfectionem direxerit Clau-

rit Claudium Deus ipſe; & quanti multorum, paribus poſt Claudium exemplis, ſimilis, atque eadem facienda ſit. *Ex vita ejuſdem apud Surium, Lippeolum, Haræum, & tomis noſtris, &c.*

Sancti Mummolinus, Bertramus, & inprimis Bertinus, ex Luxovienſi Monaſterio in Flandriam convenientes, Belgio univerſo, fulgentiſſimis raræ ſanctitatis radiis, novam lucem affundunt, & ſub hunc circiter annum, celeberrimi illius Sithivenſis, hodie Sancti Bertini, Monaſterij fundamenta jaciunt, ex quo diverſis ſæculis, ſanctorum copioſiſſima multitudo cælo adolevit, & ſuæ utique in terris patriæ æternum proderit, uti prodeſſe nunquam deſiit, & mala ſæpe ingentia avertit. *Iperius, Ferreolus Locrius, Miræus, &c.*

*A.C.* 627. *S.P.N.* 147.

HOc anno, immortali noſtrum laude, partum Chriſto Northumbriæ Regnum, & Rex Edwinus cum gente ſua baptiſmo luſtratus eſt. De ſucceſſu Paulini Epiſcopi, priuſquam Regem converteret, ac poſtquam convertiſſet, fusè Beda, & ex hoc Baronius, anno iſto, & præcedente. Inde rurſum noſtris, novi Epiſcopatus Eboracenſis initium debetur; ut ejusmodi grandium meritorum, nec numerum quidem ineamus. Baptizati inſuper plurimum debent Paulino, Oſfridus, & Eadfridus filij Regis Eduini, nati ex Quenburga filia Cearli Regis Merciorum. Sed & non multo poſt, ejuſdem opera Eccleſiæ additi, ejuſdem Regis alij liberi, Edilburga Regina nati: Edilhim9, & Ediltridis filia, & alter filius Buſcfrea. Sed & Iffi filius Oſfridi, & procerum atq; nobilium plurimi. *Tantus autem fertur tunc fuiſſe fervor fidei, ac deſiderium lavacri ſalutaris genti Nordhumbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum Rege, & Regina in villam Regiam, quæ vocatur Adregin, triginta ſex diebus ibidem cum eis catechiſandi, & baptizandi officio deditus moraretur: quibus diebus cunctis, à mane usque ad Veſperam, nil aliud ageret, quam confluentem eo, de cunctis viculis, ac locis plebem Chriſti, verbo ſalutis inſtruere, atque inſtructam influvio Gleni, qui proximus erat lavacro remiſſionis abluere, &c. Hæc quidem in provincia Berniciorum; ſed & in provincia Deirorum, ubi ſæpius manere cum Rege ſolebat, baptizabat in fluvio Sualva, qui vicũ juxta cataractam præterfluit. Nondum enim Oratoria vel baptiſteria in ipſo exordio naſcentis ibi Eccleſiæ poterãt ædificari, &c. Vid. Baron.* Neque hic ſolum Paulini labor, & meritum acquievit; per Eduinum namque Orientalium etiam Anglorum Regem Carpualdum, Chriſto lucrifecit inſuper ad externos etiam Anglos fidei lumen propagavit, & provinciæ Lindiſi, quæ eſt prima, ad meridianam Humbri fluminis ripam pertingens usque ad mare, verbum Dei prædicavit. Verbo in gentem magnam brevi tempore, Paulinus noſter profecit, & crevit. Et ne in ſacris ſolum, conſuluiſſe noſtri Anglis videantur, ætatis, & ſæculorũ omniũ, ſolatium jucundiſſimum, pacem peperere, de qua ex Beda Baronius; *Tanta autem eo tempore pax in Britannia, quoquoverſum Imperium Regis Eduini pervenerat, fuiſſe perhibetur, ut (ſicut uſque hodie in proverbio dicitur) etiam mulier una cum recens nato parvulo, vellet totam per ambulare inſulam, à mari ad mare, nullo ſe lædente valeret. Tantũ quoque Rex idem, utilitati ſuæ gentis conſuluit* (ecce inſignem noſtrorum prædicationis fructum) *ut pleriſque in locis, ubi fontes lucidos juxta publicos viarum tranſitus conſpexit, ibi ob refrigerium viantium, erectis ſtipitibus, & æreos caucos ſuſpendi juberet, neq; hos quiſquam, niſi ad uſum neceſſarium, contingere, præ magnitudine vel timoris ejus, vel amoris, vellet, &c.* Eodem anno, rurſum alia Ordinis noſtri merita per Sanctum Arnulphum Metenſem; quibus Galliarum Regna egregiè noſtris obſtrinxit; compoſita nimirum graviſſima diſſenſione, inter Clotharium, & filium ejus Dagobertum, Reges, exorta. Ejus inter alios meminit, Beatus Hermanus contractus noſter, &c.

*A.C.* 628. *S.P.N.* 148.

LIndiſſæ provincię rurſum utilis Sanct9 Paulinus noſter; ut ſequuturis etiam annis conſuleret, & eisdem æternum prodeſſet Lindisfarnenſem inſtituit Epiſcopatum, & Sanctum Honorium è noſtris aſſumpſit, qui primus verbo, & exemplo, novellam plantationem rigaret, & prodeſſe ſubditis pergeret.

Ornant, & ornantur à Sanctiſſima Regulæ noſtræ profeſſione ſingulare decus Ordinis noſtri ſub hæc tempora factæ, SS. Editha, & Syra; illa, Redualdi Anglorũ Orientalium Regis filia, quæ accepto in dotem Ailesburij oppido, mundo, maritoque cui jam deſponſata fuerat, valedicens, velo ſuſcepto, in Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli poſt Abbatiſſa, præfici cæteris meruit, & illuſtribus exin miraculis illuſtrari; Sira, Eugenij IV. Scotorum

torum Regis filia, Sanctæ Burgundoforæ se disciplinæ addictam maluit, & cucullo abdere, quam Regno, & purpura omnes præcedere. Vtraque in Sanctorum numerum relata est: quæ felicitas, ei, quod professæ sunt, instituto, indubie tribuenda. *Vid. rerum Angl. script. Arnoldus alii-que.*

*A. C. 629.* *S. P. N. 149.*

ISidorus, scriptis libris de Ecclesia universa æternum meretur. Quippe compositis in Hispania rebus, & Hæreticis oppressis, Magnus Apostolus Hispaniarum, ne, quod Monachis lege nostra illicitum, inerti otio vitam ageret, plurimo felicissimi ingenii partu, universo profuit. Pauca hæc enumeramus.

*Magni Isidori nostri Hispalensium Pontificis, Hispanorum Apostoli, ingenij monimenta;*

Originum sive Etymologiarum libri viginti.
Liber I. de Grammatica. — *Disciplina à discendo, &c.*
Lib. II. de Rhetorica. — *Rhetorica est benedicendi, &c.*
Lib. III. de quatuor disciplinis Mathematicis. — *Mathematica latine dicitur, &c.*
Lib. IV. de Medicina. — *Medicina est, quæ corporis, &c.*
Lib. V. de Legibus, & temporibus. — *Moyses genti Hebraicæ, &c.*
Lib. VI. de libris, & officiis Eccl. — *Vetus testamentum, &c.*
Lib. VII. de Deo Angelis, & fidelium ordinib. — *Beatissimus Hieronym. &c.*
Lib. VIII. de Ecclesia, & sectis diversis. — *Ecclesiæ Græc. &c.*
Lib. IX. de linguis, & societatibus. — *Linguarum diversitas, &c.*
Lib. X. Vocum cæterarum Alphabetum. — *Origo quorumdam nominum, &c.*
Lib. XI. de homine, & portentis. — *Natura dicta est, &c.*
Lib. XII. de animabus. — *Omnibus amantibus, &c.*
Lib. XIII. de mundo, & partibus. — *In hoc libello, &c.*
Lib. XIV. de terra & partibus. — *Terra est media, &c.*
Lib. XV. de ædificiis & agris. — *De auctoribus, &c.*
Lib. XVI. de lapidibus & metallis. — *Pulvis dictus, &c.*
Lib. XVII. de rebus rusticis. — *Rerum rusticarum, &c.*
Lib. XVIII. de bello, & ludis. — *Primus bella intulit, &c.*
Lib. XIX. de navibus, ædificiis, & vestibus. — *Artium quarundam, &c.*
Lib. XX. de penu, instr. rusticis, & domest. — *Primus Dedalus, &c.*
Fragmenta quædam, ut videntur, Etymolog. — *Talentum est pondo, &c.*
De differentiis sive proprietate verborum. — *Inter polliceri, &c.*
Lib. duo, de differentiis spirituum. — *Inter Deum, &c.*
Lib. item duo Synonymorum, sive soliloquiorũ.
Lib. 1. de contemptu mundi. — *Venit ad manus, &c.*
Liber, de norma vivendi. — *Age fili, &c.*
Exhortatio pœnitendi. — *Cur fluctuas, &c.*
Lamentum pœnitentiæ. — *Audi Christe, &c.*
Orationes, & epistolæ ad diversos.
Lib. de natura rerum, sive mundo. — *Illust. Dom. & filio Sisibuto, &c.*
Chronicon ab initio mundi usq; ad sua tempora. — *Brevem temporum, &c.*
Chronicon Gotthorum. — *Gotthorum antiq. &c.*
Historia Wandalorum. — *Vvandalorum cum Alanis, &c.*
Historia Suevorum — *Suevi Duce, &c.*
Lib. 1. Proemiorum Vet. Testam. — *Plenitudo novi, &c.*
Lib. II. Proemiorum novi Testamenti. — *Evangeliorum, &c.*

*Commentaria*

In Genesim. — *Historiæ sacræ, &c.*
In Exodum — *Quædam mysteria, &c.*
In Leviticum — *Hostiarum divers. &c.*
In Numeros — *Ideo hic liber, &c.*
In Deuteronom. — *Liber Deuteronomii, &c.*
In Iosue — *Post mortem Moysi, &c.*
In lib. Iudicum — *Historia Iudicum, &c.*
In librum Ruth — *Videamus nunc, &c.*

Post

| | |
|---|---|
| In librum I. Regum | *Post librum judicum, &c.* |
| In librum II. Regum | *Post mortem iteque &c.* |
| In librum III. Regum | *Succedit deinde, &c.* |
| In librum IV. Regum | *Mittit Rex impius, &c.* |
| In lib. Esdræ | *Iam quod etiam, &c.* |
| In lib. Mach. de Antiocho &c. | *De Machabeis, &c.* |
| Allegoriarum Vet. Test. lib. Vnus. | *Domino Sancto, &c.* |
| Liber II. Allegoriarum Novi Test. | *Quatuor Evangelistæ, &c.* |
| Lib. I. de vita & obitu SS. Veteris Testamenti. | *Præfatio quorumdam, &c.* |
| Lib. II. de vita & morte SS. novi Testam. | *Zacharias, & Elisabeth, &c.* |
| Lib. de Nativitate Domini, Passione, &c. | *Quædam quæ diversis, &c.* |
| Lib. de vocatione gentium. | *Quadam ex parte, &c.* |
| Libri II. de officiis Ecclesiasticis. | *Quæris à me, &c.* |
| Lib. III. de summo bono, sive sententiarum. | *Summum bonum, &c.* |
| Regula Monachorum. | *Plura sunt præcepta, &c.* |
| De conflictu vitiorum, & virtutum, lib. | *Apostolica vox, &c.* |
| Commentaria in Cantica Canticorum Salom. | *Tangat me dulcedine, &c.* |
| Lib. differentiarum sive de proprietate sermonis | *Plerique veterum, &c.* |
| Lib. de viris Illust. sive de scriptorib. Ecclesiast. | *Quamvis superius, &c.* |
| Lib. Glossarum. | *Ab se spontaneus, &c.* |
| Commentaria in Regulam S. Benedicti. | *Sicut unusquisque, &c.* |
| Liber de Conversis. | *Non inchoantibus, &c.* |

*Commentariorum Magni Isidori nostri,*

In Tobiam lib. 1.
In Iudith. lib. 1.
In Esther lib. 1.
In Iob. lib. 1.
In Psalterium lib. 1.
In lib. Proverbiorum librum 1.
In Ecclesiasten lib. 1.
In librum Sapientiæ, lib. 1.
In Ecclesiasticum, lib. 1.
In Isaiam lib. 1.
In Hieremiam lib. 1.
In Ezechielem lib. 1.
In Danielem, lib. 1.
In duodecim Prophetas minores lib. 12.
In libros Machabeorum, lib. 2.
In quatuor Evangelia. *Lib. Generat.*
In Epistolas Pauli, lib. 14.
In Actus Apostolorum, lib. 1.
In Epistolas canonicas, lib. 7.
In Apocalypsim. lib. 1.
Interpretationes Novi ac Veteris Testamenti, lib. 2.
De Sancta Trinitate, lib. 1.
De Astronomia, lib. 1.
De Corpore & Sanguine Domini, li. 1.
De Cosmographia, lib. 1.
De officio Missæ, lib. 1.
De Hæresibus, lib. 1.
Ecclesiasticorum Dogmatum, lib. 1.
Mysteriorum Sacræ Scripturæ.

*Scripsit & alia*, ait Sigebertus, *sæculari litteraturæ competentia, quæ commemorare, nihil ad nos, &c.* Et Trithemius; *alia quoque multa scripsit, quæ ad notitiam meam non venerunt.* De pluribus aliis, Isidoro adscriptis, videndus Cajetanus noster in suo Isidoro, & Iacobus Breulius, Arnoldus Wion, Yepes, &c. Grandis omnino librorum, & sanè juxta meritorum amplissimus Syllabus. Contempta corona gloriosior, effulget sub hunc annum in ordine nostro, Eadburga Redualdi Orientalium Anglorum Regis filia, Sanctæ Edithæ, de qua anno superiore, soror; id pro majestate perituri Regni consequuta, ut totus illam hodie terrarum orbis sanctam veneretur. *Chorograph. Britanniæ, VVion, aliique.*

*A.C. 630.* *S.P.N. 150.*

CElebratissimus hoc anno, sanctitatis fama, Sanctus Amandus noster, Magnus Tungrorum, Eburonum, Brabantorum, Flandrorum, Alsatarum, &c. Apostolus, de quo deinceps, pro meritis sæpius. Ejus hoc anno jussu, & suasione, conditum Marchianense, primo virorũ, dein Virginum, cænobium, per sanctam Rictrudem, mox in ordinem nostrum adscriptam, quod dein, ager fuit fœcundissimus, ex quo multi, & graves cælo manipuli illati. Videndus Ferreolus Locrius, & quem citat, codex M.S. Fuit Amandus, Sereni Aquitaniæ Ducis filius; tum vero, quando contempto Principatu, fa-

tu factus in oculis suis vilis, vere Illustrissimus, & serenissimus Monachus. Professus Monachismum in Ogia Insula, inde Bituricensem ad urbem profectus, Sancti Wandregisili nostri ope, ac cura usus est. Tum primum, post diutinam probationẽ ipsomet jubente per visum Apostolorum Principe, infidelium se conversioni dedit, tanti meriti, assiduo labore factus, ut nulla tot tantarumq; gentium, quas prædicaturus adiit, posteritas, illud satis deprædicatura sit, in sæculorum usq; æternitates, consulendi Antonius de Yepes, vita ejusdem apud Surium, & script. rerum Belgicarum.

Cælo supremo recipitur hoc anno, illustrissima illa cæli Britannici stella, Sanctus Iustus Cantuariensium Pontifex. Succedit, pari sanctitate ex nostris, & simili prorsus Regni universi bono, Sanctus Honorius, de quo suo loco. *Vid. Beda Ven. VVestmonast. alij, &c.*

*A.C.* 631. *S.P.N.* 151.

ABlegat in cælum, causæ suæ felicissimum apud supremam Majestatem actorem, & patronum potentissimum, Sanctum Licinium Andegavensem Episcopum, Gallia contemptu sæculi, sacro vitæ rigore, nec non perfectissima vitæ innocentia, longè gloriosissimum. Is Warnerij Burgundiæ Comitis filius, à prima juventute Clotharij Regis aulam sequutus, ab eodem summis honoribus cultus, & comitatu Andegavensi donatus, mox Magister Equitum sive Palatij constitutus est. Verum, cum incitante Numine, omnis ipsi pompa vilesceret, abdicatis amplissimis opibus, & honoribus, felicitatem solidã quærendam in cucullo censuit, & in Cincillacensi cænobio, Monachismo se devovens, brevi, tantum Religione profecit, ut sanctitatis culmen pertingeret, Monachisque non solum collegis, sed Audoeno inprimis Episcopo admirandus haberetur, quo meruit apud omnes, ut invitus multoque cum luctu suo, ab Audoeni morte, uno omnium voto ad Pontificatum raperetur. Præfuit summo, non Andegavensis solum, sed universæ Ecclesiæ bono, & ornamento, miraculorum gloria admirandus, & hoc denique anno, post labores innumeros, & gravissima merita, præmium meruit felicissimæ æternitatis, in numerum sanctorum relatus à Vitaliano Papa Anno Christi DCLXVI. & Patronus suæ Ecclesiæ cooptatus. *Videndi Renatus Benedictus, 13. Febr. Ioannes de Bourdigne Claud. Robert. contra Baronium, &c.*

*A.C.* 632. *S.P.N.* 152.

ADmiranda Dei in ordinem nostrum propensio, & manifestum indicium, qualiter sibi in suis, & Benedicti Patris filiis complaceat; quando illud perfectissimæ sanctitatis speculum, Beatissimum Bisuntinorum Pontificem Claudium, olim Divina item voce ad præsulatum vocatum, ab eodem denique revocatum, perfici amplius, per contemplationis sublimitatem, in ordine nostro vellet. Quippe Angelo è cælis submisso, admonitus est, ut in Sancti Eugendi cænobio, Bisuntinæ Diœcesi finitimo, sanctissimi Benedicti institutum complecteretur. Eo igitur se contulit vir sanctus, ubi tam præclaro pfectionis, & sanctitatis lumine omnibus præluxit, ut Injuriosus, ejus Monasterij tunc Abbas, vir sanè eximia item sanctitate, & prudentia, Monasterium ei regendum cedere voluerit; quod quidem tunc, cũ pro virili detrectaret, detrectando evinceret, debuisse tamen, à morte Beati Injuriosi admittere, suo tempore referemus. Obstupuit raro exemplo abdicati tanti honoris, vicina Gallia, & Germania, & multis sanè res cordi fuit, ita, ut summo bono suo, plurimi exin alij consequerentur, ut deinceps patebit. *Ex vita, &c.*

Sub hunc ferè annum, quamvis alij posterioribus annis, & Baronius, præcedenti, referat; Magnus ille Gallici Regni splendor, & secundus à Rege moderator, sanctissimus Arnulphus Metensium Episcopus, Monasticum vitæ institutũ, quod invitus deseruit, reluctante quantumvis Rege resumpsit. Discedendi copiam sæpius flagitaverat à Dagoberto, quem educaverat, Rege, sed necquidquam; cũ instantius denique urgeret, eo iracundiæ renuentem adegit, ut correpto mucrone, vel cũ vulnere tandem à proposito averteret. Tum Arnulphus: (verbis Ionæ referimus.) *Quid agis miser? Mala pro bonis mihi rependere vis? Nunc autem quandoquidem placet, sævias in me quantum velis: ego pro illius amore mori non dubito, qui mihi vitam dedit, & pro me mortuus est.* Intervenit è proceribus quidam, & blandioribus verbis correpto Rege, sopivit iras, & accedente paulo post Regina, eo doloris ex pœnitentia concitatum se Dagobertus sensit,

sensit, ut jam porro se minimè abstineret, quin cum Regina ad Sancti pedes accideret. Ita mutato Dei gratia animo, qui paulo ante mactatum præsulem voluit, ab eodem, prostratus jam, multis cum lachrymis, veniam & misericordiam implorabat. Verum, cum neque sic tandem Arnulphus, quod rogaverat impetraret, cõsulto Numine, & responso rogato atq; accepto, approbante vota, & proposita Deo ipso, rejectis tiara ac lituo, cucullum denuo amplexus, celeri se fuga ex aula proripuit. Vnde rursum æstimes licet, quid de utilitate, & præstantia Monachismi sentiendum. *Vid. Ionas & Baron.* Vius dein, sive non multo post, Sancto Eligio nostro, Dagobertus, Solemniacensis cænobij conditore, Monacho, & Abbate, admirandæ item Sanctitatis Consiliario, qui nolens quamtumvis, ac obsistens abstractus cænobio, Sancto Remaclo Abbatialem curam, & honorem resignavit. *Videndus Notgerus Leodiens. Episc. in vita S. Remacli, &c.*

Obiit hoc eodem anno, Magnus ille, & Sanctissimus Bavo noster, de quo superius, contemptis amplissimis opibus & Principatu laudatissimus, de cujus mirandis fusè Theodoricus, Sancti Trudonis Abbas (apud Surium, & Molacum, (ut brevitatis causa hic pretereamus. *Quantus, quamque magni nominis fuerit, non solum miracula patefecerunt, quodque multæ Ecclesiæ ab eo extructæ fuerint, sed etiam quod viri celeberrimi eum religiosè visitarint. Siquidem Sanctus Amandus, Magnus ille Flandrorum Apostolus, noluit abesse cum ex hac vita migraret. Domlinus Religiosissimus Presbyter ex Turolto, angelico ducatu advenit, ut ante mortem ei sacræ Eucharistiæ viaticum traderet. Beatus Livinus Archiepiscopus, & Martyr in Flandriam adveniens, triginta diebus super ejus sepulchrum Missarum solemnia celebravit, & cum convertendis infidelibus operam dabat Florberto Abbati in ejus memoriam elegiacum carmen transmisit. Sed & S. Eligius Episcopus, non modo Sancti ejusdem reliquias visitavit, verum etiam è terra honorificè levavit, Kal. Aug.* Ita Baronius, &c.

*A.C. 633.* *S.P.N. 153.*

Locuples Benedictini zeli, & Spiritus argumentum edidit hoc anno Sanctus Amandus noster Tungrensium Pontifex, qui vultum Regis minimè reveritus, acrius eundem pro libidine reprehendit, & pro pietate exilium meruit. Eo ipse optimè usus, arrepta occasione, cum & sanguinem pro Christo fundere optaret, in Vasconiam profectus, Gentilibus Evangelium prædicat, atque etiam ad alia loca digrediens, Gandavum pervenit, ubi plurima à Barbaris passus, Tornaci tandem resuscitato à morte, quem ipsi suspendio extinctum viderant, magni facti ad Baptismum concursus; longius etiam ad Sclavos, transito Danubio, studio lucrandi animas, & Martyrium adipiscendi progressus est, ubi, cum non constaret operæ fructus, ad proprias tandem rediit oves. Quis Tornacensium, à prædicatione Amandi, & à miraculo, de quo superius, fructus extiterit, ita refert Baronius: *Hoc ubi miraculum* (excitati mortui) *longè lateque divulgatum est, statim incolæ regionis illius, cursu celeri ad ipsum cucurrerunt, & ut faceret eos Christianos humiliter postulabant. Fana etiam, quæ ante adorare consueverant, propriis destruentes manibus, ad virum Dei omnes unanimiter convenerunt. Nam ubi fana destruebant, vir Domini Amandus, tam ex munificentia Regis, quam ex collatione religiosorum virorum, religiosarumque fœminarum statim Monasteria, aut Ecclesias construebat, &c.*

Effulsere hoc eodem tempore è nostris, in Belgio quoque Sancti Amandi strenui successores, & egregij prædicatores, Sancti Floribertus Abbas Blandiniensis, & Livinus Episcopus, viri Apostolici, qui sua prædicatione, ingentes cælo exercitus conscripserunt. De utroque fusius Yepes noster, & Belg. rer. scriptores. Florbertum Arnoldus Rayssius vocat: *Exemplar Sanctitatis, & speculum totius Religionis.* De solo Livino, Aubertus Miræus ait: *innumeros ad Christi fidem verbo, exemplo, ac miraculis convertisse.* Eidem extractam à Barbaris linguam divinitus restitutam, tandem multis obtruncatum vulneribus Martyrem occubuisse, idem commemorat. Est Livinus *Gandensium Patronus*, ut vocant, sive Divus Tutelaris Provinciæ, ut Ordini denuo debeant nostro, frequentissima urbs, & ditio, tot annis, non solum utilissimè se defensas, sed & gloriose sanguinis pretio partas seu reparatas.

Celebratum hoc año Consilium quartum Toletanum, incitante maximè, & agente, imo præsidente Sanctissimo nostro Hispalensi Archiepiscopo, ut appareat denuo, Magni hujus Ecclesiæ Doctoris studium, & diligentia, qui nihil unquam intermiserit, quo videatur Ecclesiæ Christianæ prodesse potuisse. Memorabilis tunc pietas, & observantia erga Patres

tres

tres Concilij, Regis Sisenandi, qui cum proceribus Ecclesiam ingressus, gravissimos inter singultus, & lachrymas, humo prostratus, omnium prius preces, & suffragia implorabat, dein ad rem strenuè gerendam, piè exhortatus est. Vt videas, quam mirandi posteris, Reges veteres, à nostris instituti, quantumque celebrandi sint. *Consulantur Isidorus noster, Baronius, Yepes, &c.*

*A.C. 634.* *S.P.N. 154.*

MEritum ingens hoc anno S. Aidani nostri Lindisfarnensis Archiepiscopi, in convertendis Gentilibus Northumbris, juvante ipso etiam Rege, & pro concione Aidani sanctissimi viri interpretem agente. De utroque Beda: *Hujus* (Aidani) *Sanctissimi Antistitis doctrina, Rex Osvvaldus, cum ea, cui præerat, Gente Anglorum institutus, non solum incognita* (NB.) *suis progenitoribus Regna cælorum sperare didicit, sed &* (NB.) *regna terrarum, plusquam ullus majorum suorum, ab eodem uno omnipotente Deo, qui fecit cælum, & terram consequutus est, &c.* Vt constet; Aidano, Patronum maximũ diversissima Regna; Oswaldum ipsum autem, præter tot Regna, cælcon Principatum, tantamque sanctitatis in universo celeberitatem, æternum debere; cujus Pontificis magisterio, tantus Rex didicerit tantum, quantum nullus majorum suorum ingenio, nedum gladio, sit assequutus. Progressus felicissimos, Regi Oswaldo, & Aidano debet, sub hæc tempora, illustrissimum illud Lindisfarnense Monasterium, scientiæ, & sanctitatis felicissimum emporium, quod Cathedrale cum esset, Monachos tamen solos habuit, ex quibus cathedrale Collegium constabat. De isto fusius Beda, & Yepes noster, sed & Reinerus, Cajet. &c.

Iterum, magno Hispaniæ bono, cogente Isidoro nostro Synodus Toleti celebratur in qua decretum, ut post alios scribit Ioannes Mariana: *Missale, & Breviarium unum esto in Hispania. Ejus rei perficiendæ cura, quoniam Isidoro, qui primas partes in eo Concilio tenuit, creditur esse demandata, usus obtinuit, ut Missale, & Breviarium Mozarabum, hoc est, ex antiquo Gothorum more conservatum, sacrorum, precumque diurnarũ, & nocturnarum ritus, Isidoro tribuantur, tametsi nonnulla Leander* (itidem noster) *invenit, plura progressus temporis addidit, &c.* Vid. Cajet. in Isidoro.

Emigravit in cælum hoc añno sanctissimus Iustus noster Toletanus Pontifex, habuitq; non impari sanctitate successorem, ex eodem, quo ipse extractus fuerat, Agaliensi Cænobio, sanctum Eugenium II. de quibus legendi, *Morales lib. 12. c. 21. & cap. 29. S. Ildephonsus de vir. Illust. cap. 8. & 12. VVion. alij, &c.*

*A.C. 635.* *S.P.N. 155.*

GRandi meritorũ copia locuples hic annus, Sancto Birino nostro gloriatur. Is honorio Pontifici promisit (tantus nostrorum animos fervor Gentium conversionis occupaverat!) se in intimis Anglorum partibus, *quo nullus Doctor præcessisset*, sanctæ fidei semina esse sparsurum. Proin jussu Honorij per Asterium Genuensem Pontificem, Episcopus consecratus, profectionis initia admirando prodigio illustravit: quippe oblitus pallæ, ab honorio Papa donatæ, qua Christi corpus involveret, provecta jam in altum nave, & velocissimo cursu propulsa, ipse fluctibus, Apostolico se credens exemplo, siccis vestibus, per mare ad navem reversus est. Angliam ubi attigit; Occidentales quamprimum Saxones, Gevissos dictos, verbis instruens, felicissimo successu cum Cynigildo eorum Rege convertit ad fidem, ipso Sancto Oswaldo Rege, eum de Sacro lavacro suscipiente, eiq; filiam in matrimonium elocante. Birinus, à Rege utroque Dorcinensi urbe, vulgo Dorcestra, donatus, inibi Dorcestrensi Episcopatui initia dedit. Quæ sedes, exin Lincolniam translata, originem suam Birino nostro æternnm debet. *Ex vita ejusdem, & Baron. &c.*

Receptus, hoc eodem anno, in beatorum sedes, sanctissimus ille Gerundensiũ in Hispaniis Pontifex Ioannes ex Monacho, & Abbate Vallis Claræ, ad eam dignitatem assumptus, vir undecunque doctissimus, zeloque Catholicæ fidei accensus, pro cujus defensione, multas ab Arianis passus est injurias, illustrissimis à Deo miraculis commendatus. Inter opera ejus, relicta ingenij monimenta præcipua. *Exhortationam ad Monachos, liber unus. Paralipomenon Hispaniæ, libri decem*; qui sunt excusi, cum aliis rerum Hispanicarum scriptoribus Francofurti, Anno 1579. in fol. Videantur Vasæus, Morales, Trithemius: successit Ioanni in Pontificatu, æque ac sanctitate, pari splendore, illustre sydus, Sanctus Nonnitus sive Nonnitius ex Monacho nostro; *de quo audiendi San-*

*di Sanctus Ildephonsus, Yepes, Arnoldus, nostri.*

*A.C. 636.* *S.P.N. 156.*

SUstulit hic annus terris, cæloque intulit, splendidissimum illum Hispaniarum, & universi solem Sanctissimum Isidorum Hispalensium Archipræsulem. De hoc Tundensis in Cinthilano Rege; *Anno primo, inquit, Regis Cinthilani, Doctor, & Legumlator Hispaniarum, Isidorus, stans in Ecclesia, peracto sermone ad populum, & expandens manus, benedicens omnibus, Deo, hactenus traditum sibi gregem commendans, felicissimo somno obdormivit in Domino. Decoratus quippe extitit sanctitate, Spiritu prophetiæ clarus, in eleemosynis largus hospitalitate præcipuus, corde serenus, in sententia verax, in judicio justus, in prædicatione lætus, in lucrandis Deo animabus studiosus, in expositione scripturarum cautus, in consilio providus, in actu humilis, in mensa sobrius, in oratione devotus, honestate præclarus, semper pro Ecclesia & veritatis defensione mori promptus, & in omni bonitate conspicuus. Præterea, pater extitit Clericorum, Doctor, & sustentator Monachorum, & Monialium consolator mærentium, tutamen pupillorum ac viduarum, attritor superborum, persecutor, & malleus Hæreticorum, &c.* Dignè meritis tanti viri Lucas; dignius autem illi, de quibus Ioannes Mariana lib. 6. capite 7. de Reb. Hispan. affirmantibus; *Bonifacio Octavo Romano Pontifice deliberante de iis, qui Doctorum Ecclesiæ nomine, & numero essent cohonestandi: fuisse, qui Ambrosio Isidorum præferendum, aut quatuor certè aliis, quintum adjiciendum judicarent,* pergitque Mariana: *opinioni fidem facit, tanti viri eruditio, in omni litterarum genere excellentis,* & quoniam in eo numero duo Patres Italici generis sunt, nullus ex Occidente.

Sanè ad commendationem meritorũ Isidori, quid amplius dici posset, minimè apparet, nisi par illud, quo Leo IV. Pontifex Maximus, eundem *Doctorem Sanctum*, pari, cum Hieronymi, & Augustini, titulo honorat, respondens Britanniæ Episcopis (apud Gratianum dis. 29. de libell.) *Si illorum,* ait, *quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, ac cæterorum similiũ Sanctorum Doctorum, reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda, vel ad Apostolicam Sedem referenda.* De ejus meritis, & laudibus prolixius, Sanctus Braulius Episcopus Cæsaraugustanus in ejus vita, & in quodam Sermone Anonymus Benedictinus Monach9, de quo noster Cajetanus, Sanctus item Ildephonsus Archiepiscopus, Lucius Marinæus, Ioannes Mariana, Vasæus, Lucas, Tudensis, Antonius de Yepes, Constant. Cajetan. Hisp. rer. scrip. Baronius, &c. Meruit hoc eodem año, principe merito, de Austriis, & Austriæ Metropoli Vienna, S. Gisalaricus noster, Monachus S. Petri Salisburgensis, S. Ruperti discipulus, qui Episcopus ad conversionem Gentium ordinatus, iis locis splendidissimè eluxit, nomen æternum meruit. De Gisalarico, *vid. VVion. & quem citat Belforestius in descriptione Viennæ, &c.*

*A.C. 637.* *S.P.N. 157.*

FElicissimè emoritur Sanctus Injuriosus Abbas Monasterij S. Eugendi, successorque deligitur, Sanctissimus ille Claudius, de quo superius, olim Bisuntinensium Pontifex. Eo Abbate, quantum mundo meritorum accesserit, ex tanta Sanctorum, & Patronorum, quos ille educaverat, copia, æquo rerum æstimatori, post relata ex ipsius vitæ scriptore verba, relinquimus: *porro in ea,* inquit, *prælatura constitutus, brevi, non ad suos tantum, sed ad exteros, sanctitatis suæ radios diffundere, cœpit, prorsus, ut & illa intra tecta parietesque Angelorum in humanis corporibus quidam convictus videretur, & multi omnium ætatum ac ordinum homines, Claudii consuetudine exemplisque incitati, ad monasticæ vitæ disciplinam confugerent, &c.* ex ea quæ est apud Lippeloum.

Germaniam nostram implent accenduntque fama, & exemplo Sanctitatis, Sancti, Magnus sive Magnoaldus, Theodorus, aliique Sancti Galli discipuli, superius memorati, non tam ætate, quam meritis provecti, de quibus plura reperies *apud Goldastum, Henricum Canisium, Stengelium, & tomo primo Const. Ben.*

*A.C. 638.* *S.P.N. 158.*

TRiumphatorum Regnorum, carnis, deliciarum, pompæ omnis ac sæculi universi, gloria insignes, orbi ac posteritati omni exemplum im̃ortale prætulerunt sub hæc tempora, præter alios multos, strenuos pace ac bello Principes, Heroinæ fœminæ quamplurimæ, sacris nostris legibus addictæ, quas inter, principem sibi locum jure merito vendicat sanctissima Ebba, Ethelfridi Northumbriæ, Regis filia, quę à morte parentis, ordinem nostrum in Coldingensi prope Scotiæ fines Cænobio, professa, ita se gessit, ut tandem

dem Abbatissæ, Martyrii, & Canonizationis (sic appellant) præcipuas dignitates mereretur. Obstupescat animositate generosissima nobilissimæ Reginæ, mundus Vniversus. Irruentibus in Scotiam Danis, verita ipsa ne in libidinem infidelium incurreret, nasum ipse sibi, cum labro superiore, ad dentes usque præscindens, horrendum de se spectaculum præbuit universis. Cujus exemplum, reliquæ omnes, grandi numero, subsequutæ moniales, castitati suæ, piisima crudelitate, gloriosissimè consuluerunt: tandemque omnes Monasterio inclusæ, bis Martyres, duplicata laurea, injecto ab hoste igne immaculatissimæ hostiæ absumptæ, seu potius, per ignem cælo ingens gloria, transmissæ, felicissimè absumptæ sunt. *Videantur Matthæus VVestmonast. Vener. Beda, Ant. Yepes, Arn. VVion. &c.*

De aliis Regiis, sanctitate dignius, quã sanguine Virginibus, ordinem nostrum professis, pluribus agit Antonius de Yepes citatus tomo 2.

*A.C. 639.* *S.P.N. 159.*

ILlustris hic annus, revocatione ab exilio, sanctissimi præsulis nostri Amandi, est. Eum Dagobertus Rex, quod corripientem non ferret, exulare jusserat. Sed octavo demum anno sceleris pœnitens cum honore reduxit, dimissisque concubinis, ac illegitima uxore, admissa ad thalamum legitima, quem ex illa suscepit filium, venia inprimis ab Amando postulata, eidem & baptizandum, & educandum obtulit. Abnuit primum Sanctus Pontifex, & ne per officij speciem, ad negotia traheretur Palatina, prorsum recusavit: verum Regis demum, ac procerum victus precibus, assensum præbuit. Inter baptizandum, illud rari prodigii, adstantes omnes percepere; finita super infantem oratione, cum nemo respondisset ex adstantibus: puerum ipsum recens natum, in verbum solemne *Amen*, solutissima lingua erupisse. Ita reconciliatus, prostrato ad pedes suos Regi, Amandus, prodesse Galliæ denuo cœpit, & faciliorem ad bona omnia Regem habere. Tantum, in Reges, constantia, plusquam proceres quicunque adulatione, nostri potuere. *Videndus Aimoinus lib. 4. cap. 20. Vita S. Amandi apud Sur. Card. Baron. &c.*

Neque minori fructu, Biturigibus præfuit, sub hunc eundem annum, Sanctus Sulpitius, cognomento, Pius, è Monacho Ordinis nostri, & Abbate, Bituricensis Archiepiscopus, de quo legendus *Claud. Robert. Trith. VVionius, aliiq.*

*A.C. 640.* *S.P.N. 160.*

PRolixus hoc anno, in laudanda Germania, Hispanus Yepesius noster, ab eo nimium tempore, quo, barbarie à nostris est absoluta; probatque pulcherrimis argumentis, quid Monachis debeant Germani, ex belluis (nequid tetrius dicam) homines facti, & cælo renati errante tunc sine legibus, sine artibus populo; aut, si muris subinde, & urbibus clauderentur, paucis tamen, iisque in frequentibus, sed & malè, per libidinem cujusque qui plus poterat manu seu dolo, administratis. De urbibus, quæ prope, & propter Cænobia exstructæ, plures potentia, & opibus succrevere, plura nos in tomo Constantiæ Benedictinæ, primo, sexdecim omnino Diœceseos ejusdem, præcipuas dignitate urbes seu civitates enumeramus, quæ in gratiam nostrorum, seu à nostris conditæ, originem suam, & bonũ omne, Monachis Benedictinis debent; unde judicium facias, de Germania Vniversa, tot tamque amplis provinciis subdivisa. De hoc eodem argumento, ubi tractasset fusius Beatus Rhenanus libro 2. Rerum German. sic denique concludit; *Igitur occasione Cænobiorum in Germaniis provinciis, oppida ista fieri cæpta.* Nec dissimilia habent Munsterus, Georgius Braun, Ioan Stumpfius, Albertus Grantzius, aliique Germanicarum rerum scriptores, & cum his Bozius lib. 20. de signis Ecclesiæ, capit. 5. qui post alia, de hoc ipso plurima: *Illud autem,* inquit, *non pigebit repetere, plerasque Septentrionis urbes juxta Monasteria conditas quod à Monachis scilicet, ad omne bonum populi olim Boreales inculti, & agrestes instituerentur, &c.* Ecce; novam hodie faciem, imo bonum quasi omne Germaniæ, in acceptis Monastico ordini merito referri, & à monachis promanare. Quod de Germanis ausus sit affirmare Æneas ille Sylvius, postea Pius II. Pont. Maxim. *Quod si vos amplius* (ô Germani mei) *appellaverint barbaros, ipsi verius Barbarissimi censendi sunt, sive Græci sive Latini.*

Exornavit hoc eodem anno cucullum æque ac genus Regium, egregia vitæ sanctitate, Eracongotha, Earcomberti Angliæ Regis filia, Monacham in Monasterio Galliæ Brigensi professa, quam exin plures, tam è Britannia, quam ipsa etiam Gallia, subsequutæ, ordinem seipsis, universum autem grandibus meritis locupletarunt.

tarunt. *Matth. VVestmonast. Ven. Beda, Trithem. Baronius, VVion. &c.*

*A.C.* 641. *S.P.N.* 161.

TRistis hic annus terris, cælis festivus est, transitu Magni, & incomparabili, Metensium Pontificis Arnulphi; cujus meritorum, si vel Syllabum, primis solum syllabis percenseamus, ingens planè, & molis improbę volumen componam9. Verè Galliarum Servatoris à Deo, & Deiparente; Regis, post Regem an supra Regem Titulo commendandus. Notandi hi versus Saxonis lib. 5. Annal. Caroli Magni ad Arnulphum Imperatorem.

Vnum commemorem tanto de germine Patrem
Quem Sanctum, Christi prædicat Ecclesia.
Scilicet Arnulphum, Francorum qui fuit olim
Princeps; ac Præsul post satis egregius.
Ductus amore Dei, qui spreverat omnia mundi,
Quæ mulcent oculos, quæque trahunt animos.
Malens Divinas, Mundi quam tradere leges,
Esse Dei famulus, quam populi Dominus.
Nunc ovat in cælis præbens miracula terris,
Sublimis meriti signa decora sui.
Indeque nostrorum totam seriem Dominorum
Stirpem nempe suam, protegit atq; fovet.
Præ cunctis igitur tibi cura Nepotibus una.
Quæsumus Arnulphus, sit tuus homonymus.

De Sancto Arnulpho nostro, pluribus agit Antonius Yepes tomo 2. cent. 2. Baronius tomo 8. Vincentius lib. 24. cap. 75. Chronologia Lirin. Francisc. de Rosiers, Gothofredus Viterbiensis, Petrus Divæ9 lib. 3. rer. Brabant. & nos tom. Vitæ SS. ordin. atque alii plurimi. Eodem anno claret, admiranda etiam vitæ sanctitate, Beatissima Rictrudis nostra, cujus dignum memoria ęterna, illud ejus laudatissimum factum pia fraude Dagoberto Regi, eam à morte Adalbaldi mariti sui, ad secundas nuptias urgenti verius quam pellicienti: consilio quippe Sancti Amandi nostri usa illustrissima fæmina, regium Dagoberto, suisque Regni optimatibus, in ædibus suis apparavit convivium. Inter epulas, scicitata ex Rege: *an liceat, in ædibus propriis, quod vellet agere?* atque annuente Rege: quod sumpto nimirum poculo, putaret, seque ac convivas Principes ad potandũ provocaturam ipsa virili animo, prolato è sinu velo sacro, quo ipsam Amandus d onaverat, ipsum ipsa suo capiti imponit, & proripiente se quantumvis à mensa concitatissimo in furorem Rege, in proposito constantissimè perseverat, quoad tandem, in eam quoque sententiam, adversantem nimis quantum Dagoberti animum, Sanctus Amandus inflecteret. Matris exemplum, rarissima ambitione sequutæ, quatuor illustrissimæ proles, Mauróntus filius, Eusebia, Clotsendis, & Adalsendis, ille, & priores duæ, etiam Abbatiali dignitate sublimati; omnes denique in sanctorum numerum relati sunt. De iis fusius Antonius de Yepes tomo 2. Aub. Miræus, Molanus, & ante omnes Hugbaldus noster, Elnonensis Monachus in vita Sanctæ Rictrudis, quæ etiam habetur tomo 3. Surij, &c.

*A.C.* 642. *S.P.N.* 162.

EMicuit ut Lucifer, Alcuino nostro teste, Sanctissimus Richari9 noster Centulensis Abbas, de Pontina non solum provincia benè merit9, in qua incrementum fidei plurimum promoverat, sed de Vltramarinis insuper Britanniæ populis, quibus prædicatione sua plurimum profuit. Eum tanti fecit Rex Dagobertus, ut ad ipsum invisens, patientissimè, blandiri, veteri nostrorum more, nescium, sed acrius corripientem attenderet, & humillimè veneraretur, ac preces efflagitaret. Ægris, afflictis, captivis, pauperibus, ope, & prodigiosa sæpè affluit, de innumeris longè meritissimus, etiam à morte in supplices beneficus. De eo prolixius agitur in Annalibus Iepesij, tomo 2. & ab Alcuino, Vincent. Trith. &c.

*A.C.* 643. *S.P.N.* 163.

INitia sub hunc annum debentur Sanct. Amando nostro potentissimi, & celeberrimi Episcopatus Argentoratensis, juvante conatus viri sanctissimi Dagoberto Rege, ipsumque primum loci ejusdem Pontificem designante. Grande rursum, & immortale beneficium Germaniæ, & maximè Alsatiæ præstitum, quod utinam, qui fruuntur, & fruebantur olim, agnoscerent, & Amandi promptius, ut & felicius

felicius vestigia sectarentur. *Vid. Beatus Rhenanus, Franc. Guillimannus, Bernardus Herzog. &c.* Id ordinis nostri non leve decus, nobilissimam urbem, Argentoratũ, studio nostrorũ conditã, seu resuscitatam (cum Rhenano teste, ruinæ tantũ veteris Argentorati residerent) excitato illic nostris cœnobio, optimo quovis, se proximũ Monachis habitare posse, optante, exædificatas proximè cœnobium ædes, paulòque post munitas, & muro clausas, maximam denique & munitissimam urbem succrevisse, itaque pergit Rhenanus, *ex oppido cœnobiali (nam cœnobium potior pars erat) contractis eo vicis proximis, tanta posteriori tempore, est urbs constituta.* Additque *eadem ratione, nunc propius Rhenum, visitur Moguntiacum, quod olim plusculum distabat. Idem accidisse Spiræ conjicio, &c.* Sanè dignius nihil, quam tantarum urbium, ex quibus præcipuus Germaniæ splendor, & opes, parentes quasi, & conditores Monachos extitisse.

Condita nonnulla, alia restituta, sub hoc tempus, Treveris cœnobia Yepes noster commemorat: Horreum inprimis, verè Dominicum, perillustre Virginum Monasterium, liberalitate Dagoberti Regis, tanto sanctarum numero, quanto horrea spicarum, temporum exin decursu, opulentissimum, infertissimum. Illud insignivit sub hunc eundem annum, prima loci Antistita, egregia sanctitate virgo, Dagoberti Regis filia, Irmina; cujus vitam separatim, proprio libello scripsit Trithemius, & satis fusè refert idem lib. de Virg. Illust. ordin. nostri; Yepes item tomo 2. cent. 2. Effulget eodem tempore Treveris, in recens condito, per Sanctum Modoaldum Treverensem Episcopum, sancti Simphoriani cœnobio, sanctissima fundatoris germana soror, Severa Abbatissa, de qua Stephanus Abbas Leodiensis: *Severa secundum nominis sui convenientiam, digna præsidentis animi severitate erat. Nihil enim illius severitate jucundius, jucunditate severius, lætitia illius tristis, tristitia suavis, inculta vestis, oculi demissi, incessus gravis, cibus tenuis: ita sanè, ut cum omnia digna Deo faceret, nihil tamen dignum se fecisse crederet, comitesque suas, plus exemplis doceret, quam verbis, &c.*

Nec minore sanctitatis fama, stella alia, altero Treverensium cœnobio, Palatiolo elucescit, sanctissima Adela, Irminæ, eisdem patre, & matre Regibus soror, quæ sororis exemplo, sponsum eligens Christum, omnem pompam terreni Principatus pro ejus amore contempsit, & postmodum in eo, de quo supra cœnobio, quod Modoaldus Treverorum Pontifex construxit, prima Abbatissa constituta, & sororis suæ imitatrix in terris, & perennitatis in cœlo socia extitit. *Belforest. Yepes, Trithem. VVion. &c.*

*A.C. 644.* *S.P.N. 164.*

ILlustratur hic annus Natali, viri sanctissimi Paulini Episcopi Eboracensis, quo nimirum mortalibus valedicens, ingentium meritorum, & laboris Apostolici mercedem adeptus est. Successit Ithamar Anglus, ordinis nostri Monachus, è primis nostrorum discipulis, eo honore dignissimus. *Vid. VVion. Trithem & rerum Angl. script.*

Conditum hoc ipso anno celeberrimũ illud Galliæ Archisterium Sanct. Dionysianum, &, quod prodigiosissimum, ab ipso Christo Domino consecratum, ut ambigere nemo possit, quam chara Deo ipsi, Principum in Monachos pietas, sed *& quam honorabile coram illo Monachorum nomen,* quos nimirum tam illustribus rarissimæ benevolentiæ signis prosequeretur, ac honoraret. De miraculosa illa Dedicatione, ut & conditis aliis à Dagoberto cœnobiis, multis agit Antonius de Yepes, tomo 2. cent. 2.

In Britannia, apud Orientales Anglos, fides Christiana felicissimè propagatur, teste Baronio, per Sanctum Furseum nostrum, virum Apostolicum, de quo infra.

*A.C. 645.* *S.P.N. 165.*

QVid commodi, & quidem æterni, sperarent ab ordine nostro, testati illustrissimo sanè stupendoque æternis sæculis exemplo, sub hæc tempora, potentissimi Reges, Iudicael I. Britanniæ Armoricæ in Gallia Rex, Iudicael II. Iudocus, & Winocus, ejusdem filij, omnes omnino, posthabito cucullis Regno, in Divorum referri album sanctitate vitæ meriti. Iudicaele patre, abdicatoriam regno, Deo in Divi Maini cœnobio famulante, ambitionis inter filios, & contentionis insolentissimæ miraculum, ex Hieronymo Plato Societ. Iesu viro Religiosissimo, accipe: *Illa vero,* ait, *egregia æmulatio, quæ inter duos fratres, Britanni Regis filios contigit. Nam cum Iudicaellus* (sic alij Iudicaelem, quidam etiam Gothelum vocitant) *Qui in regno successerat, Iodoco fra-*

*cofratri consilium aperuisset, quod jam constituerat religiosi status capessendi, proinde se pararet ad Regni administrationem, quod illi relicturus esset is octo ad deliberandum diebus postulatis, fratrem præveniens, clam ipse, nequid impedimenti objiceretur, ad Monasterium abiit, ita secum reputans: si regnandi conditio ejusmodi esset, ut eam relinquere fratri expediret, ne sibi quidem expedire ut eam acciperet.* Ita Platus lib. 2. cap. 26. de bono status Religiosi; Sed fusius Yepes, & Florentius Abbas in vita. Videantur item Trithemius, Cænalis, Meyetus, Belforestius, Vincentius, &c.

Hispanias rursum replet admiratione Sanct. Fructuosus noster, ex illustrissima Principum familia, Monachus, & Abbas Dumiensis, multorum in Hispania Cænobiorum Conditor, & fundator, de quo pro meritis alias frequentius. *Vid. Yepes, Ambros. de Moral. Vasæus, &c.*

*A.C. 646.* *S.P.N. 166.*

PAucis præfuisse annis (si tamen primo statim à se honorem abdicavit) Argentorato Sanctum Amandum nostrum, successio eorum, qui proximè consequuti, & certè assignati Sancto Arbogasto nostro anni, argumento sunt. Sed & brevem iis fuisse præfecturam, qui Chronico Argentinensi Amandum inter, & Arbogastum Episcopi numerantur, annorum, & temporum ratio persuadent. Hoc, ad commendationem Ordinis nostri est, præter auctorem præsulatus Amandum, repertos etiam alios è nostris, nec longè quæsitos, qui proximi Amando succederent, viros Sanctissimos Iustum, & Maximinum, è Vallis Gregorianæ Cænobio petitos, qui prudentia non solum, sed miro sanctitatis fulgore Alsatiæ illuxere. Vid. Chron. Argent. Bern. Herzog. &c. Illustrissimus illustrissimo teste idem annus, Sigeberto Anglorum Orientalium potentissimo non solum, sed & felicissimo Rege; qui, ubi nostrorum instinctu operaque Cantabrigiensi instituta Vniversitate, sive studio universali, novo novi meriti exemplo, de universo optimè esset, & singulariter meritus quanto potiorem his etiam meritis, Regnoque, atque immortali à meritis Regnoque fama, Monasticæ vitæ professionẽ æstimaret, reapse ostendit quando, stupentibus Regni proceribus, angustias cellæ Monachicæ, amplissimo, & compositissimo ad voluntatem, & voluptatem Regno præposuit. De ipso Platus, paulo ant. cit. libr. & capite eodem *Sigebertus*, ait, *Rex, tum litteris, tum multo magis pietate præstans, annũ circiter D C. X L. multa prius in Regno suo ad Dei cultum promovendum præclarè constituit, deinde se quoque ipsum, eidem Deo consecravit in Monasterio. De hoc etiam memorabile fertur; cum aliquanto post tempore, Pendas Merciæ Rex Northumbriam cum magnis copiis invaderet, omnes se ad eum convertisse, ac denique etiam compulisse, ut totius Regni propugnationem in tanto periculo ad Dei gloriam resumeret: illum autem, ob rei Christianæ causam, profectum quidem esse in castra* (Ecce constantem tanti Regis in dignitatis Monasticæ observatione, & reverentia voluntatem) *Sed eodem habitu, quo in Monasterio, cum virga tantum, quam inermis manibus gestabat, exercitum moderaretur. Sed tamen cum, Deo volente Christianorum exercitus à barbaris illis fusus esset, ipse una cum Rege cæsus, eam ob causam nonnullis inter Sanctos Martyres referendus visus est.* Hucusq; Platus. Vid. Yepes Polidor. Virgilius, Beda, Westmonast.

*A.C. 647.* *S.P.N. 167.*

BElgium universum ea inocentia Sanctis fortunatum, ut Paradysus revera videtur. Bearunt, hoc præcipuè anno, Sancti Gislenus, Waldetruda, Aldegundis nostri; ut prætereamus cæteros, qui sola nomenclatura celebrati, silenti, & brevitatis nostræ obstinationem damnarent. Gisleni merita in hodiernam usq; diem perpetuitas gratæ memoriæ & mortui ipsum corpus loquitur: quod Raysio testante, *ab innumeris propemodum hominibus quotidie visitatur.* De VValdetruda superius, quam alii extinctam pridem contendunt. Aldegundis, miranda prorsus Sanctitas fuit, tanta omnino, ut singulariter etiam in terris eandem Numen solaretur, aquam in vinum verteret: sed & Angeli frequentius eidem familiares, nihil unquam tristitiæ gravioris ad ejus animum admitterent. *Consulendi, Molanus, Mireus, Stengelius, Yepes, &c.*

Sulpitii etiam Bituricensis Episcopi merita, luctu communi comprobavere Galliæ populi, sed testante maximè Deo, viri Sanctitas cælestibus prodigiis commendata, honorem, & æternitatem Nominis per universum meruit. Script. Gall. & auctor vitæ ejusdem. Dignissimum contempti honoris exemplum, eodem anno Orbi prætulit fulgidissima illa Belgii gemmula, Sanctissima Gertrudis Pipini Du-

ni Ducis, cognomento Landensis, vidua, quę cum matre sua Itha sive Iduberga, velo è S. Amandi nostri manibus sumpto, Deo Nivellis consecratur 11. Decembr. Miræus in Annal. Belg. consulatur etiam Yepes tomo secundo, &c.

*A. C. 648.* *S. P. N. 168.*

SAncti Fursæus, Foillanus, & Vltanus, germani fratres, Vibeani sive Philtani Hiberniæ Regis filij, gloriosiore autem titulo, Monachi, omnes omnino Sanctitate rarissima conspicui, Hiberniam, Galliam, immo universum ipsum, prodigiorum cælestium insolentia percellunt, & exemplo non solum suo, sed & constructis variis Cænobiis, plurimorũ vitæ perfectioris Monachorum meritis egregiè juvant. *De his hoc anno Aub. Miræus in Annalibus Belgitis, Ant. de Yepes, &c.*

Neque minore vitæ laude, sanctissim9 germanarum sororum Virginum, Berlendis, Nonæ, & Celsæ ternarius in Belgio illucescit, de quibus videndi, *idem Miræus, aliiq; rer. Belg. script. Yepes, VVion. &c.*

Memorabili sub hoc tempus prodigio, in oculis gentilium Apostolatum S. Livini nostri Numen confirmat, & promovet (etsi nonnulli maturius Martyrio coronatum velint) cum enim frendente infero, felicissimis ille successibus, per Flandriã, & Brabantiam, *innumeros ad fidem Christi, verbo, exemplo, & miraculis converteret,* ab obstinatioribus quibusdam infidelium tentus, & crudelissimè exagitatus cum exsecta radicitus lingua, & canibus projecta, nihilominus constantissimè, & distinctissimè Christum annunciaret, magnis auctus prædicationis. & laboris Apostolici, agonem denique felicissimum, illustri martyrio consummavit. *Ex vita per Anon. Aub. Mir. Yepes, rer, Belg. script. &c.*

*A. C. 649.* *S. P. N. 169.*

QVam procul à Spiritu Benedictino ambitio honorum esset, & abdicato antea Argentinensi, & Leodiensi etiam, hoc anno, Pontificatu, Sanctus Amandus ostendit. Multo autem manifestius ea prodit Epistola, quam ad Martinum Papam dedit zeli pro Dei domo plenissimã, qua ratam haberi abdicationem suam, Clericorũ vitia pertæsus sollicitabat. Abnuit primum Pontifex, & alia epistola dehortatus est. Sed evicit constantia Martini animum Divus, & solutionem denique impetravit. Ita evenisse hoc anno, Claudius Robertus, alij etiam prius habent; Baronius anno sequente refert, Sed quid Magnus hic Pontifex tunc à Martino impetraverit, suo loco nos dabimus. Mirandum sanè, quanta, quotque uno ferè eodemque tempore in Gallia, Hispania, Anglia, Germania, & Belgio Cænobia condita, eadem, ut innumera Monachorum copia, frequentissima, sic singula, primis statim initiis, sed & longo dein temporum decursu, viris ac fæminis, admiranda sanctitate conspicuis, quasi consecrata; ut si vel uni9 Cænobij monimenta diligentius inspiciamus, toti inde mundo singulare ornamentum & commodũ, sed & Ordini nostro immortale meritum accessisse judicemus. *Videndi Yepes, sub hoc anno Miræus, Ferreolus Locrius, Claud. Rob. & alii rer Hispan. Gallicar. Belgicar. Germanic. scriptores.*

*A. C. 650.* *S. P. N. 170.*

AMandus noster ipse Romam profectus, & à Martino Papa perbenignè susceptus, munus prædicationis ingentibus, denuo suscepit, cũ sociis sanctis Landoaldo, & Amantio; *qui fructus uberes,* Baronio affirmante, *ex Gentium conversione collegere.*

Condidit idem Landoaldus Monasterium S. Petri in Winterhofen, & insignem illic religiosorum numerum, qui assidua precatione Numen orbi conciliarent, instituit, ipse exemplar Monachorum, vir omnino talis ac tantus, ut uni ipsi, tanquã optimo præceptori, admirabilis puer S. Lambertus Stabuleti Monachus, instituendus traderetur, cujus, & suo merito hic ipse prunas ardentes sinu illæso portavit, & tantum deinceps sanctitate profecit, quantam postea Vniversæ Ecclesiæ comprobavit. Verum postea Landoaldus Romam profectus, ob insignem, & eruditionẽ, & sanctitatem summo in pretio habitus S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus, honorem illum Apostolico labore insigniri voluit, Christi, & Apostolorum prędicationis, & paupertatis studium præclarè consectatus; paratissimus, si visum Numini esset sudores etiam suos proprio sanguine, pro salute fidelium, Deique gloria consecrare.

Neque minore laborum pro Christo sacra ambitione accensus Landelinus noster (eum perperam Bisciola Episcopum Cameracensem appellat) eodem ferè tempore pro causa eadem Romam veniens

niens (ut videas, quam potiores, nostris, labores semper honoribus fuerint) Pontificem in vota sua promptissimum expertus est, & Apostolica auctoritate jussus, talentum quod à Domino acceperat, optimè impendit, rarissimis etiam à Deo prodigiis ipse confirmatus, audientibus probatus. *Videndi Baronius, Bisciola, Surius in vita Yepes, script. rer. Belg. &c.*

*A. C.* 651. *S.P.N.* 171.

SAncti Aydani nostri, viri verè Apostolici, virtus admiranda, potentissimum etiam Angliæ Regem ita percelluit, ut ad Sanctissimi Pontificis se pedes abjiceret. Quod nostrorum plurimis sæpius evenit, ut, quibus nec maximi quidem exercitus obsisterent, Monachi tamen formidandi essent, tanto majore digni veneratione, quanto minus gratiam seu familiaritatem Principum exambierant, imo constantius scelera eorum reprehendebant. Oswinus egregia pietate, & Religione Rex, Aydano equum Regium dono dederat, quo amnes trajiceret, vel, siquæ alia necessitas urgeret, uteretur (quippe Aydano, tanto Pontifici, mos erat, itinera pedi tem conficere, & , quod pastoris veri est, etiam post oves currere, ipsum, atque unum omnia agere, neque onere tanto ad pompam seu voluptatem abuti) sed aula egressus, occurrenti tum fortè pauperi, equum, ut erat, phaleris, & cultu regio, illico donavit. Renunciatum id Regi, qui ad mensam vocatum Præsulem, propter id factum, quamvis modestissimè perstrinxit. Ex Beda, & Baronio, verba ipsa, & quæ consequuntur referimus, omnium omnino oculis digna, & nullo non volumine orbi commendanda: *Quid voluisti, rex ait, Domine Antistes, equum Regium, quem te conveniebat proprium habere pauperi dare? Nunquid non habemus equos viliores plurimos, & alias species, quæ ad pauperum dona sufficerent, quamvis illum eis equum nō dares, quem tibi specialiter possidendum elegi? Cui statim Episcopus: Quid loqueris, inquit, Rex? Num tibi charior est ille filius equæ, quam ille filius Dei? Quibus dictis, intrabant ad prandium, & Episcopus quidem residebat in suo loco. Porro Rex venerat de venatu, & cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris, & repente inter calefaciendum recordans verbi, quod dixerat illi Antistes* (tantum verbo poterant nostri, ut nihil non sanctè prolatū, reverentius susciperent Reges, & sollicitè expenderent) *discinxit se gladio suo, & dedit illum ministro, festivusque accedens, ante pedes Episcopi corruit, postulans, ut sibi placatus ignosceret; quia nunquam inquit, deinceps aliquid loquar de hoc, aut judicabo, quid vel quantum de pecunia nostra filiis Dei tribuas. Quod videns Episcopus, multum pertimuit,* (ne de submissione Regis sibi ipsi blanditum arbitreris,) *ac statim exsurgens levavit eum, promittens, se multum illi placatum esse, dummodo ille residens ad epulas tristitiam deponeret. Dumque Rex jubente ac postulante Episcopo lætitiam reciperet; cœpit contra Episcopus tristis usque ad lachrymarum profusionem efferri. Quem dum Presbyter suus, lingua patria, quam Rex & domestici ejus non noverat, quare lachrymaretur, interrogasset; scio, inquit, quod nō multo tempore victurus est Rex. Nunquam enim vidi antehac similem Regem; unde animadverto, citius illum ex hac vita rapiendum: non enim digna est hæc gens, talem habere Rectorem. Nec multo post, dira Antistitis præsagia, tristi Regis funere impleta sunt. Sed & ipse, Antistes Aydanus, non plus quam duodecimo, post occisionem Regis,* (per proditionem is interfectus,) *quem amabat, die, id est pridie Cal. Septemb. de sæculo sublatus, perpetua laborum suorum à Domino præmia recepit.* De meritis Aydani, fusè Beda, Baronius, rerum Angl. script. Yepes, alij.

Eodem anno, alii atque alii ex Ordine nostro Apostoli, diversis locis ac provinciis, mereri de Vniverso nunquam destiterunt. Plures Aubertus Miræus, in Annalibus suis Belgicis enumerat hoc anno: Sanctum Ethonem Episcopum ex Monacho, Sanctum Bertwinum, Sanctum Eloquium, & alios multos ex Scotia, & Anglia peregrinos; addit, Sanctos Adalgisum, Mombolum, Wasnulphum, Autbodum, aliosque plures, qui verbum Dei in Gallia, & Belgicis maximè provinciis, multo fructu seminarunt. Sed, & Sancto Eligio nostro, teste eodē, sub hunc ipsum annum Apostoli titulus debetur, ob prædicatam, & latè propagatam, apud Antwerpos & Flandros Christi doctrinam.

Eorum, sicut & aliorum, de quibus superius, opera, grandi numero, Cœnobia passim extructa, adjuvantibus præcipuè Principibus provinciarum, & Regibus, quorum, unus Sigebertus, duodecim hinc inde Monasteria condidit, & liberalissimè dotavit. *Videndi superius citati, & rer Belg. scriptores, &c.*

*A.C.* 652. *S.P.N.* 172.

ADmirandum, & inauditum ſanè ęternis ſæculis, charitatis, ſic vocant, fraternę exemplum, quod Sanctus Emerammus noſter, inſolenti ſpectaculo, univerſo exhibuit. Illud ex Reverendiſſimi Brenz-Anhuſani Abbatis, Caroli Stengelij Elogiis Sanctorum Benedictorum referimus; Is alter, à Sancto Ruperto noſtro *Bojorum Apoſtolus*, Pictonum Vrbe Auguſtoritorum in Aquitania oriundus litteris ſacris, & diſciplina CHRISTI à puero domi eruditus, ubi adolevit, Hunnos in Pannoniis ad Chriſti ſacra conatus eſt adducere. Delatus in Boicam Reginoburgum, incidit in optimum Principem Theodonem, qui illum omni ratione cœpit retinere, & perſuaſit, ut in Boica rem Chriſtianam adjuvaret. Emmeramum, præ Ducis verbis, res ipſa movit. Recentes in Chriſtiana fide Boij à ſimulachrorum cultu vix temperabant, majores præſertim natu: Hos pleroſq; emendavit ſanctitas & virtus Emmerammi, qui totum triennium in agro Boico excolendo poſuit. Cum poſt Divino ſpiritu afflatus, iter Romam, Religionis nomine adornaret, Vtha Theodonis filia, ex Sigibaldo primariæ nobilitatis juvene ventrem ferens, & idem Sigibaldus (neque res diutius celari poterat) Emmerammum, de diſceſſu cogitantem, ſupplices adeunt, & ad pedes abjecti, opem miſerandum in modum implorant. Epiſcopi animum, adoleſcentum miſeratio ſubiit, graviter increpitis, in ſe transferendi poteſtatem facit, ipſe viam ingreditur. Trium dierum iter progreſſus, nulla manifeſta de cauſa expectabundus ſubſtitit, mirantib9 comitibus. Vta interim ſtuprum faſſa, ipſi imputaverat. Pater iratus, bonis exutam, in Italiam exulatum miſit. Lantbertus frater, Emmerammum citato curſu inſequitur, & ut Helfendorffi ſubſtiterat, brevi aſſequutus, ſtatis tertiæ horæ precibus, ante ſacras reliquias lucernis ardentibus, una cum Clericis vacantem reperit. Mox productum, acerbè irridens, ſalve, inquit, Epiſcope; ſalve affinis, ſimulque Scipione quem manu geſtabat, in aſtantis pectus fortiter impacto, ſatellitibus excarnificandum tradit. Per omnia membra ſævitum, oculi eruti, lingua, aures, nares, manus, pedesque, & quæ honeſtè nominari non poſſunt amputata, nullo interim lethali vulnere, quo mortem inter ſummos dolores in longum traheret. Ipſe Deum laudibus & precibus continenter venerans, de curru depoſitus expiravit; immenſæ ſimul lucis ſplendore perfuſus, quæ morientis ore progreſſa, & recta in cælum lata, ſpectantium oculos, in fulminis morem perſtrinxit. Accidit 22. Septemb. Vide etiam Velſerum lib. 4. rer. Boicar. congeſtum Illuſtriſſ. Viror. Ord. S. Benedicti; vitam S. Emmerammi, & tomos noſtros ſæpè cit.

Sanctus Landelinus, non de exteris ſolum benè, ſed de noſtris optimè meretur, conditis ſub hæc tempora præſtantiſſimis illis Cænobiis, Alnenſi, Guaslarienſi, Criſpinienſi, & Lobienſi, quæ, velut cornucopiæ, ſanctorum virorum perpetuis meritis & exemplis, nunquam exhauſta cœlum ſobole ſua replevere, terras ditavere; Lobienſe, etiam Epiſcopali titulo decoratum, eundem, quem Abbatem, etiam Epiſcopum habere diu poſtea meruit: ut inſignem, & Epiſcopis Sanctiſſimis opulentiſſimum Epiſcopatum rurſum noſtris debeat Eccleſia univerſa. *Yepes, & Belgicar. rer. ſcript.*

*A.C.* 653. *S.P.N.* 173.

HOc año Concilium Toletanũ VIII. celebratum, noſtrorum ferè opera qui præcipuis tunc honoribus fungebantur, & præter Archiepiſcopalem, Epiſcopalem, &c. dignitates, longè ſplendidiore titulo Sanctitatis, præſtabant, & effulgebant. Subſcripſit inter Abbates, quarto loco, magnus ille Hiſpaniarum Patronus, decus Eccleſiæ univerſæ, Sanctiſſimus Ildephonſus noſter, Agalienſis Cænobii Abbas, jam tunc libris ſcriptis, & purgatiſſimæ vitæ exemplo, de intuentibus, atque inaudientibus, meritiſſimus. De Agalienſis Cęnobij conditore, & fundationis anno, ſic Maximus noſter Cæſar-Auguſtanus Epiſcopus: *Aera DXCII.* (anno nimirum Domini DLIV.) *Atanagildus Rex, in planitie Suburbij Toletani, ædificavit Monaſterium Ordinis Sancti Benedicti, in honorem Sancti Iuliani, apud Arvernos paſſi, dictũ Agalienſe, ab Agallula villa propinqua &c.* De quo, Sanctorum Epiſcoporum quaſi ſeminario, pluribus agit Antonius de Yepes noſter tomo primo.

Ferreolus Locrius, in ſua Maria Auguſta, lib. 3. cap. 8. poſtquam Sanctiſsimi Patris, & Patriarchæ Monachorum Benedicti ordinem, ab ejus naſcentis exordio, Beatiſsimæ Matri Virgini Sacrum fuiſſe oſtendiſſet, de Ildephonſi; adhuc vero latentis per cæli Reginam præſignatione, ita dicit; *Impleverat matris uterũ Ildephonſus, nondum*

*nondum lucem, nondum legem subierat*; *apparet Beata Virgo prægnanti, & quis futurus fætus, prænunciat. Vt vero is Monachatum induit; & inde Toletanam Sedem Pontifex implevit, gemina apparitione Virginis in se affectum, dato etiam pignore, satis superque intellexit.* Fuit familia ortus illustri admodū, & potenti Ildephonsus, ut tanto magis cætera ejus spectentur, & æstimentur, cū constet primis statim vitę initiis, de mundo, & carne inprimis, suis nempe parentibus, gloriosè triumphasse. Ita Breviarium Hispano monasticum Benedictinum: Mundi cupiens laqueos declinare, in Agaliensi Monasterio, sub Divi Benedicti Regula Monasticam vitam agere decrevit; parentibus nec quidquam omnia tentantibus, ut ab ejusmodi proposito ipsum deterrerent. Monachi, non multo post, in demortui Abbatis loco subrogarunt, &c. Sed de Ildephonso sæpius.

Eodem in Concilio, Sancti Isidori nostri, jam cælitis honori, hoc encomio à Patribus Concilij consultum. *Nostri quoque sæculi Doctor egregius, Ecclesiæ Catholicæ novissimū decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, & in sæculorum fine doctissimus, atque cum reverentia nominandus, &c.* Neque minore ejusdem commendatione ejus meminit Conciliū Aquisgranense, cujus Patres, Isidori doctrinam per multis Sanctis anteferendam Doctoribus judicarunt. Deo nimirum ipso, etiam in pueritia ejus contestante, in cujus nimirum infantis os, Vasæo, Marianaque testibus, examen apum (quod de Ambrosio quoque legitur) visum ingredi, & egredi, & in cælum usque evolare.

In Anglia nostrorum opera fides egregiè propagata, & mediterranei ad Ecclesiam aggregati. Evolavit eodem anno in cælos Sanctus Honorius noster, quintus ab Augustino Dorovernensis Archiepiscopus, cui post menses sex supra annum Sanctus Deusdedit, & ipse è nostrorum numero subrogatus. *Porro hi omnes*, ait Baronius, *insignibus meritis videbantur columnæ*; *ipse vero Honorius inter Sanctos relatus, anniversaria commemoratione in Ecclesia celebratur, &c.* script. Angl. Ipso hoc anno Regia sanguinis Regij purpura decus æternum addidit Ecclesiæ universæ, & maximè Anglicanæ, Sancta Ositha nostra, Trithewaldi Regis, & Wilteburgæ, Penda Merciorum Rege natæ, filia, quæ à Sancta Moduvena Abbatissa in Cænobio educata, contra votū nuptui tradita, & abrepta, Sigerio Orientalium Saxonum Regi, sed ab eo intacta, ad Monasterium regredi permissa, dum illic sub imperio sororis suæ Edithæ in omni sanctitate plurimum profecisset, hoc tandem anno, ab irruentibus Danis gentilibus confossa, & capite truncata, illud insigni prodigio, per stadia ferè tria, usque ad Ecclesiam sanctorum Petri, & Pauli deportavit, & sic per Martyrij gloriam cum laurea cęlum ovans intravit. *Vid. Baronius*, Albericus verus in vita quę extat apud Surium, *Chorog. Britan. &c.*

Gloriosus hic etiam annus est, morte Sancti Iudoci Regis Britonum filij, qui post innumera merita, & miracula, prodigiosa è cælo voce dum sacris adstaret altaribus ad coronam vitæ vocatus est: *Quia paterni Regni pro me refutasti culmina, præparavi tibi coronam inter Angelorum agmina, eroque loci hujus in quo resolveris defensor, & custos, &c.* Præter auditam hanc vocem multa in populi frequentia, visa etiam in aëre manus, quæ Iudocum consignans, benedictione eundem Divina confirmavit. Obiit vir sanctissimus Idibus Decembris hoc anno, qui, auctore Florentio Abbate, in carne præter carnem vivens, Angelus esse videbatur, non homo. Corpus ejus ita salvum ac integrum in tumulo repertum post annos ferè sexaginta, ac si Spiritus vitæ in eo foret. Recensendis ejus à morte miraculis imparem se fatetur idem Florentius, ad quæ, nec memoria, neque sermo ullus queant sufficere. Illa rariora, quibus plures ipse mortuus vitæ reddidit, eosque inter, partim suspendio, partim aquis suffocatos, aut alio quovis genere morbi extinctos; *quorum unus Ioannes nomine*, ait idem vitæ ejus scriptor, *per biduum aliquando submersus, adhuc penes nos est Monachus*, utique post explorata illa vitæ alterius, à viventibus aliis, longè alius.

Rursum illustri exemplo, cuculli præstantiam, & commoda probat Sanctus Remaclus noster abdicato Trajectensi Pontificatu, quem Cænobio extractus invitus susceperat. Reversus ad Cænobium suum, invito quantumvis Rege, sed & ingenti comploratione, desolatos se, gementibus populis. Commendavit autem eisdem pro se, dignissimum è Monachis olim suis, S. Theodardū, Deo tam charū, ut ipsum deniq; etiam Martyrij corona

rona honoraret. Fuit Sanctus Remaclus, & ante, & post Episcopatum de nostris, & exteris optimè meritus, plurimis passim extructis Cœnobiis, in quibus, Notgero Leodiense Episcopo affirmante, discipulorum compluriū Pater fuit, & Institutor, quorum, ut ipse Christo lucratus est animas, sic & illi eorumque successores, multorum animas ad Christum adduxere. Videndus inter alios Antonius Yepes tomo 2. Miræus in Annal. Belg. hoc anno, &c.

*A. C. 654.* *S. P. N. 174.*

CElebrat hoc anno Martyrium S. Livini nostri Baronius, nos anno Christi 633. ex Belgicarum rerum scriptoribus, quibus sua compertiora, quam Baronio peregrina arbitramur, dedimus. *Hoc tamen ad commendationem*, ne nihil Baronij, hoc loco admittamus, subdamus: *Habent, inquit, Natalem Levini indelebili inscriptione notatum tabulæ Ecclesiasticæ; eundemque consueto præconio annis singulis anniversaria die in Ecclesia exhibent 12. Novembris, &c.* In laudem dein, pro immortalibus meritis, Sancti Vincentii nostri, ex Comite Hanoniæ Monachi Altomonasteriensis effusus, quem *Auctorem* bonorum omnium, quæ prædicationem Levini, Foillani, Fursei, Vltani, Eloquii, Etthonis, Adalgisi (quos ipse ex Hibernia adduxerat) consequuta ipse memorat, digno planè elogio facit, & deprædicet; ut rursum Cæsaris Historici verbo, & litteris constet, quantum Monachorum meritis ab omni posterorum ætate deferendum.

Coronatus corona Martyrii longè Augustissima hoc etiam anno, Sanctissimus Foillanus noster, Philtani Hiberniæ Regis filius, Sanctorum Fursei, & Vltani frater germanus, de quo superius dixeram9: ipsum auctoritate Sancti Martini Papæ, Apostolico prædicationis suscepto munere, eidem ferventissimè institisse. Passus est cum sociis tribus in sylva Carbonaria apud Hannones; ita ut novo denuo merito, & sane regio, Regij nimirum sanguinis copia, aliam rursum provinciam, Hannoniam, purpuratam non solum, sed exin fœcundissimam nostri fecerint. *Videndi Molanus, Miræus, Baronius, &c.*

Adroaldus vir nobilis, hortante Sancto Bertino donat, unde origo celeberrimo illi Monasterio Bertiniano, quod solum integram in cælum messem Sanctorum intulit, ut uno hoc anno, quod certis nequimus, tantos, totque manipulos, simul semelque proferamus. *Videndi rerum Belgic. scriptores, & Miræus in Annal. Belgic.* hoc anno.

*A. C. 655.* *S. P. N. 175.*

QVanti faceret, quamque gratam haberet professionem Monachicam, etiam Sacrarum Virginum, nedum virorum ad omnia prædicationis, &c. munia utilium, Deus illustrissimo sanè, hoc ipso anno, prodigio manifestum fecit. Oswi Rex Anglorum, gravissimas diu injurias passus à Penda Merciorum Rege, cum neque muneribus denique amplissimis placare iracundi, & præferocis ingenium Tyranni posset, comparatis exilibus (si cum Pendæ grandi, & numeroso exercitu cōparētur) copiis, voto se Numini obstrinxit, *quod si Victor existeret, filiam suam Domino sacra Virginitate dicandam offerret, simulque duodecim possessiones prædiorum, ad construenda Monasteria donaret.* Votum consequuta quamprimum admiranda, & prodigiosissima victoria, & præter Pendam ipsum, triginta Pagani Principes, qui auxilio venerant propè omnes interfecti. Promissi autem memor Oswi, abunde omnia præstitit; atque inde per nostros Christiana fides latissime, & felicissimè propagata. *Vid. Vener. Beda, Baronius, & omnes ferè rer. Angl. script.*

Admirandum istud, quod referimus, servatæ justitiæ, & auctoritatis Pontificiæ exemplum, quod hoc ipso anno, è Benedictina nostra familia, egregiæ sanctitatis, & meritorum grandium *Apostolicus vir, Ceadda*, sive *Ceddi* Londinensis in Anglia Episcopus posteritati Pontificum omniū imitandum reliquit. Excommunicaverat Episcopus Comitem quendam ob illicitum conjugium. Ab hoc invitatus fortè Rex epulo adfuit, eoque absoluto Comitis domo egressus, in Episcopum incidit. Quo viso, *mox tremefactus* (verbis Bedæ referimus) *desiluit equo, ceciditque ante pedes ejus, veniam reatus sui postulans; nam, & Episcopus pariter desiluit, sederat enim & ipse in equo* (ad loca nimirum longè distacentia in causa verbi Divini profecturus:) *Iratus autem tetigit Regem jacentem virga, quam tenebat manu, & Pontificali auctoritate protestans: Dico Tibi inquit quia noluisti te continere à domo perditi, & damnati illius, tu in ipsa domo mori habes.* Quod & contigit, ulciscente Deo inobedientiam

Princi-

Principis cæteroquin religiosissimi, & de Ecclesia meritissimi, sed & pro scelere dignè, & cum merito pœnitentis. Neque minus pius, quam severus, Ceddi noster, Episcopus, adulari indoctus, sed assuetus benè mereri, cujus res gestas Beda prosequitur, nos brevitatis studio prætermittimus. *Ex Beda, &c.*

Celebratur hoc eodem anno Conciliũ Toletanum nonum præsidente, magno cum Ordinis nostri honore Sancto Eugenio nostro Archiepiscopo Toletano, & aliis è familia Benedictina Sanctis Pontificibus, Reipub. Christianæ egregiè consulentibus. *Baronius, Yepes, &c.* Supremus hic idem annus sanctissimo Principi Furseo, Philtani Hiberniæ Regis filio, Monacho Cnobhersburgensi, & Abbati Latiniacensi, cujus corpus quanto post anno incorruptum prorsus, Sancti Antbertus Cameracensis, & Eligius Noviomensis Episcopi, 17. Septemb. è terra elevarunt. *Videndi Venerab. Beda, Miræus, Baronius, &c.*

De missa petentibus Calaritanis, ab Archiduce nostro Benedicto, lectissima Monachorum colonia, superius jam, ad A. C. 536. diximus, apud quos, cum hoc ipso tempore, prę̨ter sanctitatis celebre nomen, summopere insuper Liberalium artium, atque Divinarum litterarum studia florerent, procellis Hæresum validè in S. Rom. Ecclesiam insurgentibus, magnis precibus hoc anno, in auxilium Orthodoxę Fidei adversus impietatem Arianum, Romam vocati sunt: Extat Epistola apud Anastasium Bibliothecarium, S. Anastasij Monachi, discipuli S. Maximi Abbatis Romani, missa ad cõmune Monachorum apud Calarim Collegium; in qua sanctus vir latè & profundè explicat Monachis Calaritanis, repullulantes Hæreses, contra duplicem naturam & voluntatem Christi, & subnectit: *Quia ergo in magno propter hæc sunt periculo, res penè totius Catholicæ & Apostolicæ DEI Ecclesiæ constitutæ, pro ea deprecamur & obsecramus sanctissimos viros, ne hanc despiciatis periclitantem, sed adjuvetis tempestatibus laborantem, scientes, in tempore tribulationis, dilectionem, quæ in Spiritu Sancto est, nasci. Et, si possibile est, vos transire citius, quasi alia pro causa, ad Senioris Romæ, pios & firmos ut petram viros, qui videlicet vobiscum Tutores nostri sunt semper, & propugnatores, &c.* Ita Sanct. Athanasius Roman.

*A.C. 656.* *S.P.N. 176.*

Concilij Toletani Patres, illustri existimationis summæ argumento eligunt & constituunt Archiepiscopum Bracarensem, Sanctum Fructuosum, Complutensis nostri Cænobij Abbatem, regio Gothorum ortum sanguine, sed cucullo nobiliorem, virum, Hispania universa contestante, sed & Baronij accessione, sanctissimum, nobilissimum, cujus Anniversaria memoria recolitur Aprilis 16. Corpus Compostellam translatum magna populi veneratione colitur. *Consulendi Iepesius, & script. rer. Hispan.*

Evolavit in cælos anno eodem, magna illa & laudatissima Princeps, Hamaticensis Abbatissa Gertrudis, Sanctæ Eusebiæ proavia, plurimarum rara vitæ sanctitate Virginum Monialium mater, adeoque ingentium meritorum fœcundissima genitrix. *Miræus in Annal. Belg. &c.*

In Anglia clarent Augustissimæ in cucullo Principes Ermenburga & Bona. Illa Mervaldi Merciorum Orientaliũ Regis uxor, cum ejus consensu castam ducere vitam eligeret, constructo celebri Cænobio, Sanctis Athelberto & Athelredo Martyribus sacro, septuaginta sibi Virginibus Societatis, eisdem sanctissimo exemplo præstitit & profuit. Bona, Sigeberti II. Austrasiæ Regis filia, ab ineunte ætate Deo dicata, & Monasticen in Divi Petri Rhemensi professa, iis meritis fuit, ut primum ejusdem Cænobii electa sit Abbatissa, dein una cum nepte sua Doda, in numerum sanctorum, summa cum Regni tum generis sui gloria, felicissimè relata. Renatus Benedictus in ejus vita, *VVestmonast. Vincent. Bel. VVion. &c.*

*A.C. 657.* *S.P.N. 177.*

Felicissimè in cælum invehitur Sanctissimus Toletanæ Ecclesiæ Archipontifex Eugenius noster, ejus nominis tertius, Ordinem Sanctissimi Patris nostri in Monasterio Sanctæ Engratiæ professus. Ejus laudes describit discipulus ejusdem Sanctus Ildephonsus, apud quem videantur, extantque ex parte apud Baronium tomo octavo, hoc anno. Inter alia viri sancti merita annumerandus etiam libellus, quem scripsit de Sacro-Sanct. Trinitate, *& eloquio*, ut Ildephonsus ait, *nitidus, & rei perspicuus*, quo orientis erroribus necessario duxit occurrendum. Cantus passivis usibus vitiatos melodiæ, cogni-

cognitione correxit; officiorum remissos ordines curamque discrevit. Cætera videantur loco citato.

Successit Eugenio, idem ejus vitæ scriptor, *singulare Ecclesiæ Catholicæ ornamentum, Beatissimus Ildephonsus noster*, si nulla alia re, eo unico longè meritissimus, quo Cælites juxta omnes singularissimè demerebatur, propugnato acerrimè Divinissimę illius Cęli terræque Imperatricis, Augustissimæ Matris Virginis honore, quem Hæresis Elvidiana perpetua ejusdem Matris Virginitate irrisa atque explosa, nequissimè laceraverat, sed & felicissimè, pulsis universa Hispania Hæreticis, vindicato. Explicavit disputationem illam, libro, quem, inscripsit *de Mariæ Virginitate*: em, miraculo inaudito planè & prodigiosissimo confirmante. Cum enim Alphonsus (idem quod Ildephonsus, &c.) ad preces Maturinas Expectationis Beatæ Mariæ (quod ipse honori ejꝰ Festum instituerat) in Ecclesiam noctè descenderet, comites ejus in Ecclesiæ limine fulgore quodam repentino deterriti retrocesserunt. Ille verò intrepidus ad aram progressus, Virginem ipsam, solio Episcopali residentem intuitus, eam adoravit. Illa supplicem hilari vultu ac voce sic alloquuta est: *Propera in occursum serve Dei charissime, accipe munusculum de manu mea, quod de thesauro Filij mei tibi attuli. Sic enim tibi opus est, ut benedictione tegminis, quæ tibi data est, in meo tantum servitio utaris. Et quia oculos Fidei fixos in meo servitio tenens permansisti, & laudem meam, diffusa in labiis tuis gratia, dulciter in cordibus fidelium depinxisti: & vestimentis Ecclesiæ jam in hac vita ornatus eris, & in futuro in promptuariis meis cum aliis servis Filij mei lætaberis.* Et hæc dicens, ab oculis ejus, una cum Sanctis Virginibus, quas secum adduxerat subtracta, in cælum remeavit. Vid. Const. Cajet. &c.

Neque minus prodigiosum, & ad commendationem meritorum Ildefonsi nostri, quod præsente Rege ipso Recesuintho, & clero populoque frequentissimo, universis audientibus & intuentibus evenit: Ipso nimirum S. Leocadiæ solemni die, Alphonsus *ad sepulchrum* Beatæ *Virginis illius accedēs, flexis simpliciter genibus precabatur* (verba Breviarij Hispanici, vitæ Ildephonsi auctoritate Apostolica approbatæ ponimus.) *Et ecce reserato repente sarcophago, Leocadia Sanctissima prodiit; videntibusque cunctis & audientibus, Alphonsi merita de Virgine Maria commendavit, dicens: O Illefonse per Te vivit Domina mea, quæ, cæli culmina tenet, & Præsule collaudato redibat. Alphonsus, ne res sine testibus tanta posteris referretur, arrepto Recesuinthi Regis gladiolo, velaminis partem, quo caput Leocadiæ tegebatur resecuit: eamque cum Regio simul cultro, celebri pompa in sacrarium intulit, ubi usque hodie reservatur, &c.* Hucusque Breviarium Hispanicum.

Vincentius Beluacensis, etiam Beatissimam Dei Genitricem, quam ipse familiariter dilexerit, eidem apparuisse, & insigne illud, quod ipse de Virginitate ejus composuerat, volumen manu præferentem, eidem pro tali opere gratias retulisse, affirmat. Quę omnia, insigne planè tanti Pontificis meritum arguunt deprædicantque, De Ildephonso videantur, S. Iulianus in Appendice ad libellum Sancti Ildephonsi de Viris illustribus, Sanctus Eladius in ejus vita, Rodericus Archiepiscopus Toletanus rerum Hispan. lib. 2. cap. XII. Lucas Tudensis lib. 3. Chron. Mundi, Cixila, Mariana, Vincentius in Spec. Card. Baron. Maldonatus Vasæus, Franc. Tarapha, Maximus Cæsaraugustanus, Prudentius Sandovallius, Constant. Cajetanus, Yepes, &c.

*A.C. 658.* *S.P.N. 178.*

SAnctus Theodardus noster Monachus Stabulensis, dein Abbas, denique invitus quantumvis retinensque abstractus Cænobio, & ad cathedram Leodiensem subvectus, pro libertate, & immunitate Ecclesiastica gladiis impiorum impiissimè contrucidatur. De eo sic Martyrologium Romanum 10. Septembris: *Leodij in Belgio S. Theodardi Episcopi, & Martyris, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & post mortem miraculorum gratia illuxit.* Videantur Sigebertus, Molanus, Trithemius, Ioan. Chapeavillus, Card. Baron. in Annal. & notis ad Martyrol. Rom. Aubert. Miræus, qui tamen ut & Chapeavillus in anno dissentit, quibus, & Claudius Robertus accessit, &c. Succesit S. Theodardo, sanctissimus ille, & præcipui, à sanctitate & meritis, nominis, Lambertus litteris, ut vitæ ejus auctor, & in Episcopatu successor Stephanus Leodiensis celebrat, *Divinis eruditus, & Monasticis disciplinis à prima juventute, præclarè instructus.* De quo suo loco & tempore, pro meritis, sæpius.

A. C.

A. C. 659. S.P.N. 179.

BEatissima Virgo Gertrudis, præcipuum ac singulare sæculi huius ornamentum, Abbatissa Nivellana, ad cælos emigrat. Contra Baronium, & Sigebertum, quique eos sequuti, plurimos. Rarum tamen eius præconium, quamvis alieno anno, ex Baronio exscribamus: *Transiit hoc eodem anno, ex hac vita insignis illa virgo Francorum Nobilitatis decus & ornamentum, Sancta Gertrudis filia Pipini Ducis. Extant eius res præclare gestæ, omni fide posteris traditæ, ex quibus perpauca hæc retulisse, sat sit: Fuit Virgo clarissimis, & pervulgatis, orta natalibus. Ab ipsius pueritiæ annis, viam mandatorum DEI ingressa, omnem lubricæ ætatis levitatem fugiebat; & assidue matri Ithæ adhærens, ab ore eius trahebat verba vitæ & disciplinæ. Ancillis suis se ancillam præstabat, nec usquam natalium suorum sublimitatem attendebat. Dum autem altiore proposito Virgineæ pudicitiæ sigillum consecrare vult auctori castitatis Domino Iesu, supervenit ad ædes paternas Rex Dagobertus, in cuius comitatu erat Ducis cuiusdam filius, qui eam in matrimonium postulavit. Sed Virgo, Regi, parenti, & reliquis Principibus respondit; ego mihi sponsum delegi, cuius æterna pulchritudine omnis creaturarum pulchritudo resplendet, in cuius divitiis cælum & terra, & omnis ornatus numeratur, cuius æterna pulchritudine omnis creaturarum pulchritudo resplendet, in cuius divitiis cælum & terra, & omnis ornatus numeratur, cuius nobilitatem Angelica sublimitas cum tremore veneratur.*

*Iacta sunt eiusmodi fundamenta ad celsam valde molem erigendam, quam ex rebus ab ea præclare gestis descriptam iam cusam præ oculis habes. Hic sat sit meminisse ipsius, cuius Natalem Catholica Ecclesia anniversaria memoria colit die 17. mensis Martii. Sed non prætereat*, pergit porro pro nobis Cæsar Cardinalis, *meminisse hic Sanctæ Matris ipsius Gertrudis, quæ Iduberga nomine, & Itta cognomine, uxor Pipini, viduata marito, à Sancto Amando sacrum Religionis velamen accipiens, ex agro Sanctæ continentiæ sexagesimum collegit fructum, adeoque profecit, ut inter Sanctas & ipsa mereretur adnumerari, &c. Has fixit beata illa familia in cælo radices, ex quibus Francorum Regum progenies fæcundo cespite, pullularet, ubi truncus vetus familiæ Clodovei arescere cæpit avitæ defectu virtutis.* Huc usque Baronius. Nos additum tanto generi, Galliæ, & Orbi splendorem, cucullo deberi, in sinum gaudemus, & acceptam denuo gratiam Deo referimus. Consulendi Ioannes Chapeavillus, & Bucherius, Rayssius item, Miræus, Ferreol. Locrius, &c.

Claruit, & meruit, hoc eodem tempore, egregia vitę Sanctitate, Sanctus Vrsmarus noster, à Domino electus, & prædestinatus, priusquam in lucem ederetur, primum Laubacensis Monachus, mox Abbas dein ad *Barbaricæ* gentis conversionem Episcopus consecratus *multos ad fidem CHRISTI convertit in partibus Galliæ, in Fania videlicet, & Theoracia*, multasque construxit Ecclesias. Inde autem ad prædicandum Flandriæ se contulit versus Menapum fines, qui adhuc detinebantur ritu gentis vanis superstitionibus, qui etiam eius miraculis & prædicatione assidua, ad fidem conversi sunt, &c. Ex Haræo, Molano. Ratherio, Yepes, &c. Vixit vir sanctus, ut vix viveret, usque adeo Sanctum corpusculum abstinentia cruciabat, novem integris annis nec panem quidem degustans. Ex vita, &c.

A. C. 660. S. P. N. 180.

SAncti VVandregisili Abbatis meritis Gallia ita impletur, ut multis dein sæculis redundarit; Fontanellensi præsertim Cænobio extructo, quod dein pinguissimæ sanctitatis dulcissimum ac plenissimum apiarium fuit. Ex innumeris paucissimos referimus, qui ex hoc Cænobio prodiere viri longe illustrissimi. Sunt autem inter alios celebratiores post VVandregisilum, Sanctus Lambertus Lugdunensis Episcopus, de quo supra; Sanctus Ansbertus Rotomagensis, Sanctus Erembertus Tolosanus, Sanctus VVifrannus Senonensis, Sanctus *Bainus* Tornacensis, admiranda sanctitate, & meritis maximis, dignissimi Pontifices: Sanctus Hilebertus, Sanctus *Benignus*, Sanctus Hugo, Sanctus Laudo, Sanctus VVaundo, Sanctus Austrulphus, Sanctus Gervoldus, Sanctus Trasarus, Sanctus Hildelbertus, Sanctus Hemardus, Sanctus Ansigisus, Sanctus Fulco, Sanctus Girardus, Sanctus Gradulphus, Sanctus Gis-

Gisbertus de Alemania, Sanctus Galtherus, omnes huius unius Cœnobii Abbates, præter plures eiusdem dignitatis; Conventuales autem ut vocant, penè dixerim, innumeros, qui diversis sæculis, assidui in choro clamore, gemitu in cellulis, iram DEI non solam sæpissime flexere, sed rarissimas insuper à Numine gratias, Mundo impetravere. Wandregisilus ipse summo loco natus, Patrem Walchisum consobrinum Pipini Francorum Principis habuit, summis dein in Regia honoribus perfunctus, renunciatus Comes Palatij, quæ summa fuit dignitas, his denique omnibus renunciavit non solum, sed & sponsæ Principi persuasit, illibato candore Virgineæ castitatis, & ipsa pari consilio Monasticem sectaretur. Ipse ad montem Falconis Monachum professus, constructo demum Fontanellæ Cænobio, opibus præcipuè Beati Godonis nepotis sui, inde ad Fiscamnense moderandum vocatus est. De eius præclare gestis, fusius Yepes, & Synchronos vitæ auctor apud Surium. Istud negligendum minimè duximus, *quo restituta apud Caletum fide penè abolita, æternum meruit.* Sed de hoc fusius, legantur citati.

Floret hoc eodem anno Marculphus ille noster, relictis ingenii monimentis commendatissimus, quæ paucos ante annos Cuiacius, Brissonius, Pithori fratres, aliique plures egregie commendavere, & ut ipse quoque de posteris mereretur, Hieronymus Brignonius, ad fidem veterum codicum emendata, & notis aucta atque illustrata Parisiis anno M. DC. XIII. edidit. Miræus, &c.

*A. C. 661.* *S.P.N. 181.*

GLoriosa Sancti Audomari ex Monacho Luxoniensi Morinensium Episcopi morte nobilissimus hic annus, quæ nona Septembris die, sæpius expetita atque expectata eidem obtigit. Debet Audomaro plurimum Ecclesia universa, ob rarissimæ Sanctitatis illustrissima exempla, atque ob Gentilium felicissimam conversionem, Taruanensium præcipue, quorum ex provincia Idololatriam & barbaros ritus felicissime proscripsit, & apud Morinenses inprimis Christi fidem amplissime propagavit. Ex vita, auctore Folcardo Bertin. Videndi item Bucherius Wion, Yepes, &c.

*A. C. 662.* *S P. N. 182.*

HOc anno Sanctissimo Amando nostro, Traiectensium quondam atque Argentinensium Pontifici, trophæum statuendum. Defunctus, hoc deniq; anno, tantis laboribus, iure id merito sibi exigit. Nec dignius, quam mutuatis à Cardin. Baronio verbis instruemus, quamvis Chapeavillum, Bucherium, Miræum, cæterosque Belgij scriptores sequuti, in anno non sine ratione, dissentiamus; Sic autem de anno superiore Augustus Historiæ Dictator loquitur: *Annus Christi sexcentesimus sexagesimus primus, &c. veluti face magnopere illustratur natali Sanctissimi viri Amandi Traiectensis Episcopi, Flandrorum Apostoli nuncupati. Plurimum quidem eius virtutibus atque miraculis Gallia Belgica coruscavit; siquidem eius admonitionibus & exemplis, quamplurimi nobilissimi viri ac fœminæ, sublime secundum Christianam perfectionem, vivendi genus arripuerunt. At minime cōtentus fuit terminis suæ Dioecesis, sed inibi constituens Vicarium* (ecce quo fine, & quando Vicarij substituti) *Sanctissimum Landoaldum Archipresbyterum, alijs etiam Gentibus Christum prædicavit, ut Sclavis circa Danubium, Vasconibus circa Pyrenæos saltus, & in Flandria Gandensibus, & Pabulensibus potissimum. Gandenses vero, à Mercurii, & aliorum idolorum cultu avocavit, ibique duo celeberrima Monasteria Blandiniense & Gandense erexit, ac Sancto Bavoni Hasbaniæ Principi DEUM syncere colendi leges dedit, &c. Tandem Apostolica virtute & spiritu plenus, apud Pabulenses, in Elnonensi Monasterio, quod hodie ab auctore proprie dicitur Sancti Amandi mortem obiit, &c.* Videantur Molanus, Yepes, script. rer. Belg. &c. Nos de ipso passim superius, locupletius *autem* in tomis nostris vitæ SS. Ord. *Benedictin.*

Exsplendescit prodigiosissimis miraculis, & vitæ innocentia singulari sanctus Autbertus noster ex Monacho Luxoviensi Cameracensis, & Atrebatensis Episcopus. Videatur Colvenerius in suis ad Cameracense Chronicon ipsum, omnesque *Belgii* scriptores, &c.

A. C.

A. C. 663. S. P. N. 183.

GErmaniam atque inprimis Alsatiam vitæ sanctioris exemplis nobilitat, fructu ubertimo ditat, Sanctus Florentius noster ex Monacho Scoto Argentinensis Episcopus, qui quanti meriti apud Deum esset, adeoque quid, si Patronum pro Germania pergat agere, apud omnipotentem etiam hodie possit, multis argumentis mundo universo factum manifestissimum. Eius, iam ante Præsulatum ea sanctitatis nota fuit, ut & virtus feras sylvestres attineret, quæ jussu eius turmatim confluentes, pro eius se voluntate, ad obsequium offerebant. Auferentibus vestem, usque adeo nihil succensuit, ut eos ipse sequutus, securim quoque quam penes se reliquam habebat, & ipsi fortè non viderant, eam quoque si vellent, tollerent, spontè offerret. Sed equis eorum Divina virtute ligatis, cum progredi non possent, reversi, & viro DEI facti suplices, quæ abstulerant reddidere. Equo regio, & regie exculto, ad Dagobertum vocatus, uti noluit, sed asello vili vectus, exceptus pro dignitate est. Regiæ limen attigerat, cum stupendo miraculo, filia Regis ab ortu luminibus orba, & muta, facultate videndi, & loquendi illico donatur, & in ignoti Florentii nomen, hilaris erumpit. Regem allocuturus, cum non adesset, cui pallium commendaret, solo solis radio ritè pendulum tamdiu suspendit, quousque colloquio absoluto, illud ipse resumeret. Ei Dagobertus Rex, magnam Sylvæ Haslensis partem cum villis adiacentibus donavit, ubi Haslacense condens Cænobium, illic denique sepulchrum meruit. Videndi Laurentius Surius tomo 6. Yepes tom. 2. Iacobus Wimpheling Franciscus Guillimann. Bernardus Herzog. &c.

A. C. 664. S. P. N. 184.

VIta felicissime defungitur, teste Bucherio, Sancta Aldegundis nostra, de cuius laudibus nos suo loco superius. Fuit Regali orta prosapia, VValberto patre, matre Bertilia, opibus, & potentia longe clarissimis. Verum ex tantis nequidquam reservans, *prædia*, verba Hucbaldi Elmonensis Monachi sunt, *possessionesque infinitas, adusus, Regi Christo famulantium publica donatione concessit; cætera autem universa in sumptus pauperum delegavit, nihil sibi* (Ecce veram Monachicam paupertatem) *præter vile reservans indumentum, Sanctæ Religioni congruum, atque victum, quotidianum, quo cum reliquis ancillis DEI communiter vivebat, &c.* Meruit hac plenissima paupertate Virgo Sanctissima, plenissimam Dei benignitatem, quam illico ab hac rerum abdicatione experta, raro prodigio, sibi aquam in vinum conversam miraculo sensit. De mortis suæ hora edocta, eandem feliciter obiit XXX. Ianuarij, divina luce ædibus in queis decumbebat perfusis. Videatur etiam Miræus, Carolus Stengelius, alii rer. Benedictin. scriptores, maxime Belgicarum.

Hoc eodem anno Sanctus Aigulphus noster ex Monacho Floriacensi Abbas Lirinensis, pro Sanctissimæ Regulæ nostræ observantia multa passus, cum dignissima perfectorum Monachorum cohorte, post abscissionem linguæ, effossionem oculorum, crudelissime obtruncatus, cælum egregia militum accessione locupletavit. Relati omnes in Sanctorum Martyrum album, anniversaria memoria coluntur tertio Septemb. Videantur, Chronicon Lirinense, breviarium Monasticum Hispan. Vita eiusdem Sancti apud Surium, & apud Nic. Camuzat. Bisciolam, &c.

A. C. 665. S. P. N. 185.

SAncti Eligii morte, sive potius ad felicissimam immortalitatem transitu felix hic annus. Nos, ne quid nostrorum amore, in amplificandis meritis prolixius egisse videamur, Baronii ante alios iudicium celebrius, & sensum proferimus libenter, & lectori ingerimus: *Eodem*, inquit, *CHRISTI anno* (de præsenti agens) *Sanctus Eligius, Admirandus Noviomensis Episcopus, Flandrorum Apostolus nuncupatus, sæculi huius splendor ex hac vita migravit, miraculis celebris, & egregiis factis insignis, cuius præclaras res gestas, vir æque sanctitate clarus* (& ipse noster) *Audoenus eius æqualis, tribus libris digessit, quos consulere quisque potest. De ipso autem hic elogium ex iisdem ab erudito viro Molano excerptum*

*ptum intextumque in Natalibus Sanctorum Belgii, reddere sat erit: Hunc, inquit, & Flandri, & Antuerpienses merito ut Apostolum suum venerantur: multum enim in Flandris laboravit, iugi instantia Andouerpis decertavit, pastoris cura sollicitus lustrabat urbes, & municipia circumquaque sibi commissa; sed Flandrenses atque Andoverpienses, Frisones quoque & Sueci, & barbari quique circa maris littora degentes, quos velut in extremis remotos, nullus adhuc prædicationis vomer impresserat* (viderint illi qui nominis Apostolici tam rigidi censores, de tantis viris, tantum nomen tam facile detrahunt) *primo, eum hostili animo, & aversa mente susceperunt: postmodum vero, cum paulatim per gratiam his Verbum DEI insinuare cœpisset pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis, conversa est ad verum DEUM, Christoque subiecta. Fana nonnulla CHRISTI clypeo protectus cum Apostolica auctoritate destruxit, idola quoque diversi generis, ubicunque invenit, funditus subruit. Inter hæc autem frequenter lacessitus, ab ingrato, & perfido populo, & penè usque ad contumeliam provocatus, nullatenus à cœpta doctrina arcebatur; sed magis ipse lenis, patiens, humilis, & mitis, pro eis Dominum deprecabatur. Hæc, & alia multa scribit de eo Sanct. Audoenus, qui & Dado Episcopus Rothomagensis, eius æqualis, vitæque scriptor. Aldenburgi, Rodemburgi, Oostburgi, Brugis, & alibi* (NB.) *sacras ædes inchoavit.*] *Hæc summatim ipse, ex ampla messe paucas spicas perstringens manipulo uno.* Hucusque Baronius. De prodigiis mox ad tumulum gestis fusius ipse, & Audoenus, quæ brevitatis causa negligimus.

Eodem anno, ne vivens solum profuisse Galliæ videri posset idem Eligius, etiam à morte profuit, & sæpius per noctem visus cuidam, celeberrimæ illi Galliarum Reginæ Bathildi, salutis monita transmisit, & ab eadem iam vidua, gemmas, & vestem luxumque regium removit. Renunciavit paulo post Regno ipsi, pompisque universis, relinquens filiis amplissimi administrationem Imperii, felicissima Regina, & stupente universo, ad tantæ insolentiam rei, in Monasterio Calensi, à se condito, Monacham professa, nostræ Regulæ tam observans fuit, ut ea tanquam lima exposita, ad Angelicam vitæ puritatem, in carne pertingeret; illud egregie factis merita, ut paulo post obitum inter Divos adscripta, toto in hanc usque diem orbe celeberrima habeatur. Baronius, Gall. script. &c. & VVion. Supremum hunc annum habuit Sanctus Wandregisilus noster, Regum Galliç cognatus, & Abbas Fontanellç Caletensium Apostolus, quadraginta post mortem annis repertus integer totus, & incorruptus. Ex vita eiusd. & Baronio.

Obiit eodem anno Sanctus Deus dedit Archiepiscopus, quem verè DEUS dedit singulari Ecclesię suę ornamento, & emolumento. Relatus inter Divos Id. Iulii ex vita, & tomis nostris sępè Cit.

*A.C. 666.* *S. P. N. 186.*

SAncti Cudberti (qui dein Lindisfarnensium fuit Pontifex) Monachismo illustris hic annus, cuius rursum suo tempore, ob pręclarissima in Episcopatu merita, facienda erit mentio. Is longè ante & circa hęc maximè tempora, prędicationis assiduo labore ęternum meruit: quippe in Meilrosensi Cœnobio Monachum professus, à morte vero Sancti Boisili, eidem pręfectus, non Monasterio solum ipsi Beda testante Regularis vitę monita simul, & exempla prębebat, sed etiam vulgus circumpositum longè lateque à vita stultæ consuetudinis ad cœlestium gaudiorum convertere curabat amorem. *Nam & multi fidem, quam habebant, iniquis profanabant operibus, & aliqui etiam tempore mortalitatis, neglectis fidei Sacramentis, ad erratica Idololatriæ medicamina concurrebant, quasi missam à DEO conditore plagam per incantationes, vel philacteria, vel alia qualibet dæmoniacæ artis arcana cohibere valerent. Atque adeo, ad utrorumque corrigendum errorem, crebro ipse de Monasterio egressus circumpositas veniebat ad villas, & viam veritatis prædicabat errantibus, quod ipsum etiam Boisil facere suo tempore consueverat* (ut intelligas, antiquum, & perpetuum usum benefaciendi Monachis, sed & docendi fuisse) *Cæterum Gudberto, tanta erat dicendi peritia, tantus amor persuadendi quæ docuerat, tale vultus Angelici lumen, ut nullus præsentiū latebras ei sui cordis celare præsumeret, quin omnes palam quæ gesserant, confitendo proferrent: quia*

*quia nimirum hæc eadem illum latere nullo modo putarent, & confessa dignis, ut imperabat pœnitentiæ fructibus abstergerent. Solebat autem ea maximè loca peragrare, & illis prædicare in vinculis, qui in arduis asperisque montibus, procul positi, aliis horrori erant ad visendum, & paupertate pariter* (delicati quippe prædicatores forent, qui opulentiam solum magnarum urbium quęrerent, & Principum largissimas manus, & mensas exambirent, provincias autem pauperiores, & villularum tuguriola declinarent) *ac rusticitate Doctorum arcebant accessum. Quos tamen ille libenter, pio mancipatus labori tanta doctrinæ solertis excolebat industria, ut de Monasterio egressus, sæpè hebdomada integra, aliquando duabus vel tribus nonnunquam etiam mense pleno domum non rediret, sed demoratus in montanis, plebem rusticam verbo prædicationis, simul & opere virtutis, ad cælestia vocaret.* Hæc fusius: unde nimirum plenus Benedictinus ille zelus, fervor, patientia, humilitas, & constantia seipsa commendarent.

*A. C.* 667. *S.P.N.* 187.

DE Sancto Ildephonso nostro, sic hoc anno Baronius Cardinalis: Hoc anno, mense Ianuario, Magnus ille meritis Sanctus Ildephonsus Toletanus Archiepiscopus ex hac vita migrat, &c. Eius laudes vide apud eundem, ex codice quodam Vaticano depromptas, quas nos tanto libentius, sicut & innumera ab aliis eidem conscripta encomia prӕterimus, quanto iis omnibus maiorem eum cognoscimus; ne sexcentis quidem voluminibus merita eius dignè adumbrari posse, pro compertissimo habemus. De Illustrissimo hoc Ecclesiæ sydere, sic Rodericus Archiepiscopus Toletanus: *Quia Divina gratia perfuderat os illius, Ildephonsus os aureum dicebatur: & etiam, quia in diversis libris mellifluè loquebatur, & de Virginitate Beatæ Virginis nitido politoque eloquio peroravit, Anchora fidei eius tempore in tota Hispania, Gotthica Gallia roboratur, & libri ab eo editi, postquam fuere in Conciliis lectitati, & ab omnibus approbati, tanquam cibi Divinæ gratiæ, in fide pusillanimes refecere, &c.*

Lucas Tudensis, quasi Luciferum inter Sydera tam morum honestate, quam signorum claritate in Ecclesia Dei fulsisse deprædicat.

Longè autem illustrius Encomium est, quod solemni omnium Patrum Concilij ad Pennam Fidelem in Hispania celebrati, consensu, eidem decretū Canone undecimo; quo *Gloriosæ Virginis Dei Matris Capellanus, & Virginitatis, eiusdem specialis præco, Patriarchalis Toletanæ Ecclesiæ Præsul &c.* appellatur. De Alphonsi laudibus, multa Caietanus libro trium Benedictini Ordinis luminum, &c. & Antonius Yepesius noster tomo 2. cent. 2. Iulianus, & Elladius Toletani Episcopi, Lucas Tudensis, Rodericus Archiepisc. Tol. Luc. Martin. M. Maxim. Cæsaraug. Vasæus, Alu. Gom. Vinc. Bell. &c.

*Libri præcipui ab Ildephonso nostro summo Ecclesiæ Universæ atque omnis posteritatis bono scripti:*

*Liber Prosopopœiæ imbecillitatis propriæ*
*Liber de Virginitate Sanctæ Mariæ.*
*Opusculum de proprietate Personarum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*
*Liber annotationum actionis diurnæ.*
*Liber Annotationum in Sacris.*
*Liber Annotationum in Sacramentis.*
*Liber de cognitione Baptismi.*
*Liber de progressu Spiritualis deserti;*
*Liber Epistolarum diversarum.*
*Liber Missarum, Hymnorum, atque Sermonum.*
*Libri variorum; in quibus Epigrammata, Epitaphia, &c.*
*Liber, alius à superiori citato: de laudibus Virginis Mariæ contra Hebræos.*
*Liber, de Scriptoribus Ecclesiasticis.*
*Supplementum ad Chronicon Isidori.*
*Breviarium deniq. Mozarabum, vigiliis non solum Isidori,*

*Sed & Ildephonsi tribuendum. Unde ille Breviarii titulus:*

*Incipiunt Horæ canendæ, vel recitandæ, secundum regulam Maximi Doctoris Hispaniæ.*

*Beatissimi Isidori, ac egregii Confessoris Illefonsi, Toletani Præsulis, Magistri.*

De cæteris Ildephonsi ingenij monimentis, & de Ecclesia meritis, consulantur auctores superius citati, & Cæsar Baronius, &c.

Claret hoc eodem tempore, & mortuo in Hispaniis Ildephonso, alia orbis parte, novum Ordinis Benedictini Sydus

dus elucescit in Belgio, Sanctus Humbertus noster claris Francorum proceribus genitus, Beato patre, Popita Matre, à prima pueritia egregiæ Sanctitatis signis proditus. Vixit ad Sacerdotium usque in nostro Lugdunensi Cænobio; Sanctum Amandum dein nostrum secutus, constructo demum Maricolensi Cænobio Abbas præfuit. Prçter hunc honorem, etiam Episcopali ad Gentium conversionem insignitus, Brabantinis maxime, & Antuerpianis Evangelium prædicavit, iuxta vetustos versus illos:

*Inclyte qui meritis fulges Humberte coruscis.*
*Cuius ad exemplum vitæ ac moderamina quondam*
*Barbara doctrinam nacta est Antuerpia Christi,*
*Te duce Cænobium felix radiat Maricollis, &c.*

Honoratus à DEO Humbertus est, vivens, & mortuus, illustribus miraculis. Eius sanctissimum corpus, centum quinquaginta tribus post mortem annis, repertum illæsum, & incorruptum, sed & linteamina quibus fuit involutum, immo & herbæ sive flores, quibus dum sepeliretur, vestitus atque ornatus est tumulus, tanto tempore, nec quidquam corruptionis admisere. Vt insolens sanè miraculum demirere. *Ex Vita, & Miræo.*

*A.C. 668.* *S.P.N. 188.*

DE Sanctissimo Theodoro nostro Cantuariensium Præsule, hoc anno, ordinato, fusius Baronius, quem ob merita, Magni dignissimo titulo honorat, nec minus opere quam sermone pollentem deprædicat. Quanta autem Theodorum, rebus exin Pontificatu præclare gestis consequuta est fama, tantam rarissima animi demissione, & eximia meruit modestia, hoc eodem anno, Hadrianus Abbas itidem noster, Græcæ, & Latinæ peritissimus, Monasticis atque Ecclesiasticis disciplinis institutus, qui à Vitaliano Papa Cantuariæ Archiepiscopus renunciatus, dignissima contentione Pontifici obstitit, atque alium aptiorem se ostendere posse respondit. Mirum prorsus! non repertos in Ecclesia qui dignius atque utilius præesse posse, quam nostri, ab universis censerentur. Obtulit Vitaliano pro se, alium è nostris Hadrianus, egregia sanctitate Monachum, Andream nomine, vicino tunc Virginum Cænobio præfectum, in quem illico, utpote dignissimum, Papç atque omnium voces consensere. Verum, & ipso reclamante, quod debilioris corporis infirmitatem obtenderet, res ad Hadrianum recidit, & is obtenta venia si alium sisteret, Theodorum denique reperit, quem & ipsum, quantumvis invitum ac reluctantem, assumere Pontificatum coegit Vitalianus, addito eidem in Britannias comite Hadriano, cuius ope nimirum atque consilio, in juvandis Britannis, & convertendis uteretur. Quid si hoc solo atque unico, contempti honoris perillustri exemplo, omnibus sequuturorum, sæculorum Episcopis, nostri facem prætulissent, an non præstanti merito suspiciendi, & commendandi essent? Sed universæ insuper Angliæ laboribus indefessi, plurimum dein profuere. Vid. rer. Angl. script. Baron. &c.

Hoc eodem anno Magnus ille, & celeberrimus Augustodunensium Episcopus Leodegarius, Regi Chilperico longè acceptissimus, ex aula profugiens, abdicato Pontificatu, necquidquam deprecante Rege Monachum professus est, & admiranda dein vitæ Sanctitate, universo profuit: qui soli antea Galliæ consuluit. Cæsar. Baron. Bisciola, &c.

Ebroinus priore anno Luxoviensi Cænobio egressus, cum Theodorico Rege in gratiam rediens, cum obniti impiis suis ausis Sanctissimos viros, Leodegarium, Lambertum, Amatum, & Philibertum nostros adverteret, eos omni modo persequi non desinit, Lambertumque Episcopum sede sua, Philibertum item Abbatem Cænobio pulsos, exulare cogit. Lambertus Stabulense Cænobium ingressus, obedientia exin, & sacro vitæ rigore, omnibus miraculo fuit. Ex vita SS. & tomis nostris, nec non script. Gall. sæpè cit. Prævidit, prædixitque scelera hæc omnia Apostatæ Ebroini, Sanctissimus, & Admirabilis Pater noster Benedictus, & ne quis ambigeret, admirandis prodigiis confirmavit; visus per noctis quietem Monachorum Luxoviensium cuipiam desperationi, ex quadam animi anxie-

tate

tate proximo, quem & certum fecit, à primo conditi Cænobii anno, omnes eiusdem inquilinos Monachos, cælo receptos, recipiendosque quotquot tunc in eodem degerent, Ebroino excepto, quem turpi aiebat paulopost Apostasia, deserto Ordine, Maioratum Galliæ invasurum, sequuta, quæ promissa confirmarent, stupenda prodigia; de quibus consulendus Antonius Yepesius, Bibl. Floriac. & tomus noster sæpe cit. de vita Sanctissimi P.N. &c. Cum vero certissimum sit, amplissimo numero Monachos Cænobium illud perpetuo incoluisse, & sub hunc ipsum annum, trecentos minimum Sanctos Monachos ibidem convixisse, Lectoris æstimationi relinquimus, quantam judicet, tanto tempore, Perfectorum segetem inde cælo illatam, sed & ex tanta semente, terræ fructum, immo sequuturis etiam sæculis exemplorum immortalium copiam succrevisse, remansisse.

*A.C.669.* *S.P.N.189.*

MOrtuo Vitaliano Summo Pontifice, successor è nostro rursum Ordine assumptus egregia Sanctitate, & Monachicæ disciplinæ observantia longe illustrissimus, Sanctus Adeodatus, Joviani filius, Romanus, Monachus Sancti Erasmi in monte Cęlio, teste Baronio, *Omnibus gratissimus*, de quo etiam ista Anastasius: *In tanta magnitudine fuit mitissimus ac benignissimus, ut omnem hominem à maiore usque ad minimum libenter susciperet: peregrinis* (ita Regulæ nostræ institutis profecit) *compassionem exhibuit, ut etiam unusquisque quod postulavit, sine dubio impetraret, &c.*

Sub hæc eadem tempora, Sarracenis Siciliam populantibus, Ordo rursum noster, suo illustrem sanguine dignissimam Triumphanti Ecclesiæ cohortem submisit, in Messanensi maxime Sancti Placidi Monasterio, omnibus omnino Martyrio affectis. Videndę super hoc Monachorum Siculorum ad Casinates litteræ, aliæ item Vitaliani Papæ ad Siculos apud Leonem Ostiensem, & apud Cardinalem Baron.

De nostrorum, Theodori nimirum Archiepiscopi, & Hadriani Abbatis in Anglia meritis, sed & hæc ipsa consequente Anglorum summa felicitate, ita Venerabilis Beda noster: *Theodorus autem, ad Ecclesiam suam, secundo postquam consecratus est anno, pervenit. Moxque peragrata tota insula, quaquaversum Anglorum gentes morabantur (nam & libentissimè ab omnibus suscipiebatur atque audiebatur) rectum vivendi ordinem, ritum celebrandi Pascha canonicum, per omnia comitante, & cooperante Hadriana, disseminabat. Isque primus erat Archiepiscopus, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consentiret. Et quia litteris sacris simul, & sæcularibus, abundanter ambo erant instructi: congregata discipulorum caterva scientiæ salutaris quotidie flumina inrigandis eorum cordibus emanabant; ita ut etiam metricæ artis, Astronomiæ, & Arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam, inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis* (NB.) *qui Latinam Græcamque linguam æque ut propriam* (ecce, quam versati in rebus Historicis, qui nostros nec extra Cænobia, nec nisi Theologiam, aut Philosophiam docuisse tradidere, quando certum est, nostrorum Magisterio, tantum in Græcis, immo, ut alibi videbimus Hebraica, Syriaca, Chaldaica, &c. præter Latinam discipulos profecisse, quantum paucissimi hodie in una Latina) *in qua nati sunt norunt.* Pergit Beda; *Neque unquam prorsus, ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora, dum & fortissimos Christianosque* (nostrorum ut supra vidimus opera cōversos) *habentes Reges, cunctis barbaris nationibus essent terrori, & omnium vota, ad nuper audita Regni cælestis gaudia penderent, &c.* Videatur libro 4. cap. 2. & Baronius hoc anno.

*A.C.670.* *S.P.N.190.*

GAllias illustri sanguine, supra purpurę pulchritudinem exornant, generosissimi Martyres nostri, Sancti Proiectus sive Præiectus Arvernensis Episcopus, ex Monacho, & Abbate Candidinensi, & Amarinus sive Marinus Abbas Claroangi in villa Arverniæ Morago de quibus videndi Trithemius Claudius Robertus, VVion, Author vitæ S. Proiecti apud Surium, Baronius in Annalibus, & Notis Martyrol. Rom. Calend. Thuan. Sigebertus, Contractus, &c.

Obiisse hoc anno Sanctam VValdetrudem nostram, Castrilocensis Monasterii Fundatricem, Bucherius, & Miræus referunt, ætate sane decrepita, quam insolenti vitæ rigore, tot nimirum, quot in Cænobio egit annis, fovisse nostrorum plures, quam abrupisse, sexcenti senes nostri exemplo sunt, adeo ad diuturnitatem Vitæ, rigor Monachorum, & studia faciunt. Meruit Sanctissima Abbatissa, ut in hodiernam usque diem Tutelaris Divina à Montensibus colatur, & celebretur. Quod rarius omnino, apud nostros tamen frequens fuit, ut è Sacris Virginum seu viduarum nostrarum, nedum virorum cœtibus, integris etiam provinciis, & Regnis Patroni deligerentur.

Claret in Belgio eodem tempore, Illustrissimus Abbas ille noster Bertulphus, patria Alemannus, cuius pręter innumera alia, admirando aliquando prodigio sanctitas effulsit, exorta gravissima tempestate, ipso ab eadem non solum nihil passo, sed & cum lectioni intenderet, missa è cælo face ipsi lumen subministrante, sed & aquila caput protegente. De collectis sub eius Magisterio discipulis, & fructu consequuto, videatur vita eiusdem apud Surium, cōsulendi insuper Molanus, Aub. Miræus, Ferreolus Locrius, &c. De Angliæ felicitate, & nostrorum meritis, amplissimis, plura rursum Baronius, Beda, & rerum Anglic. scriptores, &c.

Sub hunc ipsum annum fontes fluviorum Europæ Illustrissimo sanguine suo tingunt, & purpura cælesti miscent Illustrissimi, & vetustissimi Disertinensis in superiore Rhætia Ascetæ, ab Vngaris eas partes invadentibus, crudeliter vexari atque interempti, ulciscente quamprimum Amicos suos Numine, omnibusque hostibus eo ipso loco, à collecto Rhætorum exercitu ad internecionem deletis, ut hæc ipsa Rhætorum victoria, & oppressæ atque ingemiscentis sub pondere tanto patriæ liberatio, Monachis Disertinensibus jure merito transcribatur. Augustinus S. R. I. Princ. Abbas 16. Monim. Desert. & Fabariens. &c.

*A. C. 671.* *S. P. N. 191.*

CLaruit hoc anno admiranda sanctitate, inter Sanctos Cænobji Stabulensis Monachos, Sanctissimus Lambertus Tungrensis Episcopus, ordine licet (vi præcepti Regulæ nostræ; quia sero Cænobium ingressus erat) inter Monachos postremus, *pietatis* tamen, *ac devotionis studio*, ut vitæ auctor habet *præcipuus.* Ei fortè de nocte ad preces clandestino surgenti, alter è calceis manu exciderat, quo exaudito strepitu, expergefactus Abbas, ignarus quisnam è suis esset, illico ad crucem se conferre, & pœnitere jusserat, stetit proin nudus, ut tunc erat, immani in frigore sub dio, tantus Pontifex, quoad denique fratres, ad Matutinas consurgerent. Visus tunc omnibus, vultus admirando splendore effulgescere; & cunctis cum Abbate ad eius pedes provolutis, dignissimis eosdem ille verbis avertens: *ne quæso*, inquiebat, *charissimi, ne sic loquamini, surgite ocius, & meis potius erratis vos ignoscite.* Videndus Stephanus Leodiensis, in vita, Chapeavill. cum Bucherio, &c.

De innumero Sanctorum nostri Ordinis numero, qui innumeris penè Cęnobijs, hoc ipso tempore, in Gallia, Anglia, Hispania, Italia, Belgio, &c. floruere, ex diversorum eorumdem vita, & gestis constat, ut necquidquam in eo, quod numerare nemo possit, numerare, nedum describere laboremus.

*A. C. 672.* *S. P. N. 192.*

DE Sancti Audoeni nostri meritis, ubi de peregrinatione eiusdem ad limina Apostolorum, sic Vitæ auctor apud Surium, & hoc anno apud Baronium: *Post fundatam in fide Ecclesiam, post doctrinæ fluenta, post tot ædificata Monasteria, post tranquillatum totius Franciæ Regnum, urbem Romam, caput orbis, &c. adire constituit. Visitavit autem vir sanctissimus limina Apostolorum, multa stipatus Sanctorum comitum copia* (ut videas, quā multis nostri, ad optima quævis pro exemplo duces fuerint, neque grana agri Dominici tam selecta, quam cum fructu centesimo ponderanda) *eleemosynarumque benedictionibus onustus, qui cum ad Petri confessionem hunc versum inciperet: exultabunt Sancti in gloria; divinitus (grandi prodigio) responsum est; lætabuntur in cubilibus suis, divinis acceptis responsis, cum multarum Reliquiarum suffragiis, venerabilis*

*bilis senex in Galliam revertitur*, & tanti insuper illatione thesauri, rursum de Regno amplissimo immortaliter meretur.

Theodori vero Cantuariensium Archipræsulis benefacta nemo numerare; nedum condignè laudare queat. Hoc anno non tam de Anglicana, quam Ecclesia universa meritum longè gravissimum fuit, in quo coacto omnium Angliæ Episcoporum Concilio, Ecclesiasticæ disciplinæ decem Canonibus præclarissimè consuluit. Videndi Severinus Binius, Beda, Baronius, &c.

Hoc eodem anno cælum petijt, pestilenti in Anglia lue grassante, Sanctissimus, & nunquam satis ab eximiis meritis commendandus Ceadda Episcopus, de cuius laudibus Beda legendus, ut & de Ouuino, magni item meriti viro, perfectissimo Monacho, deque pluribus insigni sanctitate virginibus, sub beatissima Edilburge Abbatissa, ex hac vita, ad immortalem vocatis, ipsiusque Edilburgis felicissimo transitu, signis cælestibus earundem sanctitate omnibus testata. Videndus idem. lib. 4. cap. 7. 8. 9. & 10. Baronius, Bisciola, &c.

Obiit hoc ipso etiam anno Augustus ille Orientalium Saxonum Rex Sebbi, voto, & voluntate jam pridem noster, nisi coniugis Reginæ obstinatio prohibuisset, interim, Beda attestante, *Religiosis actibus, crebris precibus, piis eleemosynarum fructibus plurimum intetus, vitam privatam & Monachicam cunctis divitijs & honoribus præferens, quam & jam olim, si non obstinatus animus coniugis divortium negaret, relicto Regno subijsset.* Impetravit denique quamvis ægrè ab Regina, jam morti propinquus, cum eandem moneret; *ut vel tunc Divino servitio se pariter manciparent, cum amplius pariter mundum amplecti, vel potius mundo servire non possent*, vocato proin Londinensi Antistite, per eius benedictionem, habitum Religionis, quem diu desiderarat, accipere meruit: Sub mortis extrema anxius, nequid doloris ex vehementia, indignum se, ore seu quovis gestu exprimeret, visione cælesti recreatus est, & divinitus edoctus, absque doloris ullo sensu, tertio post die, cum magno lucis splendore, sese hora diei nona ad supera emigraturum. Ita factum, & grandi insuper à morte prodigio, cum sarcophagus palmo brevior esse corpore depræhenderetur, adstantibus Episcopo, filioque Regis, ac Monacho Sighardo, subito extensus lapis, ita, ut cervical etiam ad caput admitteret, à parte vero pedum mensura quatuor digitorum lapis corpus excederet. Relatus, cum iis, de quibus superius, in Sanctorum Cælitum numerum, Anniversaria in hodiernum usque diem memoria, ab Ecclesia colitur. Videndi Beda, VVion. Baron. Yepes, &c.

*A. C. 673.* *S. P. N. 193.*

ANdennense Cænobium fundat, & Belgium non solum, sed orbem quoque terrarum universum, sanctitatis & contemptarum opum generosissimo exemplo, excitat Sanctissima Begga nostra, eiusdem dein Cænobii sui Antistita. Fuit hæc Pipini primi Brabantiæ Ducis filia, Ansigiso primum Duci, Sancti Arnulphi filio nupta, ex quo Pipinum avo cognominem suscepit, & propagato genere nepotem Carolum Martellum, pronepotem Pipinum Regem, abnepotem denique Magnum illum Carolum Imperatorem habuit; ut videas, iam olim, potentissimis quibusque Regibus, & Principibus, si ad maiorum exempla recurrendum, suprema virtutis specimina, in Cænobiis fuisse requirenda: quibus sui plus sibi famæ & virtutis congesserint, quam Regijs opibus atque potestate comparare valuissent. Retulit eadem Becca multas Roma Sanctorum exuvias, quibus patriam longè beatissimam fecit, ut, si nullo alio titulo hoc uno satis superque fuerit meritissima; ut sileamus, quantos suo exemplo, optimo Pastori CHRISTO ovicularum innocentissimarum greges adduxerit, & in hodiernum usque diem quantum Patrocinio, subiectis olim sibi, & nunc devotis provinciis amplissimis profuerit. Videndi Aubertus Miræus, Raysius, Bertels, Bucherius, &c.

A. C.

*A.C.674.* *S.P.N.194.*

SAncti Philiberti Gemmeticensium Abbatis exempla, quo pluribus prodessent, exilium hoc tempore eiusdem iuvit, quo damnatum ab impio Ebroino superius dixeramus. Sed & causa propter quam passus, ad singularem Ordinis nostri facit commendationem, vetere nimirum nostrorum omnium & continuata tot sæculis constanti generositate, Principes adulari nescientium, quod illustri sanè exemplo, Philibertus etiam ostendit, quando repræhendendam Ebroini nequitiam censuit, & ad eum suscepto itinere, Apostatam appellare ausus est, asserens, nullum hominum Christianum cum eo communicare debere. Struxit per longiorem exilii sui moram magnus Abbas, in Herio Insula egregium Cænobium, in quod, è sanctissimo suo Gemmeticensi Asceterio, dignissimam Monachorum coloniam traduxit, eo aliisque exemplis, exin pluribus auctor fuit, plurimas passim, & in Neustriæ prȩcipuè provincia, sacras DEO ædes & Monasteria condendi, ex quibus ingens provinciarum fructus consequutus, & sancti sanctæque grandi numero prodiere. Meritus de terris non solum, sed cælo ipso, & tanto quidem merito est, sola unius fundatione Gemmeticensis Cænobii, ut nullius facundia linguæ, sufficiat exprimendo, cum ex solo Gemmetico, plurima Sanctorum Monachorum millia cælo sint destinata, uno eodemque tempore idem Cænobium nongentos vitæ libro, absque sanguine, Christi nimirum confessores, inscriptos (quod rarius omnino, & ȩternis sæculis mirandum est) alio rursum tempore nongentos item Martyres, triumpho æterno submiserit, alias, bis mille quadringentos, perfectissimæ vitæ Monachos simul semelque ibidem DEO famulantes aluerit &c. ut reliquum, diversis sæculis, perfectorum Monachorum numerum, ne æstimare quidem satis, nedum computare quisquam possit. De admiranda Sancti Philiberti Vita, rebusque gestis, consulendus vitæ ipsius scriptor ad Coschinum Abbatem MS. apud Surium, Haræum, Yepes, &c.

*A.C.675.* *S.P.N.195.*

SAnctissimi Leodegarii nostri Augustodunensis Episcopi Martyrium, alii decennio post, nonnulli quadriennio prius retulere, nos, rationes aliquot sequuti, isto damus. Is à suo abstractus Episcopatu, diu & crudelissimè ab Ebroino totus, quod scelera eius probare in animum nunquam induceret, post famem & carceris squalorem, post oculorum evulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ & labiorum excisionem, tandem abscisso capite de tyranno triumphavit. Extant eius nomine plurimæ per Gallias Basilicæ, ex quibus merita eiusdem ȩstimes, quibus, tot tantisque ingrata sæpe alioquin posteritas, se plurimum debere, æterno sanè & multiplici monimento declaravit. De rebus eiusdem præclarè gestis, fusius vitæ scriptor apud Surium die 2. Octobr. Mortuus est inter verba orationis pro suis hostibus, eiusque exanime corpus capite truncatum, per horæ penè spatium in pedibus constitit, quoad à carnifice, qui illico à dæmone arreptus est, in terram detruderetur. Quo nimirum invictam Benedictini Martyris constantiam, ut & aliis innumeris deinceps prodigiis eiusdem sanctitatem, Deus universo commendavit. Ex vita, &c.

Non superfuit diu Ebroinus Tyrannus, & digna sceleribus morte sublatus, prædictione Leodegarii, & imprimis Maximi Patriarchæ nostri Benedicti etiam nunc, & æternum luit. Reversus eodem anno, incredibili omnium plausu ab exilio, sanctissimus ille Tungrensium Pontifex Lambertus, suis deinceps longè latèque verbo, & exemplo, plurimum profuit. Ex vita, & sæpe cit.

*A.C.676.* *S.P.N.196.*

CÆlo receptus hoc anno Adeodatus summus Pontifex, vir sanctitate & immortalibus meritis, æternum suspiciendus: cuius res gestas intercidisse plurimum Cæsar Baronius lamentatur, sed & mortem eiusdem elementa lugere visa, exortis, qualia nulla hominum ætas meminisset, tempestatum, inundationum &c. procellis, & terroribus, idem ex Anastasio commemorat.

In

In Anglia Theodori nostri indefessi labores, quique iam non ut Episcopi solum, sed & ut Legati Apostolici, novis eris augebantur. Instituit pro nova auctoritate multa Theodorus, multa item correxit æterno merito, & immutavit. De quibus consulendi Anglic. rer. scriptores sæpe citati.

Floruerunt item, in regno eodem, rarissima sublimissimæ perfectionis, & Sanctitatis laude, Sanctissimus Erconvvaldus, sub hoc idem tempus, à Theodoro in Londoniensem Cathedrã subvectus eiusdemque dignissimi Præsulis Beatissima soror Edilburga Abbatissa, cum suis absolutissimæ item Sanctitatis Virginibus, de queis Beda, Polydorus, aliique rer. Angl. scriptores. *Florebat siquidem*, verba Bedæ sunt, *his temporibus Ecclesia Anglicana, velut Paradisus Domini, abundans liliis Sanctarum virginum, atque violis cœtuum Sanctorum Monachorum humiliori loco latentium, sed & Sanctissimis quoque abundavit Episcopis* (omnibus omnino tunc temporis è nostrorum numero assumptis) inter quos pariter idem, de quo mentio est, Erconvvaldus, egregia claruit sanctitate, &c. Videndi Beda cit. & Cæsar Baronius; alii rer. Angl. script. & de Episcopis Angliæ, ex solo Ord. nostro petitis, Reinerus in Apost. Angl.

Nec minora eodem anno, Sanctissimi Audoeni nostri in Galliis, quam Theodori in Anglia, merita; prçter alia præclarissimè ab eo gesta, pace ab eodem facta gravissimis litib. sopitis, & composita periculosissima dissensione, Pipinum inter & Gislemarum Duces exorta. De quo vid. Bucherius, & rer. Gallic. script.

Hoc ipso quoque anno, Sanctus Philibertus Abbas, post Octennii (aliis novennii) exilium, Gemmeticum rediit, & Sanctorum phalanges integras cælo genuit. Ex vita, &c. cit.

A.C. 677. S.P.N. 197.

De Sanctissimi Audoeni nostri obitu, sic Baronius: Eodem anno, Audoenus ille admirandus, Rothomagensis Episcopus, ex hac vita migravit. Meruit rursum vir Sanctissimus, & Galliarum Regnis longe utilissimus, paulo ante mortem, grandi omnino merito; componendæ pacis causa Coloniam profectus, acerbissimis inter se odiis, Austrasiis, & Francis dissidentibus ibi obvium forte mutum, crucis signo communiens eloquentem fecit, instauratoque pacis fœdere, per Austrasiam Virdunum profectus, illic pari prodigio Dæmonicam occurrentem, eius attactu capitis, pessimo inquilino liberavit. Audoeni res gestas fusius descripsit Fridegosus apud Surium, &c.

In Anglia, bellis exagitata, constantia nostrorum præclare enituit, de qua consulendi Ven. Beda, Baronius, aliique. Substitutus eodem anno Sancto Audoeno, sanctissimus ille Ansbertus noster, de quo sæpius.

A.C. 678. S.P.N. 198.

Illustrissimus hic annus, assumpto rursum ex Ordine nostro, qui universo præsideret, & ad Petri clavum sederet, Sanctissimo Agathone, Sancti Hermetis Panhormi, Congregationis Siculæ, Monacho, qui primò statim Pontificatus anno, de Ecclesia universa, & Pontificia in primis sede, supra omnia omnium merita, longè meritissimus, datis ad Imperatorem litteris, pessimam illam consuetudinem sustulit, qua pro confirmatione Romani Pontificis, Imperatori Constantinopolitano, summa pecuniaria solvebatur. Tanta ab indignitate vindicati, æternum Agathoni nostro debent Romani Pontifices, longè pluribus nominibus in aliis plurimis eidem obligati. Legendi Sigebertus Gemblac. Onuph. Panvinus, & alii.

Eiusdem præclarissimis gestis, eodem anno adscribendum; Ecclesiam Ravennatensem, sub Mauro, & Reperato Archiepiscopis, à Romanę Ecclesiæ corpore & obedientia, se subtrahentem, ad obsequium reduxisse. *Baronius*, Panvinus, &c.

Hoc eodem anno, exorta inter Wilfridum nostrum Eboracensem, Episcopum & Regem Ecgfridum dissensione: Episcopus sede deiectus, altero subrogato, appellans Romanum Pontificem, dum Romam iter intendit, tempestate ad Frisios gentiles delatus, *primus ibidem opus Evangelii cœpit, honorificè susceptus à barbaris, ac Rege illorum Aldigislo, prædicabat eis Christum, & multa eorum millia verbo veritatis instituens, à peccato-*

*suorum sordibus, fonte Salvatoris abluit, &c.* Ita Beda, & totidem ferè verbis Marcellinus, additque Cęsar Historicus: *magna sane enituit DEI providentia, ut sanctissimum Episcopum permiserit, à Christiano Rege, sede turbari, quo ad sitientes Gentes Evangelii fluenta portaret, ut & ipsi, ob Apostolicum munus, æquè propheticum dictum aptari posset: Qui sunt isti, qui volant sicut nubes? &c. utpote qui flante vento, delatus in terram aridam, eandem mox cælestibus imbribus irrigavit, &c.* Sed de grandi fructu, prędicationem VVilfridi consequuto, alias pluribus.

*A.C. 679.* *S.P.N. 196.*

SAnctus Agatho noster, rursum universo, mira sollicitudine benefacit, ejus imperio, toto passim Occidente, diversis in Gallia, Anglia, Italia, &c. Synodis convocatis, quibus nimirum, toto jam orbe irrumpens Monothelitarum Hæresis proscriberetur. Anglicani Concilii illud observandum, contra Græcorum pertinaciam: *Sanctum Theodorum nostrum* (qui summa ordinis nostri gloria eidem Apostolica auctoritate præsederat,) *natione Græcum, meritis insignem, Sanctis quibuslibet veteribus comparandum, atque doctrina clarissimum, æquè cum universa Catholica asserere Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, sicut non à Latinis tantum, sed & sanctis Orientalibus Doctoribus affirmari certo sciebat.* Vnde erubescant magis recentiores Græci, cum à suis ipsis, qui sanctiores, & doctiores fuere, erroris redarguantur. Ex Bisciola, & Baronio.

Audito Sanctum VVilfridum in causa sua, superius memorata, Romam venisse, eidem partes suas Theodorus committit, & nomine totius Ecclesiæ Anglicanæ, Synodo Romanæ interesse præcipit. Ut stupeam totus, uti ante ad constantiam VVilfidi, contra potentiam tanti Regis, sic nunc ad Theodori magnanimitatem, Wilfidum contra Regis voluntatem etiam tuentis & exornantis. Ex script. Anglic. & vita eorundem, tomisque nostris. Servavit eodem anno Angliam, novo rursum merito, sępe nominatus Magnus Theodorus noster, pace inter Ecgfridum & Edilredum Reges composita, gravi iam prælio confligentes. Quæ utinam merita, qui paci asueti sunt, agnoscant, & ritè expendant. Ex Beda, & script. Angl.

*A.C. 680.* *S. P. N. 200.*

CElebrata hoc anno, convocante Agathone nostro, Romana Synodus centum, vigintiquinque Episcoporum, in qua Sanctissimus Eboracensium Pontifex VVilfridus noster pro omni Aquilonari parte Britanniæ, & Hiberniæ, Insulis quæ ab Anglorum & Britonum, nec non Scotorum & Pictorum gentibus, incoluntur, veram & Catholicam fidem confessus est, & conscriptione sua corroboravit. Synodus non aliam ob causam convocata, quam ad fidem Catholicam confirmādam (ecce quanta Pontificum nostrorum vigilantia) & Legationem Constantinopolim *ad Synodum Oecumenicam* decernendam, quæ ipso hoc anno, mēse Novembri cœpta est. De Conciliorum auctoritate & utilitate, nec non convocantium meritis, alibi quæ, tantilla sermonis brevitas, indigna est, vel obiter quidem tangere, nedum aliqualiter referre. Vid. Sever. Binius, Gabr. Bisciola, Baron, &c.

Eodem anno S. Hildæ obitum, dignum tantis Annalibus, celebrat Baronius. Videatur, &c.

VVamba sive Bamba Hispaniarum Rex longe potentissimus & felicissimus, lethifera potione ab Eruigio Comite propinata, à sensibus alienatus, Cænobio includitur. Verum, ope Divina, paulo post sibi redditur, admirando æternitati omni exemplo, iniuriæ omnis Tantus Rex, tantusque hostium Triumphator, prorsum immemor, tantum abest, ut in scelus Eruigii animadverterit, ut ipsum, tanquam optimè de se meritum, etiam Regem inungi ipse præceperit, & Ordinem nostrum in Cænobio de Pampliga, Burgos inter & Vallisoletum sito, professus, Monachatu, quam Regno, & rebus in hoc præclarissime gestis, multo gloriosior, speculum contemptæ fortunæ, & gloriæ sempiternum effulserit; illud à morte eximia vitæ sanctitate meritus, ut inter Divos, & Regni sui Tutelares accenseretur. Ipsi Hispania, imo Ecclesia universa debet frequentiorem Concilia celebrandi morem, diutius intermissum, ipsius flagitatione & adnisu, revocatum: adeo-

adeoque, alia inter, VVambæ debetur celeberrimum illud Concilium Toletanum Quartum, in quo ipse Hispaniæ Episcopatus, æterno merito, certis limitibus, distingui impetravit. Ex tomis nostris de vita SS. Ordin. nostri, & ex Juliano Tolet. Tudensi in Chron. Francisco Farapha, Ambros. de Moral. Didaco Valera, Mariana, Baronio, &c.

Hoc ipso etiam anno obijt, Sanctissima illa Virgo, Pauliacensis Abbatissa Austreberta, singulare Belgii lumen, cuius Monasticæ vitæ professionem, quam expeteret, quantique faceret, prodigio rarissimo Numen ostendit; quando, cum ad nuptias expeteretur, ad Sanctum Audomarum nostrum, pro sacro velamine contendens, in fuga, ponte per inundationem submerso, illæsa cum comitibus super aquas ambulavit. Consulantur Molanus, Ferreolus Locrius, vitæ auctor, &c.

*A. C.* 681. *S. P. N.* 201.

CElebrata, & absoluta, opera & merito immortalibus Agathonis nostri Sexta Generalis Synodus, Constantinopolitana Tertia, contra Monothelitarum gravissimam Heresim; in qua hæc omnino damnata est, & felicissime profligata; uti judicat etiam inscriptio in quinto interfenestrio ad dexteram Bibliothecæ Vaticanæ, iussu Sixti V. depicta, quæ his legitur verbis.

Sancto Agatone Papa, Constantino Pogonato Imperatore.

Monothelitæ Hæretici, unam tantũ in Christo voluntatem docentes exploduntur, &c.

Quid vero amplius ad commendationem Ordinis, & Agathonis, sed & utilitatẽ orbis excogitari potest? quam eius meritis deberi, Concilium Generale Sextum, ad Nicenum, Ephesinum, Chalcedonense, & Constantinopolitana duo adiectum, quibus Summa Fidei Christianæ fundata est? Ex tom. Conc. Platina, Paulo Diacono, VVione, &c. De Concilio fusius agens consulendus Baronius, &c.

Eadem Synodo, pro Sanctorum imaginibus definitum; ut imagines sacræ divorum in templis haberentur, magnaque veneratione colerentur, utpote, quæ imperitioribus loco litterarum forent. Ex actis Synodi. Ut manifestum fiat, quantum Agathoni nostro, Cælites etiam ipsi debeant, quorũ honori, tam prçclare consuluit.

*A. C.* 682. *S. P. N.* 202.

SAnctissimus, & de Ecclesia universa longè meritissimus, Romanæ Urbis & Orbis Pontifex Agatho, felicissimè emoritur, inter Sanctos, tota Ecclesia celebratus. Occumbente tanto sydere, aliud quamprimum in Gallia exsplenduit, S. Ansbertus, supra nominatus, Rothomagensis Episcopus, ex Monacho, & Abbate Fontanellensi, Sancti Audoeni successor; hoc ipso anno, summo cum Ordinis nostri splendore, Ecclesiæ universæ, atque inprimis Gallicæ, utilissimus, celebrato nimirum Rothomagi Concilio, cui summa auctoritate ipse præsederat, & cum Sanctissimis Coepiscopis, & Abbatibus, &c. plurima præclare instituerat. Ex tomis sçpè cit. & Gall. rer. script. nec non Baronio.

Illustri item contempti seculi exemplo, facem universo prætulerunt, & decus Spectatissimo Ordini addiderunt, Sancta Bertha, vidua, Sigeberti, Illustrissimi Principis, Comitis Pontivensis, qui fuit Regis Theodorici consanguineus, nobilissima coniux, & Gertrudis ac Deotila filiæ; quç loco ab Angelo designato, Blangiacense Cçnobium construentes, eidem se, Religionis nostræ suscepto habitu, addixere. Videndi Molanus, Locrius, Miræus in Annal. & Origin. &c.

*A. C.* 683. *S. P. N.* 203.

NE à virorum nostri Ordinis illustrium meritis, omnem solum familiç, nostræ splendorem comprobemus, memoranda hoc anno venit, admiranda Sanctitate, & grandi merito prçstantissima Princeps Ediltrudis, sive Etheldreda Angliç Regina, Annç Orientalium Anglorum Regis filia, bis desponsata, inaudito tamen, & memorando çternis sçculis exemplo intaminata perpetuo castitate, marito utrique, ad pulcherrimam Virginitatis lauream Ductrix; posteriore etiam (Egfrido nimirum Northumbriç Rege cui duodecim annis Virgo convixerat) annuente, & probante, Ordinem no-

strum in Coldingensi Cœnobio professa, è manibus Sanctæ Ebbæ, Egfridi mariti sui Amitæ, diu desideratum habitum & velum sumpsit, & stupente super his Anglia, atque orbe universo, exemplo, prodigiis cælestibus, & assiduo denique labore, plurimas DEO animas adduxit. Meruit vitæ & à se gestorum, concinnatorem & scriptorem dignissimum, Sanctum Venerabilem Bedam nostrum, qui consulendus, uti & tomi nostri de Vitis SS. Ordin. VValsinghamus præterea, VVestmonasteriensis, & Vincentius, &c.

*A.C.684.* *S.P.N.204.*

LEone Papa mortuo, electus rursum ex Ordine nostro Benedict. II. *Romæ ab infantia Monasticæ vitæ consecratus* (ita Platus) doctrina, & exercitatione *rerum Divinarum in tantum excellens, ut ob idem Admirabilis, & singularis ab omnibus haberetur.* Requirendi etiam Bugianus, Yepes, VVion, &c. In eius gratiam sanctionem condidisse Constantium Imperatorm (de simili superius dixeramus) ne deinceps in Pontifice creando Imperatoris assensus expectaretur, Platus, Baronius, aliique memorant, quod cum iis minime pugnat, quæ Agathoni paulo ante adscripsimus, & cōfirmata in Benedicti nostri gratiam ab Imperatore ipso videmus; nisi dicere malimus, rei indignitatem, sub Agathone ex parte solum ablatam, quando præter confirmationem quam expectare à Cæsare cogebantur, etiam pecuniarum summam soliti persolvere Romani Pontifices; quod indignum plane erat Pontificia auctoritate. Adeo ut Benedicto ęquè ac Agathoni plurimum debeant Petri successores, in optatam, & pristinam libertatem, quam, teste Baronio, nullus Sanctissimorum prædecessorum Pontificum consequi potuerat restitui. Legendi Sig. Panv. Platus, Arnoldus, &c.

Meruit, & aliud à Deo singulare, quo nomen tanti Pontificis rara felicitate, æternum posteris commendetur. Vigente nempe, tunc temporis consuetudine, ut per capillorum exhibitionem quis alicui offerretur in filium, & qui eas accepisset, Patris nomen consequeretur. Sic pius Imperator Constantinus capillos Dominorum Iustiniani, & Heraclii filiorum ad Papam direxit, & ipse cum clero, & exercitu, inquit Anastasius, quasi dicat, cum quadam solemnitate suscepit. Ita nimirum Concilio illo per Agathonem convocato, sed & amore ac reverentia Benedicti gloriosus hic Imperator accendebatur, ut filios, non tam sua, quam Religiosi Patris Pontificis relatione æstimaret. Ex Annal. Eccl.

*A.C.685.* *S.P.N.205.*

EJusdem Benedicti Romani Pontificis egregia rursum merita: Fidem nimirum, ut ab omni novitate conservaret, datis ad Episcopos litteris, quod in sexta Synodo, verbis ambigua nonnulla definita essent, serio, & sollicitè cavit; voluitque ut eadem declararent; quæ Hispani dein Patres in Concilio XV. Toletano post biennium celebrato excusaverunt. Operam dein ac curam ad restituendas Ecclesias convertit; unde Roma ipsa advertat, quantum nostro huic Pontifici debeat, plurimis per Urbem Ecclesias restauratis atque exornatis; principe inprimis Divi Petri Ecclesia, sed & Sancti Laurentii, quæ appellatur Lucinæ; Beati Valentini via Flaminia, Beatæ Mariæ ad Martyres, aliisque. De quibus legendi Anastasius, Biblioth. Baronius, Panvin. Ciacon. &c.

Verum toto animi nisu, his maximisque rebus Christianæ Reipub. intentum, Cælites collegam voluere; ad quos post ingentia, brevi Pontificatu, merita, feliciter transiit, septimo Maij, in Sanctorum Pontificum numerum, ut è nostris ferè omnes ad eam dignitatem vocati, relatus *cuius eminens virtus*, verbis Plati utor, *ostensa est potius Ecclesiæ, quam data. Sublatus cum omnium dolore ac lachrymis*, hoc anno. Ita præter Platum paulo ante citat..

*A.C.686.* *S.P.N.206.*

SAnctissimi Kiliani nostri, immortalis ab hoc anno fama, & tanta, ut ab eadem Pontificiæ dignitati Sanctissimi Canonis Papæ, splendorem, & gloriam mutuare, Baronius minime addubitet. Ubi enim notatum ab Anastasio Canonem retulit, mox subiungit. *Illustrat vero è contra Canonis nomen,*

*Apostolatus Sancti Kiliani Martyris, qui ab ipso Episcopus est ordinatus.* Audiamus effusiorem rursum in Monachorum laudem; *Accidit enim temporibus istis, ut in Hibernia, ubi vigebat Monastica disciplina, cum nonnulli ex Monachis exsolvissent numeros omnes Ecclesiasticæ Institutionis, ad maiora anhelarent, secundum illud Apostoli; æmulamini charismata meliora, magis autem ut prophetetis, &c. cuperentque Evangelium annunciare gentibus, quæ illius reperirentur expertes, sed ita, ut consulto precibus Numine, ad opus assurgerent, Divini Spiritus instinctu. Eminebat inter eos Kilianus, &c.* Successit prospere Kiliano legatio, ita ut in Franconiam delatus paulo post prædicatione, & exemplo Gosbertum Ducem ipsum cum gente sua ad Christi fidem adduceret. De Chiliano, sic antiquissimus vitæ scritor: *Tantam gratiam ei Dominus contulerat, ut brevi tempore, & gentis idioma perdisceret, & ipsis eorum lingua veritatis semina jactaret. Mirabantur autem omnes non solum doctrinæ novitatem, sed magnam quoque eloquentiæ vim, & copiam. Porro sermonis facundiam, virtutis efficacia comitabatur. Impletumque est in illo, quod veritas Apostolis promisit: Ego, inquiens, dabo vobis os, & sapientiam, & iterum; opera, quæ ego facio, & vos facietis. Sed cum iam Divini Eloquij semina succrescerent, & in plebe sensim minuerentur errores Gentilitatis, usq; ad Principes populi, Sancti viri fama perlata est &c.* Inde cum latius conversionem Ducis Gosberti narrasset: *Atque ita factum est, inquit, ut tota penè Orientalis Frāciæ provincia, relicto dæmonum cultu Divinæ Religioni operam daret, &c.* Vt videas, quam æmulo primorum successu Apostolorum, nostri deinceps Apostoli feliciter in agro excolendo Dominico laborarint. Ex vita, Chron. Herbipol. Yepes, Caiet. &c. Ex vita, tomis Cit. Baronio, Yepes, &c. Convicit egregiè hoc eodem anno, tribus libris, Judæorum insolentiam, & oppressit, Sanctus Julianus noster Toletanus ex Monacho Ageliensi Archiepiscopus; qui Christianis falsam annorum supputationem ab origine Mundi, exprobrabant. Ex scriptoribus Hispan. diversis, & Baronio, &c.

*A.C. 687. S.P.N. 207.*

AD superos reiecta corporis sarcina evolavit, illustrissima Duacensium Princeps, Sanctissima Rictrudis, Marcianensis Abbatissa, cui ante Ordinis Monastici professionem, quatuor dignissimi tanta matre liberi, Maurontus (dein Abbas) tres filiæ Clotsendis, Eusebia, & Adalsendis, omnes omnino Sanctitate præcipua conspicui, & Monachico instituto institutissimi obtigere. Ipsa, *Cunctis bonorum operum*, verba Hugbaldi sunt, *se exemplū præbens, in humilitate, in patientia, in obedientia, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus perpetuis, famularū famulam se exhibens, nec unquam extra monasterii septa*, (vixit autem in Cœnobio annis quamplurimis) *progressa est.* Obijt ætatis anno septuagesimo quarto, plurimis à morte miraculis celebrata. Vid. Locrius. Implet Galliam fragantia odoris suavissimi. Sanctissimus Amatus Senonensis Episcopus, ex Broilensis Cænobij Abbate, plurima pro justitia constanter perpessus, demum in Broilensi Monasterio, *tanquā in quadam æternæ quietis specula*, (unde olores Monachismi intelligant, ad quid Monachorum quies conducat) *Cælestibus inhians, Divinorū contemplationi vacabat, &c.* Ex vita, & tomis nostris, &c.

*A.C. 688. S.P.N. 208.*

MAgnæ Ordinis nostri gloria, celebrato rursum Toleti Concilio, LXI. Episcoporum, Sanctissimus Iulianus noster Archiepiscopus præsidet, plurimorum, quæ ad commodum Ecclesiæ attinebant universæ, felicissimus Auctor, & Institutor. Quantum detulerit Concilii Patribus quantave auctoritate eadem Synodus celebrata, ad pedes Patrum prostratus piissimus Rex Egica plane demonstravit, de quo consulendus in Annal. Ord. Yepesius, & Cæsar Baronius, nec non Gaspar Scioppius in Consult. de componendo Religionis dissidio.

Electus hoc ipso anno, è Monacho Ordinis nostri, Sanctus Sergius Primus, Pontifex Maximus, Divino Spiritu Clerum populumque ad electionem ejus permovente qui plebis auxilio, immo eiusdem potius, qui electioni aderat

Spiritus Virtute, primo statim incursu de Schismaticis triumphavit. Ex monimentis Cænobii Mantuani Sanct. Benedicti apud Arnoldum, & Bugiano, &c.

Celebrat sub hunc annum, plures nostri Ordinis, Sanctitate eximia, ut & contemptu Regiarum opum ac potentiæ illustrissimos, Yepes noster: Sanctum Eadbertum Lindisfarnensem, Sanctum Eattam ibidem, Sanctum Bossonem Eboracensem, Archiepiscopos; Sanctum Eleutherium, Sanctum Winfridum, Sanctum Eddonem, Sanctum Erchenbaldum &c. Episcopos; Sanctam Sexburgam, S. Ermenildam, S. Wereburgam, & S. Etfledam, S. Ethelfridam, S. Chineburgam, S. Eadburgam S. VVedam, S. Quinesdridam, S. Milburgam, S. Miltridam, Sanctam Edilburgam, &c. Omnes Reginas, & Regum potentissimorum filias, quæ spectaculum Vniverso sacræ, cucullum præ sceptris, & Regnis omnibus amplexæ, utilissimam Cænobiorum fundationē, & quietem suo exemplo, clarè testatæ sunt; Decus æternum Ecclesiæ Christi, Regni, generisque sui egregia vitæ sanctitate effectæ. De aliis aliisque subinde mentio facienda singillatim; omnium solo nomine memoriæ consulendum. Ex Ven. Beda Yepes, VVion. &c.

*A. C. 689.* *S. P. N. 209.*

ILlustrissimo Martyrio, *gloriosissimus Franconiæ Apostolus Chilianus*, cum sociis Columanno, & Totnano occumbit, institutis prius in fide Christiana Franconibus, & celeberrimo Herbipolensi Præsulatui facto initio; quem continuata deinceps serie in Sancto Burcardo nostro institutum suo tempore dicemus. Certè in Apostoli sui Chiliani sanguine fundatus primum Episcopatus, & ager Franconiæ universæ factus irriguus, ut rursum debeat pulcherrima provincia, Fidem ipsam, salutis unicam portam, Monacho nostro Episcopo suo; & ab hoc æternum ad posteros derivatum Patrocinii tanti Patroni sui emolumentum. In interemptores Divinitus rigidissimè animadversum, omnibus ferè per impietatem, & blasphemias, morte horrenda, ad æternam præcipitantibus. Ex vitæ ejusd. auctore, & Baronio &c.

Moritur eodem anno felicissimè, & ad decretos sibi pro meritis gravissimis triumphos pergit, Magnus ille Heros, & invictissimus Visigothorū Rex Bamba seu VVamba, Regii sanguinis dignitatem, animi summa demissione eminentissimè superans, fastidio Regni ante Regnum, atque exin gloriosissimo contemptu eiusdem longè illustrissimo contemptu eiusdem longe illustrissimus. Debent Bambæ, præter superius memorata, Tyrannos plures gloriosissimè superatos, subditi Hispani, & pacem Regnis redditam; debent etiam plurimum iidem; debellatis Asturibus, & Vasconibus domitis, ętérnum nomē Bambæ suo, & longam felicitatem. Sed inprimis Saracenis superatis, mersa, & triumphata ducentarum septuaginta navium classe, quibus Hispanias invaserant, Hispanis suspiciendum Bambæ nomen & virtus, ut taceam, qua se Imperatorii muneris functione æternum æternis sæculis exemplar Regibus atq; Imperatoribus universis exhibuit; dum expiandi ante prælium exercitus benè memor, horrenda quidem, at dignissima severitate, in libidinosum militum genus animadvertit, & illis omnibus, quos adulterio contaminatos compererat, virilia amputari pręcepit, in illud, Imperatore dignissimum, erumpens: *Ecce iam iudicium imminet belli, & licet fornicari, ut Deus ad iracundiam provocetur? Frustra* (hoc illi frequens in ore) *Frustra, ait, pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum.* Qua nimirum æquitate, & puritate Sanctus Rex meruit, ut Divino munitus auxilio, Angelis conspicua etiam forma exercitum ambientibus, & protegentibus, de tantis hostibus triumpharet. Obiit, perfectissimi Regis, & absolutissimi Monachi speculum XVII. Cal. Febr. Didacus Valera, Ambr. de Mor. Francisc. Tarapha; Iulianus, Tolet. Tudensis, Mariana, & nos tomo I. Sanctorum Ord. &c.

Memorabili contempti Regni & deliciarum exemplo, mundo valefaciens Rex Angliæ Ceduallа, servitutem Christi in cucullo amplectitur; de quo ita Baronius; *Magnum plane tunc datum est, universo generi humano, de contemptu mundi huius exemplum, dum Rex armiger, natura sævus, hostium victor existens, quem, si non aliud, æmulatio saltem ipsa externorum, sibi Britanniam vendicantium retinere de-*

*re debuiſſet in armis, ut eos e patrio ſolo pelleret: Horum nullam rationem ducens, lucrum maximum exiſtimavit, facere de iis omnibus, pro cæleſti regno, iacturam, &c.* Ita Baronius, hoc anno tomo 8. cuius tantæ rei auctorem, ipſi fuiſſe Sanct. Wilfridum exiſtimat, cum magnam eos inter conſtet neceſſitudinem interceſſiſſe.

*A.C.690.* *S.P.N.210.*

SAnctus Egbertus noſter, ſtudio incenſus, invehendi in Germaniam Evangelium, Divina edoctus revelatione, ad aliud convertitur, & ad inſtituenda Columbæ Cænobia pergit. Excepit voluntatem Egberti Sanctus Witpertus, & in Friſiam navigans, biennium ibidem, grandi merito licet, fructu tamen nullo poſuit. Id vero advertens Egbertus, dimiſſo Romam VVillibrordo, benedictioneque ac facultate Evangelizandi gentibus à Sancto Sergio Papa acceptis, eundem cum Sanctiſſimis comitibus, Suiberto, Acca, VVigberto, VVillibaldo, VVinibaldo, Lebuino, Euualdis fratribus duobus, VVerenfrido, Marcellino, Adalberto in Friſiam deſtinavit, quos Apoſtolico numero, munere, & merito egregios operarios ingens paulo poſt fructus, ſolatus eſt; de quo uberius alibi. Belgii ſcript. Baron. *Hoc quoque anno,* teſte in Annalibus ſuis Baronio, Magnus ille Theodorus (de quo iam ob frequentiam & magnitudinem meritorum ſæpius) *Roma miſſus in Angliam, Dorovernenſis Archiepiſcopus Legatusque Apoſtolicæ Sedis Sanctitate clarus, doctrina eximius moritur,* de quo inter alia, Venerabilis Beda: *ut enim breviter dicam, tantum profectus ſpiritalis tẽpore præſulatus illius Anglorum Eccleſiæ, quantum nunquam antea potuerunt, cœpere, &c.* Epitaphium digniſſimum eius tumulo inſcriptũ, ſic habet.

Princeps Pontificum, felix ſummuſq; ſacerdos, &c.

Suſtulit hic idem annus, plura alia Ordinis noſtri, immo Orbis univerſi decora, & in cælo collocavit; Sanctum Amatum Senonenſem Epiſcopum, cui ſol ipſe raro, & inſolenti miniſterio an myſterio famulus, cucullum neſcienti excepit, & radio ſuſtinuit pendens; Sanctum Aubertum Atrebatenſium Pontificem, cuius vitam Fulbertus conſcripſit; Surius mutilam protulit; Sanctum Adrianum Abbatem, ſtrenuum Theodori cooperatorem, & de Regnis Angliæ meritiſſimum; Sanctum Iulianum denique Toletanum Archiepiſcopum, ſupra laudatum; omnes in Sanctorum numerum relatos, quos pro meritis, annua memoria, per Eccleſiam univerſam celebrari Pontifices Maximi inſtituere. Et quanto volumine opus, ſi laudes horum vel leviter aggredi conaremur? Vid. Yepes & ſupra citati diverſi rerum Angl. Hiſpan. Belgicarum ſcriptores.

*A.C.691.* *S.P.N.211.*

SAnctiſſimus, & ob rariſſimam vitæ integritatem ac præclariſſimè geſta decantatiſſimus Mommolenus, vitam Monaſticam in Divi Bertini profeſſus, eiuſdem Cænobii Abbas, & Noviomenſis demum Epiſcopus, mortalibus valedicit, graviſſimis de Epiſcopatu ſuo meritis, nunc vero Patrocinio Noviomenſium tam diuturno, immortalis. Videndi, Molanus, Henricus Coſterus in arbore Bertiniaca, Surius in vita Sancti Audomari, VVion, Joannes Buzelinus libr. 2. Annal. Galloſland. qui tamen obiiſſe ait anno 686. Sed iſto anno alii, cum Ferreolo Locrio.

Celebratus hoc eodem anno, miranda ſanctitate, & ingentibus meritis Sanctus Vulmarus noſter, Altimontenſis primum Cænobii Monachus, dein Abbas in nemore apud Boloniam Franciæ. Is illuſtri quantumvis genere natus, viliſſima tamen à fratribus, & Abbate demandata ſervitia minimè detrectans, circa paſcendos boves, & ligna ad Fratrum officinas portanda verſabatur. Honoris ſi quis ullus, grandi faſtidio, diverſa in loca, famam fugiens agebatur. Eum tanti fecit Cedualla Occidentalium Saxonum Rex, ut iam opera noſtrorum in Britannia factus Catechumenus, ad Vulmarum ſe conferret, quo magiſtro, in fide Chriſti magis inſtrueretur, & confirmaretur. Tribus excitatis Cænobiis, plurimos Mundi cœno merſos extraxit, & cælo genuit. Sanctimoniales ipſius fidei commiſſæ, miraculoſe ſæpius miniſtratis alimẽtis refectę, ut nemini dubiũ eſſe

 poſſit

possit, cibos eiusmodi, plurimum etiam animos confortasse, immo tanti Magistri opera, si non omnes, pleraſque cælo aſſertas, Divorum numerum, & Eccleſiæ theſaurum inſigniter auxiſſe. Vt vero vivus Vulmarus, ſic mortuus, innumeris prodigiis de terra mereri nec deſtitit, neq; deſinit. Ex vita apud Surium, Yepes, Trithem.

*A.C. 692.* *S.P.N. 211.*

MEritus præclariſſimè hoc anno de Eccleſia univerſa, Sanctiſſimus Sergius noſter Summus Pontifex, conſtantiſſimè ſe opponens ſancitis Pſeudo, Concilij Conſtantinopolitani, hoc anno celebrati, ſed & ipſi Imperatori, id primum enixè petenti, dein extorquere paranti, cuius protoſpatharium ad ſe capiendum miſſum, digniſſima ſanè tanto Pontifice pietate, à furore militum populique lectulo ſuo abſconſum liberavit ac fovit. Vt præter Pontificiam dignitatem, ſummam iuxta manſuetudinem, rumpantur licet Apoſtatæ Hæretici, etiam nolentes debeant admirari. Videndus Th. Bozius, Paulus Diac. Beda Baron. &c. Claret hoc eodẽ anno illuſtriſſima Ordinis noſtri gemmula, Sanctiſſima Othilia, Adelrici ſive Attici Ducis, Francorum Regum conſanguinei, filia, Altitonenſis Cænobij Abbatiſſa, quod pater eius ut & alia multa, pro noſtri Ordinis Religioſis extruxerat. Quæ, quantos cælo manipulos intulerit, quis ſatis explicet, cum in ſolo Altitonenſi Cænobio exempli ſui diligentiſſimas æmulas, & diſcipulas, trecentas triginta numeraret. Præter innumera, quibus à morte illuſtrata eſt, miracula, patrem ſuum aſſiduis precibus, & lachrymis, è Purgatorii ultricibus flammis liberavit; vel eo ſolo nomine de tanto Duce, & patre ſuo longè meritiſſima. Videnda eius ſingulari libro excuſa, & apud nos etiam MS. &c.

*A.C. 693.* *S.P.N. 213.*

RUrſum noſtri, ne nulli non provinciæ, de amore ſuo, ſed & ſanguine impertirentur, nobili pro fide Chriſti Martyrio Saxoniam fertiliorem reddiderunt. Evvaldi duo cognomines, è duodenario illo Apoſtolico, ſtudio convertendi Antiquos Saxones, ad eos profecti, à barbaris interfecti ſunt; quod hi vererentur, ne, ſi ad Principem gentis penetrarent, eum à priſco ſuo cultu averterent. Cæleſtia mox affuere miracula, cum proiecta in flumen corpora, adverſo curſu per quadraginta milliaria recurrerunt ad locum ubi ſocij Apoſtoli erant, cæleſti deſuper lumine, iis etiam qui occiderant ſpectantibus, ea indicante. Illa Coloniæ Pipinus Francorum Dux multa gloria condidit, anniverſariaq; Sancti per Eccleſiam memoria, tertio Octobr. coluntur. Ex vita, Baronio, &c.

Eodem anno, Drantio, ſive Dianto, Morinenſium Epiſcopo mortuo, eidem ſuccedere juſſus Sanctus Bainus noſter, Monachus Fontanellenſis, raræ ſanctitatis radiis Galliam longè lateque illuſtravit, æternum Morinenſium Sydus, & ornamentũ. Vid. Ferrar. Claud. Rob. Molanus, Miræus, &c.

*A. C. 694.* *S.P.N. 214.*

SAnctiſſimi Lamberti noſtri Traiectenſium Epiſcopi fervor ingens, & ab hoc longè uberior fructus; quippe minimè contentus, ſuis præfuiſſe, ad exteros etiam excurrit, & in Campaniam Brabantinam profectus, barbaros etiamnum, & gentiles ad Chriſti caulas aggregando, poſt plurimas perpeſſas injurias, & convitia, victa tandem, & triumphata per manſuetudinem barbarie, everſis Idolis, & tota illa Regione Chriſto conſecrata, Apoſtoli Taxandrorum, ſive Campaniæ Brabantinę immortale nomen promeruit. Ex vita, & Arnoldo noſtro. Videndus etiam Miræus anno 692. in Annal. Belg.

Conditum ſub hæc tempora, celeberrimum in hodiernum uſque diem Vedaſtinum Atrebati Cænobium Yepes refert, ex quo totæ etiam cohortes cęlo conſcriptæ, una hic memoria celebrantur. De Orig. eiuſdem requirendus Miræus in origin. Bened. Claudius Robertus, Ferr. Locrius, &c.

*A.C. 695.* *S.P.N. 215.*

ECcleſia rurſum Friſiorum, feliciter Martyrum noſtrorum ſanguine propagatur: nam præter duorum fratrum Martyrium ſuperius enarratum, contigit

git & Sanctum VVigbertum, unum item ex duodecim illuc missis, Martyrio coronari. Is aliquando captus à barbaris, & in carcerem occultè necandus coniectus, visibili accessu Angeli liberatur, stupentibus qui aderant barbaris, & Christo nomen dantibus; inde progressus in villas & pagos, per Frisiam, Hollandiam, & Teisterlandiam multa passus, Evangel. disseminavit, bono provētu, accedentibus miraculis. *Specialiter hic nominatus*, verba Baronii sūt, *Apostolus Teisterbandiæ VVestphaliæ, & Boructuariorum.* Sed & apud *Frisones* universim, *Batuos Bomelenses, Tielenses, Belgii populos*, sacrosanctæ fidei lumine illato, eos æternum sibi devinciens, *Hollandiæ* insuper & *Saxoniæ Apostolus* dici & esse meruit. Videantur, Marcellinus in vita, Crantzius Metrop. l. 1. c. 6. Yepes, Wion, &c.

Eodem anno, die nona Februarii, Sanctus Ansbertus Episcopus Rotomagensis, vir sanctitate clarissimus ex hac vita ad immortalem feliciter migrat, cum ante calumniam passus, missus fuisset in exilium, cuius ille ærumnas, nullo extante crimine, humiliter subiit. De eius Monachatu, vita, & prodigiis, consul. Vita apud Surium, Yepes, &c.

Cælum eodem anno applausu implevit, Sanctissimus Audomarus noster, Morinensium Pontifex, de quo ista Baronius: ne tam gloriosos titulos, nostra præsumptione nostris affingere, cuiquam videamur: *prædicatur iste Apostolus Tarvanensium, & iure quidem; nam licet diu ante, populus ille Evangelii prædicatione imbutus esset, tamen negligentia Præsulum, in deterius lapsus, iterum idolorum cultum, quem reliquerat, est sectatus, sed tanti viri prædicatione excultus est, atque perfectè redditus Christianus, operante Divinitus, una cum prædicatione, miraculorum quoque virtute.* Consulendus etiam eius vitæ Scriptor, & tomi nostri, &c.

*A. C. 696.* *S. P. N. 216.*

HOC anno summo Ecclesiæ bono, nostriq; Ordinis ornamento, Sanctus VVillibrordus, ante sexennium ad conversionem infidelium à Sancto Sergio nostro summo Pontifice missus, Romam proficiscitur, & ab eodem Sergio, non sine Divina revelatione, honorificè exceptus, Traiectensis Episcopus est ordinatus. Mox longe lateque prædicans, plurimas Ecclesias, Monasteriaque exstruens, Antistites & laboratores instituit; excitatis mortuis, aliisque miraculosè gestis, plurimos ad fidem convertit. Vivens interim summo in honore, & Apostolica sane functione *in maiori humilitatis*, verba Marcellini recitamus, *mansuetudinis, simplicitatis, & iustitiæ perfectione; cœptumque Evangelium opus constanter explens, oppida, rura, casas, vicos, castella, propter evangelizandum, non equitando sed Apostolorum more, pedibus incedendo peragrans, etiam longe lateque Frisiam, Hollandiam, & præcipue Comitatum Teisterbandiæ* (in quibus VVigbertus præcesserat,) *pervagatus, multum populum ad Christum doctrinis ac prædicationibus reduxit, ubique solerter, Idololatriam extirpavit, &c.* Legendus præter Marcellinum, Baronius, & Belgæ Scriptores, &c.

*A. C. 697.* *S. P. N. 217.*

FElicissima hoc anno nostrorum adventu Germania; quæ qualis antea fuerit, quidve Suiberto, VVillibrordo ac sociis debeat, nequis putet, quidquam *de primis CHRISTI Apostolis eorumque discipulis detrahi*, & nostris à nobis omnia affingi, Cæsarem Historicum audiamus: *Germania à novo Apostolo* (VVillibrordum intellige) *summa industria excolitur, atque ad fructum uberrimum restituitur, quod diu ante, ab ipso fermè nascentis Ecclesiæ exordio, Germania cœpit suscipere Evangelium, illudque diutius summa Religione possedit:* (quod tamen universaliter minimè intelligendum) *verum exundantibus præliis, iam spiritualibus destituta cultoribus conversa erat (ut dicam cum propheta) terra fructifera in Salsuginem. Sed eius tandem misertus DEVS, è longe cultores misit qui novale novarent, &c.* Plura dein Baronius, applicans, illud Isaiæ, Germaniæ opera nostrorum DEO adductæ, & vere purgatę; *gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron, &c.* & de Suiberto, Comitatuque *Teisterbandiæ*, cum tota fere *Batua, & magna parte inferioris Frisiæ*, per eum conversa agens, pergit porro; non solum *Frisiam* dein, & *Thuringiam* sive Hervingiam eosdèm convertisse, sed, & in *Daciam* usque sive

Daniam penetrasse, populumque prædicatione assidua ab Idololatria retractum Orthodoxæ fidei junxisse. Videndus latè Baronius, Marcellinus, Albinus Flaccus, Annales Germaniæ nostræ, &c.

Eodem anno Sanctus Hubertus, Sancti Lamberti nostri discipulus ab præclarissimè gestis celebratur, quem Sancto eidem ab impiis crudelissime occiso in Episcopatu suffectum Miræus, aliique tradunt; nos, quia disputare præsente opere negligimus, maiorem, & Baronii, sequimur,

*A. C. 698.* *S. P. N. 218.*

ILlustratus hic annus teste Cæsare Baronio, *Martyrio viri sanctissimi, Lamberti Tungrensis Episcopi, Taxandriæ Apostoli nuncupati, cum in Episcopatu ageret annum quadragesimum*: cum enim Beati Ioannis Baptistę exemplo, Pipinum Brabantiæ Ducem, nihil potentiam Principis, neque impotentiam libidinosissimæ pellicis, veritus, quod Alpaide superducta, Plectrudem uxorem dimisisset graviter increparet, & ut illam reijceret, continuo hortaretur, ab impio Dodone, Alpaidis fratre, in villa Legia, ante altare Sanctorum Cosmæ & Damiani orans, & in modum crucis expansus, lancea transfoditur. Videantur Olanus, Platus, Chapeavillus, Bucherius, Surius, Stengelius, tomus secundus noster Sanctorum Ordin. nostri, Misæus, qui tamen cum Chapeavillo, & Bucherio ad annum Christi 696. mortem Lamberti retulerunt.

Sanctos Bertinum, & Begham, singularia Ordinis nostri lumina, hoc etiam anno ad supera concessisse, Baronius auctor est, de quorum grandibus meritis, & sanctitatis vitæ exemplis consulendi vitæ illorum Scriptores, &c.

*A. C. 699.* *S. P. N. 219.*

PRægnantissimus nostrorum meritis annus iste est. Quantum deberent Sanctissimo Pontifici suo Lamberto Leodicenses, rarissimo, & ad eam diem exemplo planè inaudito, ostendit, S. Hubertus (olim cum gentilis esset à Christo ipso ei inter cervi cornua apparente, & ad eundem Episcopum missus, ab eodem in fide instructus, post Martyrium autem divinitus Leodiensi in Cathedra successor deputatus) quando primo statim à morte Lamberti anno Ecclesiæ suæ, ad fidem catholicam retinendam, & merita Lamberti æternitati commendanda publicum tradidit sigillum S. Lamberti imagine insignitum, cum hac inscriptione. S. Legia. Rom. Eccl. Molanus ex Plac. Bar. Bisc.

S. Sergius noster de amiranda sanctitate & doctrina S. Anthelmi è Monacho Meldunensi Schireburnensis Episcopi à peregrinis edoctus, eum hoc anno Romam evocat. Liberavit vir Deo acceptissimus Sanctissimum Pontificem (Sergium) à turpi calumnia, grandi prodigio, per os infantuli, eum innocentem pronunciantis. Debet Ecclesia Anthelmo præter alia plurima, fructum in gentem ex eo libro consequutum, quem sanè egregium adversus errores Britonum scripsit de celebratione Paschatis, ut & adversus alia Ecclesiasticæ charitati & paci contraria multis ex in ad Catholicam Paschæ celebrationem perductis, ita *B*aron, &c. Eius alia præclarissima inter, opera numerantur: De Laudibus Virginitatis lib. 2. *B*ibliothecæ SS. Patrum. Aenigmata carmine excusa *B*asileæ anno 1557. Epistolarum ad diversos lib. 7.

Eodem anno Scotorum pars plurima in Hibernia, & nonnulli etiam de *B*ritonibus in *B*ritannia legitimum Pascha suscepit, opera & prædicatione S. Adamanni nostri Huensis Archimandritæ. Quæ Ordinis nostri rursum gloria immortalis est.

Sed & hoc ipso atque sequenti anno, perscribente, rogatu Naitani Regis, ritus Catholici rationes, S. Geolfrido Abbate nostro, Pictorum gens Romanę Ecclesiæ se conformavit.

*A. C. 700.* *S. P. N. 220.*

SAnctus VVilfrannus ex comite Monachus, dein Abbas Fontanellę, Archiepiscopus denique Senonensis de Ecclesia universa hoc anno meritissimus, cuius caulis ovium multa millia adduxit, ex Frisonibus præcipuè, quorum Apostolus iure merito censendus. Inter alios Radbodi quoque Regis filium cælo regeneravit, Sed & Radbodum

bodum quoque ipsum eo perduxit ut baptizari expeteret. Sed positum ille pedem ad lavacrum, cum audisset plures, suorum progenitorum scelera apud inferos luere, quam cęlo frui, retraxit, dicens: Se plures malle sequi, quã pauciores. Quos utique paulo post sequutus est, misera morte ad æternam abreptus. Vid. Baron. Vudon. Yepes, rer. Gall. Script. Vita S. Wulfranchi, &c.

*A. C.* 701. *S. P. N.* 221.

EXsplendescit admirandę sanctitatis, & doctrinæ radijs, alter Occidentis Sol, (ita eum Bellarminus honorat) Venerabilis Beda, noster, quem quanti faceret, quidque de eodem Ecclesia speraret, datis hoc anno ad Ceolfridum, ejus Abbatem, litteris, manifeste Sanctissimus Sergius noster, Orbis Pontifex prodit; quibus Bedam ad se mitti rogat, ob quasdam Ecclesiasticas causas (ita Bisciola) Romæ consultandas. *Erit* (ait in Epistola Sergius) *ut confidimus, etiam cunctis tibi creditis profuturum quidquid Ecclesiæ Generali claruerit per eius præstantiam impertitum, &c.* Vnde videas, quanta iam tunc, unius è nostris, simplicis auctoritas Monachi, & fama esset. Vid. Baron.

Rapuit hoc eodem anno terris cælum, meritis immortalibus immortalem, eundem Sanctissimum Sergium, Romanæ Urbis Pontificem, inter cuius præclarè gesta, memorandæ Litaniæ quas instituit, in Festo Pręsentationis Domini, sive Purificationis toto Orbe celebrari. Albinus Flac. c. de Divinis offic. Mirum quod de eodem refert Anastasius, & commemorat Baronius, de Basilicis ab eodem erectis, refectis magnaque & incredibili impensa argẽteis operibus, & Musino exornatis. Statuit quoque ut tempore confractionis Dominici corporis, Agnus DEI, qui tollis, &c. à Clero, & populo decantaretur. Sed & Ecclesiam Sanct. Marię in via lata: olim Hospitium Pauli Apostoli, ab eo dedicatam, felicitati tanti Pontificis adscribitur, pręter illam beatitatem, qua ipsum Deus etiam in terris Beatum voluit, dum eidem illam salutiferę crucis portionem, quam quotannis Christianus populus die Exaltationis Sanct. Crucis in Basilica Constantiniana veneratur prodigiose, ubi lateret revelavit. Obiit Sanctissimus vir 9. Septemb. cuius memoriam posteris singulis annis redivivam, S. Ecclesia Catholica, in Ecclesiasticis tabulis religiose conservat. Successit S. Ioannes VI. nostri item Ordinis Monachus. Ita Monim. Mantuana.

Rursum hoc anno unius è nostris Apostoli merita celebranda: S. Trudonis nimirum, Apostolica sanctitate viri, qui Hasbania prædicatione verbi Divini Ecclesiæ adducta, Hasbaniorum meruit, verba Baronii sunt, Apostolus appellari, & hoc anno felicissime cursu vitæ absoluto occurrentibus sibi Sanctorum choris, cum iisdem in gaudium Domini introivit: Ingentibus etiam ab obitu miraculis à Deo cultus: in SS. Cælitum numero relatus celebratur 23. Novembris.

Hoc ipso etiam anno mortalitati valedicens S. Maurontus Abbas, contemptu sæculi illustrissimus Sanct. Rictrudis filius, ad immortalia felicissimè trãsiit. De quo vid. Molanus, Ferr. Locrius, Miræus, Sigebertus, Wion, &c.

*A.C.* 702. *S. P. N.* 222.

CElebrat hoc anno gesta Magni & Sanctissimi Pontificis VVironis nostri Antonius Yepes, cuius vita extat tomo 3. Surij, & compendio relata in Breviario Ecclesiæ Cathedralis Ruremundanæ, &c. Enituit admiranda sanctitate etiam ante Episcopatum Monachus, ob quam ad Præsulatem dignitatem evectus, & consecratus à summo Pontifice est. Verum benemerendi, perpetuo nostrorum studio, incensus, ad prædicandum Gallis Belgicis Evangelium Christi amore incitatus ad Pipinum Francorum Ducem se contulit. Cognitus, & charus Pipino ob rarissima Sanctitatis exempla condito ad Ruram ope eiusdem Principis, Cænobio, in monte D. Petri, hodie S. Odiliæ, abdicato rursum Pontificatu, quanti præ illo Monastica vitæ instituta faceret, palam omnibus voluit, & cucullum reassumpsit. De Pipino, ut alios taceam, meritissimus, eius actionibus omnibus præfuit, & consilio direxit; quem adeo Pipinus suspexit ac veneratus est, ut eodem à confessionibus usus, non quam detractis calceis, accedere

dere ad eum piæsumeret. De vitæ eius reliquis consulendus Yepes, Surius, Hæreus, &c.

*A.C.703.* *S.P.N.223.*

MEmorabilis hic annus morte S. Benedicti Abbatis; de quo Sigebertus, & Beda nostri. Eum mirę Sanctitatis titulo commendat Baronius. Quæ præstiterit, quantumque illi debeat Ecclesia Catholica, & Regna in primis Angliæ, Beda, inter alia, his verbis satis innuit. *Quamdiu supererat corpore pro gloria sanctæ Dei Ecclesiæ, & maximè pro huius Monasterii pace, honore & quiete semper laborare præstabat, Toties mare transiit, &c,* & paulo post: *porro huiusmodi Fundatore propagatus est in Anglia mirificè Monachismus; ut plane Insula illa, ita Divini Spiritus imbribus irrigata, Dei esset Paradysus effecta; apud quem dum Monastica, viguit, integra, in nulla læsa aliquando Disciplina,* (observatione dignissima periodus) *nulla ad eam Hæresis accessum habere potuit, &c.* Unde de utilitate vitæ monasticæ concludamus.

*A.C.704.* *S.P.N.224.*

EMergit in tutissimum naufragis, Religionis portum Sanctissimus Ediltedus Merciorum Rex, postquam triginta & unum annos, Regno præfuisset ac profuisset. Addit Baronius; *Ita plane primitivæ illius Ecclesiæ Anglicanæ, fuit erga sacram Religionem vigens ferversque cultus, ut ob frequentiam DEO philosophantium Monachorum fuerit insula referta undique Monasteriis, in quibus Reges ipsi, qui fuerant Leones in prælio, mox in sacris septis, cælestibus caulis inclusi, redderentur agni mitissimi. Favebat sane Dominus coalescenti tunc Ecclesiæ Anglicanæ, ut omnibus eam charismatibus reddiderit affluentem, in virtutum, & signorum præsertim ostensione, quibus quisque licet invitus trahi posse videretur ad mundi contemptum.* Debet victoriam hoc anno, debet partum hac victoria Regnum Aripertus Longobardorum Rex, sed & restitutum ab ea victoria Principatuque Ariperti, Alpium Cottiarum Patrimonium, ipse S. Petrus Successoresq; Pontifices debent, Sanctissimo Præsuli nostro Bonito, Arvernensium Episcopo, cuius precibus factum, ut non solum victoria potitus Aripertus, sed etiam Regem hostem in inguine, vulneratum captivum traxerit, quod fusius vitæ Scriptor, & ex hoc Baronius tradidit, qui in laudibus & miraculis Boniti prolixiores consulendi sunt. Bonitus inter alia, rara DEI in se collata beneficia, favorem Admirabilis Matris Virginum Virginis, ac amorem singularem meruit; etiam Ildephonso ipso, de quo superius, amplius, & gloriosius honoratus. Ex vitæ Scriptore audiamus. *Bonitus cum se totum contulisset ad perfecte amandum Christum, & eius Sanctissimam Genitricem, quodam tempore cum turbis ingressus in templum Sanct. Michaelis, in angulum se abdidit. Peractis mysteriis, aliis abscedentibus, ille in suo permansit latibulo, talisque ei, prolixè oranti visio oblata est: Repente, à Cælo insonuit vox tanquam suavis melodiæ, & micantibus luminaribus, vir Sanctus quasi multitudinem quandam conspexit eo adventantium. Ingressa autem in templum est V. Al. Maria, cum candidissimo Angelorum, & Sanctorum hominum cætu, tanquam Regina circumstante exercitu? Cantabant autem omnes illi laudes CHRISTI, & Matris eius; Atque ipsa etiam Sanctissima Virgo in laudibus Filii sui vocem exercebat suam. Procedebant autem per medium templi in chorum; cumque ventum est ad altare, quæsitum est à Sanctis nonnullis, quisnam Missam celebraret? Tum Virgo Beata; ecce, inquit, adest hic Bonitus Præsul vere bonus (ô Encomiasten, ô Encomium) & bene dignus cui hoc muneris demandetur; Audiens hoc ille, timuit, seque subducere conabatur; cui sane lapis cessit, in quo hodieque eius rei apparent vestigia. Tandem quæsitus, & inventus, & illum beatissimum Conventum per ductus est, Sanctisque ministrantibus vestibus sacris indutus est, & Divinæ aræ applicatus: consummato autem ea, qua par erat, ratione Sancto illo opere, Sanctissima Virgo valefaciens Dilecto suo pro munere cælestem illi, candoris eximij vestem largita est. In ipsa Arvernorum urbe eadem vestis in præsentem diem populis ostenditur, cuius quidem materia, & textura à nullo mortalium potest dignosci, estque candoris eximii, miraque tum tenuitatis tum lenitatis.* Ex vita apud Surium. De eodem Srengelius in Icon. SS. Ordin. Caietanus, &c. Bonitus paulo post, abdicato à se Pontificatu, arctioris vitę studio,

studio, Sanctitatem in cucullo auxit, & in Magnilocensi Cænobio vitam Sanctissime finijt. Vide VVion, Yepes, &c.

A.C.705. S.P.N.225.

S. Wilfridus noster mirificus ille Sanctus (sic eum Baronius appellat) ab Rege Alfrido multa passus, denuo Romam appellans, ibidem honorifice pro meritis habitus, & absolutus; Alfridus vero obtemperare contemnens paulo post morte sublatus est. De hoc vid. fusè Baronius, & Beda.

Obiit hoc anno *Sanctissimus vita* (à Baronio rursum huic iste tribuitur titulus) & meritis spectatissimus Heddi Occidentalium Saxonum Episcopus ex Monacho Streneshalcensi. De cuius admirandis fusè Beda, qui consulendus. Illud prodigiosissimum; quo locum etiam ipsum, in quo magnus hic famulus ejus decubuit, & occubuit, Deus honoravit, pulveri inde sublato eam virtutem fuisse, ut omnis generis morbi per eundem aquæ mixtum, aspersione, vel sorbillatione pellerentur. Relatus inter Cælites, Nonis Iulii tota Ecclesia celebratur. Vid. etiam Baron Wion, Yepes, &c. Eodem anno ingens ad messem Ecclesiæ accessio, opera ac indefesso labore S. Suiberti nostri, dignissimi Ordine nostro Apostoli, qui post prædicationem Brunsvvicensibus, & aliis finitimis populis ministratam, quos Evangelio imbuens, & virtute miraculorum confirmans reddidit Christianos, ad Boructuariorum iterum se culturam convertit. De conversione efferatissimi populi multis agit B. Marcellinus in eius vita, interque alia: *Et licet Boructuarii essent gens barbara, sæva, & inculta, & plures DEOS adorarent, prophanis, & sacrilegis sacrificiis responsa à dæmonibus exquirentes, auguriis, & divinationibus servientes, crebris devotionibus, & mirabili sanctitate, DEO auxiliante, eos ad agnitionem veri perduxit, & luminis; ita relictis dolorum sordibus in CHRISTVM credentes, phana, in quibus idola ante adorare consueverant, propriis manibus destruentes, Ecclesias construerent* de quib. videatur etiam Baronius. &c.

A.C.706. S.P.N.226.

HOc anno referendæ res præclarè gestæ Sanctissimi Guthlaci, illustrissimo & Regio Britannorum Regum genere orti, verum calcatis honoribus, & blandientis mundi delicijs, Monachum in nostro Rependoniensi Cænobio professi, qui denique in horrida Crolandiensis insulę vastitate, vivens solitarius, multis virtutibus illustratus, prophetiæ dono imbutus, & miraculorum, gratia insignis extitit. Fuit cælesti prognostico antequam in lucem ederetur designatus, manu rubri nitoris cælitus missa ad ostium domus eius genetricis, ineffabili fulgore coruscante, ac ingenti hominum multitudine, ad prodigium concurrente, donec ab obstetricibus natus infans nunciaretur. Angelo ita familiari est usus, ut quotidie manè ac vespere insimul colloquerentur, & conversarentur. Sub eius obitum vidit Sanct. Bertelinus noster insolitam claritatem, igneæ turris instar à terra in cælum protensam quæ solis splendorem superare videbatur. Post mortem, elapso anno, repertus in tumulo dormienti simillimus, totus cum vestimentis etiam ipsis incorruptus. Vid. Gulielm. Rameserius, & Felix Cronlandiensis, Monachi nostri in eius vita, quæ extat apud Surium, & Lippeloum, &c. S. VVillibrordi nostri in Apostolatu fælicissimi successus, & multa hoc anno apud Principes gratia, Pipinum præcipuè, qui medietate Fisci Epternacensis eidem donata, alteramque largiente Irmina Dagoberti Regis filia, Epternacense Monasterium egregie innuit, ex quo dein multa illi provinciæ utilitas dimanavit. Vid. Miræus in Fastis, & Cod. don. Excessit factorum gloria omnem verborum copiam Sanctissimus Hermelandus noster, ex Monacho Fontanellensi primus Antri Abb. Cænobii olim celeberrimi. De illo præter alios Igebertus noster, & Auctor Anonymus vitæ eiusdem tomo 2. Surij, Yepes tom. 2. Anno 701. Claruit sub hæc eadem tempora S. Maurentus Abbas, S. Florentij Glannensis, cuius animam memoratus iam primum S. Hermelandus, ab Angelis vidit in cælum deferri, idque ipsum fratribus suis, nunciavit ipsa hora, qua excessisse misso dein qui requireret, rescivere.

Ex

Ex vita S. Hernelandi. Obijt eodem anno S. Thomas Abbas Farfensis Cænobij; monitu B. M. Virg. sub annum 680. restituti, totoque mundo celeberrimi, de quo VVion communicante Con. Caietano.

*A.C. 707.* *S.P.N. 227.*

S Marcellini nostri unius è 12 Apostolis, de quibus superius, in Germaniam destinatis, merita, nemo post Deum melius noverit, quam ipse ille quod ad exemplum posterorum, ubi de sociorum laboribus egisset, de suis addidit: *Et ego Marcellinus presbyter inutilis à Præfatis Pontificibus missus ad partes Transiselanas, locum Aldenseel, Trentam, & Tuventam, & Conordiam, ac Daventriam, rego, & DEI providentia totum ferme populum, Christo prædicando lucratus sum, & purgavi ab idololatriæ cultu, &c.* Ut nemo satis referat, nedum explicet labores nostrorum, & qui inde fructus Ecclesiam universam beaverunt, cælestia impleverunt.

*A. C. 708.* *S.P.N. 228.*

HOc anno Ecclesia Boructuariorum in Germania, invidente successibus diabolo, & Sanct. Suviberto Pontifice id minitante, ipso sui ortu, grandi procella dissipatur, Christianis qui in ea erant, alio migrare coactis, quando inter Regionis incolas atque accolas immane conflatum est bellum. Suibertus divina revelatione admonitus Coloniam se ad Pipinum & Plectrudem Duces recepit, neque minus ibi, quam apud Beructuarios bene operando, & merendo profecit; de quo Baronius digne his verbis hoc anno agit. *Quomodo autem Coloniam perveniens exceptus à Plectrude coniuge Pipini, ubi plura Apostolo digna operatus est, & à Pipino vicum VVerdam in insula Rheni imperans nobile illic condidit Monasterium, Marcellinus plurimis narrat.* Et de Monasterij illius utilitate sedulitateque Sanct. Suiberti disserens pergit. *Fuit ea erectio fortis munitio ad expugnandam perfidiam Saxonum; sicque accidit, ut ubicunque vir Apostolicus fuerit semper profuerit, illa Christianorum dispersio, conversa fuerit ad maiorem fidei profectum: sicut contigit ipso exordio nascentis Ecclesiæ, cum Hierosolymis oborta persecutione facta est proficua discipulorum circumquaque dispersio.* Ita Baronius, &c.

*A.C. 708.* *S. P. N. 229.*

OCcubuere hoc Anno duo spectatissima Ordinis nostri Sydera SS. VVilfridus Eboracensis Archiepiscopus, & Anthelmus sive Althelmus Schireburnensis Episcopus, uterque pro meritis, in Sanctorum albo conscriptus. Prioris Epitaphium Beda exscripsit, & Baronius recensuit, quo pauca ex grandi meritorum numero referuntur. Althelmi, monimenta æterna perstant, quæ sua ipse sibi manu, atque ingenio posuit, opere in primis illo, quod geminato labore, metricè in primis, soluta dein oratione composuit, in quo optimus meritissimi parentis sui, Admirabilis Benedicti, honori consulens, ubi de vita ipsius prolixius egisset, deniq; subiungit.

Primo qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cænobia formam,
Quoque modo properet directo tramite Sanctus
Ad superum scandens cælorum culmina cultor, &c.

Dein fructum eidem ex Anglia debitorum copia celebrans, pergit.

Huius alumnorum numero glomerantur ovantes,
Quos gerit in gremio fœcunda Britannia cives
A quo iam nobis Baptismi gratia fluxit,
Atque Magistrorum veneranda caterva cucurrit, &c.

Ita de ijs, quos viderat Althelmus, à S. Gregorio in Angliam missis Apostolis, de quibus consulendus doctissimus, & de ordine nostro meritissimus Clemens Reinerus in suo Apostolatu Ben. Angl. De Althelmo autem inter alios agunt *Beda, Eguvinus Episcopus, Guilielm. Malmesburiensis, Mat. VVestmonast. Yepes, VVion, &c.*

Eodem anno S. Hubertus divinitus admonitus corpus S. Lamberti nostri Traiecto-Leodium, & una sedem Episcopalem transfert, ut etiam Leodienses initia præsulatus sui, ut & Patronum suum Cælitem Ordini nostro debeant, imo

imò verè agnoſcant, & dignè recolant. Miræus, Bucher. &c.

*A. C. 710.* *S. P. N. 230.*

DE Ethelredi Regis potentiſſimi, Monachica profeſſione ſuperius dictum. Choenredus fratris filius ſucceſſor fuit, verum is, *poſteriorem vitam*, verba Hieronym. Plati, *patruo magis invidens, quam priorem, cum annis tantum quinque regnaſſet. Romam profectus, à Conſtantino primo Pontifice, habitum Monaſticum ſuſcepit, reliquumque vitæ in ea urbe cum ſumma ſanctitate tranſegit.* Additque. *Porro huic Choenredo,* (idem Choenredus,) *tum itineris, tum conſilii ſocius fuit, Rex alter Oſſa Orientalium Saxonum, in eadem Anglia, qui item in ipſo ætatis flore, in ſumma mundanæ felicitatis abundantia, omnia ſpernens ac conculcans, ab eodem Conſtantino detonſus, tunicaque Monaſtica ornatus eſt.* Ita Platus: Factum id Chineſwithæ conjugis hortatu, quæ Pendæ Merciorum Regis filia, & Offæ nupta, non ſua ſolius ſalute contenta, ſpōſum Gentili etiamnum errore detentum, cœleſti Regno vindicavit, à quo licentia Deo ſe conſecrandi obtenta, ordinem etiam noſtrum profeſſa, nobile virginitatis propoſitum, quod illibatum ſemper cum ſuo ſponſo ſervaverat, nobilius perduxit ad ſenium, ſanctorum denique numero inſcribi merita. *Vid. Matth. Vveſtmonaſt. Contractus, Polydorus, Beda, VVion, &c.* Sic ſummis Regibus, & Principibus omni ſæculo Aſylum Cœnobia, & ſecurus poſt longa pericula portus extitere imò ad vitæ ſanctioris perfectionem inæſtimabiliter profuere.

*A. C. 721.* *S. P. N. 231.*

EX innumeris hoc tempore firmamenti Benedictini in Anglia Stellis, præcipuas inter exſplendeſcit hoc anno Sanctus Ioannes ex Monacho Monaſterii S. Hildæ, ſive Strenes Halcenſi, Epiſcopus Hagulſtadenſis, à morte verò S. Vvilfridi ad Elboracenſem Cathedram ſubvectus, vir doctrina ac ſanctitate illuſtriſſimus. Is poſt navatam ſtrenuè Anglis operam quanto pluris facienda, quantoq; utilior ſummis honoribus vita Monachica eſſet, ſuo exemplo prodidit, dum abdicato Epiſcopatu, ad Cœnobii, &c. Cellulæ ſuæ ſilentium ſe recipiens, rara illic virtute enituit, & in Monaſterio denique S. Petri Sylvæ Deirorum, relicta corporis ſarcina, feliciſſimo tranſitu, cœlum immigravit. Extat ejus vita apud Surium, T. 3. De eo agunt, *Beda Vſuardus, Folcharus Dorovernenſis, Alfredus Beverlacenſis, Polyd. Virg. Trith. &c.*

Rurſum noſtris potentiſſimi Epiſcopatus debentur ſub hæc tempora, initia VVerdenſis nimirum, ſive Cæſaris VVerdæ, constructo illic primum à S. Swiberto noſtro, ex illuſtri Comitum Nortgalliæ ſanguine Bearmenſi Monacho, celebri Cœnobio, à quo Epiſcopatui origo, & ipſe primus loci Epiſcopus, quem inde ex eodem Monaſterio plures in eo honore ſubſequuti, egregia Sanctitate de Eccleſia univerſa benemeriti, Cæſaris VVerdam inprimis ornavere, auxere, & Patrocinio ſuo etiam in cœlis juvere. *Vide Marcell. in vita Suib. Crantzius in annis tamen graviter lapſus Anton. Yepes fusè hoc anno Tomo 2.*

*A. C. 712.* *S. P. N. 232.*

DIgniſſimum maximis, & aſſiduis hoc anno laboribus, quos nulla ſæculorũ vetuſtas, Germanorum, & Belgarum prę̨cipuè cordibus expungat, Sanctiſſimi ex ordine noſtro Apoſtoli, S. VVerinfridus, S. VVilleicus, & San. Achatius, qui fidem Chriſtianam longè lateq; diſſeminantes, non verbo ſolum, ſed & maximè Sanctitatis illuſtriſſimæ exemplo, iñumeros mortales ad feliciſſimam immortalitatem aſſeruere. Proſunt hodieque iis in quibus olim vixere provinciis, Patrocinio ſuo, ſed & prodigiis, & miraculis, impios etiamnum Hæreticos convincunt. VVerenfridus ante alios, qui morbo articulari laborantibus, certus medicus, eo inprimis nomine celebratur, & colitur. De iis legendi *Marcell. in vita S. Suib. Moſander t. 7. Surii. Molan. Miræus, Trith. VVion. Yepes, &c.*

*A. C. 713.* *S. P. N. 233.*

EGregium admirandæ Sanctitatis, & cõtemptu ſæculi, generoſiſſimum exemplum Sanctiſſima Oda, Boggis Aquitanorum Ducis vidua, nata Sueviæ ſive Alemanniæ Duciſſa, Ordinem noſtrum Amanii Cœnobio propè Huyum ꝓfeſſa, fama, & virtute Galliam implet: pridem etiam dum opibus polleret, meritiſſima, plurimis paſſim, excitatis reſtitutiſq; Cœnobiis, & Eccleſiis, ex quibus lucrum immodicum Eccleſiæ univerſæ, & Cœlo ipſi accrevit. Fuit hæc feliciſſima mater plurium Sanctorum opinione Molani, qui tamen eam uxorem Childeberti Regis Franciæ facit, ſororemque Dagoberti. Iudicio lectoris relinquimus, donec in aliis

nostris operibus, ipsi definiamus. *Vid. Miræus in Annal. & in fastis; Francisc. Rosiers, Molan. VVion. &c.*

Exceperunt, foverunt, ac bearunt sub hæc tempora præter plurimos alios Reges ac Principes, Regumque ac Principum filios, longis curis ac laboribus arduis fatigatos, & fatiscentes Cænobia nostra, Mailronense S. Ealfridum, sive Alfredū, potentissimum Northumbriæ Regem, virum præter generis dignitatem, undecunque doctissimum, & litteratissimum, cum annis undeviginti Regno utilissimè præfuisset. S. Mauri verò Cænobium Sanctos VVimocum & Atnocum, Iudicaelis II. Britanniæ Regis filios, & Sanctorum Iudoci, & VVinoci ex fratre nepotes, qui exempla patruorum patrisque, & avi Regum sequuti, pro Christi amore, regnum avitum, & paternum relinquentes, in eodem quo pater, & avus humillimè versabantur Cœnobio, eandem vitam professi, cum iisdem toto jam orbe Sanctitatis fama celebrari meruerunt. *Vid. Vincent. Belluac. in specul. libr. 23. & de Sanct. Alfredo VVern. Rolevinck. in fasc. temp. Bugianus. VVion. &c.*

*A.C. 714.* *S.P.N. 234.*

MIRACULUM contempti honoris, opum, deliciarum patriæ, & pro his ex ambitorum contemptus, inopiæ, rigoris, laborum atque exilii, sub hæc tempora Sanctus Adalbertus noster Edilwaldi Deirorum Regis filius Magni Willibrordi nostri discipulus, Epternacensis Cœnobii multo tempore Monachus, ex Magnis illis Germaniæ, de quibus supra Apostolis duodecimus. Is postmodum crescentibus meritis Traiectensis Ecclesiæ Archidiaconus factus, & ad prædicationē gentium missus, in Hollandia inprimis, & Kenemaria plurimos manipulos collegit, & felicissimè meruit. Denique apud Egmundam mortuus, pro meritis Sanctorum albo inscriptus est. Ejus vitam Egbertus Trevirensium Pontifex, ejusdem Sancti ope à valida febri exemptus per Medelocenses Monachos describi curavit, extatque inter Historias Sanctorum mensis Iunii. *Ex Molano, VVione. Stengelio, Surio.* Qualiter hoc anno morienti adfuerit, & profuerit Pipino Duci S. Svibertus consulendus Baronius hoc anno, &c.

*A.C. 751.* *S.P.N. 235.*

SAnctus Gregorius ejus nominis secundus, ad Romanæ, & summæ Cathedræ sublimitatem priore anno evectus, primi Gregorii Sancti æmulus, egregio specimine edidit, quæ à Monachis sperare universus, longo multorum exemplo jam doctus didicerat. Quippe ipso Pontificatus initio, muros urbis instaurare incipiens, & partem jam aliquam absolvens, novis motibus, (ita Bisciola ad eos qui præcesserant alludens) impeditus est; Siquidem Longobardi sub dolo pacis Cumarum castrum, Iuris Ecclesiæ occuparunt; quod ut restituerent, sæpius à Gregorio admoniti, & rogati, ultione etiam divina intentata, nunquam in animum induxerunt. Sed consilio, & providentia Pontificis, accito in auxilium Duce Neapolitano cum exercitu, nocturno improviso adortu est receptum, trecentis Longobardis, cum eorum Gastaldione occisis quinquentis captis. Profuit hoc exemplo multum posteris, non minor magno Gregorio, alter ex eadem familia nostra Gregorius, qui necessario exemplo docuit, etiam sanctitatem cum armis consistere, neque Pontificem dedecere bona Ecclesiastica armis vindicare. Quod ipsum Baronius probe advertens; *Vidisti, inquit, Lector Pontificem æquè ac Gregorium primum in numerum Sanctorum receptum, bona Ecclesiastica ab hostibus in vasa, minimè contempsisse, vel recuperare desiisse, quantumlibet impossibilis videretur penè ejus expugnatio loci, sed quod minus posset suis, id alienis armis recipere procurasse, omnique studio præsto fuisse, consilio, ope, pecunia adjuvisse, &c.*

Claruere hoc eodem anno viri ex ordine nostro maximi, & illustrissimi, quos inter nō infimum locum occupant Eleutherius Austrasiæ Dux, Martini Ducis filius Princeps potentissimus, qui cucullum Imperio præferens, eo ipso ostendit, quā minimè vanus vana abjiceret, illudque vitæ institutum amplecteretur, quod regnis omnibus, & summo in terras imperio dignius esset; Sanctus Sebaldus dein, Daciæ Regis filius, qui sponsa relicta, mundi abdicatis pompis, in Cœnobio denique S. Martini Norimbergæ Monasticem amplexus, Norimbergensibus egregio Sanctitatis exemplo præluxit, si sequi mallet, quam bonis Cœnobii illius, quod dein ab eo nomen meruit, inhiare. *Vide Chron. Chronicor. VVion. Yepes.*

*A.C. 716.* *S.P.N. 236.*

GREGORII nostri summi Pontificis laudes, sexcentis foliis quam anno hoc di-

digniores. Meruit autem cessante, de quo superius tumultu, immortaliter adjecto ad Monachismi collapsi, restitutionem animo, & ad Monasteriorum restaurationem: *Nam*, ut ait Anastasius, *Monasteria quæ secus Basilicam S. Pauli erant, renovavit, atque ordinatis, servis DEI Monachis congregationem per longum tempus restituit, constituitque ut ibidem die noctuque Monachi redderent DEO laudes: Hic Gerontocomium, quod post absidem DEI Genitricis ad Præsepe situm est, Monasterium instituit, atque Monasterium S. Andreæ Apostoli, quod Barbaræ nuncupatur, ad nimiam deductum desertionem, in quo ne unus quidem habebatur Monachus. adscitis Mon. ordinavit, atq; (NB.) ut utraque Monasteria ad Sanctam DEI Genitricem singulis diebus atque noctibus laudes DEO canerent, &c.* Hoc anno restitutum Casinense nostrum Archisterium per S. Petronacem Abbatem, centum quadraginta annis ab ejus vastatione interlapsis. De fructu Petronacis studium consequuto sic Baronius; *Mirum dictu, quanta mox ex ea nova Plantatione Petronacis fuerint propugnata eo in loco germina Monachorum, & aucta ipsorum examina instar apum, quæ ex turgescentibus alveariis prodeuntes, in diversa loca ad fœtus multiplicationem volaverint. Sed & illud secure, absque trepidatione mendacij asseri jure potest, nullum unquam toto orbe Christiano, extitisse aliquando monasterium ex quo tot viri sanctitate conspicui atque doctrina tanta numerositate ad regimen Sanct. Apostolicæ sedis adsciti fuerint, ut planè dici possit, fuisse idem aliquando seminarium sacrorum Antistitum, &c.*

A Monasterio retulit Sanctus Pontifex animum ad reparandas, & ornandas Basilicas S. Pauli S. Laurentii foris muros, S. Hierusalem de quibus nominatim Anastasius, & ex hoc Baronius, &c. Hoc eodem anno S. Corbinianus noster invitus, ab eodem S. Gregorio nostro Episcopus esse jubetur; & gentium Apostolus, accepto etiam pallio, & licentia ubicunque vellet, prædicationis officium exercendi. Is in Germaniam, & Boicam delatus, Frisingensium Pontifex primus fuit, ibidem in honorem Sanctissimi, & Admirabilis Patris nostri BENEDICTI Cathedrali excitata, & dedicata Ecclesia, *Baron. VVion. Grethserus*, &c. Vt iterum nostris celeberrimi Episcopatus institutionem debeat Ecclesia universa, & Frisinga, imò Bavaria Patronum singularem.

*A.C. 717.* *S.P.N. 237.*

RVrsum Sanctissimi nostri Gregor. Papæ laudibus vacandum, qui per hos dies matre defuncta, Magnum Gregoriũ imitatus ædes etiam proprias in Ecclesiam convertens, S. Agathæ honori nuncupavit, & addito Cœnobio, redditibus liberaliter locupletavit. Videndus Baronius, &c.

Obiit hoc eodem anno S. Ceolfridus noster Abbas Anglus, admirãda sanctitate conspicuus. Consule Bedam, & Bisciolam.

Ipso hoc anno moritur *Mirificus ille*, nomenclator Baronius est, *Saxonum & Frisonum appellatus Apostolus, Primus VVerdensis Episcopus S. Svvibertus*, quem S. Marcellinus noster ait omnium virtutum charismate plenum, ex omnibus medullis, videndi Deum desiderio, flagrasse, cumque festo Principis Apostolorum S. Petri ad Cathedram in suo Monasterio Divina celebrasset, mox lãguore eum invadente lecto decubuisse, &c. Marcellinum plura de ejus à morte prodigiis comemorantem, sic sequitur Baronius: *Videbis enim eum, in quo primitiæ earum gentium sunt consecratæ non tantum cum viveret, sed & post obitum Apostolicis corruscare miraculis*, quo prædicata ab eo fides, multiplicibus consignata testibus posteris traderetur.

Suibertum digno titulo Teisterbandiæ, westphaliæ, Frisiæ, Boructuariorum, & Saxonum Apostolum Miræus, & plerique alii honorant.

*A.C. 718.* *S.P.N. 238.*

RVrsum ex infinito penè Sanctor. numero unicum Winocum proferimus cujus paulo ante à contemptu sæculi audita laus est nunc à Monachismo ipso, & morte repetenda, sed verbo unico, VVinocum verè Regem, ut generis in sæculo dignitate, sic in Cœnobio Humilitate fuisse: cuj⁹ inter alia peregrinum illud amoris fraterni, ut & amici laudatissimæ demissionis argumentum, molã suis ipsummet manib⁹ versasse, ad pauperum usum, cui post longos labores, ætate jam in decrepitam vergente, id tantum à Numine datum, ut grandi miraculo, mola sepsa moveretur, & moleret. Excitavit ope & opibus piorum celeberrimum illud Cœnobium VVormhultanum, ex quo cælo manipuli rursum plurimi illati sunt. Consulatur ej⁹ vita apud Suriũ, & Haræũ, Mir. &c.

Hoc eodem anno Magnus ille, & Prin-

ceps Apostolus, Sanctissimus Bonifacius, Roma profectus, à Sanct. Gregorio nostro Prædicandi potestatem in Germania accipit. *Ita Serarius, & ex hoc Miræus in Annal. Belg. &c. contra Baronium qui sequente refert.*

*A.C.719* *S.P.N.239.*

ISTO denique Anno Illustrissimus ille Phæbus Germaniæ illucescit. Roma cũ potestate Apostolica veniens Sanctissimus Bonifacius, multa animi demissione, tanquam VVillibrordo nostro minister missus Legationem suam exorsus: *in hoc,* ait Cardinalis, *vera signa sui Apostolatus expreßit, dum Christianam humilitatem amplexus, licet Apostolica legatione dux videretur verbi effectus tamen sui Tirocinia Apostolatus* (notent illi qui solis sibi omnia arrogãt) *noluit sub alio profiteri, coadjutor accedens in Frisiorũ conversione Magno illi Clementi.* Adhæsit VVillibordo Bonifacius in verbi ministerio fidus comes, & cooperator, à quo cum rogaretur Episcopus sibi succedere, renuens licentia petita discessit. Neque segnior in exteris juvandis, quam suis, quos in Anglia reliquerat curãdis, dedit sub hunc annum ad suos Adelcancastrensis Cœnobii Monachos Epistolam, quam dignissimam suis Annalibus Baronius censuit, sed & aliam idem descripsit ad Sanctimoniales Anglas, quibus negotium suum serio commendat, adeoque magnum ex earum precibus fructum sperat; in qua Epistola flagitatis earum precibus egregiam rursum animi demissionẽ depromit. *Qui ultimus, & pessimus sum omnium Legatorum, quos Catholica, & Apostolica Ecclesia Romana ad prædicandum Evangelium destinavit, ut omnino sine fructu non moriar, & vacuus filiorum, & filiarum numero non revertar, ne de abscondito talento Domino veniente, reus esse judicer, &c. Vid.* Baronius, &c.

*A.C.720.* *S.P.N.240.*

EVOLAT in Cœlum felicissimus Sancti VVlfranni nostri Senonensium Pontificis animus, cum post quinqueñii in Frisia Apostolatum, qui multo labore, sic multo fructu susceptum, ac Fontanellense se suum Cœnobium recepisset. Ex vita apud Haræum personam Monachum, &c. In Oriente splendidissimus ille Oriẽtis Sol, Sanctiss. Ioannes Damascenus enitet, ad Lauram S. Sabæ prope Ierusalẽ Monachus, extat vita Tom.3. Surij, apud Lipomanum item, & Iacobum Billium *de eodem Trithem. VVion. Steng. in Icon. &c.*

In Belgio exsplendescit S. Erminus Lobiensis Episcopus in Galliis Villicarius ex Archiepiscopo factus Monachus. *VVion. &c.*

*A.C.721.* *S.P.N.241.*

GALLIAS fama implet Sanctissimus Rotomagensium Archipræsul Hugo, quem nonnulli etiam Parisiensibus præfuisse scribunt Baiocensis olim Episcopus, post tantos denique honores, in Gemeticensi Cœnobio nostro humilis Monachus; Gemmeticum utique minimè vana spe, aut turpis solum otii gratia expetens, sed quo altius ad æternorum contemplationem conscenderet, & fructu Cœnobii, qui Sanctitas vitæ plerumque erat, plenè frueretur. De Ecclesia universa uti semper, ita etiam hoc anno bene meritus Sanctissimus Papa Gregorius, Synodo Romæ celebrata, cui ipse prædedit, & pro dignitate in illicita conjugia contrahentes; animadvertit. Anathema item in Clericos comam relaxantes pronunciavit. *Baron.*

*A.C.722.* *S.P.N.242.*

DE San. Bonifacii nostri in Germania fructu, ne nimis ipsi laudare videamur, audiamus Annalium Ecclesiasticorum scriptorem, seu potius Dictatorem, Baronium; *Quod vero ad Occidentalem Ecclesiam pertinet,* (de gestis in Oriente egerat) *hoc anno ipsa mirum in modum in conversione gẽtium propagatur: siquidẽ hic annus tertius est, quo recedens Bonifacius à Clemente Episcopo Traiectense, non solum quam plurimos Frisiorum, sed & Cattorũ, qui contermini sunt Saxonibus populi, ab Idolorum cultu ad fidem Christi convertit, & Sacro Baptismate imbuit, &c. Misit vero hoc anno ad S. Gregor. cum litteris Legatum, qui de felici rerum successu Pontificem edoceret, & quædam salutem populi cõcernentia proponeret.* Vid. Baron. &c.

*A.C.723.* *S.P.N.243.*

HOc anno Gregorius Papa Bonifaciũ nostrum Romam evocat, cumque magna ac digna tanto munere (Apostolico) ab eo edita facta novisset, eundem Episcopum consecrat. Consulendus hic rursum Bonifacius, prolixior in Bonifacii laudibus quem, & Tonitrui filium appellat, dicens quod *Fulminis instar impietatis destruxit munitiones, extollentes se adversus scientiam Dei &c.*

Denique idem ad Germanos Hæreticos, & recentiores Saxones conversus

(vide

(vide quam absolute Apostoli Titulum Bonifacio tribuat, quem nonnulli Ducib⁹ nostris pro viribus detrahere conati sunt) *A hæc rursum recentiores provoco Saxones, atque Germanos Hæreticos, ut respiciant à quibus Sanctum receperint Evangelium, & quiqualesve, aut cujus fuerint fidei, qui primam eis veritatem Catholicam propinarunt à quo fluente Apostolica doctrina manarit, & videant à quibus defecerint, & quibus adhæserint. Vivit quidem, vivit in cœlis Tantus Germanorum Apostolus, qui in novissimo die ab ipsis singulis sigillum suæ prædicationis, & collatæ fidei depositum sit apud Magnum judicem exacturus. Erit namq́, & ipse vir Apostolicus sedens cum Apostolis judicaturus.*

*A. C.* 724. *S. P. N.* 244.

COMMENDANDA hoc anno immortali memoriæ, insignis Sanctissimi Frisingensium Pontificis Corbiniani magnitudo animi, & constantia, qua nihil reveritus faciem Principis, Grimoaldum Ducem acriter corripuit, quod vitam fratris Pildrudam sibi copulasset mundans, quamprimum ut eam admitteret, alioqui se illius conspectum vitaturum, effecitque partim minis partim blandioribus verbis, ut pœnitens uterque ad pedes ejus provoluti, veniam rogarent, & piaculum acciperent. *Vid. Baron. Bisciola, &c.*

Conditum hoc año per S. Pirminium, ex Monacho Andegavensi, Meldensem Episcopum potentissimum Germaniæ Cœnobium, Augiense, quod à divitiis dein Divitis Augiæ nomen traxit, & perpetuum ad hæc usque tempora habuit. In quo quot millia Germaniæ procerũ, Comitum, Principum è misera sęculi servitute in libertatẽ filiorum Dei vindicati sint, vel ex eo satis patet, quod à primis conditi Cœnobii añis frequentissimo semper Monachorum Collegio, nec locus quidem inferioris sortis hominibus, aut spes ulla ingrediendi relicta, maximis Principibus ac magnatibus, sacra, & laudabili ambitione sacrum hunc locum, & cucullum avidè expetentibus, & dignè ambientibus. Vt videas quid uni huic Cœnobio Germania debeat, quod præcipuam semper ejus nobilitatem, ad se è mundi innumeris periculis fugientem, verum, & jugiter patens asylum recepit, ut pia mater aluit, imò novo, & feliciore generatione Cœlo genuerit, & educaverit. Vide Chron. MS. & Brusch. Mir. O chem. Rader.

*A. C.* 725. *S. P. N.* 245.

HOc anno conversionem suam Hassia Bonifacio nostro debet, sed & in Thuringia ab eodem maximo cum fructu laboratum. Verum in multam messem operarios paucos secum habens, plures ex Anglia advocavit, omnes egregia sanctitate Monachos, ut ante & super omnia Germani omnes Bonifacio sint obligatissimi, ad eos quos ipse pertransire prædicando non potuerit, benefaciendo tamen penetrasse, accitis, qui, quod minas ipse posset, omnib⁹ Germaniæ provinciis panem frangerent, & verbum Dei annunciarent. In suis præcipui fuerunt, SS. Burchandus, Lullus, wiliboldus, wilibald⁹, & ejus frater Vitta, & Greg. Sed & Sacræ DEO Virgines advocatæ, quæ Monachicam etiam disciplinam in Germaniæ Matronas ac Virgines inducerent, suoque exemplo Christo eas copularent. Inter eas celebriores; Cunigildis, S. Lulli matertera, Bertgictis, Cunitnidis, Thecla, Lioba, VValpurgis, Sancta Cunigildis, & filia ejus Bertgictis liberalibus scientiis eruditæ, apud Thuringos Magistræ sunt constitutæ. Cunitrudis missa est in Boianam, ut verbi divini sementem illic faceret: Theclam apud Moganum fluvium & Ochnofurti voluit manere; Liobam denique Virginibus sacris apud Bischofsheimium præfecit. Ita Baronius.

Favebat Bonifacio in Evangelio laboranti, vniversa Ecclesia Anglicana; interque alios præcipuè Edilbertus Cantiæ Rex, qui hoc ipso anno, patri in Regnum succedens, honorificis ad Bonifacium datis litteris, gratulatur deprecans, ut pro se oret. Litteras inseruit Añalibus Baronius, ut & Galdburgæ Regiæ, fœminæ Abbatissæ, aliasq; lectu dignissimas: quæ vid. Colligas autem licet ex paulo ante dictis, quã debuerit Anglia ritis ex Ordine nostro sanctissimis abundare, quæ tam copiosè exteris ministravit, & commodavit.

*A. C.* 726. *S. P. N.* 246.

ICONOCLASTARUM Hæresis in Oriente repente invalescit, promulgato edicto, sacræ ubique imagines delerentur, ita jubente impio Leone Isaurico. Opposuit se imperterritus tanto Imperatori Sanctissimus Gregorius noster Romanus Pontifex, & convocata Romæ Synodo, sancito, & ipse decreto, piissimum cultum Sanctissimarum imaginum, quã fortiter Cæsar impugnat, tam cõstanter ipse roborat,

Sed & datis hoc anno ad eum fortissimis litteris, minimè reveritus iracundiam efferatissimi Principis, gravissimè eundem pro scelere corripuit. Remisit minaces litteras Leo Imper. magno furore concitus, se eum vinctum ab urbe abstracturum & relegaturum, sicut olim Constantinus Aug. Martinum Papam Chersonam relegarat: adjecit insanus se quoque missurum Romam, qui æneam Petri imaginem prostantem confringeret. Quibus acceptus Gregorius litteris, nihil territus, & Sacerdotali constantia, & invicto animi robore, furenti Imperatori restitit, acres & fortes ad eum litteras mittens, quas recitat Baronius, & dolemus nos brevitatē suscepti operis minimè ferre, in quibus alia inter, dignum tanto nostro Pōtifice votum: *At enim nos perterrefacis, &c. Atque utinam Dei munere nobis cōtingat, ut per Martini viam incedamus; tametsi ob plebis utilitatem vivere volumus, & supervivere, &c. Veruntamen per Dominum te obsecramus à juvenilibus & puerilibus factis avertere, &c.* Aliis item datis, sed & Legatis missis, eundē ad obedientiam adducere conatus nihil profecit, Legatis etiam carceribus emancipatis, & mori coactis.

Hoc eodem anno obiit Tobias Roffensis Episcopus ex Monacho SS. Petri & Pauli, vir eruditissimus, & de Ecclesia meritissimus, Græcè, Latinè, & Saxonicè ita doctus, ut linguas eas æquè ac naturalem familiares haberet. *Vid. Beda.*

*A.C.727.* *S.P.N.247.*

SCripsit hoc anno dignissimum pro Imaginibus librum S. Ioannes noster Damascenus, & zelo pietatis accensus, plures Epistolas, eodem argumento evulgavit, quibus eruditissimè cultum Sanctarum imaginum comprobans, de cœlitib⁹ & Ecclesia universa præcipuè meruit, sed & Cōstantiam suam æternis sæculis commendavit. Baronius.

Germaniæ præter Bonifacium, aliosq; è nostris, mirabili successu profuit etiam Sanctissimus Pirminius, qui prædicationis, & efficacia, & suavitate singulari, omnes longè latèque ad se populos attraxit, Monachicam verò vitam summoperè per Germaniam propagavit, plurimis passim ope Principum exstructis Monasteriis, quæ inter præcipua numerantur prçter Augiam, de qua supra, Altaich, utrumque superius, vulgò, & inferius, Amerbach, Fabarias, Murbach, Gengenbach, Morsmunster, Schuteren, Neuviler, Schwarzach, &c. Ex quibus dein quanta virorum Sanctitate, & doctrina illustrium copia prodierit, nullis digne litteris potest explicari. *Vid. Brovver. in Sider. Raderus, Chron. Aug. S.M. Stengelius.*

*A.C.728.* *S.P.N.548.*

SVB hunc annum Historiam Ecclesiasticam Anglicanam scribit Sanctissimus & Venerabilis Beda noster, neque Angliam solum, sed orbem terrarum universum fama doctrinæ, & Sanctitatis rarissimæ implet. Profuere Monachi nostri ejusmodi aliisque ingenii sui monimentis usque adeo Posteritati sæculorum omnium, ut Monachorum assiduitati omnis ferè Historiæ perpetuitas (qua nihil excellentius Orbis habet) debeatur, quod ex Baronio in primis, & cæteris, qui Chronologiam aliquam pertexuerunt, facilè liquet, nostrorum præcipuè opera, & ope, seriem ferè annorum sæculorumque omnium contextam. In Germania nostra fidei semen latè propagatur, distributis in certas provincias, iis de quibus superius, ex Anglia petitis, operariis Sanctissimis, qui hos annos meritis ita implent, ut meminisse tanto ægrius nobis accidat, quod solum meminisse debeam⁹, in quorum singulorum laudes mallemus integrum volumen pertexere.

*A.C.739.* *S.P.N.249.*

IMMORTALITER rursum meruit, de urbe & Orbe, servato Pontificio decore & Majestate, Gregorius noster Pont. Max. expugnato singulari animi mansuetudine potentissimo Longobardorum Rege Luitprando, qui persuasus ab impiissimo Leone Isaurico, jam in Pontificis necem, captionemque Spoletani ac Beneventani Principum, sed & Romæ ipsius, cum Exarcho cōspiraverat. Prodigiosissimum istud, quod Sanctitate & Constantiæ Gregorii nostri tribuendum. Iam Rex Spoletum venerat susceptoque ab Duce utroque Sacramento atque obsidibus cum exercitu suo in campo Neronis, prope Vaticanam Basilicam consederat. Anastasium audiamus; *Ad quem egressus Pontifex, eique repræsentatus, studuit, ut potuit, Regis mollire animum, commonitione pia. Ita ut ipse Rex (res admiratione æterna dignissima) se prosterneret ejus pedibus, & promitteret nulli inferre læsionem. Atque sic ad tantam compunctionem ipse piis monitis flexus est, ut quæ fuerat indutus arma exueret, & ante corpus Apostoli poneret, mantum, armillam, balthe-*

*theum, spatham, atque ensem deauratum, nec non coronam auream, & crucem argenteam. Post orationem factam, obsecravit Pontificem ut memoratum Exarchum ad pacis concordiã suscipere dignaretur: quod factum est, &c.* Addit Baronius. *Ista quidem Gregorius, ubique mirandus, nimirũ quod accensos hostis animos ira, restrinxerit, quod & furentem armis Regem crucis potentia exuerit, deque illius opimis spoliis trophæa ad Petri Apostoli confessionem erexerit, &c. Sed & mirandus non minus in eo Gregorius etiam fuit, dum eundem Exarchum, quem sæpius vidimus conspirasse in necem suam, amicè susceperit, imo, & auxiliaribus copiis, præsto fuerit:* quæ Anastasius fusè commemorat. Vid. Eodem anno Gregorius idem, dissensionem inter Gradensem, & Foroiulienlem Episcopos, utilissimè componit. *Leg. Baronius.*

*A.C. 730.* *S.P.N. 250.*

INcredibili magnanimitate S. Gregorius noster rursum in Leonem Imperatorem invectus, cum sæpius, per litteras ejus dementiam perstrinxisset, & salutaria suasisset, eundem denique hoc anno, utpote penitus impœnitentem, Hæreticum cognitum, & declaratum anathemate execratum, Romanos Italosque ab ejus obedientia recedere penitus fecit, qui hactenus, (militare benevolentem etiam hosti supremo, Pontificem) habenas populi rebellantis, continuerat, non curans se ob eã causam sæpe in discrimen adductum. Ita dignissimo exemplo cavit suo tempore Magnus æquè, ac ille etiam primus, secundus Gregorius, ne qui in Orbe regnare sinerentur Principes Hæretici, &c. *Annal. Ecclesiast.*

De Ioanne nostro Damasceno, multa hodieque utilia recitat Baronius, nostri quoque ævi, Hæreticis objicienda non solum, sed errores pessimos profligantia, ut hodie redivivus, noster Damascenus æternum de orbe mereatur. *Consule Baron.*

*A.C. 731.* *S.P.N. 201.*

OBiit ingente Orbis Catholici luctu S. Gregorius II. de quo longè meritissimo, jure hoc Cæsar Cardinalis; Gregorius defunctus receptus est inter Sanctos, añiversariæque memoriæ cultu in Ecclesia perseverat, cujus si scripta extarent, resque ab eo gestæ diligentius Scriptis mandatæ essent, Gregorio Magno haud minorem æstimares, &c. Vt nemo dignè explicet, quantum huic ex Thesauto Monastico gemmę æstimatione tribuendum. Successit alius æquè dignus, & eorum qui elegerant omnium opinione dignissimus Gregorius Tertius, ex Monacho nostro Cardinalis, de quo ita Anastasius; *Vir mitissimus, & valdè sapiens, in divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca, Latinaque lingua eruditus, Psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, & in eorum sensibus, subtilissima exercitatione, limator, lingua quoque in lectione politus, exhortatur omnium bonorum operum, plebi florentissimè salutaria prædicans Fidei Catholicæ, & Apostolicæ immunitatis conservator, perenniter suo monitu fidelium corda corroborans, Orthodoxæ fidei æmulator, & defensor fortissimus, paupertatis amator, & erga hospites provisor, nõ solum mentis pietate, sed studij sui labore sollicitus, captivorum etiam redemptor, orphanorũ quoque, & viduarum largitor, necessaria tribuens, amator Religiositatis, in Christiana norma, & religiosè volentibus vivere, & timorem DEI habentibus, in suis præcordiis director existens; & quem viri Romani seu omnis populus à magno ad parvum, divina inspiratione permoti subito, cum ejus decessor de hoc sæculo migrasset, dum in obsequio sui antecessoris esset intentus, Vi abstollentes in Pontificatus ordinem elegerunt.* Huc usque Anastasius.

De Bonifacii nostri ad novum Pontificem legatione consulendus Baronius. Hæreticos extirpare, inter primas curas, nec ea quicquam antiquius, Gregorius habuit, proin missa ad Imperatorem Leonem legatione, eundem ad obedientiam reducere omni ope conatus est. De Beda nostro fusè Baronius, nos alibi plura commodius.

*A.C. 732.* *S.P.N. 252.*

RVrsum magno universi Orbis Christiani bono à nostro S. Gregorio III. Concilium Romæ cogitur, cum in caussa Gregorii Legati priore, id est, primo pontificatus sui anno aliud coegisset. Hoc firmavit, antiquas Patrum traditiones, de cultu imaginum sacrarum, & anathemate feriit omnes eidem adversantes; & ejusdem Concilii decreto, missæ commonitoriæ ad Imperatorem, &c. *Ex Anastasio.*

Beda finem imponit historiæ suæ Anglicanæ ætatis suo anno quinquagesimo nono. *Mir. Baron. &c.*

*A. C. 733.* *S. P. N. 253.*

ANNus iste totus in magno sed inutili, attamen meritorio Gregorii nostri labo-

labore totus versatur laborantis omni industria Leonem Isauricum ad sanitatem reducere, Detentis Legatis, & in risu acceptis, denique per ludibrium dimissis, serio tamen agens Gregorius, adhortatorias rursum litteras, per Petrum defensorem dirigit sed fructu nullo.

De Bonifacio nostro ita acta ipsius lib. c.17. ubi inter alia; Bojariorum Regiones, quibus per id tempus dominabatur Hugbertus, Dux, invisit, prædicationisq; munus apud illũ studiosissimè exercens Ermwolfum Hæreticum pestilentem, magno Divinæ æmulationis fervore incensus, ex Canonum præscripto damnavit, & ab Ecclesia ejecit. Ac deinde ad suæ Diœcesis homines reversus omnia circumibat instaurans ea, quæ Ecclesiarum cura poscere videbatur.

*A.C. 734.* *S.P.N. 254.*

IN Anglia magnum Ordinis nostri Iubar occidit Tacuinus Dorovernensis Archiepiscopus, vir, teste Beda nostro, Religione, prudentia, & sacra doctrina insignis. Successit Nothelmus pari laude dignissimus, quem uti, & Pectelmum Magnus noster Germaniæ Apostolus Bonifacius in rebus difficillimis consuluit. Cõsulendi Annal. script. Extant ad hos Epistolæ Bonifacii, & inprimis S. Gregor. III. leg. Quorum tu dignitatem ex Consulente Bonifacio æstimabis.

*A.C. 735.* *S.P.N. 255.*

PErsecutione ab Icomachis orta plurimi e nostris (extructis multis, vivente etiamnum Admirabili Patre nostro, Cœnobiis) in Oriente pro cultu Sanctarum imaginum occubuere: de quibus passim in Mart. VVion noster, & nos Tomis diversis.

Honori Ecclesiæ hoc anno egregiè cõsuluit in Gallia præcipuè Sanctus Theodulphus noster Abbas, & Episcopus Laubiensis, ad conversionem infidelium destinatus: innumeri item in Gallia, Hispania, Belgio, Anglia, Germania, Sancti, ut nunquam años minus comptos, quam in tanta plenitudine describamus. *Vid. rer. Belg. Gall. Hisp. omnes omninò scriptores.*

*A.C. 736.* *S.P.N. 256.*

AVgiensis in Germania nostra, potentissimi dein Cœnobii, primis jam annis fructus fuit, ut ad summos Præsulatus ejus dulcedo expeteretur, proin duodedecimo ab exstructione año, Erenfridus, loci illius Monachus sumo Ecclesiæ Constantiensis bono inde extrahitur, qui tantum eo in munere se præstitit, ut Monachos exambire Episcopatus ille multis sæculis non desineret, tandem Monachos pro Canonicis adoptaret, ut, & aliis quoque non per Germaniam solum, sed & Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliã, &c. locis, non per alios quam Monachos plurimæ Ecclesiæ Cathedrales administrarentur. *Vid. Yep. Reinerus, Greg. Mangol. &c.* & de Ernfredo *Chron. Constant. Manusc. 7. Chron. S. Blas. Constantia nostra sacra profana Roman. Aleman. &c.*

*A.C. 737.* *S.P.N. 257.*

NEquissimi hostis opera, hæresis Germaniam pervasit, qua fructum Bonifacii prædicatione ortum, & maturum, præfocatum inferus voluit. Quod igitur Bonifacius sibi decertandum sciret, non solum adversus Gentiles, quorum caussa receperat Apostolatum, sed & adversus Hæreticos, ea occasione, atque etiam adeundi limina Apostolorum, & coram Põtificem venerandi, sed & plura functioné Apostolatus sui attinentia impetrandi, ꝓtectionis consilium cœpit, Romamque sequenti anno pervenit. *Baronius.* Hoc ipso anno Celcolulphus potentissimus, Northumbriæ Rex, ille ipse, cui Beda noster suam Historiam inscripsit, cum annis octo imperasset, imperando fessus, parere in cucullo utilius judicavit, & stupente universo eo se induit in Cœnobio nostro Lindisfarnensi, in quo post vitam sanctissimè exactam, sepultus est juxta S. Cuthbertum Archiepiscopum, cujus miracula, quæ ad sepulchrum ejus innumera fiebant, quanti apud Deum meriti, indicant. *Continuator Bedæ. Matth. VVestmon. Yepes, VVion. Hieron. Platus, &c.*

*A.C. 738.* *S.P.N. 258.*

INter innumerã nostrorum, nihil cogitare libet, neque licet, quam Magnum Germaniæ Apostolorum Bonifacium, qui meritis prægnantissimus, iñumera prole Ecclesiam beavit. Is hoc anno Romam profectus, plurimis pietatis studio comitantibus, benignè à summo Pontifice, digne à populo Romano exceptus est. Retulit Roma reversus multas Sanctorum exuvias, quibus Germaniam nostram ditavit, si nullo alio Titulo Dotatoris dignissimo Titulo, tanto liberalius honorãdus, quanto istæ, divitiis omnibus præstant, & loca etiam, quibus invehuntur, efficiunt veneranda. Baron. In Germaniam reversus Bonifacius, de Boiariis æternum meruit,

fuit, & plurimos eorum Christo adjunxit. *Stengel. in Chron. Vvnibald.*

*A. C.* 738. *S. P. N.* 259.

MOrte Magni Clementis, Sanctissimi nimirum VVillibrordi, memorabilis annus, de cujus meritis, quamvis multa superius, nihil tamen retulisse censendi sumus ita facultatem dicendi omnem superavere. Fuit Apostolus non Frisiæ solum utriusque, & Borealium omnium, quæ Pipino parcere Regionum sed zelo insuper Christianæ fidei incensus, ad extremos usque, & ferocissimos Daniæ populos penetravit, Ongendo ipsi eorum Regi venerandus, qui tamen fera omni crudelior, indignum Fidei dono se ipsum fecit. Moriturus ad suum Epternacense Monasterium se contulit, quo nimirum exemplo orbi universo esset, quam in cœnobio mors omnibus expetẽda, ubi quisque cura omni solutus soli DEO atque animi sui saluti totus intenderet. De miraculis ejusdem, aliisque vitæ præclarioribus, constructis Cœnobiis, reparatis Ecclesiis, Alcuinus noster, vitæ scriptor consulatur, & tomi nostri SS. Ord.

S. Bonifacius, suo jam more pergit æternum de Germanis mereri Episcopos ordinando diversos, Gentiles convertendo, Hæreticos revocando, Ecclesias, Cœnobiaque passim moliendo de quibus fusè rerum Germ. Scriptores.

*A. C.* 740. *S. P. N.* 260.

DEBET hoc anno Monasticæ cellulæ, quietem, salutem, felicitatemque potiorem emergens è sæculi fluctibus Sanctissimum Occidentalium Saxonum Rex Inas, artibus belli, & pacis, inclitus, is ipse qui immortali nomine, rarissimo exemplo de Ecclesia Romana est longe meritissimus, quippe præter multa dum imperaret Sanctissimè instituta, & facta, Basilicam Velleiæ magnifico apparatu, D. Andreæ Apostolo Sacram, eandem Episcopali sede illustriorem fecit, Glasconiense item Princeps templum extruens, & multis possessionibus locupletans, nostrorum esse voluit, ac denique Romam profectus ubi Regnum suum Romano Pontifici vectigale fecisset, adeoque opes S. R. E. egregiè amplificasset, & Apostolicæ sedis honori splendidissimè cõsuluisset, cucullum amplexus, eodem à Sanctissimo Gregorio nostro investitus in Sanctorum à morte Catalogum referre meruit. Inter alia in Regno dignè curata, quo suos ad benè beatèque vivendum institueret, Sanctissimas leges condidit; Hæ fuerunt,

Legum Religiosarum lib. unus.
Statutorum Municipalium lib. unus.
Ad Greg. II. Epistola una.

Vid. Yepes, VViõ. Matth. VVestmonast. Hier. Platus, Baronius, Bisciola, &c.

Hoc eodem anno, celebrato in Germania Concilio, summa auctoritate jussu Gregorii nostri Summi Pontificis præsidet Sanctus Bonifacius, magno Ordinis nostri laude, & bono Germaniæ, imò Ecclesiæ universæ longè maximo. De canonibus in eo sancitis consul. Baron.

Longobardorum Rege denuo contra Pontificem, incitatione Cæsaris, insurgẽte, Gregorius à Carolo Marcello Francorum Duce auxilium implorat. Extant literæ in quibus, bis illum Christianissimũ filium appellat, propagato ad hæc usque tempora honorificẽtissimo titulo, quem, haud minima nostrorum laus est, à Benedictino Pontifice profectum, hodieque cum Galliæ potentissimis Regibus suspici ac deprædicari. *Vide Baron. Bisc.*

*A. C.* 741. *S. P. N.* 261.

IN Cœlum evolat Sanctissimus noster Gregorius tertius, de cujus meritis sanè maximis, & præter supra memorata, plurimis constructis ac reparatis, in urbe præsertim Cœnobiis atq; Ecclesiijs, Centumcellensisque civitatis muris, pene à fundamentis fortissimè eductis, videndus Anastasius. Inter alia quæ scripsit extant.

Commonitorii ad Leonem, & Constantinum Impp. lib. I.
Ad eosdem lib. I.
Contra eosdem, lib. I.
Epistolarum, lib. &c.

De eo Hieron. Platus lib. 2. de bono statu. Rel. c. 28. ubi de nostris Pontificibus, & Greg. II. egisset; *Alterius*, inquit, (Gregor. III. intellige) *etiam Gregorij, nobilitata est sanctitas, & fortitudo ijs præsertim præliis, quæ pro Catholica fide gessit, adversus Leonem III. Imp. Hæreticum, & sacrarum imaginum hostem, quem etiam ob hanc causam Imperio, & fidelium communione privavit. Atque ut eo nihil fortius contra inimicos, ita nihil mitius ac liberalius in pauperes, viduas, pupillasque quorum omnium Pater ac Tutor vulgo appellabatur, &c.*

Creatus quam primum fieri potuit in ejus locum, è nostris rursum alius assumptus, Sanctus Zacharias ejus nominis primus, vir insignis sanctitatis, mitissimi in-

ingenii, &c. legat. Anastasius, qui paulo post subdit; *Divino nutu prænominatus Sanctissimus Pontifex Zacharias ad Pontificatum est elevatus, cui omnipotens Dominus tantam contulit gratiam, ut etiam pro salute populi Romani suam ponere animam non dubitaret. Missa igitur legatione ad Regem Longobardorum Luithprandum, salutaria illi prædicavit. Cujus Sancti viri admonitionibus inclinatus, prænominatas quatuor quas à Duce Romano abstulerat civitates, reddere promisit, &c.* Tãtum primo Pontificatus anno profecit profuitque Sanctus hic Pontifex noster, unde facile cętera ejus liceat ęstimare.

De Carolomanni Regis laudibus, qui hoc anno successit Patri, alibi dicendum.

*A. C.* 742. *S. P. N.* 262.

CONstanter pro Ecclesia laborat S. Bonifacius, adjuvante pios conatus Carolomanno Rege, cui accepto Regno nihil potius, ac prius fuit, quam eodem benè uti, Apostolico viro Bonifacio obsequi, iisque consulere, quę ad Religionem cõservandam non solum, sed & propagandam spectare viderentur. Coacta proin utriusque, & Regis, & Episcopi opera, Synodo, cui jubente Zacharia Romano Põtifice Bonifacius pręsedit, multa summo Germanię bono, & sequuturis sæculis exemplo, definita, & decreta sunt: quæ hodieque extant, teste Baronio; Sæcularibus, & Ecclesiasticis utilia.

Sed Zachariæ Pontificis, quis satis præconia celebret? aut merita verbis seu litteris explicet? qui opinione Sanctitatis, etjam apud hostem tantum potuit, ut non solum resistere porro non auderet, sed & quacunque postularet concederet. Debet eidem hoc anno, Patrimonium suum Divus Petrus, à Longobardorum Rege, admirando sanè modo, receptum, quod ut prolixius commendaremus, utinam Benedictinæ Historiæ compendium admitteret. Sed Anastasius requirendus. Quippe Luitprando differente an tergiversante, quas promiserat superius Vrbes reddere, ipsum Pontificem Interamnæ agentem conveniendum putavit à quo honorificentissimè exceptus, piis admonitionibus ita ejus animum flexit, ut non solum dictas restituerit Vrbes, sed & Sabinense Patrimonium, quod 30. ferè ante annos fuerat ablatum, insuper Narniense, & Auximanum, & Anconitanum, nec non, & Polimarense, & Vallem quæ dicitur Magna in Territorio Sutrino, per donationis Titulum Principi Apostolorum reddiderit, pacem cum ducatu Romano per 20 annos firmarit, captivos denique omnes diversis ex provinciis illi donarit.

Hoc eodem anno S. Erckenbodus noster Morinensium Pontifex, & Antistes Bertinensium, morti concedens Superis jungitur. Is quanti fuerit meriti, vel eo fit satis manifestum, quod in hanc usque diẽ tanta veneratione colatur & frequentetur. *Iperius, Molan. Meyer. Miræus, Locrius, &c.*

*A. C.* 743. *S. P. N.* 263.

GRandi peste Germaniam hoc anno, & Regna vicina liberavit Sanctissimus Bonifacius noster, victis condemnatisque nequissimis duobus Hæreticis Adelberto, & Clemente, de quibus constat ex litteris Zachariæ ad ipsum, ut & ex actis Concilii alterius, grandi commodo Germaniæ, & summa auctoritate Bonifacii nostri celebrati, ut meritum ex merito perpetua serie oriatur. Iuvere strenuè Bonifacium optimi & Religiosissimi Principes Pipinus, & Carolomannus, uterque nostris addictissimi, & quasi pro ministris Apostolo nostro servientes; de quibus dignissima admiratione in Epistola ad Bonifacium Zacharias, hæc habet. *Indicasti nobis quomodo, & qualiter tetigisset Deus corda excellentissimorum filiorum nostrorum Pipini, & Carolomanni, ut tibi in prædicatione socij, & adjutores esse niterentur ex inspiratione Divina, quorum merces copiosa manet in cælis; quoniam Benedictus homo, per quem benedicitur Deus, &c* Tanti ac tales nostrorum opera hi Principes evasere.

*A. C.* 744 *S. P. N.* 264.

LVitprandus Longobardorũ Rex moritur, vel ex eo maximè hic nomine memorandus, quod præter admissa in Ecclesiam, & Pontificem præclare gestis plurimis excelluit, & de ordine nostro æternum meruit, multis extructis, & egregiè dotatis Cænobiis, quibus res Monachica mirificè adjuta & propagata *Baronius, &c.*

Celebravit hoc anno Synodum Romæ, utilissimus rursum Ecclesiæ, Zacharias, in qua 13. capita sancita de Ecclesiastica disciplina.

Consuluit insuper Ecclesiæ universæ, & imprimis Alemannicæ viginti septem capitum responsione dignissima, & æternum profutura, ad quæsita Pipini, in ea Epistola benè longa, quam profert hoc anno Baronius *ex cod. MS. Vaticano. leg.*

Eodem

Eodem ipso anno Princeps illud, & lōgè celeberrimum ac potentissimum Fuldense Monasterium construitur à S. Bonifacio, opes suggerente, & ministrante, Rege Carolomanno; ex quo Litterarum omnium, & probatissimæ vitæ atque sanctitatis Athæneo, quanta Germaniæ non solum, sed terrarum Orbi universo, lux affulserit, emanarit felicitas, & emolumētū, nec ij quidem ignorant, qui rerum, & litterarum omnium ignari sunt, ita toto Orbe Cænobiū hoc pro meritis celebratur.

*A. C. 745.* *S. P. N. 265.*

RUrsum celebrato in Germania Concilio summa auctoritate præest Sanctus noster Bonifacius, in quo multa utiliter decreta, & iidem, de quibus superius Hæretici damnati, exauctorati, & incarcerati: gesta ejus concilii eodem anno à Zacharia confirmata. *Baron. Miræus, &c.*

Ipso hoc anno Primus Moguntiæ Archiepiscopus ex incertæ antea sedis Archiepiscopo creatur, idem Magnus Germaniæ Apostolus, ut rursum debeat nostris Metropolitana celeberrima sedes Moguntina, primum, & continuatum tot sæculis honorem, insuperque tanta Sanctitate Patronum atque Antistitem. *Ex Miræi Ann. Belg. Baronio, &c.*

Nec mereri satis habuit Bonifacius de sua jam Germania, nisi & sollicitus de relicta Patria, Regno nimirum Angliæ, omni modo atque opere consuleret; extat ejus ad Æthelbaldum Regem Epistola, qua zelo charitatis exæstuans, nihil odia principis veritus, de gravissimis eum non solū ipse sceleribus arguit, sed & Concilii auctoritate id facit. Quo exitu incompertum: hoc certum, biennio post Regem à suis miserandum in modum contrucidatum. *Ann. Eccles.*

*A. C. 746.* *S. P. N. 266.*

DUplex, & immortale, præter innumera alia, præ aliis tamen spectatissimum Germani anno uno accipiunt à Bonifacio beneficium, duobus potentissimis conditis seu institutis Præsulatibus, quos primo statim tempore nobilissimis duobus, & Sanctissimis commendavit Episcopis, Aychstettensem VVillibaldo, & Herbipolensem Burcardo; de quibus amplius suo loco dicendum. *Hermann. Contractus, &c.*

Anno eodem evecto ad Cælos Ernfrido Constantiensi, ex Monacho Augiæ Episcopo, Sidonius ex Cænobio eodem eligitur, Episcopatui quidem utilis, cui multis post sæculis, multum successores debuere, ejus nimirum in gratiam Ielonii Colmariensis reditus annuos à Bertrada Pipini conjuge, mensæ Episcopi accessisse; nemini vero quam Monachis sibi que ipsi iniquior, quos gravi animi sui dispendio, ceu professo odio appetiit; Sanct. Othomarum, S. Galli Abbatem, Cænobio pellendo, seque ipsum intrudendo; quem tamen omnia in Cænobio pro suo arbitrio disponere parantem, Divina mox ultio consequuta est: Ad S. Galli quippe profectum, jamque templum turbulentè ingressum ante ipsum S. Galli altare repēte corripuit; ita ut eodem loco ( ita nonnulli, alii prius in Augiam deportatum volunt ) profluvio ventris, extis etiam erumpentibus, miserando & terribili mortis genere, intolerando cum fœtore animum efflarit, cum Episcopatui annis 13. præfuisset. *Ex constantia nostra profana, & Constantiæ Benedictæ. to. 1. & 2. Contracto, Manlio. Als. Chron. Const. Rerum Sangall. Script. &c.*

*A. C. 747.* *S. P. N. 267.*

STupendum hoc anno æternis sæculis exemplum Carolomanni Austrasiæ Regis qui hoc anno à summo, sed præcipiti Regni fastigio, ad tutius Monasticæ humilitatis iter descendens, post Odilonem Baioariæ Regem, Homoaldumque Aquitaniæ Principem, Alemannos, Saxones, &c. seu debellatos, sive vi terroreque repressos, potentissimo Principatu abdicato ( tam latè nimirum patēte, ut 12. olim Regibus sufficerit ) in Monte Soracte Cænobio condito, nostris se ultro Legibus emanciparit. Ita Contractus. De eodem Hier. Platus. M. Ant. Scipio. Trithem. Sigebert. Lamb. contra Baron. Verum propter Vrbis propinquitatem, quotidianos Francorum concursus molestè ferens, ignotus Casinum contendens, pro ignoto inter Casinates Monachos admittitur, & humillimis exercitiis ejus Virtus probatur. Sed inferius alia.

*A C. 748.* *S. P. N. 268.*

SAnctus Sturmus, sive Sturmio Romā, atque inde Casinum profectus, jubente Sanct. Bonifacio, ut inde, tanquam à fonte Monachismi, perfectionem observantiæ Regularis reportaret, qua nimirum, tanto majore utilitate, quanto etjam majore auctoritate, recenter per Germaniam conditis sub Regula D. P. N. Benedicti

Benedicti Monasteriis, consuleretur, Vniformitate in omnibus servata, cui se libentius omnes accomodarent, eo quod à Principe Ordinis Cœnobio profecta essent. De quo consulendus doctissimus P. Clemens Reynerus in suo Apost. Anglic. *Cajet. VVion. Yepes, &c.*

De celebritate Dedicati à S. Zacharia PP. Cœnobii Casinensis legatur Leo Ostiensis, ut & de privilegiis ab eodem hoc anno concessis.

*A.C. 749. S.P.N. 269.*

SAnctus Swibertus noster, non satis habens, dum viveret de terris ac militante Ecclesia immortaliter meruisse, novo merito, ut grandi prodigio, hostes Ecclesiæ juratissimos Saxones, westphalosque vincit, ac profligat. Eos primum subegerat Pipinus, sed per compendia itinerum ac devia, majores audentia ac furore reversi, dum, Regi optimo exitium immineret, ipse ad terram prostratus DEO & D. Swiberto supplex, vovet si victor evadat, Swiberti tumulum tùm proceribus supplicem se visitaturum. Quo nuncupato voto, statim lux im̃ensa super exercitum Christianorum splendens paganos adeò exterruit, penè excæcatos, ut consilio celeriter inito, duos ex primoribus ad Pipinum miserint, se dedentes, & quæ viderant exponentes. Quibus auditis Pipinus lætus cum suis proceribus ad terram abjectus, Deum adorans, & gratias agens, acceptis obsidibus S. Swiberti sepulchrũ discalceatus cũ Regalibus muneribus, & oblationib⁹ piè visitavit, & deinceps Swibertum in specialem Patronum, & advocatum adoptavit. *Ex Epistola Ludgeri Monast. &c.*

In Oriente nova exurgente Hæresi, pridem extincta Gnaphei in lucem revocatur, cui nisi citius S. Ioannes Damascenus occurrisset sui celebritate nominis, ingentem intulisset cladem Ecclesiæ. Ita Baronius. Extant ejus contra eandem Hæresim scripta, quæ ex parte, idem Baron. recitat, viro à Spiritu S. Illuminatissimo dignissima.

*A.C. 750. S. P. N. 270.*

OBstupescentibus universis, Rachisius Longobardorum Rex potentissim⁹, tertio quam Carolomanus Rex Cœnobium inierat, Regno feliciter administrato renuncians, regio abdicato cultu, Monasticum ipsomet impertiente Zacharia suscepit, & Cassinum contendens S.P. M. institutum complexus est. Nec minori Religione idem institutum amplexa Thesia Regina conjunx, ac Tatruda filia, ædificato, prope Cassinum montem Virginum Cœnobio, eodem se concluSere. Rachisius agello sibi postulato, vineam jubente Abbate coluit. Omnes exin Sanctitate eximia florentes, pro terreno sempiternum Regnum indepti sunt. *M. Ant. Scipio. Yepes VVion. &c.*

*A.C. 751. S.P.N. 571.*

HOc anno rursum novo merito S. Bonifacius noster Moguntinæ Cathedræ consulens, eam Metropolitanam cõfirmari, certis subjectis Ecclesiis impetravit, sed & Fuldensi suo Cœnobio prospiciens, privilegia exemptionis, ut nulli nisi Rom. Põtifici subjaceat à S. Zacharia obtinuit. *Vid. Brovverus, Bisciola, &c.*

S. Carolomannus quondam Rex toto orbe spectatissimus, toga sagoque felicissimus, Casini, incognitus, indignius, exercetur, & coquinæ servitio tantus Princeps deputatur. Nactus coquum insigniter morosum, præter contumelias, verbera, & colaphos, frequenter, & patienter, accepit, & tulit. Longa sic patientia probatus, ex Rege denique factus opilio, sceptro in pedum commutato quotidie jubente Abbate educebat ad pascua gregem, adque caulas reducebat. Imbecillem aliquando oviculam in humeros sublatam, lotio ab eadem inter eundem perfusus, eam fœditatem, ac sordes nihil abhorrens, ad Cænobium deportavit, & tanta humilitate summam vitæ sanctitatem paravit. *M. Ant. Scipio. Rader. & ex parte Hieron. Platus Yepes VVion. &c.*

*A.C. 752. S. P. N. 272.*

COnsuluit hoc anno egregie Francorum Monarchiæ S. Zacharias noster Rom. Pontifex Pipinum in Regnum Galliarum subvehendo. Is in civitate Suessionum à S. Bonifacio nostro in Regem unitus, & regio honore sublimatus est, ut nemo satis deprædicet, quid à nostris hoc ipso Gallia acceperit tanto Rege, & ab eo natis, & ornata, & exaltata. Vid. Ann. Gall. script. Obiit eodem anno post Pontificatum Sanctissimè, & utilissimè administratum S. Zacharias noster, inter Sanctos, & noster ferè omnes, pro meritis relatus. Successit Stephanus II. quo mox post 4. dies vita functo, summo universi bo-

bono è nostris rursum eligitur S. Stephanus III. Cassinensis Monachus, verus pauperum pater, cujus prima cura in Pōtificatu fuit plura statim Xenodochia partim restituere, partim construere. Baron. Bisciola. Scipio, &c. In Bavaria florent egregia Sanctitate Sanctissimus Altho noster, in cujus hoc anno gratiam Pipin⁹ Rex Altomonasteriense Cænobium cōdidit, & largissimè dotavit, quod dein per Guelphones Principes usque tertio translatum, hodie Vinearum nomine, inter præcipua Germaniæ celebratur. Ferunt S. Althonem primum loci Abbatem, ubi cultro arbores circumscripsisset, easdem absque labore à fratribus dejectas, in usū Cænobii cessisse. Fuit Cænobium VVeingartense, securissimus longo seculorum decursu Principum procerumq; Germaniæ è pelago mundi hujus emergere curantium portus, & viris, generis splendore, doctrina, & sanctitate, ad hæc usque tempora celeberrimis claruit. Fuit postremus ferè Sanct. Bonifacii in Germania labor, susceptum, jussione divina, iter, ad nostrum D. Althonis Cænobium, ut illud solemni Ecclesiæ ritu, ac cæremonia consecraret, una dein cura qualiter à se Archipræsulis honorem abdicaret, & in suo Fuldensi Cænobio ad optatissimam Cellulæ quietem reverteretur. Sed alii nimirum provinciæ, quod paulo post videbimus, servabatur. *De his fuse in diversis nostris operibus, vinea præsertim nostra, & Constantia Benedicta.*

Nonantulano Cænobio in agro Mutinensi constructo, summa omnium admiratione, principatum cucullo post habuit, & à se abdicavit, Anselmus Forojuliensium potentissimus Dux Aistulphi Longobardorum Regis affinis, in quo Imperio omni potiorem, Sanctitatem, & vitæ summam perfectionem meruit, ut eum inter Sanctos Ecclesia veneretur. Abbas denique electus mille ducentos omnino Monachos Sanctissimè imperio jam novo continens, cælo utique manipulum grandem intulit. *Bar. Yepes, Vvion.*

*A. C. 753. S.P.N. 273.*

SAnctissimus Metropolita noster, & Apostolus Bonifacius, ultimo in Frisiam se confert. In ea quanto fructu, ut nusquā sine maximo, ageret ex ejus Vita agnoscitur, quam gravi stylo, VVilibaldus ipse composuit, & plures dein in tanti Præsulis rebus præclarè gestis, memorandis, VVilibaldum secuti sunt. Sed antequam suos relinqueret, ne pastore eosdem destitueret, iisdem consensu Pontificis Maximi, Lullum præfecit, Sanctissimæ Vitæ discipulum, & Magistro zelo Religionis proximum, quem Moguntina Archiepiscopalis sedes rursum Benedictino Ordini debet, ut nunquam se debito sit exsolutura, nisi agnoscendo beneficiis imparem esse, Tanta se à nostris accepisse. Bonifacius ad Frisios delatus plurimis illic sacris Deo ædibus exstructis, brevi temporis spatio prædicando tantum profuit, ut virorum atque mulierum multa millia sacro fonte ablueret. *Ex vita, & Germ. Script.*

*A. C. 754. S.P.N. 274.*

SAnctus Sturmio admiranda effulget sanctitate, & meritis gravissimis beatissimam Germaniam facit, non Monachorum solum sanctitate illustrium copia, quorum quadringentos jam ille in Cænobio habebat, sed verò maximè etiam litteris, quas primus ille, universali, quasi studio Germaniis invexit, Monachorum aliis, choro vacantibus, aliis lectiones publice prælegentibus, nonnullis, Græca volumina, in sermonem Latinum vertētibus. Ex quo uno Cænobio, velut in exhausto fonte, in diversissimas exin toto orbe provincias copiosissima doctrinæ flumina derivata. Quod tanto magis in Sturmione nostro commendandum, quanto difficilius explicatu est, mundo exhausto quodammodo doctorum virorum ingeniis, ex hoc Cænobio, velut sapientiæ, eruditionis ac optimorum penu, verba Ioan: Bonifacii Hispani sunt, tot Episcodos, Archiepiscopos, &c. prodiisse. *Vid. Trithemius, Brovverus, & Bonif. cit.*

Sanct. Stephanus noster Summus Pōtifex in Gallias priore anno delatus, labore itineris, lethali morbo contracto, divina visitatione recreatus, & ( tanti Numen Pontifices nostros fecit ) per Apostolos Petrum, & Paulum, & gloriosum Martyrem Dionysium Sanitatem recepit, & ab eisdem jussus altare dedicare in S. Dionysii Basilica, in honorem BB. Apostolorū Petri & Pauli, inter ejus consecrationem Pipinum, & duos ejus filios Carolum, & Carolomannum cum Bertrada uxore, unxit in Reges Francorum, auctoritate Beat. Petri obligans Francorum proceres, ne unquum perpetuis temporibus, alium quam ex ea stirpe præsumant Regem Fran. constituere. *Baronius, Bisciola, Ferr. Locrius, Miræus, &c.*

*A. C. 755.* *S. P. N. 275.*

HOC denique anno Aistulphus fœdifragus, & periurus Longobardorum Rex, perfidiæ venia impetrata, cogente Pipino in gratiam cum Stephano Pontifice redit, & ablata restituit. In gratiam verò ejusdem Sanctissimi Pontificis Donationem amplissimam Pipinus cum filiis fecit, firmavitque quod Stephani nostri meritis hodieque Pontifices successores debent. Ann.

Claudit tandem Apostolici sui muneris functionem hoc anno fine felicissimo Gloriosissimus Germaniæ universæ, necnon Frisiæ Apostolus sanctissimus Bonifacius, qui in Villa Dockum, ab impijs quibusdam sicariis, cum sociis Monachis quinquaginta duobus, cōtrucidatus Martyrio coronatur. De corpore ejus Trajectum, dein Moguntiam, denique Fuldam transportato, vitæ auctor pluribus narrat. consulendus in lib. Antiqu. Fuldens. Browerus. Memoria dignissima Epistola illa, quam paulo ante Martyrium Fulrado S. Dionysii Abbati, quasi mortis suæ præscius destinavit, ex qua Apostolorum nostrorum, verè Apostolico exemplo, sine baculo & pera proficiscentium, non pingues provincias, aut Principum mensas sectantium, zelum laborum famisque tolerantiam, aliorum item è nostris (quod in hanc usque diem cōstanter observatum) eidem ope, & opibus succurrentium prōptitudinem agnoscas. Sic habet.

Bonifacius gratia Christi Episcopus, carissimo Consacerdoti Fulrado Presbytero.

*Deprecor ut meo verbo gloriosum, & amabilem Regem nostrum Pipinum salutes, & ut illi referas, quod mihi, & amicis meis similiter esse videtur, quod vitam istam temporalem cito debeam finire. Propterea deprecor magnitudinē Regis nostri, pro nomine Christi filij Dei ut mihi nunc viventi indicare, & mandare dignetur, circa discipulos meos, qualem mercedem nostram de illis facere voluerit. Sunt enim penè omnes peregrini quidam presbyteri, per multa loca, quidam Monachi per cellulas nostras, & infantes ad legendas litteras ordinati: sunt etiam aliqui Seniores, qui longo tempore mecum viventes laboravere, & me adjuvabant. De his omnibus sollicitus sum ut post obitum meū non dispergantur. Et propterea hoc fieri maximè peto, quia presbyteri mei prope Marcam paganorum pauperculam vitam habent; panem acquirere ad manducandum possunt, sed vestimenta ibi invenire non possunt, nisi aliunde consilium & adjutorium habeant. Et si pietas Christi hoc vobis inspiraverit, per hos missos meos præsentes, aut per litteras pietatis vestræ hoc mihi mandare non dedignemini, ut eo lætior in mercede vestra, vel vivam, vel moriar.*

In qua Epistola illud observandum Presbyteros, qui Monachi fuere, à potiore, quod est Sacerdotiū, denominatos, quod tanti fecit Bonifacius, ut jam Fulradum ipsum potentissimi jam Cœnobii Abbatem, non aliter quam presbyterum, & Sacerdotem compellet. Quod, & alibi, & in vita, observandum.

*A. C. 756.* *S. P. N. 276.*

MAgistri sui Bonifacii exemplum digna æmulatione consequutus, Sanctus Sturmio Fuldensis Cœnobii Abbas, non satis habuit, Monachis suis, ad Sanctiorem vitam exemplo esse, juventutemque Germanicam Fuldense ad Monasterium, velut celeberrimum tunc toto orbe terrarum, liberalium artium emporium, convocare, nisi ad exteras ipse provincias progressus, Prædicationis quoque munus susciperet. De hoc Apostolici viri munere sic Breviarium Majoris Ecclesiæ M. S. *Venerabilis itaque Sturmius Abbas, anno decimo, postquam Fuldense fundaverat Cœnobium, & ibidem multos in servitium Dei coadunaverat, Sanctique à DEO dilecti Magistri sui Bonifacij triumphum passionis consūmmatum esse cognoverat, destinatus à Rege Carolo, ad gentem Saxonum fidei subjugandam, modis omnibus curam adhibui, ut populum Domino non parvum acquireret; instans; oportunè importunè, docebat eos ut idola & simulachra vana derelinquerēt, & Ecclesias ædificarent. Cujus prædicationis instantia, dicta gens Saxonum mollita, Domino credidit, & à Beato viro Christianæ Religionis initia sumpsit, &c.* Refert idem in Abbatum Fuldensium Chronologia Christophorus Browerus, Sturmionem Apostoli Titulo honorans; *Saxoniam,* inquit, *doctrina, & & vitæ exemplo Apostolus illustravit, à condito Cœnobio circiter decimo, Christi DCC.LIV.* Verum in anno satis graviter exerrans particula circiter nonnihil dilatata, deceptus nimirum verbis illis ex Breviario Manuscript. citatis (Ann. decimo postquam Fuldense fundaverat Cœnobium) cum extendendus potius fundati Cœnobii annus fuerit, ad ejusdem Cœnobii absolutionem, cum certum Bonifacium nō ante Christi Ann. 755. Martyrio coronatum, & multi pro an. 756. laborent. *Chron. Fuld. Brovv. Mas. &c.*

A. C.

A.C.757. S.P.N. 277.

INtulit hoc ipso anno Magnum Cœlo gaudium ingens se ipso trophæum meritis maximis locupletissimus, Sanctus Stephanus Tertius Orbis, & Vrbis Pontifex, qui primus supremi honoris Majestatem, & ornamenta in Cœnobiorum Princeps, Casinense invexit. In Pontificatu, præter reliquarum virtutum præsidia, quibus per Cœnobii sacra exercitia, egregie instructus, insigni fortitudine optimi Principis partes, ac numeros omnes explevit. Primum omnium ad Ecclesiæ laborantis, rationes, & commoda conversus, Lateranensem conventum indixit, in quo adhibitis ex Italia, Galliaque præsulum sapientissimis, dissolutam Cleri disciplinam, pro temporis, & rerum oportunitate, severioribus statutis coercuit. Deinde Michaelem, diris gravibus devotum ob invasum Ravennatem Archiepiscopatum, benevolentia nimirum Desiderij Longobardorum Regis, nihil reveritus Principis iracundiam, constantissimè dejecit. Multaque alia magnanimitatis tanto honoris apice dignissimæ specimina edidit. Posuit in hoc muneris altissimi maximo labore, annos tres, & paulo amplius, & magno sui relicto desiderio decessit, sepultus in Basilica Principis Apostolorum VI. Kalend. Maji Indictione X. De hoc Marcus Antonius Scipio noster in suis Abbatum Casinensium elogiis. *Monachorum gens, unde tantum lumen, & decus in publicum prodiit, non tantum Alumni sui amplissimis honoribus insignitur, gloriaturve, quam, quo in supremo dignitatis gradu, Religiosæ disciplinæ apprimè memor, ac tenax, privatis suis rationibus publicas res; magistratu ac vita potiorem semper habuit Sanctitatem.* De eodem Anastasius Bibliothec. & ex hoc Benedictus Luchinus ubi de obitu Sanctæ Zachariæ nostri Summi Pontificis: *Idem vero Sanct. Papa Zacharias debitum naturæ exsolvens migravit ad Dominum, & Stephanus Sanctissimus, ac Beatissimus, & Casinensis Cœnobij Sol splendidissimus in Apostolicam sedem Pontifex subrogatur.* Observandum tamen in hujus dignissimi viri Pontificatu, multa cū Stephani IV. rebis gestis confundi, quem alij diversa supputatione, omisso Stephano alio, qui paucissimis diebus præsederat, tertium appellant. Vt & illa putamus, quæ de dejectione Michaelis Ravennatis, alij atque alij tertio, & quarto assignant. Sed cuicunque debeantur, quia uterque è nostris, uterque item Sanctitate rara excelluit, hoc opere decidere nihil refert, præstat in Chronicon nostrum universale differre.

A.C.758. S.P.N.278.

EFfecere hoc anno summa Monachorum nostrorum merita, & optima de ijsdem concepta à Desiderio Longobardorum Rege spes, ut in eos affectu propensissimus, nihil non in eorum gratiam faceret, amplis muneribus Cœnobia ditaret, aliqua à fundamentis excitaret, ac nova conderet. Inter ea præcipuum ferè, quod Numini, & honori Sanctissimi, & Admirabilis Patris nostri Benedicti extruxit, & nūcupavit in agro Brixiano, de quo hoc anno Baronius. Sed Ansilbergæ, Regis ejusdem filiæ, longè dignior de nostris æstimatio, quos Regnis omnibus, ac immensis opibus, lōgè superiores admirata, non prius conquievit, quam felici eorum contubernio bearetur. His denique sub huncannum se addixit, Ordinem ꝓfessa in Cœnobio S. Salvatoris, & S. Iuliæ Brixiensi, quod pater ejus Desiderius exstruxerat, & amplissimis reditibus locupletarat; in quo denique Abbatissa, annis plurimis religiosissimè supervixit. *Vid. Morigia in Historia Mediol. l. 1. c. 8. Bergomensis in supl. Chron. VVion.*

Ejus exemplum paulo post consequuta ejusdem soror Hermingardis, cucullo item spem Regis mariti, ac Regni posthabuit, quam in regimine Cœnobij ejusdem Ansilbergæ successisse tradit wion noster *lib. 4. cap. 24. Ligni Vitæ.*

Admirandum item hoc anno contemptus sæculi exemplum Eadbertus sive Egbertus potentissimus Northumbriæ in Anglia Rex se ipso edidit, quando amplissimi Regni, viginti jam ipsos annos sūma felicitate, & dexteritate administrati, habenas rejiciens, fessus honoribus in Cœnobium se recepit, & Monachum S.P.N. professus, parendo multo se feliciorem, quam imperando, putavit non solum, sed expertus est: in quo vitæ instituto pluribus annis ad mortem usque felicissimè militavit. De eo Baronius; Eodem anno egregium specimen Religiosissimi Regis edidit Eadbertus Rex Nondanhumbrorum in Anglia, cum sublimioris Christianæ Philosophiæ amore nuncium remittens Regno, Osnulfo Filio relinquens illud, inter Monachos profiteri cœpit.

A. C. 759. S. P. N. 279.

EFfulget hoc anno, & admirandæ Sanctitatis radiis Germaniam universam illumi-

illuminat, Sanctissimus, & DEO dilectissimus Abbas Cœnobii Sangellensis in Helvetia Othmarus, illustri inter Rhætos sanguine editus, & de Sanctiss. illo multorum millium perfectissimorum Monachorum Domicilio, longè meritissimus vir, indignissimè habitus; ut Martyr occubuit. De ejus vitæ præclaris fusè *Walafrid. Strabus*, *Mezler. MS. Sangall.* extantque Germaniæ universæ, decantatissima, ut consulto supersedeamus.

Hoc anno cum Vvarinus, & Ruadhardus, Alemanniæ pro Pipino Imperantes, bonis Cœnobij inhiantes incumberent, Othmarus rei indignitate permotus, Pipino facinus exposuit, isque graviter, ni ablata restituerent Principibus interminatus est. At illi neglecto mandato cum Abbas rursum Regem adiret, retractum ex itinere in vincula conjiciunt, & Lamberto ejus Monacho persuadent, ut viro castissimo libidinis impingat crimen, quo deponendi occasio ministretur. Mox in calumniæ testimonium, Lambertus divina ultione percussus, febrium vexatione persuasus, membrorum vigore resoluto, paulatim sic contractus est; ut capite ad terram more quadrupedis inclinato, non solum deformitate figuræ terribilis esset, verum etiam viva voce in Sanctum peccasse semper fateretur. Verum Othmarus in carcerem detrusus, longa illic fame dire excruciatus est, donec è discipulis Perechtgozus occultè ad carceris fenestellam pervadens, alimenta subinde Abbati suo ministraret. *Vid. cit.*

*A. C. 760.* *S. P. N. 280.*

SAnctus idem Othmarus Abbas altero exilii anno, in Rheni insula Stein felicissimè moritur 16. Kalend. Decemb. cujus corpus in eadem insula tumulatū multis illic diebus mansit incorruptum. Decennio verò evoluto, cum effossa terra corpus discipuli eruerent, absque ulla corruptione repertum integrum ad D. Galli per Rhenum atque Potamum evehunt. Prodigijs ea in navigatione à DEO rarissimis vir Sanctissimus honoratus, grādi exorta tempestate, & metuenda mole surgentibus fluctibus, verum navicula adeo concussa, ut nec appetita videretur. Fugiente, quacunque tenderet, procella, & utrinque à latere eamdem in muri speciem muniente. Sed & præcipitantibus undique imbribus, ne guttula quidem in navem incidit, cereique ad caput ac pedes sacri corporis inextincti, nihilque à ventorū turbine passi, indeficiente cera lumineque ad usque Cœnobii Divi Galli, navigantibus miranda luce præfulsere. Cōvexerant navigantes, in frugalem mensam, & virium suppetias alimenti nonnihil, & parvo in flascone (sic vocant veteres lagenulam) pauxillum vini, unde vix quisque gustaret, nedum siti, satisfaceret; crevit miraculo vinum, adeo ut quantuncunque, & quotiescunque bibentibus, nūquam deficeret, quoad saturati omnes DEO tribuenti gratias retribuerent. Profuit dein admirandis prodigijs in Cœlo Divus, hodieque velut in terris redivivus, per sacras sui exuvias, dante DEO, de ægris debilibusque ac afflictis, mereri non desinit, & circumjacentium undique Hæreticorum errores convellere, & nequitiam pertinaciamque confundere; ut inter meritissimos hodie quoq; jure meritissimo sit referendus. Vid. supra cit. & maximè Mezlerus in lib. 8. rerum Sangal. ubi hoc anno contra quosdam alios mortuus asseritur. De Sidonii Episcopi Constantiensis, S. Galli exin juta invadentis, (velut ab obitu Abbatum sæpius jam olim Episcopos multa sibi arrogasse ex cautione Sanct. Gregorii Magni superius docuimus) miserando interitu, non paucis ante hunc annis, & priore ipse quoque Baronius, qui, & hoc alio paulo mitiore exemplo, ab ambiendo res Ecclesiasticas Principes deterret; Sancto Remigio nimirum Pipinum Regem per jussum flagellante, dum Princeps optimus putaret licitè se bonis Ecclesiæ cujusdam uti potuisse, sub censu annuo, Pontifice in plures pro meritis Ecclesias, id ei concedente. Remigii inter afflicta verbera hæc exprobatio fuit. *Tu, quid hic facis? quare intrasti in hanc ullam, quam mihi te devotior homo dicit: quamque ego Ecclesiam Dominæ meæ S. Dei Genitrici donavi?* Pipinus valida exin correptus febre, ex ea longè post graviter laboravit: Addit Baronius: *Discant homines quam periculosè, sive sub annuo prætenso censu, sive alio modo, homo laicus, possideat res Ecclesiæ quas sæpe invitus ac nolens, fatigatus precibus, vel aliis compulsus occasionibus, vel deceptus falsis suasionibus Pontifex Romanus illis possidendas indulget.*

*A. C. 761.* *S. P. N. 281.*

HOc anno in Anglia moritur Sanctissimus, & nullis ritè laudibus pro meritis celebrandus Eboracensis Archiepiscopus Egbertus, cum annos Ecclesiæ suæ præfuisset, summa utilitate, unde triginta. Fuit

Fuit felicissimus, hic Pontifex, si nulla re alia, Discipulo, & digno non solum Monasticæ perfectionis, sed & scientiæ omnis æmulo, B. Albino, sive Alcuino Flacco, quem jure orbis Vniversus, velut Archimagistrum, absolutissimum scientiæ omnivariæ, morum, atque Religionis Professorem suspicit ac veneratur. Sed meritissimus insuper Egbertus ipse, utpote qui teste Baronio, sed & Flacco ipso, inter alia insignia opera publicum litterarum sacrarum Gymnasium Eboraci instituerit, eamque insuper Ecclesiam (à Monachis etiam tunc, & diu post, ut pleræque Cathedrales Angliæ habitam, & habitatam) nobili valde Bibliotheca dotaverit. *Vid. cit. & de Monachatu Cathedrali fusè Clemen.* Reynerus, unde colligas, quam paucissima nos ex innumeris depromam⁹, & minimè quæsitis in rem nostram argumentis, exemplis, & meritis utamur, qui dante DEO, pro singulis, quæ nunc obiter notamus nostrorum meritis sexcenta, & mille proferemus, cum tamen meritorũ nec umbram quidem adumbrare nos posse, ultro confiteamur.

*A. C.742.* *S. P. N.282.*

Sancti, & verè Venerabilis Bedæ nostri celebrãda memoria, qui sub hæc tempora doctrina, & sanctitate admirandus, toto terrarum orbe habebatur, adeò ut, quod Sanctorum contigit nemini, etiam viventi is honor in Ecclesia haberetur: receptis nimirum ad Divinum Officiũ Homiliis, quas ipse composuerat quodque Sanctitatis Titulus viventi non congrueret, iisdem sub nomine Venerabilis (non Sancti) publicè recitatis. Quod deinceps ad perpetuam rei dignissimę memoriam, viro Sanctissimo perpetuum mansit, ut venerabilis à morte diceretur. Habuit in tota vita nihil prius quam ut vel oraret, vel legeret, vel scriptitaret ac doceret, ꝙ facilius credet, qui libros ejus numeraverit. Ita de se ipse: *Cum essem septem annorum cura propinquorum datus sum educandus Reverendissimo Abbati Benedicto, at deinde Ceolfrido, cunctamque ex eo tempus vitæ in Monasterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter observantiam Disciplinæ Regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui.* Vt cum Malmesburiensi mirari liceat virum, qui in extremo natus orbis angulo, doctrinæ corusco, terras omnes perstrinxerit. Sane ita celebre viventis Bedæ, teste Trithemio nostro, nomen fuit, ut in quæstionibus enodandis, indigeret eo sublimitas Romana. Syllabum eorum quæ scripsit, quæque solum extant 8. Tom. distincta, & A. C. M. DC. XII. Coloniæ edita, promamus, quo de tanti viri laboribus, & meritis, etiam tomos illos non habentibus constet, & ea unius viri magnitudine cæterorum longè plurium, atque celebrium eodem ex Ordine dignitatem submetiaris:

Cunabula Gramaticæ artis Donati. li. 1.
De octo partibus Orationis. lib. 1.
De arte metrica. lib. 1.
De schematibus scripturæ. lib. 1.
De Tropis S. scripturæ. lib. 1.
De Orthographia. lib. 1.
De Arithmeticis numeris lib. 1.
De computo Dialogus.
De divisionibus temporum. lib. 1.
De Arithmeticis propositionib. libel.
De ratione calculi.
De numerorum divisione.
De loquela per gesta digitorum.
De ratione unciarum libellus.
De argumentis lunæ
Ephemeris sive computus vulgaris.
De Embolismorum ratione computus
Decem ovales circuli.
De Cyclo Paschali.
De mundi cælestis terrestrisque constitutione lib. 1.
De Musica Theorica.
De Musica quadrata seu mensurata.
De circulis Spheræ, & polo.
De Planetarum, & signorum cœlestiũ ratione.
De Tonitruis. libel.
Prognostica temporum.
De mensura Horologii. libel.
De Astrolabio. libel.
De minutione sanguinis. libel.
De nativitate infantium. libel.
De septem mundi miraculis. libel.
Hymni.
De ratione Computi. libel.
De Natura rerum. lib. 1.
De ratione temporum. lib. 1.
De sex ætatibus mundi. lib. 1.
De Temporibus. lib. 1.
Sententiarum libellus ex Aristotele.
Sententiarum libellus ex Cicerone sive Axiomata Philosophica
Proverbiorum. lib. 1.
De Substantiis.
Elementorum Philosophicæ. lib. 4.
De Paschæ celebratione sive de Æquinoctio vernali. lib. 1.
De divinatione mortis, & vita.
De arca Noe.
De gentium linguis.

Hos posterorum sera cura, egregii Ecclesiæ Doctoris labores è cineribus eruit, præter plures alios etiamnum irrepertos, de quibus cõsulenda vita ejus in fronte ejusdem Operum Coloniæ editorum.

*A. C. 763.* *S. P. N. 283.*

IN Alcuinum velut Archimagistrum universi, & summum litterarum atq; artium liberalium Dictatorem omnium obtutus defixi, & nomen ejusdem, ac præconia omnium ore versantur. Is Londini primum Monachum professus, in Cantuariensi dein Cænobio plures annos vixit. Postea Eboraci publicè sacras litteras professus, è cujus schola cum alii viri excellẽtes, tum S. Ludgerus, ex Monacho primus Monasteriensis Episcopus, & Apostolus prodiere. Sed & Cantabrigiæ post Bedam omnes liberales artes docuisse, Academiæ Cantabrigiensis Annales ferunt. Ita ut hoc ipso tempore, jam longè ante de universo meritissimus Alcuinus, præstantissimos juxta doctrina ac Sanctitate Magistros, diversissimis regnis formaverit, & multo cum fructu, uni ferè eidem referẽdo, submiserit. Sed de meritis ejusdem prodigiosa multitudine, & magnitudine admirandis, suo tempore fusius, certè sæpius. *Matth. VVeiß, Lycæo Bened. Clem. Reynerus, Ant. de Yepes, VVion, &c.*

A.C.764. S.P.N.284.

CLaret eximia Sanctitate, sed & doctrina rarissima laude Sanctissimus Hariolphus noster, Lingonensis in Gallia Ecclesiæ Pontifex, qui longè illustrior Pontificatus amplissimi abdicatione, quam ipsa sui electione, tunc multo digniorem se ostendit, quando honorem rejecit, quam quando acceptavit, quamvis eodem dignissimus, & pro meritis electus fuerit. Enituit verò multo felicius cucullo, & Cœnobio, quod ingressus hoc anno, omnium magna admiratione, & paulo post, à Carolo Magno primus Elwacensium Abbas institutus, mira dehinc Sanctitate, utilitatem Monachismi commendavit. Eum VVion noster ex Abbate Episcopum, sed contra Claudius Robertus, ex Episcopo Abbatem asserunt. Videndi Molan. in additiõ. ad Usuardum. *Ferrarius tab. Topogr. Martyrol. Possevinus in appar. Chron. Elvacens.*

Tanta Sanctorum hoc ipso tempore ex ordine nostro prodiit copia, ut non nisi per legiones esset numeranda, cum ex tot Cœnobiorum millibus, quæ hoc anno jã constructa erant, vix paucissima sit reperire, cujus non sub hoc ipsum tempus, insignes aliquot Sanctitate, & doctrina Monachi essent celebrandi, cum tamen sequuturis proximè sæculis longe plures, ut & meriti majoris, totum penè universum impleverint. Consulendi qui de Orig. Cænob. scripsere. *Aub. Miræus, Brusch. Claud. Robertus, Yepes, &c.*

A.C.765. S.P.N.285.

ORnat Ordinem amplissimum, & Ecclesiam universam meritis gravissimis lætificat Sanctus Gregorius noster ex Monacho VViltaburgensi Trajectensiũ Pontifex (ita Othlonus; quem alii nunquam fuisse consecratum Episcopum, sed Ordinis secundi Antistitem, graduque presbyterum, & Abbatem; Apostolatum, & diœcesin amplissimam habuisse cõtendunt) vir rara, & admiranda vitæ Sanctitate, ut & præcipuæ in Ecclesia auctoritatis, quam ex eo manifestè colligas, quod Maximo illi Germanorum Apostolo Bonifacio, Comes itinerum, consorsque laborum, ac secundus Thuringiæ pastor accitus, in Apostolico exin munere, eidem succedere meruerit, ad sublimissimam illam functionem à Sanctissimo Papa Stephano dignissimus judicatus, atque elevatus, insigni exin fructu in Frisonia laboravit, Dorstadi præcipuè, & Trajecti Apostolus nuncupatus. Eum vitæ Sancti Ludgeri Scriptor Grandium meritorum virum appellat, & viventem etiamnum *Luciferam Christi Ecclesiæ lampadem* Sanctus Lullus Moguntinensium Pontifex salutat. De eo Gerardus Noviomag. Catalogo Episcoporum Trajectensium: Gregorius, inquit, à Bonifacio Sanctissimo Præsule, Vltraiectino populo in Episcopũ ordinatus: quæ in opere Evangelico D. VVillibrordus, & Bonifacius inceperant, impigrè perfecit. Vt proin rursus Apostolo huic æternum Orbis, & Ecclesia debeat Monimentum.

A.C.766. S.P.N.286.

VEnerabilis Bedæ nostri in hunc circiter annum mors referenda, quamvis eam plures alii, sed nimium sanè accelera verint, nonnulli Ann. Christi 734. Sigibertus 731. obiisse putant, sed quia ad 766. annum opus Epitomes produxisse constat, neque aliud vitæ longioris dignum suppetit argumentum, nos isto vivere desiisse arbitramur. De meritorum ejus copia pauca ex innumeris superius, ut nunquam dignius commendemus, quam liberè profitendo, cõmendationi ejusdem facundiam omnem imparem, multitudini meritorum, numerum omnem nimis brevem esse. Admirandum prorsus, virũ ętate exacta, debilem, exhaustum, & morti proximum, quamvis emigrationis suæ præscius esset, & orandi studium multo ardentius quam unquam antea complecteretur, à docendo tamen atque dictando nihil quidquam remisisse, quin potius, excitasse discipulos, ut identidem quærerẽt ac discerent, cum non diu deinceps habituros Magistrum ipse prænunciaret. Cũque jam dies ascendendi in cœlum Christo sacer appeteret, totus, & ipse in cœlo fuit, ascensuro similis magis, quam morituro, atque in illa oratione. *O Rex gloriæ Domine virtutũ, qui triumphator hodie, &c.* Sanctissimum reddidit spiritum. *Ex vita, ante ejus opera Colõ. excusa, & ex Lycæo Bened. R.P. Matth. VVeis, almæ Vniversitatis Salisburg. Rectoris.*

A. C. 767. S.P.N. 287.

IN Oriente Catholicorum ingens persecutio, sed Monachorum inprimis, ex quibus plurimi Ordinem etiam nostrum professi, pro cultu Sanctarum Imaginum fortissimè decertantes, gloriosissimo Martyrio coronati, Cœlum triumpho,

terras meritis impleverunt. Videndus hoc año Ant. noster de Yepes, & frequentius passim. &c. VVion. aliique.

In Occidente, licet sine sanguine hoc anno, æquis tamen laboribus, & fructu ingenti, nostri in Vinea Domini desudarũt. Multos ex Episcopis enumerat Yepes noster sub hæc tempora, nos unius meminisse, sat habeamus, Abelis Sanctissimi Lobiensium Abbatis, Archiepiscopi ad cõversionem gẽtium designati, viri meritis spectatissimi, qui plurimis ædificatis Ecclesiis post longa Prædicationis, & discursuum incomoda ad lucrum denique æternum abiit, cujus festum nonis Augusti agitur. *De eo vid. Molanus, Yepes, Trith. l. 3. & l. 4. Cratepol. VVion, &c.*

*A.C. 768.* *S.P.N. 588.*

ELigitur summo Ecclesiæ bono, quam plures Pseudopontifices diu multumque afflixere, Sanctissimus Stephanus noster, Papa ejus nominis IV. ex Monacho S. Chrysogoni Romæ ad Summos quosvis honores à diversis ante Pontificibus evocatus, in quibus ita sese pro honore Ecclesiæ gessit, ut ejusdem clavum denique moderari dignissimus haberetur. Is more nostrorum veteri, ad juvandam Christi Ecclesiam illico conversus, quæ per hæc tempora gravissime turbaretur, Legatos ad Francorum Reges pro Concilio congregando destinavit. *Leg. Baronius, Yepes, VVion, Platina, Trith. Panuinus, Hieronym. Platus.*

Celebratissimus fama hoc eodem tempore per Europam, & Germaniam imprimis nostram Etho, sive Hettho ex comite Habspurgio, Monachus Augiensis Cœnobii dein ejusdem Abbas, ac deniq; Episcopus Argentinensis, egregius Simoniacæ Hæreseos expugnator, quam sua præcipuè diœcesi proscribens, multis insuper Cœnobiis exstructis, dotatis, & ad integriorem Sacrarum Legum observationem adductis, de Ordine nostro, & Episcopatu suo æternum meruit. *Bernard. Herzog. Arnoldus VVion, Antonius de Yepes, MS. Chron. Augiense. &c.*

*A.C. 769.* *S.P.N. 289.*

PRovidit Ecclesiæ universæ Sanctissimus Stephanus noster Summus Pontifex, celebrato Romæ Concilio, in quo gravissimis malis occurrit, abrogatis ante omnia Constantini Pseudopontificis comitiis, omnibusque ejus Concilii actis cõbustis, & ne qua deinceps ejusmodi pestis Romanam Sedem invaderet, sequuturis quoque sæculis cavens, statuit, ne quis imposterum nisi Diaconus, aut Presbyter Cardinalis ad Pontificatum assumeretur; ut omnia Constantini in acta Ecclesiastica irritarentur, præter Baptisma & Crisma; ut Episcopi Presbyteri, Diaconi, cæterique ab eo consecrati, iterum cõsecrarentur; Severissima item censura in Pseudopontificem eundem animadversum: Sicque Baronio teste, *Omnibus invasoribus Apostolicæ Sedis, occlusus est aditus, veluti alto interiecto pariete, quo profanum esset à Sacro divisum, &c.* Neque hic solum vigilantia meritissimi Pontificis nostri constitit: cõfirmato eadem etiam in Synodo, cultu sanctarum imaginum, quem impius Imperator Constantinus sustulerat; quod ipsum significare per litteras, eidem crudelissimo Tyranno minime exhorrescẽs, serio insuper admonuit, ut ab errore desisteret; *Ex Hadriani Epistola, Anastas. Baron. Bisc.*

*A.C. 770.* *S.P.N. 290.*

NEc minore Constantia idem Sanctissimus Stephanus, meritissimo cæteroquin Principi, Carolo Magno, Galliarum Regi, hoc anno, Pontificatus sui tertio, se opposuit: quando de Caroli ejusdẽ cum Desiderii Longobardorum Regis filia cõtracto connubio resciens, sub gravissima, & Sanctissima adjuratione, & sub Anathemate interdixit, prudentissimè rursum Ecclesiæ universæ consulens, ne in ejusdem præjudicium perfidæ Longobardorum genti, Romanæ Ecclesiæ infensissimæ, Reges Francorum fœderati, animos hostium plus nimio attollerent, & ad opem dein ferendam, ipsi segniores fierent. Sed & de Galliis æquè meritus, sollicitè iisdem cavit, ne præclarissima gens, per perfidam, horridam, & fætentem Lõgobardorum gentem (sic enim ipse appellat) pollueretur. *Baronius.*

Caroli quoq; res peregregiè gestæ, hoc aliisque annis, Ordini nostro in acceptis referendæ, qui nostrorum consiliis non solum à puero, sed verius dixerimus nutu, & pro arbitrio Rex ducebatur. Alcuini in primis, quem ipse Magistrum à puerilib⁹ annis habuit, ejus, denique opera, restituto passim, admirando fructu, liberalium artium studio, de universis orbe, & sæculo imortaliter meruit, aliorum dein plurium è nostris, quos ille pro rariore vitæ Sanctimonia, ut Magistros, imò parentes reveritus, nihil non quam pro illorum voluntate,

tate, & jussione administravit. Celebratum connitente eodem, ac suadentibus nostris hoc anno Concilium VVormatiense, in quo post dignam fidei confessionem, octoginta Canonibus, bonum Ecclesiæ insigniter promotum est, de quo consulendus *Sever. Binius, Baron. &c.*

In Gallia, Germania, Belgio, Anglia, Scotia, &c. plena Sanctorum Monachorum, plura Cœnobiorum millia, de quorum fertilitate alibi plenius. In Hispaniis celebratur doctrina, & Sanctitate clarissimus è densissimis Regnorum illorũ tunc tenebris exsplendescens S. Beatus Monachus de Valcanado, acerrimus Hæreticorum hostis, *de quo vid. Morales Histor. Hisp. l. 12. c. 26. & 27.*

*A. C. 771.* *S. P. N. 291.*

HOc anno repudiata à Carolo Magno Francorum Rege Hermingardis Regina, quod vitio corporis infœcunda esset summa voluntate Desiderii Longobardorum Regis, Patris sui, in Divæ Iuliæ Brixiensi Cœnobio Monachismum professa, virtutis exemplo fœcundissima, novo vitæ instituto felicissima fuit, ut facilè potentissima Regna fastidiret, quæ nobilitatem servitii Christi experta, jam in atriis domus Dei versaretur. Meruit exin à morte sororis suæ B. Ansilpergæ eodem in Cœnobio Abbatissæ communi omnium voto eidem succedere, & multo digniore, quam Galliarum Principatu, dilectissimis Regum Regis sponsis, præesse atque imperare. Ita Yepes, VVion, &c.

Offensus gravissimè divortio hoc Sanctissimus Princeps Adelhardus, Pipini nepos, ac Caroli Magni consobrinus, viginti tunc annorum juveni, illico valefaciens aulæ, quod indignum Carolo facinus putaret, nec aspicere quidem illum ultra sustinuit. Ad Corbiense Sanctissimum Galliæ Cœnobium delatus, cuculli amori, spê omnem gloriæ potentiæque posthabuit, illoque donatus atque Monasticen professus, ne lautius cæteris haberi videretur, horti cura demandata, jussus est, in sudore vultus sui, manducare panem suum, profecitque obedientia, humilitate, & omni virtutum fama, ut admirandus paulo post toto orbe haberetur. Ex vita, Yepes, Baron. VVion. &c.

Claruit hoc eodem tempore, præter plurimos Regum potentissimorum, & Principum filios, Ægidius Pipini Regis Galliæ filius, frater Caroli M. exemplum S. Carolomanni Patrui sequutus, & in eodem quo primum ipse, Cœnobio montis Soractis Monachum professus, ut vel uno tot Principum exemplo discas, quanti cænobia, & Cellulæ Monachorũ faciendæ, quæ summis orbis proceribus, veluti civitas refugii, & portus quietis, ac æternæ salutis, tam utiliter, tot sæculis patuere. *Vid. Miræus in Stemmat. Princ. & in Annal. Belg. Yepes, Reusnerus, &c.*

*A. C. 772.* *S. P. N. 292.*

AFflixit graviter hic annus bonos omnes, morte Sanctiss. Stephani Papæ funestus, qui multis profligatis, erroribus meritissimus admiranda constantia, inter impetuosissimos fluctus, incõcussus semper rara insuper sanctitate conspicuus, enituit. De meritis ejusdem rebusque præclarè gestis fusè Anastasius, Platina, Baronius aliique.

Ad immortalia hoc anno regna concessit Sanctissima Princeps Amelberga, admirando Virginitatis triumpho inclyta, quem in Martyrologio suo refert wionius noster his verbis sexto Id. Iulii. *In portu Gandano, in monte Blandinum dicto, Sanctissimæ Virginis Christi Amelbergæ: cuius brachium, confregit Carolus Marcellus Princeps, dum eam sibi sponsam rapere volebat: quã planè cœpisset, nisi pudicitia virginalis de eo triumphans obstitisset.* Monasterium Belisię ingressa, & velo assumpto, Ordinis nostri institutis initiata, Magisterio Sanctissimæ Landradæ ita profecit, ut ex in rara celebris sanctitate, etiam à morte inter sanctas Virgines Pontificia auctoritate referri, & coli per universum meruerit. Ejus vitam scripsisse S. Trudonem refert Molan. de eadem *Raysius, Mir. VVion. &c.*

*A. C. 774.* *S. P. N. 294.*

IRradiat mundum, & Germaniam maximè nostram Apostolicus sanè vir, admiranda sanctitate illustrissimus S. Virgilius, Salisburgensium, sive Iuvaniensium Pontifex, ex Monacho Ordinis nostri, & Abbate S. Petri Salisburgensis, S. Ioanni ex ejusdem Cœnobij Monacho, & Abbate, Episcopo, suffectus. Præter innumera, quibus de Iuvaviensibus meruit imortaliter, merita jecit circa hunc annum fundamenta templi Cathedralis Augustissimi, admiranda amplitudine, secto marmore raro in Germania nostra exẽplo, firmissimi, quod duorum annorum spacio felicissimè absolvit. Operat⁹ per eũ Deus cũ Basilica illa strueretur miraculũ planè inauditum, sed Virgilio quotidianum:

num: quippe pecuniam ipse operariis in pelvim conjiciens, ut inde sibi quisque quantum ea die meruisset ipse acciperet; prohibitis grandi prodigio singulis plusculum accipere, quam labori diei cujusq; & personæ conveniret. Transtulit in absolutam Basilicam Magnus Præsul, cum corpore Sanctissimi nostri Rupert, Boioariorũ Apostoli, & primi Salisburgẽsium Episcopi, Cathedralem quoque sedem, & Collegium Monachorum Canonicorũ, cousque Episcopis è Monasterio S. Petri assumptis, & à Monachis Cœnobij ejusdem electis, atque abdicata à se Abbatia, quam juxta Pontificatum antecessores moderabantur) soli deinceps Episcopali muneri sollicitè intendit; copia benefactorum, & præclarissimè gestorum id cõsecutus, ut inter Cælites solemni Rom. Pontificis Canonizatione adscriptus, alter à Divo Ruperto, sed pari honore, Patronus, & Tutelaris Archiepiscopus Salisburgensis perpetuo colatur, & celebretur. Retulit ad annum 767. initia templi Salisburgensis per Virgilium eundẽ Hundius, sed à seipso diversus, quando ante quatuor annos à Stephano Pontifice Romano creatum, duobus à Rege Francorũ Pipino ob eruditionem, & sanctitatem detentum, alijs duobus Pontificalibus abstinuisse asseverat, quę omnia nimis quam incongrua, dum paulo post quarto nimirum ab creatione ann. 767. postulantibus subditis consecratum affirmat: Sic quippe nec Stephano III. Papæ, qui obijt Anno 757. nec quarto, qui primum electus 768. convenire consecrationem Virgilij quarto ante 767. anno nemo non videt, ut proin jure merito ab ejus opinione discesserimus, sed plura ejusmodi in alijs nostris operibus discussa atque examinata componemus.

Fundatum hoc anno potentissimum Campidonense in Rhætia Cœnobium in Imperio Romano spectatissimum per S. Hildegardem Caroli Magni conjugem, natam Sueviæ sive Alemanniæ Principẽ, ex quo multi deinceps spectatissimi per Imperium Principes summo Ordinis, patriæque ornamento atque cõmodo prodiere, de quibus alibi. *Ex Manusc. Chron. ex Crusio, Bruschio, &c.*

*A. C. 775.* *S. P. N. 265.*

IMplet universum, meritorum fama Sanctissimus Saxonum Apostolus ex Monacho, & discipulo Sanctissimi Germanorũ Apostoli Bonifacii Moguntinus Archiepiscopus Lullus, de cujus prædicatione, atque meritorum etiamnum superstes multis egit idem ejus Magister dignissimus. Qui requirendus in libr. Epist. & ex parte apud Christ. Browerum in Antiqu. Fuld. *De eo Vincent. in Spec. Herman. contract. Molan. Baron. &c. extatq; vita ejusdem Tom. 5. Surij 16. Octobr.*

Plurima condita circa hos annos Cœnobia celebrat Antonius Yepes noster, ut plurimum rursum debeat Ordini nostro cœlum multis perfectorum Monachorũ millibus ex hinc locupletatum, terra verò universa, tot tantorum suffragiis toties adjuta, & æternum juvanda.

*A. C. 776.* *S. P. N. 296.*

MOrte felicissima ad immortalitatem transit Sanctissimus Gregor. noster Vltrajectinus Pontifex, Thuringiæ, Dorstadi, & Trajecti meritissimus Apostolus, Sanctitate vitæ, & miraculis planè admirandus. Ejus vitam scripsit S. Ludgerus ejus discipulus, quã refert Christoph. Browerus in siderib. viror. Illustr. Germaniæ, Yepes alijque.

Eodem ipso anno occumbente præclarissimo hoc Ordinis nostri sydere, oritur, & non dissimilibus radijs orbi illucescit, ejusdem Sancti Gregorii discipulus, & vitæ auctor primum memoratus, Sanctus Ludgerus, quippe Alberico à Gregorij morte, in locum ejusdem, ac sedem subrogato, non visus dignior, qui Alberici successor, in S. Salvatoris Trajectensi Cœnobio esset, quam Ludgerus, Magisterio Greg. ad omnem Sanctitatem, ut Alcuini plures ante annos, in omni scientiæ genere efformatus atque instructus. Exorsus est grandibus meritis, ut & laboribus, susceptum munus jam Abbas Ludgerus, & in Frisiam, ac finitimos ad Saxones, Princeps eorundem Apostolus futurus quamprimum excurrit, & pro virili, & incredibili zelo ac fidei ardore, in vinea Domini, nullis unquam fractus laboribus, strenuè desudavit. *Ex ejus vita Brovvero, VVione, Yepes Trithem. alijsque.*

*A. C. 776.* *S. P. N. 296.*

IN Germania claret rarissima admirandæ Sanctitatis laude Sanctus Wilibaldus Richardi Angliæ Regius filius, ex Monacho VValtheimensi, dein Casinensi Primus Eistettensium Episcopus, præclarissimus Germaniæ Apostolus, olim Magni illius Bonifacij nostri coadjutor egregius, qui verbo, virtute, atque exemplo pluri-

plurimas gentes convertit ad Christum. Extant ejus res gestæ *apud Gretſerum, Stengelium, Reginoldum, Trith. &c.*

Sanctiſſimæ VValpurgæ ſorori ejuſdem (eodem Patre Richardo Rege, & Matre Bona, ſive Vvnna S. Bonifacii ſorore genitæ) annus ſupremus fuit, quæ à Bonifacio avunculo ex Anglia evocata, digniſſimo ſanè exemplo Heydenhamenſi Virginum Cœnobio præfuit. De ejus admirandis, in compendio rerum immenſarum tantillo, ſcribere ſuperſedemus, perpetuum tamen ex innumeris miraculis, in hodiernum uſque diem continuatum præterire non poſſumus, quin attingamus, quo rariſſimam utique in Virgine integritatem, prodigioſiſſimè Deus univerſis, mũdo, & ſæculis commendatum voluit; Stillat uſque hodie caſtiſſimæ Virginis corpus, ſacrum oleum maximè ex pectoralibus, quod cæcis lumen, ſurdis auditum, claudis greſſum ſæpe cõtulit: obſervatum etiam ex hoc Sanctum oleum tunc cum Corporis, & Sanguinis Chriſti Myſteria in Altari ſub quo conditum corpus, tractantur, copioſius ſtillare; Tunc verò cum vaſa pro ejus receptione indebite diſponuntur, cohærere etiam guttas in modum botri (prodigioſiſſimum!) ne extra locum debitum cadant; ſicut etiam evaneſcere penitus ſæpe ſolet, minus honeſto vaſe, aut loco, ubi peccari ſolet, repoſitum. Religioſe verò ſervatum ad ducentos años incorruptè perduraſſe compertum eſt. Iſtud mirabilius, quod tum aliquando Civitas Eyſtettenſis Eccleſiaſtico ſubjaceret interdicto, ſtillare penitus ceſſaverit, uſque dum Eccleſiæ reſtituta eſt. Quo tempore, cũ Epiſcopus indicto jejunio, nudis pedibus lineis veſtibus exutus, cum univerſo populo ſolemnem ſupplicationem ad S. VValpurgam inſtituiſſet, ſub confectionem Ss. Sacramenti rurſus ubertim fluere ſacrum oleum, cum ingenti omnium gaudio cœpit, cujus, anno integro, prius nullum veſtigium apparuerat. *Ex vita S. Vvnibaldi per Steng.* Vt videas quantum in hodiernam uſq; diẽ etiam Sacræ Virgines (rumpantur licet Hæretici, & detractores, in exemplo, & vitæ ſanctitate Eccleſiæ conducant, quæ etiam à morte operari, terris prodigioſe, ita volente, ad confuſionem errantium, Numine, nunquam deſinunt.

*A. C. 777.* *S. P. N. 367.*

HOc circiter anno Sanctiſſimus Sturmio Fuldenſis Cœnobii digniſſimus Abbas aſſumptis aliquot diſcipulis in Saxonum fines profectus verbi divini prædicatione, & virtutum magnarum exemplo eorundem pervicaciam, & Idolomaniam conſtantiſſimè oppugnavit, demũ ad interiores etiam Saxones, quibus Evangelii fax nondum illuxerat, ſe conferens, doctrina verbi, & exhortatione Sancta, eoſdem pro virili Chriſto, adducere cœpit; profecitque tantum continuo labore, ut idola ſuis ipſi manibus comminuerent, dæmonibus conſecratos lucos exciderent, & verò DEO templa erigerent, id conſequutus, ut haberetur tanquam alter Bonifacius, Thuringorum, & Saxonum, wederoviæ inprimis celeberrimus Apoſtolus. *Ex vita ejuſdem per VVicetum Brovverum, &c.*

Ipſo quoq; anno Campodunenſe Cœnobium ſumptibus B. Hildegardis Caroli Magni conjugis cum templo abſolutum, pompa ſolemni ab ipſo ſummo Pontifice conſecratur, *ex Manuſc. Bruſchio, Cruſio, &c.*

In Galliis claret Turpinus ex Monacho S. Dionyſii Pariſienſis Rhemorum Archiepiſcopus, inter innumeros noſtri Ordinis viros Sanctitate, & doctrina conſpicuos, Caroli Magni amicitia, & familiaritate maximè celebrandus, *vir,* Trithem. noſtro teſte, *in Divinis Scripturis eruditus, & in ſæcularibus litteris nobiliter doctus, carmine, & proſa exercitatum habens ingenium, pauperum advocatus, vita, & converſatione Deo dignus.* Scripſit eleganter geſta Caroli ejuſdem libris duobus. Epiſtolarum ad diverſos lib. 1. *Yepes.*

*A. C. 760.* *S. P. N. 280.*

MVltus in Caroli Magni laudibus hoc anno Baronius, adeò ut à DEO Ter. Opt. Maximo tituli partem mutuetur, (diſſimili tamen ſenſu) Carolum Ter maximum deprædicare non vereatur, bellica nimirum fortitudine, ſcientia, & pietate celebratiſſimum. Atqui noſtrorum inſtitutione litterarum, & pietatis non ſolum rudimenta poſuiſſe, ſed & aſſiduo convictu, litterarumque inſtituto cum iiſdem commercio Theologicam denique facultatem ita imbibiſſe, ut ipſum Magiſter etiam ſuus ipſe Alcuinus ſubinde cõſuleret, rerum noſtrarum ſcriptores omnes dignè comemorant. Neque enim, quod Baronio, idem illico omnibus videtur, Alcuinum (quem ipſe paſſim Carolus Magiſtrum ſuum fatetur,) eoquod in re aliqua dubia mentem explorarit Caroli, hujus

hujus ejusdem in rebus Theologicis Doctorem non fuisse, cum sæpè professores quoque ipsi discipulorum subinde felicibus ingeniis juventur. Sanè propositis utrinque atque impugnatis rationibus, tũ denique re meliusdiscussa, planius definiant. Et verò licet Theologica Caroli Alcuino non debeantur; certum tamen nostrorum opera, quibus puer à Pipino parẽte creditus, ab iisdem educatus, & quod dictum superius, quorum semper voluntate ad extremam usque senectam se ipse composuit, tantum evasisse, adeoque nostris Caroli omnia, post DEUM ipsum deberi, & quod bellicam etiam fortitudinẽ attinet, seu Caroli pietati, sive assiduis Monachorum precibus, fortuna debeatur, nostris deniq; semper in acceptis referendam. Vid. Ant. Yepes, Weits in Lyceo. VVion, &c. Constantiæ nostræ Benedictæ t. 1. & t. 2. & t. 5. in Synopsi. Grandia hoc eodem anno Caroli atque Alcuini nostri de Ecclesia universa commendat Baronius idem merita: Alcuini gravissimum illud: Opus, nimirum verba Baronii sunt, *ingens, quo totus Scripturæ tam veteris quàm novi Testamenti vulgata editio emẽdata est.* Effusus totus in commendatione hujus meriti est Cardinalis, & sane omniũ sæculorum compilatores Alcuino plurimum debere, compertius est, quam ut explicatione egeat nostra, ut proin merito prætereamus.

*Sed quid insuper?* (in comẽndatione meritorum Caroli, & Alcuini nostri pergit Baronius) *& libros ejusdem de quo diximus Albini Flacci de Divinis officiis monitu ejusdẽ Caroli fuisse ab eo elaboratos, firma est omnium sententia. Quin etiam quæ ad officia Ecclesiastica ritè disponenda Hadrianus Papa elaboravit: Antiphonarium atque Responsoriale: ea omnia petitione Caroli ab eo edita esse pariter existimatur.*

Grandia sanè ac multa, quibus ut majora, & plura ab Alcuino nisi immodestus non exigas, accipies tamen suo tempore longè digniora, copiosiora.

Laus Vsuardi quoque hoc ipso anno celebrata, quod Caroli ejusdem jussu diffusius explicatis Martyrum agonibus, (Flori Trudonensis Ordinis nostri item Monachi exemplo) aliorumque Sanctorum succinctè per Ephemerides antea enarratis, famosissimi nomen operis, ad sui commendationem Ecclesiæ tradiderit. *Ex Brovvero, Yepes, Bisc. &c.*

*A.C. 779.* *S.P.N. 299.*

SAncti Ludgeri nostri in Frisia ex assiduo labore multiplex fructus, in quo plura Idolorum, sub hoc temp⁹ fama destruxit, ipsis spectantibus Idololatris, & Dei virtute, ne prohiberent, agente. Gloria verò Apostolatus ejusdem longè lateque clarescente, qui sub Albino profitebatur ejus condiscipulus ejusmodi salutationem ad eum hisce versibus scripsit.

*Frater amore Dei, cognato dulcior omni,*
*Et sanguineis, merito pretiosior ipsis*
*Ludger amate mihi, Christi te gratia salvet.*
*Vive tuæ gentis Frisonum clara columna,*
*Presbyter occiduis laudabilis Orbis in oris.*
*Doctus in eloquio prudens, & mente profundus, &c.*

Devictis rursum hoc anno VVestphalis, & Saxonibus sese dedentibus, Ludgero, aliisque nostris verbi Dei præconibus, ex Victoria Caroli, auctoritas major, & successus felicior fuit, ut multa millia manipulorum eorum laboribus, sub hæc tempora debeantur. Sanè præcedenti anno de meritis Ludgeri jam agens Baronius, *S. Ludgerus*, inquit, *genere Frisius, Frisionumq́; Apostolus jure dicendus, hoc tempore Frisiorum conversioni operam dabat. Vid. & vita Ludgeri per VVerdenses Monachos apud Surium t. 2. & apud Brovverum.*

*A. C. 780.* *S. P. N. 300.*

HOc anno felicissimus ille Thuringonum, & Saxonum Apostolus Sanctus Sturmio Abbas Fuldensis, Apostolica functione VVederoviæ consulens, quod Carolus Rex majore mole bellum in Saxones instauraret, jam tunc ætate fractus, & invalidus, Eresburgum concedere jussus, illic morbo supremo conflictabatur; verum ut in suo Fuldensi seu vires reciperet, sive libentius in legem naturæ cõcederet deportatus, inter suorum preces ac suspiria Sanctè exspiravit, XVII. Kal. Ianuarii, multis post mortem clarus miraculis, præter Apostolicum quòd strenuè gessit munus, instituto Fuldæ litterarum Lyceo ex quo viri Sanctissimi æquè ac doctissimi prodiere, nõ de Germania solum sed universo meritissimus sepultus est, in Cœnobio Fuldensi primario. Ita annum mortis annotat Sigebertus, quem Marianus anno prævertit. *Ex vita gestis, Brovvero, alijsque.*

Ex innumeris sub hæc tempora nostri Ordinis Sanctis, efflorescunt Regio generi

neri Sanctitatem vitæ coniungentes SS. Fremundus Offæ Merciorum Regis in Anglia filiæ, & Idaberga, sive Itisberga Pipini Brevis Galliæ Regis filia, Caroli Magni soror; ille insuper à fratre proprio innocens mactatus, Martyrii laurea decoratus: hæc post multorum annorum Areæ Attesiæ Cænobio exacta curricula, cum multa miraculorum attestatione, cælo recepta die 21. Maij. *Troph. Eccl. Angl. Chorograph. Brit. Molan. VVion. &c.*

Initia hoc item anno ponit Yepes noster illustrissimi Patavini Cænobii. S. Iustinæ honori nuncupati, perpetui exhinc ad hęc usque tempora eximiorum Monachorum Sacrarij.

*A.C.* 781. *S.P.N.* 301.

EXcessit hoc anno è vita, & valle miseriarum Sanctissimus VVilibaldus primus Eystettensium Episcopus, olim à Gregorio III. Summo Pontifice in auxilium Sanct. Bonifacij, Apostolico honore, destinatus, præfuit Ecclesiæ cum multiplici bonorum operum fructu, animarumque lucro, *Confessor officio* ex vita apud Stengelium) *studio, & multorum annorum laboribus Martyr.* Debet Germania VVillibaldo non multorum solum è detestandis scelerum atque Idolomaniæ vinculis vindicias, verum præter amplissimi templi, potentissimi insuper Episcopatus, sed & nobilissimæ atque pulcherrimæ Urbis Eystadiensis initia: ut proin solis VVilibaldi meritis annus hic prægnantissimus, nihil porro admittere videatur. Restat tamen ingens Sanctorum Syllabus, uni huic anno debitus, quem quia longus, & in explicatione meritorum insistere non licet, prętermittimus. Sancti Deodati tamen ex Monacho Nivernensis Episcopi, rursumque ex Episcopo Monachi non meminisse non possumus, cujus ea, relicto Episcopatu in Vogasi montis celeberrimo Cęnobio, Sanctitas fuit, ut loci illius præclarissimo sanè monimento, suam erga eundem reverentiam atque observantiam satis testari se non posse crederent, condito illic oppido, quod a Sancto Deodato appellatum Sanct. Diè, merita tanti viri vel solo saltem nomine referret. Ut proin duas civitates uno anno nostris adscribere habeamus.. *Rosiars. Claud. Rob. Wion, &c.*

*A.C.* 782. *S.P.N.* 302.

SAxonibus rursum ex rebellione arma capientibus, & novellam Christi Ecclesiam turbantibus, Magnus noster Apostolus Ludgerus, Christi concilio, furori gentilium cedendum ratus, ad Adrianum primum Pontificem Romam abiit, à quo perbenignè susceptus, & ut Adamus in Bremensi historia recenset, *consolatione relevatus*, ad Cassinense, Princeps Ordinis nostri domicilium se contulit, illic dum aliis non posset, ad maiorem dein aliorum utilitatẽ, & unde gentibus abunde communicaret, per sacram rursum Cænobij quietem sibi ipsi consuluit; quoad revocante denique Carolo, laboribus denuo se dare, & juvandis miseris totum impendere juberetur.

Eodem ipso tempore alius rursum è nostris Apostolus Sanctissimus VVillehadus, labores suos, & ex his fructum uberimum Ecclesiæ DEI commendavit, in eo ipso primum loco, Dockum Frisiæ, ubi Maximus ille Christi Athleta Sanctissimus Bonifacius noster gloriosissimè occubuit, plurimos Christo lucratus, salutaribus undis expiavit; inde, ad Huchmarckos profectus plurima, & gravissima hilaris pertulit, Drentiamque delatus felicissimis ibidem successibus aliquandiu substitit. Eversis vero per novellos Christi fideles idolorum templis, à concitatis gentibus Willehadus gravissimè cæsus, cum quidam nequidquam caput eidem amputare conaretur, inde eiectus est. Tum vero VVigmodiam se conferens conditis illic Ecclesiis (sanè si supputandus Ecclesiarum à nostris, ne dum propter nostros, sive prope Cænobia ipsa, conditarum numerus, debere Ordini nostro supra centũ millia Orbem universum, vel obiter observanti erit quam manifestissimum) populum salutari prędicatione alacriter erudivit; quod Christi anno septingẽtesimo octuag. primo Frisones omnes circumcirca degentes Christianam fidem se amplexuros promitterent. Turbavit hoc anno an sequente successus, Dux VVedekindus, quoad à Carolo victus, tangente Deo, & ipse se Christo adiungeret, & revocatus à Carolo Willehadus, suis laboribus alacrius insisteret.

A.C.783. S.P.N.303.

Mirum Sancti Suiberti nostri iam pridem cęlo recepti Patrocinium, inter præcipua anni huius primum commemorat in suis Annalibus Baronius, militi cuidam Brunoni impensum, qui quantumvis vulneribus concisus, hasta in pectore confixus, pedibus equorum proculcatus, mori non poterat, à Sanct. Suiberto, quem coluerat, & eo in discrimine sibi advocarat, vitæ meliori reservatus. Ita à Victore exercitu agnitus, & Carolo Magno, prodigij raritate attonito adductus, ad S. Suiberti tumulum oblatus stupentibus universis curatus est, Carolusque Sanctum eundem deinceps præcipuè coluit, plurimique Saxonum VVestphalorum in specialem eum Patronum adoptarunt. *Ex Bisciola, Baron. Vita per S. Ludgerum.*

Anno eodem mortuo Silone Hispaniarum Rege potentissimo, & pijssimo, Adosinda sive Egimonda eius uxor Regina Monasterium S. Joannis de Pravia, vulgo Betellense, ingressa, Cænobialem vitam luxui Regio prætulit, seipsam offerens Christo, quæ priori, secundum carnem, marito duo Regna Asturum, & Legionis contulerat, unica Alphonsi I. Catholica filia. Matris exemplum sequuta Maria filia, eodem in Cænobio Monacham professa, eo se instituto beatiorem quam Regio, minimè vana opinione, est arbitrata. *Morales, Yepes, Baron. VVion, &c.*

A.C.784. S.P.N.304.

Clarent præstantissimis de Ecclesia meritis Sancti Beatus, & Etherius nostri, qui hoc ipso anno gravissimam Elipandi Episcopi Hæresim convincentes, duobus doctissimis libris ejusdem errores summo Ecclesiæ bono refutaverunt. Asserebat Elipandus, Christum Dei filium, quod ad humanitatem spectat, dicendum esse adoptivum, & non proprium ac naturalem, ex quo necessario consequebatur, ut duæ essent in Christo personę, duoque filij, naturalis unus, alter adoptivus, sicque horrendum dictu, damnata olim in Oriente, Nestorij Hæresis, in Hispania reviviscebat. Deferendum in proscripto feliciter errore non parum Adosindæ Reginæ nostræ, quæ scelus primum Elipandi prodidit, à quo fraude detenta, ad hos viros Sanctissimos illico rem detulit, eademque Cænobij asylo recepta, isti egregiè hanc ab Ecclesia pestem avertere. *Ex Yepes, Baron, Bisciola, &c.*

Eodem ipso anno moritur Sanctissimus Virgilius Salisburgensium sive Juvaviensium Pontifex illustrissimus, præter cathedralem sedem, ubi nunc visitur, translatam Basilicam incredibili mole, ac sumptu exædificatam, Carenthanorum Apostolatu, populis iis ad fidem Christi conversis, de Ecclesia longè item meritissimus, & pro singularibus etiam meritis Cathedralis Ecclesiæ Patronus coaptatus, *Ex Vita, & MS. & Hundio, &c.*

A.C. 785. S.P.N. 305.

Devictis Saxonibus revocatus ab Italia Frisiæ restituitur suus Apostolus Sanctissimus Ludgerus noster, etiam honoribus auctus, ac Lutosæ Cænobio præesse jubetur, munificentia Caroli Regis, quinque Frisonum pagos (quæ amplissima tunc ditio) accepit. Verum Treverensi Archiepiscopali oblata cathedra, eam Apostolus noster, maiore gloria Ordinis contempsit, quam quivis dignissimorum gesserit. Gratulatus sibi immodice Carolus Magnus pro causa, quam obiecerat Ludgerus, ne Trevirensem Pontificatum admitteret, convertendarum nimirum gentium, & Saxonum, Frisonumque ad veri cognitionem luminis adducendorum. Proin Occidentales Saxones curare jussus, in Frisia Saxoniaque rem optime ac felicissimè gessit, & multa mortalium millia, felici immortalitati asseruit. *Ex Vita, Brovvero, &c.*

A.C.786. S.P.N.306.

Inter innumeras Benedictini firmamenti Stellas, fulgentiores sub hæc tempora elucent genere, doctrina, dignitate, fama, & rariore super omnia Sanctitate illustrissimi, SS. Albericus, Remigius, Bertricus, Deotinus Adalvvinus, Simpertus, &c. Albericus contempto inprimis Regali fastu gloriosus, quamvis ex Regio Frisiorum Regum sanguine genus duceret, cucullum

lum tamen splendori, pompæ, regnis quoque ipsis charius habuit, Monachūque Sanct. Salvatoris in Traiectensi Cænobio professus, rara doctrina, ac Sanctitatis fama celebratus, exin Trajectensem ad Pontificatum evectus, pluribus annis eidem cathedræ utilissimè prçfuit, & miraculorum gloria illustris inter Sanctos referri à morte ad 12. Kal. Septemb. meruit. Sanctus Remigius illustrissimis & ipse Natalibus, facile tamen fortunam omnem risit, dum cucullum amplecti placuit. Illud in valle D. Gregorij amplexus, extractus denique ad culmen Episcopale Argentoratensi Ecclesiæ multo fructu ac laude præstitit, & inter Divos denique Tutelares Argentinenses à morte inscriptus est.

S. Bertricus Monachum in D. Petri Iuvaviensi Cænobio professus, ac Monachis ibidem pro vitç Sanctioris exemplo prælatus, dignissimus denique habitus, qui Magno illi Salisburgensium Pontifici Virgilio succederet. Nec minore cum laude Adelvvinus S. Emmerammi Monachus ad Ratisponensem Infulam vocatus, prudentiæ inprimis laude admirandus effulsit. De S. Simberti meritis in hodiernam usque diē decantatissima in vulgo plurima celebrantur, quamvis de ætate nonnulli dissentiant, nos præsenti opere, quia disputare inconcessum, maiorem sequimur, & sub hæc tempora plurium opinione, eius memoriç consulimus. Fuit, si quis alius unquam, de Augusta Vindelicorum Vrbe, & Diœcesi meritissimus. Elogium eiusdem ex Caroli Stengelij nostri lucubrationibus exscribere non negligimus. *S. Simbertus Amberto Duce, & Symphoriana Pipini Regis filia natus, lectissimos quamvis parentes virtutis laude superant. Puer in Murbacense Cænobium erudiendus datus pietatem, & litteras graviter coluit, qua re factum ut Abbate defuncto, consentientibus fratrum votis sublegeretur. Cum vero Carolus Magnus Augustam superiorum temporum injuria, Boicis præsertim bellis, magnopere vexatam, & afflictam instaurandam, cives recreandos ornandosque suscepisset, quod Ecclesiæ Sedes iam diu vacaret Simbertum illi, quem Angelicam vitam inter homines ducere creberrima signa testarentur, approbante Summo Pontifice, dedit Episcopum. Quo ille munere per omnia egregiè functus, spem de se conceptam abunde implevit. S. Affræ Basilicam ad ipsam urbem flammis absumptam, & in alpium faucibus Sanct. Magni Monasterium disiectum restituit Dioecesim Leonis III. Pontificis, & Caroli Imper. auctoritate ultra Lycum (eius enim tum alveo finiebatur) longè in Boicam extendit. Ordinationis anno trigesimo IV. Id. Octobris Spiritum DEO reddidit, cui quam charus vixerit multa post obitum quoque ostendere miracula.* Huc usque Stengelius. Unde intelligas, quid Augustissima Dioecesis Augustana huic uni monacho debeat amplificata, sanctitate, ejusdem illustrata, miraculis, meritis, & Patricinio tot jam sçculis adiuta, & protecta. *Vid. etiam eiusdem gesta, & de* SS. *Superioribus Yepes noster VVion. Chron. Alsatiæ.*

*A.C. 787.* *S.P.N. 307.*

EGregium Ordinis nostri decus, atque rarissimum inter innumera alia ornamentum effulget Beatus Paulus Diaconus Casinensis Monachus, doctrina, & vitç, morumque laudatissima innocentia celebratissimus. Is blandientis Fortunç sçculique illicia diu consequutus, Desiderij Longobardorum Regis aulam ingressus, liberalium artium insigni commendatione, in intimam familiaritatem irrepsit, eo successu, ut perhonorificum regia gesta litteris consignandi munus, & Aquileiensis Ecclesiç Diaconatum, herilis benevolentiç prçmia retulerit. Hinc Paulo, Diaconi cognomen, etiam spreta denique ea dignitate, perpetuum mansit. Dehinc inclinante Desiderij fortuna, Regi de se optimè merito, fidus Comes captivo, inque Gallias abducto adhçsit. Illic ob ingenij dexteritatem, & politioris doctrinç studia, conciliato sibi Caroli Regis favore ac gratia, nunquam tamen in animum induxit, conclamatis Desiderij rebus, amplissimas Galliç opes, & efflorescentem gloriam anteferre. Demum invidorum fraude in supremum vitç discrimen adductus, quasi necem per insidias Carolo molitus esset, ut Desiderium in libertatē assereret, Iudicum sententia exulatum in Diomedis Insulam relegatus est. Verum custodis ope, ac beneficio inde elapsus, ad Arichim Desiderij generum profugiens, Salverni summis

cultus honoribus biennium commoratur, ubi fallibilem fortunę expendens inconstantiam, prudenter denique cõstituit, aulæ simul ac sæculo valedicere, proin Cassinatense celebri sanctitatis fama notissimum petens Cænobium, cucullum induit, atque inibi Sanctissimo vitæ instituto totum se mancipavit. Simul autem Carolus Rex recens Pauli consilium, & susceptæ vitæ rationem cognovit, teneri non potuit quin eidem metro exaratis literis, arreptæ disciplinæ, locique Sanctitatem etiam atque etiam gratularetur. Partem litterarum Caroli hoc loco subdendam cęsuimus, ut ex his existimatio tanti Regis de Sanctitate Congregationis Casinatis palam omnibus fiat.

*Hinc coler egrediens, celeri mea charta volatu*
*Per Sylvas, colles, valles quoque præpete cursu.*
*Alma Deo chari Benedicti tecta require.*
*Est nam certa quies fessis venientibus illuc.*
*Hic olus hospitibus, pisces, hic panis abundat,*
*Pax pia, mens humilis pulchra, & concordia fratrum,*
*Laus, amor, & cultus Christi simul omnibus horis.*
*Dic patri, & socijs cunctis, salvete, valete;*
*Colla mei Pauli gaudendo amplecte benignè,*
*Dicto multoties, salve, pater optime, salve, &c.*

Respondit suo, & fratrum nomine Paulus, pro effusa in ipsos regiæ voluntatis significatione grates quamdiligentissime persolvens. Neque hic salutandi inter ipsos, ac litterarum fines, sed suavissimæ imposterum amicitiæ, sermonis per Epistolas frequens communicatio intercessit. Verum de dignissimis tanto viro lucubrationibus, & benè gestis, postea, ex M. Ant. Scip. Yepes, Wione, Baronio &c.

Carolus Magnus potitus sub hæc tempora Benevento Orationis causa Casinum tetendit ad corpus Sanctissimi Patriarchæ nostri Benedicti, se que Monachorum illic agentium precibus commendavit, neque multo post, per Aldegarium Episcopum eo litteras destinavit, quibus à Theodemario Abbate contendit, ut sibi è Casino dirigeret, qui collapsam in Francia disciplinam Monasticam juvarent, & restituerent, *Videat. Leo Ostiensis l. 1. cap. 17. & Baronius.*

*A.C. 788.* *S.P.N. 308.*

INitium hoc anno, immo seipsam, finesque ac reditus annuos tot sæculis debet Sanctissimo VVillehado nostro, Bremensis Cathedralis Ecclesia in Saxonia, quam eheu multis jam annis Hæreticorum sitis rabida exhausit: Ordinavit Sanctissimum, & verè Apostolicum virum (ita & Baronius eum veneratur) Adrianus Pontifex, prosequutusque Roma reversum, summis honoribus Rex Carolus, qui & Ecclesiam illam amplissimis reditibus auxit, finesque ejus certis limitibus circumscripsit, ut videre est in vita Sanct. ejusdem apud *Surium, Haræum, &c. Baron. Bisciol.* Ita rursum potentissimus Episcopatus primum è nostris non solum Episcopum, sed & Apostolum, & perpetuum in Cælis Tutelarem veneratur.

Hoc eodem anno Tassilo Bavariæ Dux à Carolo Rege devictus, cum Theodone filio, concessione Victoris, ingredi Cęnobium permissus, ad Laurissense S. Nazarij haud procul VVormatia concessit, illicque vitæ reliquum sanctissime transigens, atque à miraculis illustris Sanctorum cætui conjungi & adscribi meruit. *Baron. Yepes, Abb. Stad. Raderus, &c.*

S. Ludgerus in prædicatione verbi Dei assiduus Mirmigarnofordensi, quæ nunc Monasteriensis, Ecclesię pręficitur. *Brovver.*

*A.C. 789.* *S.P.N. 309.*

HOc anno insigni pietatis, & laudatissimi contemptus exemplo Veremundus Ranimiri Pater, Ordonij avus, Magni Alphonsi proavus, Astutum atque Legionis Rex potentissimus abdicato à se Imperio in cucullo Monastico emancipat. Raro sanè exemplo è Cęnobio vocatus ad Regnum, regnoque relicto reversus ad Cęnobium, ne dulce malum inexpertis Monasteria arbitreris, ad quę, pauci, nisi per scelus ea reliquerint, non reverti expetiverunt, aliqui per dolum sacrum ac piam

piam vim reversi sunt. *Ex Yepes, Franc. Tarapha Mariana, Illescas, &c.*

Incredibili solicitudine in gentium conversione laborant Sanctissimi Apostoli nostri Ludgerus, & Willehadus. *Vid.* Wion. *Brovver.*

Clarent rara vitæ innocentia Reginæ moniales plurimæ. Ada sive Oda Pipini Franciæ Regis filia, primum Treveris apud D. Maximini Deo consecrata, exin Argentolij prope Parisios in Abbatissam electa. Lytopyrga etiam Tassilonis Bavariæ Ducis uxor, Desiderii Longobardorum Regis filia, quæ quantumvis coacta primum, exin volentissima, ubi dulcedinem vitæ Religiosæ experta est, deliciis atque Pompis omnibus longè prætulit. *De pluribus aliis vid. Yepes, VVion, &c.*

*A. C.* 790. *S.P.N.* 310.

EMoritur felicissimè Sanctissimus ille noster Frisiæ atque Saxoniæ Apostolus VVillebadus tertio ab ordinatione sua anno, cum Bremæ ædificasset in honorem Christi Domini, & Apostolorum Principis Templum elegantissimũ, atque in ea urbe Episcopalem sedem constituisset, eo nomine, alijsque æternum obligatis Saxonum, Germanorumque omnium animis. Vixit vitam admirandam verius, quam imitandam, sibi ipsi rigidissimus, ut præter Regulæ Institutum, quæ carnibus quadrupedum suos interdicit, etiam à piscibus abstineret, quam ob rem Hadrianus Pontifex, reputans quanti Ecclesiæ interesset, ne tanto viro per ægritudinem orbaretur, eidem ut saltem piscium usum admitteret, serio præcepit. Præter autem assiduos in conversione gentium labores, nullus prope dies abijt, quo non sacra Missarum solemnia cum magna cordis contritione celebraret, insuper nonnunquam duo, vel tria, psalteria lectitans: ita nimirum vir beatus doctrinam suam egregiè ornabat, exemplo suo confirmans, quod ore prædicabat. *Ex vita apud Surium, & Hæreum, &c.*

Inter alios doctrina, & meritis de Ecclesia illustres celebrantur sub hæc tempora Dacrianus Abbas Ordinis nostri vir litteratissimus, qui Monachorum speculum scripsit, & vitæ spiritualis documenta, quæ extant tomo 5. Bibliothecæ Patrum. De eodem vide, tomum 9. eiusdem Bibl. PP. Possevinum, Gaulterium, &c. & Antonius Melyssa, *de quo Bellarm. Sec.* 8. *& Gaultereas.*

Ex genere illustrioribus, eiusdemq; præ cucullo contemptu celebrantur Sancta Irmina Ducissa, neptis Gisberti Franciæ orientalis Ducis filiæ, Monialis in Carelsburg. de qua consulenda vitæ gesta D. Burcardi Herbipol. Episcopi, Maria item, & Beatrix Austrasiæ Principes, Lamberti Ducis filiæ, patris exemplum sequutę, ac vitam Monasticam professæ, altera Treveris, in S. Mariæ; altera in S. Mariæ item Coloniensi; *Vid.* Wion.

*A.C.* 791. *S.P.N.* 311.

REliquit magnum in terris sui desiderium ad Regnum immortale cõcedens Sanctissimus Burchardus noster, primis Herbipolensium, sive Wirzburgensium Pontifex; à quo primum potentissimi Episcopatus initia, & continuata tot sæculis felicitas Francorum fluxit, cui pręter plantatam longè lateque Religionem, seipsos debent, eius Patrocinio, & Tutela in hæc usque tempora, ceu manu benefica ducti, & sustentati. Extat vita viri Maximi, lectu dignissima apud *Surium, Haræum aliosque,* qui requirendi.

Sed amplius longè, quam comprehendi hoc possit opere, meritum, Alcuini aliorumque ex Ordine nostro est, qui sub hunc fere annum celeberrimæ illi per totum terrarum Orbem Academię, sive ut hodie vocant, universitati Parisiensi initium dederunt, ex qua dein tantum Ecclesię ornamentum atque commodum dimanavit, unde viri doctrina maximi velut Troiano ex equo prodeuntes, densissimas ignorantię tenebras, clarissimis scriptorum radiis, expulere. *Vid. Yep. Gaulterius,* Wion, *Weiss. &c.*

*A. C.* 792. *S.P.N.* 312.

CUmulum cumulo congessere nostri, paulo post, atque ut alij volunt hoc statim anno, favente inprimis Carolo Rege, novam rursum, & haud minorem celibritate Academiam in Italia instituentes, ne non multo magis de

provinciarum dignissima mereri viderentur, parique beneficio, & Galliam sibi, atque Italiam obstringerent. Papiensis illa fuit, quæ in eum, quem nunc universi miramur, splendorem excrevit. Fundamenta jecit, primumque docuit Joannes Scotus noster Londinensis Monachus, Giribernæ congregationis, Bedæ Venerabilis dignissimus tanto Magistro discipulus, de quo suo loco plura referenda. *Ex VVione, Yepes, VVeiss. &c.*

Splendidissimum aliud eodem tempore enitet Sydus ex Ordine nostro, Sanctus Angilbertus, Sanct. Richarij in Centula Abbas, sæculi inprimis irrisu summè celebrandus, quippe Maximi Regum Caroli gener, generis nobilitatem cum opibus atque auctoritate pro nihilo duxit, ut Monachismo honoratior fieret. Proin extructo sive potius reædificato Centulensi Monasterio, eidem admiranda demum sanctitate Abbas præfuit. Repertum à morte octavo supra vigesimum anno incorruptũ corpus, integritatem vitæ raro prodigio comprobante. Hoc anno convictum Ratisbonensi in Synodo Felicem Urgelitanum Episcopum Hæreticum, idem ad Adrianum Summum Pontificem Romam perduxit. Vid. Baronius, Bisciola. Ipso quoque anno Pipinus senior Caroli Magni naturalis ex Himeltrude filius, cum procerum nonnullis in caput optimi parentis coniurans, quo scelus expiaret, Monachus fieri jubetur. Vixit denique in Cænobio Prumiensi felici sanè sorte sua contentus, cui vel parens ipse, cæterum felicissimus, eo tamẽ ipso quod Religiosissimus, non poterat non sanctè invidere. *Yepes, Wion, plurimiq; alij.*

*A.C.* 743. *S.P.N.* 723.

PAtuit, hoc denique anno, ex gravissimorum scelerum abysso emergenti securissimus salutis portus VVeruvellense VVintoniensis Dioecesis Cænobium, Alfredæ sive Ælfrithæ Anglorum Reginæ potentissimæ, quæ cum morte viri sui Ethelredi, Edgari Angiorum Regis sibi nuptias comparasset, sed & Ethelredo filio suo, Eduardi privigni sui sceleratissima cæde, viam ad Regnum munivisset, facti tandem pænitens, quo gravitatem eius digniore aliquo, & egregio facinore elueret, patrimonium omne suum in pauperes distribuit, & cucullum Monasticum velumque, purpura ac diademate, in dicto Cænobio mutans, corpus jejunijs ac verberibus conficiens, vitam durissimam egit, facta speculum Religiosissimæ vitæ, & raræ pœnitentiæ; id consequuta, ut non multo post, quæ antea ambitione, cum elatissimis comparanda, qui unquam vixere Principibus, iam Sanctitatis dignissima laude etiam vivens longè latèque celebraretur. *Ex Hist. Angl. VVione, item Yepes, &c.*

Institutum sub hæc tempora sive compositum ab Alcuino nostro Officium, & festum Sanctissimæ Trinitatis, & diversis Provincijs, dignissima sanè solemnitate introductum. Quod denique ipsum, non tamen ante Pontificatum Alexandri Tertij, à Romana, & universa Christi Ecclesia receptum. Yepes, Durand. Bellarm. Azor. Gaulterius.

*A.C.* 744. *S.P.N.* 314.

B. Paulus, vulgo Diaconus Monachus Casinensis, ne quiescere, & soli sibi vacare ab ingressu Cænobij videretur, verum ingenium ac litteras ad aliorum etiam fructum, atq; utilitatem accommodaret: Divorum aliquot egregia facinora, & laudes, luculentis versibus est complexus; alia dein dignissima tanto nomine suscepit, quorum potiora, cum ijs quæ ante Monastici professionẽ instituti absolvit, in syllabũ coacta subiungimus.

*De Vita S. Gregorij Papæ l. l. 3.*
*De Vita Sanctissimi, & Admirabilis Patriarchæ nostri Benedicti. l. 1.*
*De Vita S. Mauri. l. 1.*
*De Vita S. Scholasticæ Virginis. l. 1.*
*De eadem Virgine versus nunnulli extant apud VVionem.*
*De Vita Sanct. Arnulphi Metensis Episcopi, l. 1.*
*Hymnorum de pluribus Sanctis diverso metro. l. 1.*
*Carminum diversorum. l. 1.*
*De gestis Episcoporum Metensium. l. 1.*
*De gestis Episcoporum Papiensium. l. 1.*
*Homiliarum quinquaginta. l. 1.*
*In Regulam S. Benedicti. l. 1.*
*Epistolarum ad Carolum Imper. l. 1.*

*De*

*De gestis Longobardorum.*
*De Vita S. Cypriani Episcopi, & Martyris. l. 1.*
*Ad Historiam Eutropij. l. 2.*
*Epistolarum ad diversos. l. 1.*

Lectionum in officio Divino Ordinem, deberi Alcuino, multaque alia jussu Caroli, ab eodem, Festo cuique totius anni assignata, pręcipua Pauli nostri, & ab hoc rursum Ordinis Benedictini, laus est. Carolum ipsum Epistola illa, quę Homiliario Alcuini præfigitur audiamus. *Denique qui ad Nocturnale officium (Matutinum hodie dicimus) copulatas quorundam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneo, reperimus lectiones, quippe quæ & sine Auctorum suorum vocabulis essent positæ, & infinitis vitiorum anfractibus scaterent, non sumus passi, nostris in diebus, in Divinis lectionibus, inter sacra officia, inconsonantes perstrepere solæcismos, atque earundem lectionum in melius reformare tramitem, mentem intendimus, idque opus Paulo Diacono familiari clientulo nostro elimandum injunximus: scilicet, ut studiose Catholicorum Patrum dicta percurrens, veluti e latissimis eorum pratis, certos quosque flosculos legeret, & in unum, quæque essent utilia, quasi sertum aptaret. Qui nostræ Celsitudini devotè parere desiderans, tractatus atque sermones diversorum Catholicorum Patrum perlegens, & optima quæque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum, congruentes cuique festivitati, distincte, & absque vitiis nobis obtulit lectiones. Quarum omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra eadem volumina auctoritate constabilimus, vestræque religioni in Christi Ecclesiis tradimus ad legendum.* Ita Carolus. Eius inter alia ingenii præclarum quod reliquit monumentum, Hymnus ille per Universam Ecclesiam festo dignissimo Præcursoris Domini decantatus, pulcherrimo metropedumque consonantia admirabili compositus: Ut queant laxis, resonare fibris, &c. Ex quibus omnibus fit manifestum, quid uni Paulo debeat Ecclesia universa, & tot sæculorum sera posteritas, cui in acceptis referre habet, quæ quotidie eius calami dictata æternum Psallentium ora mandunt, atque degustant. *Vid. Yepes, Chronic. Cassi. Petrus Diacon. Trithem. Paulus ipse, Marc. Ant. Scipio, &c.*

Conditum hoc ipso anno D. Albani Moguntiæ Cænobium, inter præstantissima orbis Gymnasia laudatissimum, ex quo velut Alveari tota virorum Sanctorum æquè ac Doctorum examina prodiere. *Trith. Yepes, &c.*

*A. C. 745.* *S. P. N. 315.*

MOrtuo hoc anno Adriano Summo Pontifice, acerbo omnium luctu, eius merita contestante, non visus dignior, aptiorque, quam rursum è Benedictinis Leo Tertius, vir præstantissimus, scientia scripturarum, & Sanctitatis laude celeberrimus. Eum Canonicum prius Regularem, quam Ordinem nostrorum profiteretur, fuisse, Ciaconius affirmat his verbis. *LEO Tertius, Azupij filius Romanus, ex Canonico Regulari Monachus ordinis Sancti Benedicti, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis Titulo S. Susanæ ad duas domos.* Verum Ecclesias Romæ penè omnes, & Titulos à nostris habitos, suo iam loco satis diximus, & de Lateranensi in primis, multis aliquando probabimus, plurimos è nostris Pontifices prodijsse, quos plerique hodie è Clericorum Ordine nil minus dubitant ad eam evectos dignitatem, Orbi terrarum summa cum potestate præstitisse. De Leonis laudibus fusè Anastasius, & Baronius, qui posterior de eius electione concordi, sic ait. *Probat quidem insignem Leonis Sanctitatem ipsa Omnium consensu electio quàm celerrime facta, utpote qui eximio virtutum fulgore, mox omnium oculos in se converterit, neque filij tenebrarum (si qui essent inter eos) ausi sunt resistendo tantam eius gloriam obscurare. Electus plane à Deo, ut magna pateretur, sicut de Paulo dictum est ad Ananiam à Domino. Ostendam illi quanta oporteat eum pati pro nomine meo. Electus pariter ut magna præstaret, qui videlicet Apostolica auctoritate Imperium restitueret Occidentalibus oris.* Sed de his suo loco.

Hoc eodem anno rursum à Benedictino Pontifice initium sumit alia Ecclesia Cathedralis, Paderbornensis nimirum in Saxonia, Primus is Episcopus fuit Hathmarus sive Harimarus, Sancti Burcardi nostri discipulus, quamvis nõnulli consecrationem eius ad propiores morti Caroli Regis annos differant, *Videndi Baron. Bisciola, Krantzius, &c.*

*A.C.766.* *S. P. N.316.*

ENgilberti Abbatis nostri in Cænobio S. Richarij illustris hoc anno ad Sanctissimum Leonem Summum Pontificem Legatio, cum muneribus amplissimis à Carolo Rege destinatis. Misit, & Albinus noster ad eundem litteras, in quibus plura de ingenti sua animi submissione, & devotione erga Romanum Pontificem, & eiusdem Roman. Pont. prærogativis, hodieque Hæreticis nostris inculcanda.

De eximijs vero meritis Leonis, hoc anno omnibus ferè Urbis Titulis, & præcipuis Ecclesiis, quam splendidissime auctis, atque exornatis, prolixè Anastasius, & Baronius, adeo ut optimus Pontifex largissimam Caroli oblationem totam, in Clericos erogaret, atque in ornamenta Ecclesiarum converteret. *Eum*, quippe ait Anastasius, *Clericis stipendia auxisse, plurimas Ecclesias, & Cæmiteria restaurasse, sed in primis Titulum B. Susannæ ubi ordinatus fuerat, magnificentissimè exstructum pretiosis muneribus locupletasse. Variis Ecclesiis vestes sericas, holosericas, pretiosas, gemmatas, cortinas & vela contulisse, cruces, imagines, calices, coronas, turibula, ciboria, canthara, candalabra, lampades obtulisse, in quorum sumptum subducta ratione expensas plus quam 150. libras auri, & 1500. argenti, &c.* Tantis meritis auspicatus Pontificatum suum Sanctissimus Pontifex, tantumque uni rursum è nostris Pontifici Basilicæ Urbis, sed & clerus, & populus Romanus debent.

Hoc eodem anno quantum præstaret, Monachum quam Episcopum esse suo exemplo testatus est Ilduinus, relicto potentissimo Archipræsulatu Lugdunensi Monachum in Sancto Lirinensi nostro Cænobio professus, *Ado, in Chron. Arn. Wion.*

*A.C.797.* *S P.N.317.*

ALcuini nostri sparsa per orbem fama, ut in ore jam omnium versaretur; fuitque relatum ad eum quidquid ferè uspiam dubij oriretur, ipso ad quæstiones omnium summa cum admiratione respondente. Sed de eius præclarissimis ingenii monumentis compendio referamus.

*Commentar. Interposita exposit. ex Patrum sententiis, in Genesin, forma Dialogistica.*

*Expositio,*

*In quindecim Cantica graduum expositiones.*

*In Psalmum centesimum decimum octavum.*

*In septem Psalmos pænitentiales*

*In Cantica Canticorum. l.1.*

*In Ecclesiasten. l.1.*

*In Evangelium Ioannis. l.7.*

*In omnes Epistolas S. Pauli.*

*In Apocalipsim. l.1.*

*De Sancta Trinitate. l.1.*

*De adoptione filiorum* Dei. *l.1.*

De *vita S. Richarij Abbatis. l.1.*

*De vita S. Vedasti.*

De *vita S. VVillebrordi. l.1.*

De *virtutibus, & vitiis ad Guidonem. lib. 1.*

*Ad quæstiones Fridegesi. l.1.*

*Confessio fidei sive doctrina de* Deo. *l.1.*

De *Ecclesiasticis* Dogmatibus. *l.1.*

*Speculum parvulorum. l.1.*

*Quæstionum in Genesim. l.1.*

De *Nominum* Dei *proprietate. l.1.*

Dialogorum *ad discipulos. l.1.*

De *Septem artibus liberalibus. l.1.*

*Enchidrion in Psalmos l.1.*

De *benedictionibus Patriarcharum. l.1.*

*Sententiarum. l.1.*

*Epistolarum ad diversos. l.1.*

*Rhetoricæ, &* Dialecticæ *institutiones. l.1.*

Ejus instituto, sive potius invento debet præter Officium Sanctissimæ Trinitatis, ejusdemque festum quotannis solemne Ecclesia universa, Missas votivas vulgo dictas, quas inter prima, & princeps illa ab ipso composita, quam etiam maximo illo SS. Trinitatis die in hodiernam usque diem quotannis decantatur per universum; Benedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa unitas, &c. cujus etiam rei causa de eadem Sanctissima Trinitate, & fide Catholica tres libros doctissimos conscripsit, qui excusi sunt cum Homiliario. Alijs autem ferijs, ex ejus institutione tali Ordine Missæ votivæ decantabantur.

| | |
|---|---|
| *Feria II.* | De *Sapientia.* |
| *Feria III.* | De *Spiritu Sancto.* |
| *Feria IV.* | De *Charitate.* |
| *Feria V.* | De *Angelis.* |

*Feria*

*Feria VI.* *De S. Cruce.*
*Sabbatho* *De Beatissima M. Virgine Maria.*

Aliæ quæ compositæ Missæ ab eodem, multo Ecclesiæ fructu, ab eadem approbatæ, hæ sequentes numerantur.

*De uno Apostolo.*
*De pluribus Martyribus.*
*De uno Martyre.*
*De uno Apostolo, Martyre, vel Confessore.*
*De pluribus Martyribus.*
*De iis qui requiescunt in Ecclesia Sanctis.*
*De iis quorum aliquæ reliquiæ ibi requiescunt.*
*De omnibus Sanctis.*
*Pro Inimicis.*
*Pro confitente peccata sua.*
*Pro salute vivorum, vel requie mortuorum.*

Quas omnes tam in Missalibus Romanorum quam Monachorum reperiri VVion noster asseverat, certè paucis immutatæ in Ecclesia aliquæ, aliquæ integræ hodieque usurpantur. Vt proin merita Alcuini omnes qui in hanc diem utuntur seu fruuntur æternum deprædicent. *Vid. Rat. div. offic. Durand. Iac. Pamel.*

*A. C. 798.* *S. P. N. 318.*

PRæter innumeros amplissimi Ordinis nostri viros Sanctitate conspicuos, alij doctrina illustrissimi novam omnino diem Orbi invexere. Quadrigam scientiæ omnis Clementem, Rabanum, Claudium, & Ioannem Scotum appellamus, tantum quatuor his luminibus debet hoc tempore orbis Vniversus, ut de Alcuino, & Paulo Diacono, cæterisque vel meminisse superius satis habeamus. Eos in præcipuis hoc tempore Academiis auditos, etiam nunc orbis audit universus. Hoc singulare Ordinis nostri, præter Academias per nostros primum institutas, nostros in ijsdem primos, tanto Orbis ut exemplo, sic fructu laborasse, & in imitantium ore, atque opere perpetuo nimirum merito perennare. *Vid. Yepes, VVion. Polyd. Virg. VVeiss. &c.*

Cassini floret egregia nominis, & virtutis fama Gisulphus, ex Beneventano Principe Archisterii eiusdem Abbas. *Vid. Marc. Ant. Scipio in Eleg. Abb. Cassi. Cajet. &c.*

*A. C. 799.* *S. P. N. 319.*

ORbem fama, Urbem gloria, Cælum ipsum admiratione implet cōstantia Sanctissimi Pontificis nostri Leonis Tertij. Eum implacabili odio Paschalis Primicerius, & Campulus Sacellarius, cum alijs invidentibus, prosequuti, eo tandem furoris, & insaniæ sunt provecti, ut sacrilegis in ipsum injectis manibus, in terram dejecto, concisoque, oculos eruerent, linguam radicitus præciderent, idque in sacri muneris functione, inter expiatum per litanias ritu solemni populum. Sed & Sacrilegia Sacrilegiis cumulantes, Sanctissimo Pontifice, rursus in Ecclesiam ante altare, juxta confessionem tracto, tantum repetiverunt flagitium, & semivivum ante altare in sanguine revolutum dimisere. Veriti autem ne à fidelibus inde eriperetur, abstractum in Monasterio Sanct. Erasmi in arcta custodia recluserunt. Restitutus prodigiosissimè Ecclesiæ afflictæ, & gementi, sanus & incolumis mira DEI bonitate, & suffragante Apostolorum Principe Leo, & oculos & linguam grandi miraculo recepit. Ereptus è custodia, & in Gallias ductus honorificentissimè exceptus, & digno comitatu pompaque reductus in Urbem, mansuetudine supra miraculum omne excelluit, dum ne supplicio capitis, aut mutilatione quavis in nocentissimos reos, animadverteret, Rex Carolus intercessit, & impetravit. *Baron. Yepes, &c.*

Claruisse sub hæc tempora cucullo quam sceptro gloriosiores Gisalam, & Theodoram, illam ex Hildegarde hanc ex Fastrada filias Magni Caroli, auctores habent, sed Scriptorum inopia, an incuria quę gesserāt, neglectim, aut minus dignè observatis; sufficiat, illustri exemplo Monachismi dignitatem, præ Regia habuisse, & tanto contemptu, honore omni digniores celebrandas. *Belforest. Basil. Geneal.*

Leonis Sanctitati an felicitati debeatur, non definimus, Saxonia Romanæ Ecclesiæ vectigalis facta. Certum Leoni nostro plurimum Carolum tribuisse, & quamvis ipse quoque in gratiam Pontificis

tificis multa faceret, honoribus tamen auctum, & precibus piorum adiutum, extra controversiam est, longè magis Pontifici nostro fuisse obligatum, & debitorem, ita sequens facile annus docebit.

*A.C.* 800. *S.P.N.* 320.

INter præcipua & singularia Ordinis nostri de Ecclesia universa, & Romano Imperio merita, amplissimum sanè, & dignissimum quo hoc ipso anno æterno Orbis, & Ecclesiæ bono atque ornamento, quam præclarissime Sanctissimus Leo noster meruit, fuit; Imperij Orientalis in Occidentalem translatio. Electio nimirum in Imperatorem gloriosissimo, & Augustissimo Cæsarum Magno illo (uno Baronii applausu; Ter maximo) Carolo. De cujus dignitate Cęsaris, ut & Sanctissimi Pontificis in transferenda Imperii Maiestate æquissimis causis, fusè Baronius. *Videndus etiam Yepes aliique.*

*A.C.* 801. *S.P.N.* 321.

LEo noster rursum memorandus, præclarissime in Pontificatu gestis, & plurimis æterno Ecclesiæ bono institutis, planè admirandus: Tantis quippe terræ moribus Italiam concutientibus, ut & urbes conciderent, & montes disiicerentur, constituit, ut triduo Ascensionem præcurrente Rogationes fierent, & in varias Ecclesias processiones: quod etsi non nemo, à Sanct. Mamerti temporibus, atque etiam antea Viennæ factitatum, velit, Leoni tamen nostro dandum in Romanum primum Ecclesiam, atque inde Vniversum induxisse, Ciaconus, Gaulterius. Rursum vero, præter superius memorata, quæ idem Pontifex profusissimè in ornatum Ecclesiarum expenderit, fusissimè narrat Anastasius, ut planè non sine admiratione quisquam recitantem attendat.

Floruisse hoc tempore eodem Sanctissimos viros Marcellinum, & Godvvinum, Scriptores nostri celebrant. Godvvino Apostolo suo: primo debent illarum Fidei lumen Moravi. De quo in Apostolatu Benedictinorum nos pluribus.

*A.C.* 802. *S.P.N.* 322.

SAnctus Ludgerus Frisonum, & Saxonum Episcopus (quantum huic quæso debent ij, si hodie agnoscerent, cæci populi) ut nunquam quiescere poterat zelo, & fervore, ceu sacro quodam (meliore sensu) igne concitatus ita in confinia usque Danorum excurrens Fosetesland iam Insulam integrã Christo lucratur, dæmonemque inde sub specie caliginis densissimæ coactum virtute Divina Insula pellit. Normannos etiam, & Hyperboreos Danos, nimirum Norvvegos, aliosque remotiores populos Evangelij causa lustrare parantem, Carolus Imperator impedijt; veritus nempe ne tanto lumine Saxonia Frisiaque orbaretur. De stupendis eius prodigijs alijsque consulendus vitæ auctor. In Fuldensi, Augiensi, Sangallensi, & plurimis toto orbe Cænobijs præter Academias à nostris institutas, & superius laudatas, admirando fructu, litteræ florent, & virorum doctissimorum, integra undique agmina, ceu flumina copiosissima, ad irrigationem aridæ effunduntur. *Vid. diversis locis Yepes, Baron. alij.*

*A.C.* 803. *S.P.N.* 323.

INter innumera splendidissimi Ordinis nostri Columina, & familiares Magni Caroli consiliarios, quorum arbitrio Carolus ipse, ad bonum universi, & maximæ molis negotia, potissimum utebatur, ne Galliæ, Italiæ, Angliæ, Scotiæque Monachi, à Carolo undique acciti, quæsitique, omnia sibi arrogent, vendicentque, floruere hoc anno summa auctoritate, & gratia VValdo, & Haytto nostri, ille Sangallensi ex Monacho, loci ejusdem Abbas, mox Ticinensis, & Basileensis Episcopus, Divi Dionysij item Parisiensis Cænobij Abbas, Magno insuper Imperatori, non in ijs solum quæ spectarant Imperium, arbiter, sed animi quoque ipsius Dux, & Imperator, ipsi à Confessionibus dum viveret fuit. Haytho ex Augiensi Monacho loci ejusdem Abbas, ac Basileæ demum post VValdonem Pontifex, vir præter vitæ raram integritatem, ea prudentiæ rarissima existimatione fuit, ut neminem summis Legationibus digniorem illo æstimaret, atq;

ita

ita illum honoratum vellet, ut eiusdem in gratiam Basileensi Episcopatui non solum Basileæ Vrbis Dominium adijceret, verum ita locupletaret, ut eo ducti an decepti argumento nonnulli institutum à Carolo Basileensem Episcopatum, primumq; eius Pontificem Haytthonem fuisse affirmarent, quamvis minimè negemus Carolo ac Haytthoni maiores quam primis Conditori ac Antistiti gratias referendas. *Ex MS. Sangall. Augiens. Constantiæ nostræ Benedictæ tomo 2. Christiano Vrstisio Chron. Basil. Ioanne Aegonio aliisq;.*

*A. C.* 804. *S.P.N.* 324.

SAnctissimus ille Suibertus noster Saxonum Frisiorumque Apostolus, de quo multa superius à Beatissimo Leone nostro Summo Pontifice, maxima cum solemnitate, inter Sanctos refertur, & coli præcipitur. Acta hæc VVerdæ præsente Carolo Augusto, innumerisque Pontificibus, & Galliæ atque Germaniæ primatibus, quo ipso tempore Sanctissimi Suiberti Sanctitatem, tantum non inspiciente Carolo, admirando prodigio Deus confirmavit resuscitato à morte Præfecti cuiusdam puero, quindecim horis aquis submerso. *Vid. vita S. Suib.* Baron. *Annal. Franc. &c. & diversi Script. rer. Saxon.* De Alcuini nostri morte hoc anno Baronius, nos multis rationibus, & auctoritate plurium convicti, superstiti etiamnum gratulamur, quamvis dignius, & convenientius Ecclesiæ universæ eo superstite gratulemur.

Rursum Cathedralis in Hispania Ecclesia, vulgo Valpuesta, propter nostros condita, nostris Originem fama, & gratias debet, de qua requirendus Yepes *tomo* 3. *cent.* 4. hoc anno. Tantum posteri tantorum reposcere, seu expectare, in gratiam Majorum suorum tribuenda, debent, & possunt.

Obijt hoc eodem anno gravissimus ille, & Sanctissimus Abbas Nonantulanus Anselmus, relicto celeberrimo Ducatu Foroiuliensi, & amplissimis opibus, in eodem Cænobio cucullum amplexus, in quo dein Abbas mille centum, & quadraginta quatuor Monachis, dempto etiam parvulorum numero, sanctissimè præfuit, ut vel ex tanto numero liceat unius Cænobij obiter congesta pijs operibus merita, æstimare. Sororem habuit Giseltrudem Aistulphi Longobardorum Regis uxorem, unde ab Affinitate tanti Regis, Anselmi gloriosissimum sæculi cõtemptum tanto pluris facias, quanto minoris ille fortunæ favores maximos fecerat. *Ex VVione & MS. Chron. Nonant.*

Mauris hoc ipso quoq; anno Hispanias vastantibus, in triumphum immortalitatis laureati abeunt felicissimi nostri Martyres ducenti in Monasterio S. Petri de Cardena. *Morales, & eorundem passionis libellus sing.*

Sanctissimus, & toto orbe, scriptis, exemploque celebratissimus Hamularius Fortunatus ex Monacho Luxoviensi fit Treverensis Archiepiscopus, de quo pluribus ob ingentia merita suo loco. *Steng. Caiet. &c.*

*A.C.* 805. *S.P.N.* 325.

QVamvis illustri Sanctitatis exemplo, toto passim orbe, omnibus Cænobijs se nostri commendarent, nequis tamen Virgines Sacras, ijsdem legibus devinctas, tanti non faceret, quanti Prędicatores verbi Dei, aliosque è Monachorum ordine doctrina, atque exemplo præstantes fieri potius semper aut frequentius fuit; admirando sanè prodigio virtutem earundem, meritaque Carolo quoque ipsi Maximo Cæsarum, Proceribusque eius, ac Imperij Magnatibus fieri manifestam Numen voluit. Forte Imperator prope Salvatoris Monasterium, Morsellensis villæ, Venationi deditus, locis vicinis feras è saltibus exegerat, cum inter alias ursus, mira visendus magnitudine, in patentem latè planitiem se proripiens, unde non esset effugium retro propero cursu tetendit, & in Sanct. Salvatoris irrupit Ecclesiam. Prodigium! Fera, ceu ratione pollens, exuvias primum Sanct. Gudilæ nostræ (illic tumulatæ) venerata procubuit, ac feritatis dein oblita suæ, etiam virginibus cæteris adblandita est submisso humiliter capite, flexa cervice vestigia advenientium Sanctimonialium lambens. Exorta proin magna inter omnes admiratio, quæ Augustum maximè ipsum perculit, & ursus è Sylvestri domesticus, etiam deinceps apud Virgines easdem, non aliter, quam pro illa-

illarum arbitrio, ac iussu vivens se habuit. Ex Annal. Franc. & Vita S. Gudilæ. His ijsdem temporibus plurima per Italiam, Germaniamque Scotis Monachis (eosdem præ multitudine vix capiente Scotia) felicissima exundatione rursum implentibus omnia, exædificata passim Cænobia, ex quibus proles innumera, utilissima Universo fęcunditate prodijt, & plurimi summo Ecclesię bono ad Episcopatus promoti, rem strenuè gesserunt; alij collectis Eleemosynis; seu concitata fidelium liberalitate amplissima primum in Germania exstruxere Xenodochia, unde æternum Christi pauperibus, ægris, desolatisque prospiceretur. De ejusmodi etiam Rhenanus lib. 2. rerum Alemann. sic ait. *Sed & ea tempestate, Scoti Monachi multa Xenodochia passim erexere, locupletiorum hominum auxilijs, qui res suas in rem tam Sanctam, non gravatim communicabant. Huius generis diversorium fuit apud Divum Thomam Argentorati, multique inde ad Episcopi munus asciti sunt. Extat in volumine legum Francierum caput Meldensis Synodi, quo Rex admonetur, ut hospitalitatibus, tam Regiis quam Scoticis prospiciat, quorum res, in longè alium usum ab improbis vertantur.* Videndus etiam Yepes hoc anno.

*A.C. 806.* *S.P.N. 326.*

HOc anno magnus ille, & Charissimus Imperatori Carolo Pontifex noster VValdo, quietisne amantior, ut se tanta negotiorum mole liberaret, an ut soli deinceps Augustissimi Principis saluti liberius invigilaret, pulcherrimo exemplo Abbatiis se Augiensi & Sangaliensi, nec non Episcopatu utroque Basileensis, & Ticinensis Ecclesiæ abdicans, ad Divi Dionysij se recepit, proposita tamen Carolo Haytthonis (de quo superius) Augiensis Monachi, Augusto familiarissimi, ad præsulatus utriusque administrationem aptitudine. Neque abnuit Imperator, de utriusque meritis dignitateque haud ignarus, & Haytthoni minimè ambitum, Augiæ Basileæque Præsulatum, maxima omnium voluntate concessit. Admirandum prorsus, quod fusius in Constantiæ nostræ Benedictæ, tomo secundo, referimus, plures eodem simul tempore in solo Augiensi Cænobio, ut alia eorundem exemplorum fertilissima prætereamus, convixisse, relictis potentissimis Cathedris è diversissimis toto cælo Regnis eo convolantes. Celebrati inter alios Egino Veronensis, Lambertus, Hartricus ille in Italia, hic in Saxonia Episcopi, neque enim sedis certæ nomen, incuriosi laudum suarum veteres nostri adsignarunt. *De quibus nos tom. 2. Const. Ben. Ochemius, MS. Aug. &c.*

*A.C. 807.* *S.P.N. 307.*

IN Aquitania nostrorum felicissimi successus, multiplicatis Cænobijs, & Cænobitis, quorum grandi numero, merita quoque aucta, & viri sanctitate, doctrinaque excellentissimi, orbem universum radiis implevere. Solus Ludovicus Caroli filius Aquitaniæ Rex, suo in Regno aliquot, & viginti Cænobia, legibus nostris parentia condidit, ac dotavit. Ea inter præcipua. Monasterium S. Philiberti, Monasterium S. Florentij, Monasterium Karileffi Mon. Concas. Mon. S. Maxentij. Monasterium Menatæ, Mon. Magnilocense. Mon. Musciacum, Mon. S. Sabini, Mon. S Pascentij. Mon. Dosoræ. Monasterium Solemniacum, Monasterium Puellare S. Mariæ. Mon. Puellare S. Radegundis. Mon. de vera, Mon. de utera in Pago Tolosano. Mon. Vadala in Septimania, Mon. Calynæ. Mon. Sanct. Laurentij, Mon. S. Mariæ quod dicitur Nirubide, Mon. Caunas, & cætera plurima, *quibus veluti quibusdam lychnis* Aimoynus ait, *totum decoratur Aquitaniæ Regnum.* Pergitque; *Hoc eius exemplum non modo Episcoporum multi, sed & laicorum quam plurimi æmulati, collapsa restaurabant, & nova certabant Monasteria instituere, &c.* Plura dein de Regni subdit felicitate, *vid.*

Quantum vero hoc tempore debuerit, debeatque æternum Italia, universi oculus à Sanctissimo Adelardo nostro, Caroli Magni consobrino, Monacho Corbeiense felicissimè administrata, nullis sanè dignè verbis explicari potest meritis se ejus etiam in Græciam usque extendentibus. Paschasium nostrum Ratbertum, in vita, quam contraxit nonnihil Hæreus, audiamus. *Iustitiam quantum sectatus sit, testis est Francia, & omnia Regna terrarum* (videsne etiam

huius consilio an arbitrio, nihil non à Carolo Augusto actum) *Maxime tamen Italia, quæ sibi commissa fuerat, ut Regnum; & eius Regem Pipinum Iuniorem ad statum Reipubl. informaret. Thesaurarius erat pauperum, orphanorum Pater, mœrentium consolator, brachium infirmorum, & fortè simul superbientium flagellum, ita tamen, ut plerosque de supercilio mentis deponeret artificioso. Cum ad Romanorum pervenisset fines à Domino Leone tunc temporis Apostolico officiosissimè est exceptus, ut neminem Francorum constiterit tanto familiaritatis officio ante suscepisse: unde nostrorum, inquit Ratpertus, quidam narrant sibi jocoso dixisse animo. France, sciendo scias, quia si te aliud invenero, quam te credo, non ultra necesse Francorum aliquem huc venire, cui credere debeam, &c. Flebat autem diebus singulis, si non amplius, semel aut secundo, manè videlicet, & vesperi: cuius rei causam cum ego exiguus aliquando ab eo requirerem; plango, inquit, fili: me plango, non ut altiora cœli sacramenta conspiciam; sed me, inquam, quid sim, considerans, plangendo lugeo. O profunda humilitas. Quod si inter mundi discrimina huc illucque pro Ecclesiæ negotio occupatus esset: instituta tamen Regulæ nunquam deserebat. Erat autem filius pacis, charitatisque catena, uti novit, (noverit) Spoletum, & Beneventum inter se per eum reconciliata. Vnde & non solum apud eos, sed etiam apud Græcos, & omnes maris Insulas, nimiam promoverit amoris gratiam, &c.* Et quid amplius dici potuisset.

*A.C.808.* *S.P.N.328.*

DEbet hoc anno nostris Regnum suum Northumbrorum Rex Ardulphus, sive Arnulphus, à suis pulsus, quem per legatos Leo noster restituit, & suis quoque additis, sive potius nostris Rattfrido Notario, & Nazario Sanct. Audomari, Abbatibus, Magnus Carolus, adeo ut Regem suum absque contradictione rebelles reciperent. *Nefas omnino ducentes*, verba Baronii sunt, *non parere Romano Pontifici, atque tanto Imperatori resistere.* Addit idem de Carolo, Regem pro ope ad Roman. Pontificem destinante; *Vidisti*, inquit, *in his Romani Pontificis auctoritatem factam expressam. Quod enim non satis sibi suppetere iuris intelligeret Imperator, Regem electum in Regnum pristinum restituere ab ipso Roman. Pontifice, id præstari posse sciens, dimittit ipsum* Regem *Regno privatum* Romam *ad Leonem Pontificem, cuius auctoritate restituatur. Vidisti pariter quantum Papæ detulerunt Angli licet furore perciti, & regnandi cupidine inflammati, ut ex pulsum à se Regem, eum restitutum auctoritate Pontificis: recipere non detrectarint, sed statim paruerint.*

In Germania clarescentibus nostrorum meritis summus eisdem honor, ita ut Principes quiq; tituli iis deferrentur, præsulatus, Archipræsulatus solis ferè paterent. Sola Augia (Dives vulgo) tam viris illustribus clara, ut vel una in omnes Teutonum fines lat lucis dispensasset, si sola illuxisset. Verum mille Cœnobijs infinita, si liceat dicere, lumina colluxere, ut inde splendorem universi admireris. *Ex Const. nostra Benedicta, &c. Ochemio, Ægonio, &c.*

*A.C.819.* *S.P.N.329.*

OCcumbit, sive potius cælo exoritur, Illustrissimus Germaniæ Phœbus, Sanctissimus Saxonum, & Frisiorum Apostolus, primusque eorundem Episcopus, donec & certæ sedis, primus item Monasteriensis ordinaretur. Magnus ille Ludgerus, cuius singulis annis meritorum plane miracula non occurissent, verum se ingessissent, nisi obstinatio Breviarij nostri obnixa esset. Ne frustra solis splendorem attribuisse videamur, vitæ scriptores probatissimos audiamus. *Ex eo quo obierat loco, visus est veluti splendentis ignis fulgur subito emicuisse, quod diurnæ lucis claritate, totam illam provinciam illustravit, ac in sublime conscendens, ipsum conspiciebatur cælum intrasse, &c. Vidit quoque hoc & mirandus Imperator Carolus qui eo tempore, in Aquis Palatio moratus est. Eadem namque hora, pro inspectione siderum cum Alcuino* (utique superstite) *à quo Astrologiam didicerat, fuerat egressus. Sed quid significaret ignarus. Postmodum vero, dum veniens ad Comitatum Gerfrid (is inter alios sub mortem eadem viderat) de transitu eius Imperatori significaret, de luce quoque quæ visa fuerat, non celavit. Porro Imperator de die, & hora diligenter interrogans ipsum eo momento migrasse comperit, qua lucem cum Alcuino conspexit.* Eius Epitaphium.

S, Ludgerus Proto-episcopus Monasteriensis, principalis
DCCLXXVII. sibi ostiensi, quievit
in pace, idque
in Billerbech Anno DCCCIX.
Werdenæ sepultus, &c.

Vt iterum amplissimi Episcopatus Auctorem habeamus. Ex vita Brovvero, &c.

Eodem anno Augiensis Cænobii donum jussit Carolus Ulmensem pagum qui Monachorum partim ope, partim auctoritate, & commerciorum institutione in urbem longe opulentissimam, & potentissimam excrevit. *Ex MS. diversis, Ochemio. Const. Ben. &c.*

A. C. 810. S. P. N. 330.

CLaritate sua terras, & cælum implet hoc anno mortuus sanctissimus noster VVilhelmus ex Aquitaniæ Duce, & primæ cohortis Magni Caroli Principe Gellonensis Monachus, inter alia merita, Francia à Sarracenis liberata, celebratissimus. Excelluit in Cænobio admirandis humilitate, & patientia. Vnde fratribus aliis inserviens, & officia eorum viliora ipse subiens coquinæ servitium, tantus Princeps suscepit. Utque adhuc magis humiliaretur, pistor esse jussus, insigni miraculo à Deo honoratur. Nam cum instrumenta purgandi clibani deessent, signo S. Crucis munitus, ardentem clibanum ingressus, veste illæsa carbones exportavit. Orationi sine intermissione incumbens, totisque in ea noctibus perseverans, centies in die, & centies in nocte coram altaribus genua flectens, non solum pro suis, sed etiam pro peccatis omnium Dei misericordiam imploravit. Ob memoriam passionis Dominicæ virgis cædi, & flagellari solebat. Spiritu quoque prophetiæ pollens, diem obitus sui prædixit. In cujus transitu omnes circumquaque campanæ sponte sua, nullius hominis opera, sonitum dare sunt auditæ. *Ex eius vita, & Stengelio, &c.*

De Augiensium celebrato tota Germania Gymnasio, in quo non in liberalibus solum litteris, verum Sanctioribus potius, & juxta disciplinis Germaniæ procerum vulgariumque liberi instituebantur, Erlebaldo in primis Monacho doctissimo fulgente hoc anno; pluribus in Constantia nostra Bened. &c.

A. C. 811. S. P. N. 331.

HAyttho noster Augiæ Abbas, idemque Basileensis Episcopus Caroli Imperatoris nomine Legatione ad Imperatorem Constantinopolitanum functus, ut de limitibus Imperij, sanciendaque inter Augustos pace ageret, indignè à Stauratio accipitur. Tulit si quid unquam, molestius Cæsar, & Legatis Occidentalibus paria rependit, dum quanto honore ac amore Hayttonē prosequeretur coram ostendens, tanta confusione eosdem opplevit, ut rubore atque consternatione penè exanimarentur, ijs tamen, ut & de Orienthe Hayttho mereretur, veniam & gratiam ab Augusto impetravit. Incredibile dictu quantum Principum è gravissimis mundi turbinibus emergentium numerum, hic unus annus, & consequentia proximè tempora proferant, in Religionis, & Ordinis nostri sinum securissimè receptorum. In vicem omnium solos Caroli ipsius liberos recenseamus, qui nomen Monachismo dare, quam regiè vivere, & videri maluere; Præter quippe Pipinum Seniorem, de quo superius, Prumiensem Monachum, Drogo Caroli ex Reginobyrga filius, Monachismum in Luxovio professus, ubi tanta virtute excelluit, ut tandem ad Cathedram Metensem extraheretur, de Imperio meritissimus, ut suo loco dicemus. Hugo item de Reginobyrga eadem natus, primum Aquitaniæ Dux, mox omnibus relictis S. Bertini Monachus, in Archiepiscopum denique Rothomagensem propter eximias animi dotes electus est. Gisala item ex Hildegarde Regina, & Theodora ex Fastrada genitæ, longè dignius nostrum institutum coluere, quam purpura atque Imperio summo cultæ fuissent. Theodoricus item Adelinde satus, invitus licet Provinciæ Ducatu à fratre, cui adversabatur, pulsus, Monachismi denique felicitatem probavit. Vid. Yepes, & rer. Gall. Script. De Euphrasia item eiusdem filia Abbatissa. *Cl. Robert. in Episc. Bitus.*

A. C.

*A.C.*812. *S.P.N.*332.

ALcuinus noster meritis de Republ. Christiana nunquam nisi summa reverentia nominandus, non contentus solum Eboraci olim & Cantabrigiæ, Parisijs dein, mox Ticini, sive Papiæ, de litteraria strenuè meruisse, ut plurimis Theatris spectaretur Suessione quoque, & pluribus annis Romæ docuit, ibidem in Lateranensi Cænobio agens, in quo Custodis, & Ministri Lateranensis Ecclesiæ officio fungebatur ad hunc usque annum, audiente ipsum Rhabano nostro, de quo deinceps sæpius mentio facienda. Ejusdem vero etiam consilio operaque Carolum in singulis Monasteriis, & Episcopiis; Ansegiso testante, Grammaticæ, Musicæ, Arithmeticæ studia constituisse, ; sed & in Ecclesia Osnabruggensi, scholas litterarum Latinarum atque Græcarum, ut ad usum Legationum in Orientem pueri erudirentur, institutas Alcuino initia debere, nobis, & penitius rem indagantibus est extra dubium. Grande illud, quod de eodem etiamnum in Galliis agente (ad quod tamen Regnum, etiam Roma ad Carolum excurrere frequentius debuit,) Sangallensij Monachus in Gestis Caroli, iure deprædicat. Dedit Albino Carolus Rex Abbatiam S. Martini juxta Turoniam Civitatem, ut quando ipse abesset, illic requiescere, & ad se confluentes docere deberet: cujus in tantum doctrina fructificavit, ut Moderni Galli, vel Franci antiquis Romanis seu Atheniensibus æquarentur; De Parisiorum etiam celeberrima Vniversitate, ita Poeta.

Quid non Alcuino facunda Lutetia debes
Instaurare bonas, ibi, qui feliciter artes,
Barbariemque procul, solus depellere cæpit?

*Ex Ansegiso, Meginfredo, Ant. de Yepes, Matth. Weiss. aliisq.*

Plurimorum sub hęc tempora ex Ordine nostro Pontificum meminit Yepes *tom.3. cent.4. requirendus:*

*A.C.*813. *S.P.N.*333.

ILlustrissimus hic annus præstantissimo ex Ordine sydere, Sanctissimo illo, & mille modis de Ecclesia Vniversa meritissimo Trevirensium Archiepiscopo Hamulario Fortunato, cuius res gestas admiratus spectatissimum sæculi nostri lumen Constantinus noster Caietanus; non potuit non Italus in Germani Sancti admiranda curiosius intendere, & quæ miraretur orbi communicare, dignissimo de vitæ ipsius raris libro, ex ejusdem ipsius Divi scriptis scitissimè consarcinato. Eum Leo Pontifex ex Monacho Luxoviensi, ob eximiam rei benè gerendæ spem Anno Christi 804. Galliæ Belgicæ Primatem, Trevirensiumque Archipræsulem iussum, clarum dein in præcipuis dilexit. Hoc vero imprimis anno Carolus Imperator benevolentiam Pontificis imitatus, summis honoribus augendum censuit, & gravissimo Reipub. Christianæ in negotio, ad confirmandam cum Michaele Curop. Constantinopol. Imperatore pacem, aliaque tractanda in Orientem Legatum misit. Additus pari functione, pari item doctrinæ, prudentiæque laude celebratus Petrus Nonantulani Cænobij in Italia Abbas, Anselmi illius mille, centum & quadraginta quatuor Monachorum Patris eodem in Cænobio dignissimus successor, de quo superius. Vid. Baron. Bisci. Yepes, Steng. &c.

Nec minore laude, quam Treverensem Cathedram Humuliarius, rexit, hoc eodem anno ad eandem assumptus, Moguntinam Haistolphus Fuldensis Monachus, arctissima retenta cum altrice Religione, societate à Brovvero commendatus. *Vid. Fuld. ant. l.1. c.16.* Vt appareat quid Germania debeat tantis Pontificibus.

*A.C.*814. *S P.N.*334.

S. Rhabanus noster Fuldensis, mille alijs de hoc anno contendentibus, si omnibus præripiat, Solusque impleat, nemo nisi imprudens impudensque inficiabitur. Is Roma priore anno (illic Alcuinum audisse didicimus) in Germaniam ad suum Fuldense reversus, meritorum atque famæ immortalitatem Germaniæ nostræ intulisse; tot artibus cumulatus, ut verè scientiarum armarium dici potuerit; ac deinceps Germania exuta barbarie, ita bonis & multis doctoribus ac Magistris

abundavit, ut litteræ non illatæ, sed natę inter nostros Monachos viderentur. Nam simul ac Roma Fuldam suam revisit, continuo quasi signo data, undiq; concursus factus est, ut præter Monachos, Nobilitas quoque Generis sui, & familiæ spem, litteris & politioris litteraturæ artibus formandam tradiderit. Yepes, Weisl. &c.

Luctuosus idem annus Divi Caroli Cæsaris morte, Principis verè Magni, non factis tantum per Universum præclarè, sed expensis in sacros usus piè ac liberaliter: quem Monachi nostri, ut patrem merito luxere, quosque ille ut filios, & filiis potiores habuit dilexitq;. Ea Augusti laus non postrema, quod acceptorum gratè memor, agnosceret Benedicto Patri nostro Admirabili, debere sese, quidquid pietatis sibi, quidquid per hanc felicitatis, accessisset. Neque immerito; quippe Benedictinis Magistris, Regno formatus, neque jam rerum potens, iisdem abstinuit. Monachorum consiliis administratum Imperium, latæ leges, subacta Regna, adscitæ in fidei societatem gentes, nunquam moderatius, nunquam felicius imperatum. Benedictum Patrem diceres, quos contempserat olim fusius, in Carolo demum filio resumpsisse, &c. *ita in Const. nostra Ben. & fusius, alias.*

*A.C.* 815. *S.P.N.* 335.

ITterum Originem Monachis debet florentissima, & celeberrima Helvetiorum Vrbi Lucerna, Cænobio ibidem primum exstructo, conditore VVighardo. Ruperti Sueviæ seu Alamanniæ Principis germano, ad quod incolæ accolæque confluentes, frequentiore occursu, ædes denique muris conclusere, & successu temporum ac fortunæ nobilissimam Urbem juribus, & immunitatibus amplissimis condecorari impetravere. *Vid. Ioan. Stumpf. Naucle. Munst. Crus. Const. Ben. &c.*

Sub hæc ipsa tempora illustrissimo sanè exemplo potentissimo se Archiepiscopatu Lugdunensi abdicat Leidradus noster, & Successionense ingressus Cænobium pallium itidem sacrum, cucullo permutat, præstantissimis meritis reformato in primis Clero laudatissimus. Illud singulare ejus Lectores in Theologia atque Grammatica Lugduni instituisse. *Vid. Ado in Chron. Cl. Rob. Wion, &c.*

*A.C.* 816. *S.P.N.* 336.

CÆlos triumpho implet felicissimo transitu Sanctissimus Papa noster Leo III. Compestellani Præsulatus, paulo ante mortem, Hiriensi sede eo translata; auctor, Ovetensem item in Hispania cathedralem, Archiepiscopali honore insigniens; admirandus sanè Ecclesiarum Urbis reparator, in quarum ornatum, jam tertium profusissimus, hoc, an priore anno rursum, ducenta penè annorum millia liberalissimè expendit. Præter egregiam sanctitatem, ita afflictis Ecclesiæ rebus intendens, ut septies, noviesque eadem die pro eiusdem bono insolenti sanè exemplo, sacris operaretur. Successit Stephanus noster quintus, ab ipsa statim electione miraculis à Deo honoratus. *Vid. Baron. Anast. Bisc. Yepes, &c.*

Novum denuo in Orbe Sydus, novus Apostolus, à rerum gestarum magnitudine Magnus cognominatus Sanctissimus Anscharius, orbi universo. Septentrioni maxime illucescit, & frigidas illas Regiones accendit. *Vid. VVion, Yepes, Loc. div. Cranzius, Iac. Mag. Ramp. &c.*

*A.C.* 817. *S.P.N.* 337.

STephano nostro Sanctissimo Vrbis, & Orbis Pontifice mortuo, miro totius cleri, & populi consensu, eligitur, & è Cænobio nostro Divi Stephani Romæ, reluctans quantumvis obnixusque Paschatis Primus extrahitur, de cuius vitæ integritate, doctrina, in egentes, ac peregrinos, hospitesque beneficentia fuse Anastasius, & ex hoc Baronius. Ejus inæstimabilia merita inferius suo loco attingemus.

Hoc eodem anno celebrato Abbatum Aquisgrani conventu celeberrimo, plurima summo Ordinis nostri bono sancita, & instituta, ex quibus fructus incredibilis in omnes universi provincias redundavit. Extant apud nos acta MSS. *vid. etiam Yepes, &c.*

A. C.

A. C. 818. S. P. N. 338.

Acceperat priore anno litteras à Paschale nostro Magnus ille splendor Orientis Theodorus Studita, quibus missa hoc anno Legatione respondit, & cum hac tum alia occasione datis ad diversos litteris egregius Encomiastes Paschalem nostrum ab eximijs meritis de fidelibus Orientis dignissimè commendat. lib. 2. Epist. 121. sic inter alia ad Thomam Patriarcham Hierosolymitanum. *Quod sane Occidentis Apostolus cum præstitisset, quantum profuerit, quid opus est loqui? Partim quidem resistentium mentes summopere confirmans, partim impiorum insolentiam, à spiritu profecta reprahensione, profligans: quo quid esse potuisset salutarius, &c.* Hoc vero anno ad ipsum Paschalem scriptis: *Per omnia Religiosissimo Patri supremo lumini, universali Domino nostro, Apostolico Papæ, &c. Vos illustris ac sincerus ab initio fons Orthodoxæ veritatis, vos adversus omnes Hæreticam procellam tranquillus sepositus portus Ecclesiæ universæ, &c.* Vid.

Sed & eodem anno rursum de Oriente idē Pontifex noster meritissimus, missa Legatione, cum litteris adversus Iconomachos, eosdem erroris redarguit, & ab Ecclesiæ Romanæ communione indicat separatos. Græcos dein Romam confugientes, benignè excipit, verus omnium Pater, ijsdem de necessarijs vitæ providet Monachis; item eorundem Cænobium apud S. Praxedem constituit. Titulum eundem Presbyteralem collabentem restaurat, ornat, & multa Sanctorum corpora infert. *Vid. Baron.*

De Casinatis vero Cænobij sub hæc tempora dignitate, & utilitate, sic item Baronius. *Vt autem de rebus occidentalibus aliquid attingamus, dicenda sunt aliqua de Cænobio Casinate, ubi vigebat his temporibus Monastica disciplina, ex quo tanquam ex fonte fluenta Regularis disciplinæ manabant cum floreret viris Sanctissimis, & inter alios, qui creatus fuit hoc anno, eiusdem Cænobij Abbas Appollinaris, qui eo miraculorum gratia est sublimatus, ut Lirim amnem sicco vestigio pertransiret, &c.* Et paulo post. *Liceat autem de remotis aliis partibus ad dictum Cænobium frequens esset accessus; illorum tamen qui ex diversis regionibus Italiæ, tanquam ad Civitatem Refugii, atque ad asylum Christianæ libertatis illuc confluere solent, seque illic cum suis divitiis Deo offerrent, frequentior erat adventus, ut ex Leone Ostiense res eiusdem Monasterii describente, quis poterit intelligere.* Ita Baron.

A. C. 819. S. P. N. 339.

Moritur felicissimè dignissimum Italiæ ornamentum admirandæ sanctitatis Monachus in D. Bervigni prope januam conditus Beda, cum humanarum, tum Divinarum scientia litterarum præstantissimus, tot nominibus Imperatori Carolo acceptissimus, quem multis præfectum Episcopatibus volebat, illo pertinacissime ad cellulæ suæ quietem, dimissionem flagitante, Qua denique impetrata ad Sanctissimū Guilielmum nostrum, qui tum Cænobio cuidam juxta Gavellum fluvium nō longe ab Vrbe Hadriæ, cum Venerio socio se contulit, ubi sacro rigori, contemplationi Numinis, ac Scripturarum Sacrarum expositionibus totum se dedit. Visa Columba jussu mirabilis ad cellæ ejus fenestram persistere, & auribus viri Sancti, quæcunq; dictare volebat, instillare, & quotiescunq; Oratorium introibat, cum eo simul, & illa ingredi. Eam semel Venerius deturbare volens, prohibitus à Beda est, dimitte eam, inquiebat Sanctus, nec enim à Deo ad infestationem, sed ad magnam consolationem transmissa est. Relicta ingenii monumenta præcipua sunt.

*Commentaria super quatuor Evangelia.*
*Commentaria super librum Actorum Apostolorum.*
*Commentaria super Epistolas canonicas.*
*Commentaria super Apocalypsim.*
*Commentaria super Parabolas Salomonis.*
*Liber Martyrologij, & computi.*
*Chronicon à Mundi principio usque ad Gratianum.*
*Tractatus plures stilo prosaico, & Metrico.*

Vt venerabilem illum æquè nostrum, Bedam plane, sancta quasi æmulatione, imitatus videatur, nisi scripta eorundem, certissimo diversorum, inter se confundantur. Ex Vita Yepes, Wion. In Germania claret admiranda sanctitate, Fuldensis Cænobij Magnus Abbas Sanctissimus Ægil, cuius vitæ res gestæ requirendæ apud Brovverum.

Inter innumeras Doctorum stellas celebratur hoc anno Claudius Scotus, & Sedulius Scotus uterque nostri, de quibus *Bellarm. Weiss. Wion, Hepidamus, nos in Const. Ben. &c.*

*A.C.820.* *S.P.N.340.*

Virorum Principum cohortes integræ in Cœnobijs nostris salutem quærunt, plurimi etiam in mortali hac vita rarissimis à DEO prodigiis culti; inter quos Sanctus Fintanus ex Laginiæ Principe, Monachum Rhenungiæ, quo longius à suis abesset in Germania professus, admirando vitæ rigore, & sanctitate, dæmonibus ipsis formidandus, quorum totos exercitus ipse unico cuius objecto, in fugam vertit, de pauperibus meritissimus, & non sine prodigijs liberalis. Ex Vita. Claret item Vigesius Spoleti Dux, de quo Hier. Platus: Ferricus item, & Anna Austrasiæ Duces, cæterorumque Principum cucullo, quam opibus, laudatiorum ingens numerus, quos omnes Sanctissima nostra Religio, ut amantissima mater, benignè fovit, lactavit, & cælo educavit. *Vid. Wion, Yepes, &c.*

In Hispania effulget præcipuæ Sanctitatis radijs Sanctissimus Froillanus Legionensis Episcopus ex Monacho, & Abbate de Morervela, cuius vitam descripsere. *Alph. Villeg. Ambr. Morales, Iarapha, &c.*

Sub idem tempus Prędicatione Apostolica per Saxoniam meritissimus fit Episcopus Werdensis S. Kortilla Monachus, & Abbas Amarbaricanus. *Vid. Kranzius, &c.*

*A.C. 821.* *S.P.N.341.*

Magnus ille Magni Caroli consobrinus, Sanctissimus Adelardus, à morte Caroli, invidentium molitionibus in exilium actus, resipiscente Ludovico Cęsare redire ad suum Corbeiense Cænobium invitatur. *Certè cum appareret,* Rathbertus noster ait, *publicè, improbos illos suos æmulos in aula quacunque nequaquam reverendos posse fieri, sed ab omnibus desiderari.* Adelhardum sontem consilij, justitię Regulam, mittuntur tandem à Rege qui eum honorificè reducant. *Ex Miræi Annal. ex Vita per Ratbert. & ex Vita Ludovic. Imperat. per Anonymum, &c.*

Emigrante ad immortaliter felicia, Sancto Gigile Fuldensi Abbate, *Harabanus* (verba sunt Brovveri) ut cælestis ingenij ornamentis, & immensitate Scientiarum, sic administrandi ratione, & ea percolendi, quæ præclarè majores inchoarant, exsplendescens, præesse jubetur.

Iterum pro Ludovico Cæsare, huic æquè ac Carolo Patri, unicè charus Haytho noster Augiæ Abbas, & Basileæ Episcopus ad Paschalem Papam Legatus Romam destinatur. Ex Const. Bened. Eodem anno Paschali nostro Sanctissimo Pontifici S. Cæcilia Virgo, & Martyr. apparuit, & de sui corporis thesauro latente eum certum reddidit. Repertum in Cæmeterio Prætextati, aureis inductum indumentis, ijsdemq; repersis sanguine, incorruptum, simul cum corporibus Sanctorum Martyrum Valeriani ejus sponsi, Tiburtij, Maximi, nec non Urbani atque Lucij Romanorum Pontificum, quæ omnia transtulit in ejusdem Ecclesiam, quam collapsam restituit, auxit, ornavit, & Cænobium nostri Ordinis Virginum adjecit. Ut rursum spectatissimum in Universum Titulum Roma nostris debeat, & bis debeat, jam olim è nostro Gregorio Primo excitatum, nunc verè recitatum. *Ex Baron. Yepes, Bisc. &c.*

*A.C.822.* *S.P.N.342.*

Sanctissimus Adelardus superiore anno Corbeiani suam reverti ab exilio permissus, & jussus ab Augusto, quanto indignus olim expulsus, tanto gloriosius in aulam accersitur. De fructu qui eius reditum consecutus ita Pascasius: *Ubi cum introisset, velut quidam ait quia venit Titani, apparuit illico nudata insipientia, quæ tegebatur pallio caliginis, & factus est stupor nimius, quis senatum populi ad tantam ineptiam deduxisset. Qui comperto non parum eos invidia fuisse delusos, duxerunt in irritum penè quidquid per hoc tempus (exilij nimirum) ut eis visum est, argumentosè, tractaverant. Certe ipse gloriosus Imperator, publicam ex nonnullis suis reatibus pænitentiam suscipiens,* (videatur etiam Baronius) *factus est omnium humillimus, ut quorum oculi offenderant in de-*

*in delicto, satisfactione Regia sanarentur.*

Provocavit vix reversus Adelardus Cæsarem ad pænitendum, effecitque ut publicam etiam pænitentiam, magno humilitatis exemplo, tantus Imperator subire voluerit, in celeberrimo Aliniacensi conventu Episcoporum, Abbatum, Principum, & Magistratuum, ut veteres Annales habent, & alij omnes rerum Franc. Scriptores. Ex eo vero, teste Baronio, & cit. nimio afflictus est dolore, quod in virum Sanctissimum (Adelardum) adeo enormiter deliquisset, in cuius sceleris expiationem, Corbeiam Saxoniæ sub hunc annum condidit, cui primum Abbatem, eundem præesse voluit. Ita Lambertus, & Baron. *Fuit autem*, pergit Cardinalis, *aliquamdiu idem Monasterium Schola Sanctissimorum virorum, inter quos primus enituit Ansgarius, (utique reversus) Apostolus Suevorum atque Danorum reliquorumque inferiorum Germanorum.*

*A.C.* 823. *S.P.N.* 343.

PAschalis nostri Summi Pontificis innumera merita. Istud inæstimabile, quod hodieque Hæreticorum impia esuries, impiissimè invidet inhiatque. Patrimonium Sancti Petri præcipuè auctum, & Ecclesia Romana locupletata; & in Summum splendorem asserta. Seculares enim Magistratus, qui in Pontifice eligendo, partes sibi indebitas usurpabant, confregit, & abjecit; liberali Pontificis Romani, tum Episcoporum eligendorum (antea enim in ea re Imperatores consulebantur) potestate Ecclesiæ reddita. Romam, & Italiæ Regiones aliquot, Exarchatumq; Ravennatensem (pro quanta hæc merita) à Longobardis S.R.E. ereptum, eidem restitui postulavit, & impetravit à Ludovico Pio Imp. ut dist. 63. cap. Ego Ludovicus Imper. Augusti. &c. apud Gratianum videre est. Fuerunt autem in Ethruria, Aretium, Volaterra, Censium, Florentia, Pistoria, Luca, Pisa, Perusia, addita, & Vrbeveteri. *Ex Gratiano, Volaterr. Platina, Erusio, Yepes, VVione, &c.*

Clarent inter Principum virorum præcipuos præcipui, qui sub hæc tempora Monachi vixere BB. VVala, & Bernarius, Pipini Magni nepotes, Sancti Adelhandi fratres, ille in Corbeiensi, hic Luxoviensi Monachos professi, & Theodorada atque Gundrada illorum sorores Sacræ Deo Virgines: de quibus in vita S. Adelhardi. *Ratbertus. Vid.*

*A.C.* 824. *S.P.N.* 344.

HAytho noster Basiliensis Pontifex, rarissimo exemplo, quanto magis ab Imperatoribus colitur & honoratur, tanto majore fastidio gloriam famamque aspernatus, Pontificatu abdicato, Cellulæ se rursum quieti emancupat. Alij ante biennium, ut & nos in Constantia, abdicationem liberam posuere, nos latentem, ceu miraculum protrahimus, etiam nostri ævi Principibus admirandum. Paschali nostro Papæ, supremus hic annus, & rursum merita alia atque alia ad supremum usque anhelitum continuata, sunt referenda. Multa Sanctorum corpora diligenter perquisita digno honore recondidit. Stipendium Clericis auxit: captivos in transmarinis regionibus viros, & mulieres, & in partibus Hispaniæ, & alijs longinquis regionibus, Sicut bonos Pastor, redemit. Ecclesias plures restauravit, ornavit, dotavit, &c. *Vid. Anastas. Baron. Bisc. Yepes, &c.*

*A.C.* 825. *S.P.N.* 345.

SAnctissimis Anscharii nostri Maxumi Sueonum, Gothorum, Danorum, & Aquilonarium Partium Apostoli, labores, & merita immensa. Quippe (quod ad annum certum referre non licuit) Gothia, & finitimis cum Rege Olao, ad fidem conversis, in Sveciam profectus, incredibili fructu in eo Regno laboravit, summo honore à Rege Berone exceptus, in Civitate Birchensi Verbum DEI maximis industria, & constantia disseminans, idola evertit, Ecclesias condidit, quo ad Beronem quoque ad complectenda Christi dogmata adduceret, & baptismo initiaret. *Vid. Crantzius, VVion. MS. vita eiusdem, &c.* Incredibile sanè, quantum hic unus Apostolus noster in Vinea Domini laborarit, profecerit-que, ut planè attoniti nos ipsi, toties lecta, & audita nunquam satis admiremur.

Obijt hoc anno magnum Ecclesiæ decus, & ad superos abiit, Haystolphus Moguntinus Archiepiscopus, cui tamen hoc ipso statim anno, vix decedentis, fertilissimus tantorum virorum ordo noster substituit, sive potius substituendum permisit, egregium sanctitate, & doctrina præsidem, Sanct. Andegarium, sive Amelgarium, primum Campidonensis Cænobij Abbatem. *De quo Vid. Crus. Brusch. Belforest. VVion, &c.*

Emigravit in cælum eodem anno magnæ sanctitatis, & meriti eximii vir S. Attilanus Zamonensis in Hispania Episcopus Monachus Cænobij de Moreruela discipulus Sanct. Froillani, de quo superius, *Vid. Morales, &c,*

*A. C.* 826. *S.P.N.* 346.

HOc anno rursum nostrorum opera Rex potentissimus, & Regnum amplissimum ad Ecclesiam CHRISTI accessit, Harioldus, sive Haraldus Danorum Rex, baptizatus cum uxore, & magna gentis suæ multitudine à Sanctissimo Amelgario nostro Moguntinensi Archiepiscopo; & fructu exin incredibili in conversione Daniæ à Sanct. Anschario nostro laboratum. *Crantz. vita Ansgar. MS. VVion, Baron. Bisc.*

*A.C.* 827. *S P.N.* 347.

HUnc annum meritis gravissimis onerat Sanctissimum illud Ecclesiæ columen B. Hamularius Fortunatus Treverensium Pontifex spectatissimus, libris in primis illis sequuturis æternum sæculis, æternum profuturus, quos de officiis Ecclesiasticis, summus Ecclesiæ universæ bono composuit. Ejus ingenij monimenta nobiliora sunt.

*De Ecclesiasticis officiis. l.* 1.
*De Ecclesiasticis item officiis, fusior disputatio. l.* 1.
*De Septuagesima. l.* 1.
*De Officio Missæ. (alius hic liber à quatuor illis. l* 1.
*Itinerarium Legationis suæ Constantinopolitanæ. l.* 1.
*De ordine Cantatorii. l.* 1.
*Lectionarium. l.* 1.
*De Ordine Antiphonarij. l.* 1.
*Restauratio, & renovatio status nostræ innocentiæ. l.* 1.
*Epistolarum ad diversos. l.* 1.
*Commentarium, & librum alium de diurnali officio alicubi promittens, an absolverit incertum.* Vid. Constant. Caiet. Trith. Sigebert. Berno August. &c.

Rursum alius circa hæc tempora potentissimus Episcopatus in Suecia Vpsalensis nimirum, nostris originem, seque debet, quamvis incerto anno: hoc certum, primum ibidem Ansgarium nostrum præstitisse, ut præter dignitatis auspicatissima initia, etiam Patronum, modo hodie agnoscerent, & Tutelarem dignissimum acceperint. *Magnus Vpsal. &c.* Fit Pontifex ex Monacho nostro S. Valentinus vir Magnæ Sanctitatis, *Baronius.* Floret Ansegisus Laubiensis Abbas celeberrimus, ille qui edicta Magni Caroli, eiusque filij Ludovici Pij in ordinem digessit. *Miræus.*

*A. C.* 828. *S. P.N.* 348.

RUrsum in sui admirationem alius è nostris Orbem universum convertit Sanctissimus Gregorius IV. Summus Pontifex, ex Monacho Fossæ Novæ propè Tarracinam, congregationis primæ Benedictinæ, Valentino nostro suffectus, cum is vix quadraginta diebus, aliis non nisi mense uno, ad clavum Ecclesiæ consedisset. Gregorius, Magnum illum æquè nostrum. Primum hoc nomine Pontificem, invitandum sibi in omnibus proposuit, ut facile æstimes, quanti hoc statim conatu faciendus is, qui sibi summa solum proposuit. Fuitque in prima electione ipsum assecutus, dum pari submissione, summam dignitatem pro virili detrectaret, latebras quæreret, & invitus denique, ac dum posset, renitens, admitteret. Adeo extra ambitionem nostri, ut etiam extra suspicionem fuerint, Proin ad tantam sibi à DEO creditam expavescens præfecturam, suis penitus diffidens viribus implorandum prius Numinis auxilium, Sanctorum maximè patrocinia putavit, & Magnum in primis Gregorium (cuius sepulchrum frequentare solebat) demerendum sibi digno obsequio suscepit, corpus ejus Sanctissimum, in digniorem locum transferendo, fabricatoque peregregio Orato-

Oratorio, illud ibidem cum plurimis Sanctorum exuviis collocavit. Baron. Primo quoque Pontificatus anno, mereri non tam incipiens, quam pergens, Sancti Saturnini Martyris, via Salaria, Ecclesiam à fundamentis restituit, excoluitque. *Anast. Baron. &c.*

Claret egregia Sanctitatis, & doctrinæ fama S. Rixfridus ex Monacho S. Salvatoris Trajectensis Episcopus. *Vid. Wion. &c.*

*A. C.* 829. *S. P. N.* 349.

UT plurimæ toto passim Orbe Vrbes Nostris initia referunt sua, ita minime ambitioso conatu Ostia Tiberina munire hoc anno aggressus Sanctus noster Gregorius, defendendæ quibuscunque viribus Italiæ animum adjecit. Saraceni quippe per hæc tempora, potiti Sicilia, universas Italiæ oras classe piratica infestabant, ut universa potirentur, in eo jam nervis omnibus contendentes, proin imminens malum antevertere statuit, & Ostia Tiberina, jam vetustate mœnibus collabentibus, eandem civitatem novis muris munire aggressus est, & veterem in novam mutare, quam absolutam Gregoriopolim appellavit. *Anastas.* Neque contentus, tantos pro Italia sumptus profundere, pergens in sancto suo Sanctos demerendi studio Sanct. Marci Titulum hoc ipso quoque anno à fundamentis restaurat, & nobili exornatum structura, pretiosa suppellectile liberalissime locupletat. Id. ib. Evectus hoc eodem anno ad Principem Cardinalium S. R. E. dignitatem Beatissimus Hamularius noster Fortunatus Treverensium Pontifex, Sacro illi collegio doctrina, & Sanctitate splendidissimum sane sydus accessit. *Const. Caiet. Steng. &c.*

*A. C.* 830. *S. P. N.* 350.

CLaritatem Galliæ, atque etiam Ecclesiæ universæ infert sub hæc tempora maximam Beatus Theodulphus noster, ex Monacho, & Abbate Floriacensi, Aurelianensis Episcopus plurima ab æmulis ob virtutem constanter perpessus: Illud ejus in Ecclesia perpetuum monimentum, quod tanto seculorum decursu per Vniversum mansit receptissimum: Hymni nimirum suavissimi, & spiritus quo ipse plenus erat, plenissimi: Vexilla Regis prodeunt, &c. & Gloria laus, & honor tibi sit Rex Christe redemptor, &c. ille tempore, quo Passio recolitur Dominica, & Triumphus Sanctissimæ Crucis; hic, ipsa Palmarum Dominica die decantari soliti, ab ipso compositi, & primum etiam decantati. Composuit, & alia opera præclara.

Hymnorum diversorum. l. 1.
Epistolarum ad diversos. l. 1.
Annales gestorum Caroli Magni, & Ludovici pij. l. 1.

Eum Possevinus Sanctum, & miraculis clarum affirmat, & auctor vitæ Ludovici Pij apud Pythæum, virum undecunque doctissimum prędicat. *Vid. Sigebertus, Clictovæus, Durandus, Hen. Canis. Crantzius, Trith. &c.*

Claret Alpaida Ludovici Pij filia Beggonis Principis potentissimi uxor, & ab ejus obitu Abbatissa Sanct. Petri Rhemens. Renat. Bened. in vita S. Rigobert.

Conditum sub hæc tempora Sanctissimum illud Hirsaugiense Cænobium, quod unum, si sua in universum orbem connumeret merita, haud videmus majus, aut amplius, quidquam ab Ordine nostro desiderari posse, Tantas totque emeritorum cohortes, solum unicumque ad illa felicitatis quietissimæ Sanctissima otia promovit, induxitq;. *Vid. Trith. Yepes, &c.*

*A. C.* 831. *S. P. N.* 351.

IN Dania totum se in labores expendit, & in sudorem, imo ignem pene defluit admirandus ille Septentrionis Apostolus Beatissimus Anscharius, ejusqueComes individuus Autbertus, Corbeiensis item, sed novæ (id est Saxonicæ) Monachus, fructu quidem, & successu, de quo æternum sibi Ecclesia universa gratuletur. Instituisse etiam in quibus pueros erudirent Scholas, sed & studiose inquisisse, ut emerent (tanta animum incitabat, promovendi cultum divinum, & fidei dogmata, Sancta quædam ambitio) quos ad servitium Domini educarent, MS. codex, qui penes nos est, paulo post edendus, asserit.

Missus hoc eodem anno Legatus ad Grego-

Gregorium Summum Pontificem S. Hamularius Trevirensis Archiepiscopus, *Requir. Baron. Steng. Caiet.*

Ut nunquam, ut sine laboribus nostrorum, sic nec sine succo & sanguine esset, hoc quidem anno Martyrii laureolam meritissimus Christi Confessor meruit S. Harruchus VVerdensis Episcopus ex Monacho Amarbaricensi. Et plurium jam annorum decursu, Oriens Sicilia, Hispania, Anglia, Scotia Martyrum nostrorum exundarunt, Mauris, Saracenis, Agarenis, Nortmannis omnia vastantibus, quæ ad certos annos, referre compendii brevitas prohibuit.

*A.C. 832.* *S.P.N. 352.*

Involvunt penè numerositate sua, merguntque deprædicantis verba, sensumque omnem merita tanta cum non contenti difficillimas provincias suscipere, convertendarum gentium, Apostoli nostri, & in gelidissimas, asperrimas, & sui horrore incognitas penè, Septentrionis regiones excurrere, ad ipsos etiam inferos zelo accensi nimio, penetravere. Amulario nostro, vel solo hoc Titulo, verè Fortunato æternum debent, afflictissimi purgatricibus flammis animi, opem ac remedium tantis malis Sanctum hunc Archipræsulem invenisse non solum, sed & omnium sequuturis sæculis torquendorum cruciatibus prætendisse. Officio nimirum Mortuorum composito, atque ordinato, de quo ipse ait, in libro de ordine Antiphonarii cap. 65. *Post officium Sanctorum* (quod per universam Ecclesiam solemne instituisse S. Gregorium IV. post dicemus) *inserui officium pro mortuis: multi enim transeunt de præsenti sæculo, qui non illico Sanctis coniunguntur, pro quibus solito more Officium agitur ex VVione, &c.*

Hoc eodem anno Amaburg. civitas Transalbinorum Metropolis statuitur omnibus nationibus, Danorum, Suecorum, itemque Slavorum, ejusdemque Archiepiscopus primus consecratur Sanctissimus Anscharius noster, à Drogone nostro Metensi Episcopo Ludovici Cæsaris fratre Germano. Ut rursum plurima maxima, & potentissima Regna nostris primum Imperii, & gloriæ suæ honorem debeant. *Ex Adam. Brem. Cranzio, Baron, &c.*

*A.C. 833.* *S.P.N. 353.*

Beneficium grande in acceptis referat necesse est Imperium universum, & Galliæ inprimis regna amplissima, Gregorii nostri Summi Pontificis, Sanctissimæ voluntati, qui gravissima, & detestanda inter Ludovicum Imperatorem, & Reges filios, exorta dissensione, ut eam sopiret, difficillimo suscepto itinere, sed amore, & cura, vere Apostolicis, ipse in Gallias approperavit. Vtrinque, & à Patre Ludovico, à filiis ipsis, & Principibus exauctorato, indignè susceptus, & à Lothario exin plurimas injurias pro amore referente, pessimè exagitatus, ut quamvis nullo aut modico fructu illic egerit, plurimum tamen eidem à posteris pro incredibili sollicitudine, & labore, sed & constantia sit tribuendum.

Fuit annus felicissimus, & expectatissimus Sanctissimo Hamulario Fortunato, quo ad immortalia, valedicens mortalibus abijt. *Vid. Caiet.*

*A.C. 834.* *S.P.N. 354.*

Quod Gregorio debere superiore anno dixeramus Imperium Romanum, & Galliæ Regnum, quamvis irrito conatu, nunc debere bis dicimus Drogoni nostro Metensium, ex Luxoviensi Monacho, Pontifici, pro suscepto difficillimo negotio, sed felicissimo successu: Restituto nimirum in Regnū Ludovico, & compositis turbis, filiisque cum Patre optimo reconciliatis; quo non video dignius, aut utilius, sed & ad splendorem Ordinis nostri gloriosius fieri quidquam potuisse. *Wion. Belforestius in ann. Franc. &c.*

*A.C. 835.* *S.P.N. 355.*

Quantum alij eodem tempore è nostris benè mereri de Gentibus ad fidem convertendis, alij de Inferis, animis nempè defunctorum è pœnalibus flammis eximendis, summa cum pietate atque immortali laude elaboraverunt, tantum, & æquè laudabilis operæ Gregorius noster Summus Pontifex posuit, in Sanctis Cælitibus demerendis. Fuit vero immortale hoc eius studium, hoc maximè anno, Ecclesiæ universæ honorificum, Sanctis omni-

omnibus gratum, & acceptum: quo in capite Kalendarum Novembrium *Festum omnium Sanctorum*, à fidelibus per totum mundum celebrari præcepit, *Officioque proprio, quod ipse composuit*, decoravit; ut quidquid humana fragilitas per ignorantiam, vel negligentiam, in solemnitate singulorum Sanctorum minus plenà seu dignè peregisset, in hac observatione solveretur. Celebravit solemnitatem hanc soluta oratione, & versu Rhabanus noster, de quo *Platina requirendus. Rationale divin. Offic. Ioann. Beleth. Plat. Pigebert.* Wion. *&c.*

*A. C. 836.* *S. P. N. 356.*

MOritur circa hæc tempora Decus illud Magistrorum omnium, Academiarum orbis præcipuarum, institutor, Rector, & Animus Magnus Flaccus Albinus, sive Alcuinus sæpe ante à Doctrinæ immensitate, nunc sanctitate commendandus. Eum Sanctissimum, & Doctissimum Anno 778. Baronius appellat. Rhabanus Maurus eius discipulus, Magistro maior, aut non multo minor, Martyrologio suo eius nomen adscripsit. Vetus auctor eius vitæ, ex ore Sigulphi Alcuino familiarissimi, narrat inter alias virtutes, hac etiam eximium fuisse, quod nihil eligeret vel ageret discipulus, quod Magistri Sanctissimi Egberti auctoritas non probasset prius, nullas etiam diaboli insidias persenserit, quas nō continuo ad Magistrum (ex SS. nimirum Regulæ auctoritate) referret. Cum aliquando coram Magistro, & condiscipulis, de more S. Joannis Evangelium legeret, subito conticuisse, & quem S. P. N. Benedictus sub uno solis radio, Alcuinum sub exiguo circulo, totum mundum conspexisse, id postea Magistro, etsi diu reluctantem, confessum fuisse. Exinde Romam ab Eadbaldo pro pallio missum, in reditu obviam habuisse Carolum, ab eo benignissimè invitatum fuisse: præter summè festivos dies Jejunium in vesperum produxisse; prophetiæ spiritu clarum; occultissima quæque, & futura cognovisse; Carolo Magno è tribus filijs successorem prædixisse; incendium jam late vagans, oratione extinxisse, oculorum lumen, qua lavabatur aqua, cuidam restituisse: cacodæmonem teterrima specie apparentem fugasse: sanctissime denique, in hac oratione: O clavis David, sceptrum Domus Israel, &c. Spiritum Deo reddidisse, cæloque obviam eunte Levitarum choro, receptum esse: *Ex Matth.* Weiss.

Baronio certum quasi priore anno superstitem ex Argumento scriptorum ejus eodem anno; ut videatur hoc ipso, saltem non multo post, feliciter post tantos labores, ad quietem æternam abijsse.

Eodem hoc anno absolutam Gregoriopolim, ac contra incursiones Sarracenorum egregie munitam, Gregorius noster solemniter dedicavit. *Videat. VVion.*

*A. C. 837.* *S. P. N. 357.*

SAnctus Rhabanus noster, quantumvis Fuldensis Abbatiæ onere pressus, tantum tamen abest, ut à consuetis studijs nonnihil remiserit, ut potius tanto maiore studio eadem, jam quasi facta sibi expensarum copia apud omnes promoverit, quos ipse, non solum in sacris litteris, sed & sæcularibus, sedulo erudivit. Nec Fuldenses solum Monachos, sed etiam ex diversis locis aliis, ad se transmissos, in omni genere doctrinæ discipulos instituit. Factumque est Trithemio ex vita eiusdem Rhabani, per Meginfredum scripta, exscribente, *ut non solum Abbates Monachos suos, sed & Nobiles Terræ filios suos Rhabani docendos Magisterio subdiderint.* Pergit de docendi ratione disserere. *Fuere tum in eo Cœnobio Monachi centum quinquaginta; Doctissimi eorum dicebantur Seniores (erant verò duodecim) cum quis sive ad aliud Cœnobium missus, sive morte sublatus fuisset continuo ex Doctioribus, & Sanctioribus alius in eius locum, Rectoris, & Seniorum electione constituebatur. Legebant singulis diversarum facultatum singuli. Decimus tertius (ut tum Rhabanus) erat principalis Magister, & omnium lectionum deputator. Id maxime observabant ut, cum litteris virtutis amorem, & Mundi quoque contemptum instillarent, nec se multum discipulis profuisse arbitrabantur, nisi inter docendum, virtutem quoque persuasissent. Quod quidem Rhabano non in more fuit, sed & facillimum, quod, cum eloquentia valeret, ad persuadendum esset* poten-

*potentissimus. Quod si quem pravis moribus deditum, & ab honestate morum abhorrentem cognovisset, tanquam profanum, & bonis artibus abusurum, aditu Lycei sui prohibuit.*

Fuit illud etiam Rhabani nostri, de patria meritum singulare, magna cum nominis sui gloria, tum Germaniæ emolumento, *Primum eidem Græcas litteras invexisse*, quod minimè ignoraret omnes ferè artes elegantiores à Græcis vel inventas, vel excultas, ac proin è re litteraria maximè futurum, si easdem cum Latinis coniungeret. Vt proin non immerito hoc tribuat Trithemius Doctori tanto. *Nec Italiam Rhabono, similem, nec Germaniam æqualem vidisse.* Ex Trith. Weisl. &c.

*A. C.* 838. *S. P. N.* 358.

CLaret hoc tempore Lupus Ferrariensis Abbas, vir doctissimus, & spectatissimus, Ludovico Imperatori, sed & Carolo Iuniori longè charissimus, de quo consulas velim hoc eodem anno Baron. Debet circa hoc tempus salutem suam Corsica Insula Gregorio nostro Summo Pontifici, à Saracenorum incursionibus liberata. Bello quippe à Corsicæ Principe in Africam illato, domum se ad sua tutanda, ipsum omnesque, qui eius sequuti auspicia redire coegit: ut proin difficillimis temporibus redditum sibi Principem, & sua defensa, nostris ditio, & provincia amplissima debeant, agnoscantque. *Ex Wion, &c.*

Ex Monacho, & Abbate Laurissensi fit Episcopus VVormatiensis Samuel, de cuius laudibus. *Vid. Demochares, aliique.*

Moriturus doctissimus Gozbertus Divi Galli Abbas, cuius inter ingenij monimenta liber de vita S. Galli compositus. Claret virorum doctrina, & Sanctitate ex Ordine nostro, illustrissimorum copia ingens. Const. Bened.

*A. C.* 839. *S. P. N.* 359.

RUrsum de Gallia meretur amplissimè Sanctissimus Papa noster Gregorius datis gravissimis ad Galliæ, & Germaniæ Episcopos litteris, quibus Ecclesiis eorundem consuluit, & gravissimas disenssiones composuit. Est vero Epistola eadem à Baronio tanti facta, ut solam toti huic anno Ecclesiastico sufficere censeret, & sanè inter merita præcipua, de universo, Gregorii nostri adscribenda, utpote ex qua Gratianus noster lucidissimus ille Canonistarum Phæbus, complura summo sæculorum omnium bono, volumini suo Decretorum miscens, Orbi propinarit.

Hirsaugiensi Cænobio primus statim Abbas famam longe lateque celeberrimam comparat, unde & Cænobii incrementa immodica consequuta. Erat enim, inquit Trithemius, *Lintbertus, vir multum reverendus, Regibus ac Principibus notus, & familiaris qui semper ex eo, quo Monasterium ingressus est, non solum irreprehensibiliter vixit, sed quod amplioris censetur virtutis, tantæ sanctitatis emicuit, ut omnibus veræ perfectionis, in sua conversatione præberet exemplum.* Et paulo post, quinam Exemplum hoc fructus consequutus subiungit: *fama Sanctitatis eius, & eruditionis eius, se per omnem circa regionem diffundente, multi viri nobiles filios suos Magisterio eius instituendos tradiderunt. Complures etiam ex his qui clari apud homines in sæculo videbantur, ultro se eius disciplinæ propter amorem Regni cælestis subdiderunt, unde numerus fratrum brevi auctus valide cæpit crescere, & substantia temporalis multorum oblatione dilatata fuit.* Chron. Hirsaug.

*A. C.* 840. *S. P. N.* 360.

DEbet hoc anno Ecclesia Universa ingentem thesaurum Monachis nostris repertum, corpus nimirum Sanctissimi Apostoli Bartholomæi, quod olim loculo plumbeo injectum, & in mare mersum à paganis, non ferentibus illud propter nimiam signorum claritatem, ab omnibus venerari, ab India usque ad Liparam Insulam ultro fuerat delatum. Cujus ossa modo à Saracenis huc illucque dispersa, Monachus denique, Anonymum dolemus, ipso revelante, meruit invenire, colligere, & bono publico, veneranda proponere. *Ex Leone Ostiensi.*

Eodem anno Trithemius noster, in laudem Ordinis erumpens, sic ait: His temporibus, claruerunt in Ordine nostro Benedicto, multi celeberrimi viri, Sanctitate Scripturarum insignes, qui velut

velut astra cæli totam Ecclesiam moribus, & doctrina multum illustrarunt, &c. *Videatur Chron. Hirsaug.*

*A. C.* 841. *S. P. N.* 361.

HAymonis viri Sanctissimi, & Doctissimi incredibili fulgore rutilat mundus universus, & meritis copiosissimis turgescit. Is hoc anno ob eximiam virtutem è Cænobio Fuldensi extractus, & Halberstadiensibus Episcopus præfectus est. Præcipuus vulgo Homiliarum Declamator celebratur, Alcuini primum auditor, exin doctissimos inter sui temporis viros numeratus, Scripturarum inprimis sagacissimus interpres. Sanctitatem etiam eximiam doctrinæ coniungens, composuit in omnes libros Testamenti utriusque dignissimos commentarios, pietate, brevitate, dictionis simplicitate ac perspicuitate laudatissimos, in quibus, quæ à veteribus interpretibus, vel erant scripta doctis obscurius, vel apud populum dicta fusius, egregio sane omnium commodo in compendium redegit, adeo perspicua, & lucida brevitate, ut & ab occupatis parvo temporis dispendio legi, & à simplicibus leviterque litteratis facillimè intelligi possint. Versatus autem est fermè semper in Allegoricis, & Anagogicis sensibus: quos veluti spiritualis apicula, ex *omnium antiquorum hortis ac pratis* florentissimis decerpsit, quo legentibus universis esset parata saluberrimi mellis copia. *Vid. VVionius.*

Eodem anno ex Monacho, & Abbate inferioris Altaichiæ in Baioaria, fit Episcopus Herbipolensis Gotvvaldus, sive Godeboldus. *Demorh. Bellforest. &c.*

*A. C.* 842. *S. P. N.* 362.

SVeviæ Regno amplissimo, novum jubar exoritur, Sanctissimus Stephanus, ex Corbeiæ Saxonicæ Monacho, Vpsalensis Episcopus. Hunc prædicandæ fidei zelus, ita succendit impulitque, ut relicta Vpsalia, ubi nulla propagandæ fidei spes supererat, ad Helsingos se, Suecorum ultimos, conferret, quos suis prædicationibus maxima ex parte adducens, primus eorundem & præcipuus Apostolus meruit appellari, *Vid. Ioan. Magnus de Vita, & gest. Pontif. Vpsal. & alii.*

Ad cælos transijt eodem anno Sanctus Hildemannus, 8. Decemb. ex Monacho Corbejensi Belovacensis Episcopus. De eo *Surius in Vita S. Adelhardi, Molan. in Natal. Claud. Robertus, Flodoardus, &c.*

*A. C.* 843. *S. P. N.* 363.

ARrectæ omnium aures dum Strabum nomino: tanto is Nomine est, ut vel auditus, eruditorum omnium animos percellat. Is Fuldæ, Augiæ, & ad Divi Galli celeberrimis per universum Scholis, facem, stupente ad insolentiam luminis universo, prætulit, & si nulla re alia, maiore tamen, & digniore meruit, quam ulla ætatum consequentium facundia eloquatur, compottata (cum humanis litteris apprimè eruditus esset, & Sanctarum Scripturarum lectione dives) ex opusculis & scriptis Sanctorum Patrum Glossa, quam vocant Ordinariam. Tanto magis, ab omni posteritate colendus, & suspiciendus, quando, & primus invenit, & tam pulchro ordine collegit coegitque. *Sixtus Senensis, Trithem. Brovverus, &c.*

Tristissimus idem annus Ecclesiæ Vniversæ obitu Sanctissimi Papæ Gregorij nostri IV. ob merita ingentia in hodiernum usque diem celebratissimi, quæ fuse commemorat Anastasius & plurima inter etiam Beati Petri Apostoli Basilicam, vetustate collapsum restaurasse, atque exornasse. *Vid. Baronius, &c.*

*A. C.* 844. *S. P. N.* 364.

ITerum qui Episcopatus initia nostris debebant, debent hoc anno Archiepiscopatus amplissimi, & potentissimi originem ijdem Bremenses Sanctissimo Anschario sive Ansgario nostro, hoc ipso anno primo Bremensis Ecclesiæ Archipræsuli designato. Vt denuo novum decus Germaniæ & Saxoniæ, ita merentibus nostris accesserit. *Alb. Abb. Stadens. Cranzius, Trith. &c.*

Obiit eodem anno Alphonsus vulgo castus Asturum, & Legionis Rex ex Monacho S. Facundi invitus ad Regnũ

dispensatione Pontificis extractus, Votorum, ut poterat, pertinax custos *Virgo* nimirum Cœnobio egressus, *Virgo* in ævum permansit, proinde & Numini charus, summa felicitate, Asturiis, & Legionibus annis omnino quadraginta, & uno præstitit, multis contra Mauros, prospero successu præliis fortunatissimus. *Gonzaluus Illescas Abbas S. Thomæ l. 4. aliiq́; &c.*

*A.C.* 845. *S.P.N.* 365.

OBstupescat rursum necesse est Historiarum peritus, vel amans, quicunque legerit Hincmarum hoc anno, Benedictinis deberi, cui noverit tantum reverentiæ Imperium, & Galliæ imprimis Regnum debere: ut nihil nunc libeat dicere, sed cum cæteris mirari. Extant plenæ nomine Hincmari Bibliothecæ, ut Hincmarum satis superque deprædices, si vel solo suo nomine appelles. Trithemius brevi elegio Maximum deprædicat, dum in tanta hoc tempore Doctorum nostrorum copia, virum dicit, in Divinis Scripturis. Singulariter doctum, & in sæcularibus litteris nulli suo tempore secundum. Electus proin hoc anno exigentibus meritis, à clero, à populo, & Concilio (Bellovacensi) universo Rhemensis Archiepiscopus, Ecclesiæ eidem multis annis strenuè consuluit. Vid. Frodoardus, Gordon. Baron. Contractus, &c.

Nec minor auctoritas aut fama Hilduino, Hincmari Abbatis, Archicapellano sive Antistiti sacro Palatij Imperatoris Ludovici Pij de quo & pro quo plura amantissimus filius Hincmarus idem: quem Trithemius in Divinis Scripturis eruditissimum, & in sæcularibus valde peritum, metro & soluta oratione excellentem commendat. De utriusque Hilduini, & Hincmari scriptis idem consulatur. Agobard. Bell. Flodoard. Claud. Rob.

Meminit hoc anno dignissimæ ultionis, Baronius, qua S. Maurus noster Fossatensis Cœnobij usurpationem gravissimè ultus est, metuendo planè Abbatibus commendatariis exemplo. Acceperat Cœnobium idem à Rege Francorum Guidulphus Ravennas, ne nullo dante, seu annuente invasisse arbitraris, ita ut expulsis inde Monachis, ac prophanato loco, etiam in convivio jactitaret, quæ impiè fecisset. *Visus illico super Mensam astare Sanct. Maurus ferulam manu gestans, qua illum validè in caput, & ventrem calce forti conamine percussit; qui illico amens effectus, inclamare cæpit, Maure tu me interficis, cumque hæc atque alia cunctis qui aderant audientibus, frequenter repeteret, effusis intestinis infelicem finivit vitam.* Vid. Odo, & Baronius. Grande hoc meritum Sanct. Mauri nostri, etiam pridem cælo recepti, modo essent, qui sibi non blandientes, judicium DEI in solo Guidolpho exercitum, non missum sibi exemplum judicarent.

*A.C.* 846. *S.P.N.* 366.

ADmirandum iterum Sydus, quod vel solum toti sæculo suffecisset, hoc anno Freculphus effloruit, Lexoviensis ex Monacho Fuldensi Episcopus; quem tanti ipse quoque Rhabanus noster Archimagister fecit, ut lucubrati in Genesim operis honorem, inscriptione sua eidem detulerit. Illud eius immortali omnium admiratione laboriosissimum, & dignissimum opus, quo septem voluminibus, ab exordio mundi, usque ad Nativitatem Salvatoris rerum gestarum tam Gentilium, quam Iudæorum Historiam contexuit. In quo etiam opere multas Divinarum Scripturarum difficiles quæstiones subtiliter enodavit. Scripsit & alia plura, quibus æternum de litteratis meruit. Vid. Trith. Claud. Rob. &c.

*A.C.* 847. *S.P.N.* 367.

FElicissimus sanè Orbis, novo Pontifice, cuius electio ipsa miranda fuit, quod optimo Pontifice mortuo Sergio III. ipsa eadem die uno omnium, consensu felicissimè successerit. Is Leo noster Quartus eo nomine, fuit, gente Romanus, Rudolpho Patre, Sanctorum Silvestri, & Martini, Congregationis primæ Benedictinæ, Monachus dein Cardinalis Presbyter Tituli SS. quatuor Coronatorum, vir gestis præclare in Pontificatu planè Admirandus. Inchoavit primo statim Anno dignitatem, quam invitus renitensque susceperat, meritis sanè ipsa æternitate nunquam satis deprædicandis, quorum illud

lud ut singulare, sic primum à Baronio, Bisciola, aliisque celebratur. Vindicata nimirum in libertatem Romani Pontificis electione Lothario, & Ludovico, vindicantibus sibi electi confirmationem, quibus constantissimè obsistens Leo, evicit denique ut consenserint, ne electio nisi ex Canonum præscripto fieri deberet. Extat huiusmodi decretum eiusdem Pontif. ad eosdem Impp. his verbis: *Leo IV. Lothario, & Ludovico A. Inter nos, & vos pacti serie statutum est, & confirmatum, quod electio & consecratio Rom. Pont. non nisi iustè, & canonicè fieri debeat, &c.* dist. 63. c. 31. Vt proin Leoni æternum debeat Rom. Ecclesia, & Pontif. Rom. universi: neque hi solum, sed & omnis Augustorum posteritas, ac Cæsarum Maiestas, quibus vice versa, suo & Pontificum successorum nomine pollicitus est, illibata Imperii iura, & nunc, & in ævum conservanda, &c. Insuper Romanorum civium memor Pontifex ab Imperatoribus iisdem impetravit, ut antiquis legibus vivere permitterentur. Vt nihil à Pontifice maius, dignius, aut utilius requirere quisquam, seu exspectare possit.

Neque hic anni unius, & primi merita substitere; accessere prodigiosa, quibus mirificè profuit atque pestiferi basilisci metu, & exitio Vrbem liberavit, Processione solemni indicta, intrepidus ipse tantus Pontifex ad specum accedens, unde pestifera illa afflatio erumpebat, sublatisque in cælum manibus, oratione pestem bestiamq; conficiens. Pari felicitate incendium per ædes Saxonum, & Longobardorum D. Petri Basilicę imminens, solo adhibito crucis signaculo, furentium flammarum impetum illico dissipavit atquo extinxit. Quæ duo, quod in die Assumptionis B. M. V. & eius octava perpetrata fuerint, is postea, ut festus celebraretur ab eodem præceptum, sed & cum octava, sic vocitant, institutum est. Platina, VVion, &c. Mirum verò, ait Baronius, & Bisciola, quot, quanta, & quam pretiosa ornamenta ex auro, argento, & gemmis contulerit, unus hic Pontifex noster S. Petri Basilicæ, & S. Pauli, à Saracenis direptis, & spoliatis, ut gestis tanti viri obstupescamus. Vid. Anastasius.

Eodem anno, mortuo Moguntiæ Otgario Rhabanus Maurus noster Fuldensis Monachus creatur Archiepiscopus, sæpius pro dignitate memorandus. Brovver. aliique; Fuld. Trithem. &c. Inchoavit is, uti Leo Papa Pontificatum peregregiè gestis. Concilio imprimis celebrato, quo rem Ecclesiasticam mirè iuvit. *Baron.* Bisciola, &c.

Floret eodem tempore Hetti Treverensis ex Mediolacensi Monacho Pontifex, ut videas omnes ferè, & florentissimas cathedras, nostrorum opem ac operam exambivisse. Trithemius, &c.

*A.C. 848.* *S.P.N. 368.*

ITerum Rhabanus noster indicto Moguntiæ Concilio, ad quod famosissimi doctrina ac Sanctitate confluxere Pontifices, omnes ferè è Monachis assumpti, universæ Ecclesiæ profuit immortaliter, impiissimo Godscalco Hæresique eius nefaria condemnatis, aliisque plurimis ad bonum, & decorem Ecclesiæ constitutis. Trith. Pithæus, Baron. &c.

*A.C. 849.* *S. P. N. 369.*

QUid vero de meritis rursum Sanctissimi Papæ nostri Leonis dignè dicamus, anxij prorsus hæremus, rursumque obstupescimus. Is hoc anno tribus classibus coactis, Neapolitana, Amalphitana, & Caietana in urbis subsidium, Romanas copias, nulla re magis, quam Divinis Mysteriis armatas, in Mauros seu Saracenos immisit; & pii pieque administrati belli felix exitus fuit. Navali pugna Sarracenis ad Ostia Tiberina superatis, Victoria insignis est relata. Miræus, Baron.

Efflorescit mira nominis celebritate Einhardus sive Eginardus ex Imperij Cancellario Monachus, & Abbas denique Selgenstadensis, vir doctus, & Religiosissimus, inter alia eruditionis monimenta scripsit gesta Magni Imperatoris Caroli uno volumine, Historiam quoque sui temporis, & alia quędam, quibus se non modo Latinæ linguæ, sed etiam Græcæ peritum ostendit. Trith.

Sed & Angelomus Luxoviensis Monachus in exponendis Scripturis Divinis, hoc tempore doctissimus apparuit. Vid. Chron. Hirs.

*A.C.* 850. *S.P.N.* 370.

LEo Pontifex victis hostibus Ecclesiæ, Divi Petri Basilicam, ab iisdem dirutam, reparare cœpit, novoque ad usum rei Divinæ, eoque magnifico Campanario exornavit, & ne eiusmodi imposterum, obnoxia impressionibus ac direptionibus esset, accumulans meritis merita, Vaticanum ipsum munire, & lapideis muris sepire instituit. Mox convocata Romæ Synodo Anastasium S.R.E. Cardinalem Tit. S. Marcelli, ex eo maxime, quod Parochiam, contra veterum Canonum statuta, quinquennio deseruisset, honore dejecit. Platina aliique Gest. Pont. Scrip. VVandelbertus Prumiensis Monachus inter Scriptores enitet, Auctor Martyrologij Metricè scripti, opera Molani cum notis editi Anno 1573.

Nobilitavit hoc anno illustri Martyrio Ecclesiam Sanctissimus re & nomine Perfectus Cordubensis Cœnobii S. Aciscli Monachus. *Is cum nobili eruditione, Ecclesiasticisque disciplinis institutus, & Arabici sermonis usu litteratè peritus*, (verba Martyrologii Benedictini sunt apud VVionium) *eam ob causam Mauris notus esset, de Christo, & Mahomete testimonium proferre aliquando iussus, expositis, exaggeratisque nefariis istius facinoribus, explosaque doctrina: Christi Divinitatem libere professus, à Maurorum cohorte comprahensus, ad Iudicem raptatur, cuius iussu compedibus vinctus; in ergastula truditur; ubi in Vigiliis, jeiuniis, ac orationibus frequens, Spiritus Sancti virtute roboratus, liberius fortiorique animo sententiam suam confirmavit. Itaque multis post mensibus è carcere eductus, constantissima Christi confessione Mahometis cultum detestans, gladio percussus coronatur.* De eodem Martyrol. Romanum.

*A.C.* 851. *S.P.N.* 371.

ADulphus Angliæ Rex vulgata Leonis Pontificis Sanctitate permotus una cum filio Romam venit, à quo benignè exceptus, cum ad Basilicam S. Petri adisset (ecce quid iterum Sanctitati tanti Pontificis debeat Ecclesia?) Regnum suum Tributarium Ecclesiæ Romanæ constituit, singulis familiis nummo aureo in singulos obligatis. VVionius aliique. Mauri constantia perfecti Monachi irritati, in odium Christiani nominis exarserunt. Eorum autem, qui hoc ipso anno egregie Martyrium consumarunt, historiam S. Eulogius noster præsens inspector sincerissime scripsit in libro, cui Titulum fecit; Memoriale Sanctorum, &c. Primus hoc anno passus S. Isaac exceptoris officio, sed & genere nobilis, demum omnibus relictis Monachus; rursum alii sex Monachi Petrus Sacerdos, VValabonsus Diaconus, Habentius, & Hieremias mox etiam S. Theodomirus; neque viri solum, verum, & virgines Maria, & Flora, quarum tamen prior solum sacra Deo fuit in Cœnobio nostro de Cuteclara. Videndus fusius de his omnibus agens Yepes noster, & Baronius, &c.

Walafridi Strabonis nostri relicta ingenii monimenta commendanda, quando non pauci sunt, qui eum jam morte subtractum, ante Magistri sui Rhabani Mauri obitum contendant: quamvis non nemo Strabones duos numeret, & ratio temporum, sed & gestorum subinde varietas, idem prodere videantur. Verum utrumque Fuldæ egisse extra controversiam est, nos de Augiensi Monacho, & qui præfectus denique Augiæ Abbas est, hoc loco agimus. Ornavit vero sæculum, & Ecclesiam ipsam sequentibus fere laboribus.

Glossa Ordinaria Moracensi laboris opere.
In Genesin Comment. lib. 1.
In Exodum Comment. lib. 1.
In Leviticum Comment. lib. 1.
In multos item alios Bibliorum libros comment. lib. plur.
In Numeri comment. lib. 1.
In septem Epistolas canonicas. lib.

Scripsit insuper comment. & explicationes.
In Epistolam S. Hieronymi ad Marcellam de Hebraicis nominibus.

Eius item opera alia.
Eclogæ Tractat. in Psalter. Volu. 1.
Vita S. Galli. lib. 2.
Eadem vita metrice. lib. 1.
Vita S. Othmari. lib. 1.
De officiis Divinis, sive de exordiis, & incrementis rerum Ecclesiasticarum liber unus passim excusus. Romæ, Venet. Paris. Colon.

De

De comparatione mundanarum, & Ecclesiasticarum dignitatum. l. 1.
Epistolarum ad diversos. lib. 1.
Opus integrum Vitæ S. Mammetis Martyris & Monachi, visionis Wettini, & Epigrammatum extat tomo 6. Hen. Canisij.
Hortulus eiusdem ad Grimaldum Abb. S. Galli lib. 1.
Tractatus de subversione Hierusalem in cap. 19. Lucæ.
Chronicon Fuldens. quod tamen non perfecit.
De Arithmeticis dimensionibus libellus.

Vt unius rursum Monachi, ex tot millium, quos præterimus, saltem labores videas, atque inde reliquorum liceat æstimare. Ex Const. Ben.

*A. C. 852.* *S. P. N. 372.*

CÆlum ipsum gaudio implent, & gloriosissimo triumpho felicem Ecclesiam exornant, purpurati, & laureati Martyres nostri SS. Gumesindus, Servideus, Christophorus, Leovigildus, Emila. Ieremias & Rogellius, de quibus fusè Yepes, Baronius, & Rerum Hispan. Scriptores, &c.

Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, de quo superius, fama per universum vulgatissima, sed meritum multo majus, cujus lucubrationes sub hæc tempora, ad debellandam extinguendamque Godescalci Hæretici Hæresim pertinaciamque Frodoardus commemorat. Agnovit meritissimum de Ecclesia eundem Leo Pontifex, & usum pallij quotidianum, rara concessione, uni huic singularem voluit, eamque ob causam Hincmarum idem Leo monuit privilegii rarissimi; se nulli unquam antea, Archiepiscopo usum ordinarium, & quotidianum pallij concessisse, nec in posterum ulli unquam concessurum, &c.

*A. C. 853.* *S. P. N. 373.*

NON Hispania solum hoc anno, sed insuper Gallia, nostrorum sanguine purpuratæ, iucundissimum cælo spectaculum exhibent, terrasque felicissimo rore fæcundant. In Hispania quidem, constantia tortores vincunt, & gloriosissimè occumbunt SS. Fandila, Anastasius, Felix, Dina, Columba, Pomposa, aliique è nostris. In Gallia autem, multo maiore numero cum Normannis zelo fidei, non armis, congressi, uno in Turonensi Cænobio Centum viginti Monachi, gratissima Deo victima, cadunt. Vid. Yepes. Leonis nostri gloria singulis per Pontificatum annis aucta: gravissima hoc inprimis anno accessione: Celebrato nimirum Romæ Concilio 67. Episcoporum, quo mirum in modum Ecclesiæ consuluit universæ. Extant Canones numero 43. ex quibus maximo universi bono nonnullos in Corpus Canonum Gratianus noster retulit. Baron. &c.

Præter Principum plurimam copiã, purpura rejecta cucullo splendidam salutem in eodem quæsiere optimi Principes sub hunc annum, Pipinus Aquitaniæ Rex, & germanus eius Princeps Carolus, ille S. Medardi Suessionense, hic Corbeiense Gallicum ingressus, ut planè perpetuo plurimum debeãt Provinciæ, & Regna universa Ordini nostro, Principes de se optimè meritos, post multos deniq; labores, ad sanctam quietem recepisse. Yepes, &c.

Moritur splendor Ecclesiæ militantis egregius, & Cælo inseritur B. Haymo Halberstadensis Ecclesiæ Episcopus, cuius præclarissima opera saltem hiç numeranda.

Commentaria,

In quinque libros Moysis. lib. 1.
In Iosue. lib. 1.
In Iudicum. lib. 1.
In Ruth. lib. 1.
In Regum. lib. 1.
In Paralipomenon. lib. 1.
In Tobiam. lib. 1.
In Esdram & Neemiam. lib. 1.
In Judith. lib. 1.
In Hester. lib. 1.
In Job. lib. 1.
In Psalmos excusa Friburgini in fol.
In Isaiam, & Hieremiam, Ezechielem, Danielem, XII. Prophetas, & Cantica Canticorum excus. Colon.
In Epistolas D. Pauli interpretatio impress. Parisiis.
In Apocalypsim. libri 7. excusi Parisiis.

In Evangelia Homiliarum. Tomi duo. Antverp.
In Actus Apostolorum. lib. 1.
In Epistolas canonicas. lib. 7.
De varietate librorum. lib. 3.
De Mundi voluptate. lib. 1.
De Sancta Trinitate. lib. 1.
De Christianarum rerum memoria. lib. 3.

*A.C. 854.* *S.P.N. 374.*

LEonis Pontificis suo loco, dignæ memoria, & gratitudine æterna, res gestæ celebrandæ, quas inter unum pro mille numeramus, Centumcellense oppidum, ante quadraginta annos à Saracenis eversum, eiusdem expensis, & labore, opportuniore etiam loco, ob aquarum copiam restauratum, & à suo nomine Leopolim appellatum, ut paulo post maximarum Vrbium, & munitissimorum locorum præsidia à nostris majore ex parte extructa, seu restituta videamus. Ecclesias ibidem extructas locupletasse insuper, & ornasse Anastasius commendat. Vid. Baron. In Anglia, præter eos quos ob multitudinem ne suspecta sit, sed & ob numeri extensionem numerare non licet, claret admiranda Sanctitate Sanctissimus Suuithunus, Wintoniensis Episcopus. Vid. Sur. t. 4. 2. Iulii. Apud D. Galli Helvetii viri doctissimi æquè ac Sanctissimi clarent, B. Yso, B. Marcellus, B. Marcus, ex Episcopo Scotiæ ibidem Monachus, de quibus fusè in Constantiæ nostræ Benedictæ tomo 2.

Potentissima Tigurinorum civitas constructo ibidem jam pridem Cænobio, atque eo multis propter nostros confluentibus, maximis incrementis surgit, præest ibidem ordinem nostrum professa Hildegarda Ludovici Germaniæ Regis filia. Ita eodem anno originem suam Tigurum, sive Tigurinorum nostris, Metropolis debet lib. cit.

*A.C. 855.* *S.P.N. 375.*

STupescente rei novitate universo Lotharius III. Occidentis Imperator Augustus cum annis quindecim Imperatorio munere functus fuisset, in portum se Religiosæ quietis in Cænobio S. Salvatoris Prumiæ agri Trevirensis recepit, & conclusit. Bar. & Hist. Mon. script. omnes. Ita Bisciola ex Baronio. *Eodem anno Imperator Lotharius, relicto Imperio atque Regno diviso, Ludovico Italiam, Lothario Regnum quod in Francia possidebat, dedit, præter provinciam quam Carolo tradidit; cæterisque rebus cunctis, benè dispositis, abdicans se ab omnibus humanis curis, Prumacense ingressus est Monasterium, ubi coma deposita habitans, Sanctæ Religionis habitu accepto fit Monachus.*

Lugente Ecclesia valedicit mortalibus Leo noster, Pontifex, si quis ullus alius vere Maximus cuius alia merita, quæ in certos annos referre non licuit, explicavit Baron. & Anast. Præter plura Concilia eius jussu, & approbatione celebrata, præter novam civitatem à se conditam, in quam Corsorum Coloniam induxit, originem eidem debent Hortana, & Amerina civitas, sane agnoscant oportet, se munitas, & auctas. Vicum etiam Sardis, Sardiniam Insulam relinquere compulsis habitandam dedisse, indeque loco celebritatem ex innumeris pauca quæ referimus. Eidem & vitam & opes, multis nominibus Itali debent, de quibus alias.

Obiit eodem anno Galliæ ornamentum præstantissimum S. Folquinus, ex Monacho Bertinensi Tarvanensis, sive Morinensis Episcopus, de cuius actibus gloriosis, multa admiranda narrantur. Ex Mon. Bertius, Yepes, &c.

In Hispania etiam pro Christo rursum nostri, & pro Ecclesia sanguinem expendunt, interque alios inprimis S. Petrus, prædicationi, & conversioni gentium deditus, merito Apostolis accensendus Morales, Yepes. Alph.

Claret S. Adventitius ex Abbate S. Arnulphi Metensis Episcopus. Vid. Cler. Robert. Vasburg. Tillius, Aymoinus.

*A.C. 856.* *S.P.N. 376.*

AMplissima Martyrum seges, & ea inprimis germinat Ecclesia atque augmentatur. Protulit hoc plures Hispania; quos inter Principes numerantur. S. Elias, S. Paulus, S. Isidorus, S. Argimirus, & S. Aurea, quorum triumphos Morales, & Yepes æternitati scriptis suis commendaverunt.

S. Hi-

S. Hieron noster Apostolico apud Frisones intendens muneri, plurimis ad fidem conversis Martyrii laureolam meretur. Nec desinit quidem in hanc usque diem mereri, quando beneficio eiusdem plurimi res perditas, prodigiosè recipiunt; Vnde & dies eius festus Hollandis inprimis notus est & celebratus. Notat prodigium versus antiquior.

*Rebus in amissis Ieron sæpissime fulget.*

Inquit, Molanus, Miræus, Stēgenus.

Obiit hoc anno Bassatius testatæ sapientiæ, & Sanctitatis Antistes, Casinensium Abbas. Eius sollicitudini, & curæ debetur Campania à Saracenis liberata, cum ipse profligādis iisdem Ludovicum Imperatorem Casinum è Gallia deduxit. Substitutus admiranda Sanctitate clarissimus Regia Gallorum familia oriundus S. Bertharius, cuius, exigente virtute, alias memoriæ consulendum. Eodem pariter anno Illustrissimus ille Germaniæ Phæbus, doctissimus æquè ac Sanctissimus Rhabanus Moguntinus Archiepiscopus terris occubuit, cælo splendidior exortus; cui debetur ab universo Expositionis Sacræ Scripturæ quæ Isogrammatica vocatur, id est Æquilitteralis Inventio. Et quidem labore ingenti, hac scribendi ratione absolvit Commentariorum libros omnino centum, atque octo supra septuaginta, quos ex omnibus Latinis Patribus continuata serie à Hieronymo usque ad Bedam collegit, servatis ubique ipsorum dictis ac sensibus, & in his locis in quibus Patrum expositionē non invenit, propriis explanationibus usus est, notatis in fronte paginarum tam suo quam aliorum interpretum nominibus, & quid ab eis haberet, & quo iudicio singula forent legenda. Eorundem librorum placet Syllabum pertexere, ut ex eo unius Monachi labores æstimemus.

Commentariorum,

In Genesin incipit: Magnorum virorum, &c. lib. 4.
In Exodum. Inter cæteras scripturas. lib. 4.
In Numeros. Numerorū librum. l. 4.
In Deuteron. Diversis igitur. lib. 4.
In Leviticum. Sequentis libri. lib. 4.
In Ecclesiasticum. Sciens benevolam. lib. 10.
In Ieremiam. Post commentariolos. lib. 18.
In Threnos. Vltimam partem. lib. 3.
In Iosue. Domino beatissimo. lib. 7.
In Iudicum. Post mortem Iosue. li. 2.
In Ruth. Scrutantibus ergo. lib. 1.
In Regum. Fuit vir. lib. 4.
In Paralipom. Adam. &c. lib. 4.
In Esdram & Neemiam. lib. 3.
In Iudith. Domine electe, & merito. lib. 7.
In Hester. Quem, &c. lib. 1.
In Tobiam. lib. 1. In Iob. lib. 1.
In Psalmos. lib. 1. In Proverbia. lib. 1.
In Ecclesiasten. lib. 1. In Cantica. li. 1.
In librum sapientiæ. lib. 3. In Ezechielem. lib. 1.
In Danielem. lib. 3. In 12. Prophet. min. lib. 12.
In Machabeorum. lib. 3. In Matthæū. lib. 8.
In Lucam. lib. 3.
In Marcum, lib. 4.
In Ioannem. lib. 1. In omnes Epist. Pauli. lib. 23.
In Epistolas canonicas. lib. 7. In Apocalypsin. lib. 1.

*Iam opera eius reliqua numeremus:*

De corpore, & Sanguine Domini. lib. 1.
De Naturis rerum. lib. 5.
Dictionarium mysticarum significationum ad spirituales Sanctorum voluminum sensus intelligendos lib. 1.
De virtutibus, vitijs, Cæremoniisq; antiquæ Ecclesiæ. lib. 1.
De rebus gestis à Lothario, Ludovico, & Carolo Impp. Ludovici Pij filiis carmine Heroico libri plures.
De Vniverso ad Haymonem Episcopum. lib. 22.
De Vniversali natura. lib. 1.
De signis Nativitatis Domini. lib. 1.
De virtutibus Numerorum. lib. 1.
De origine rerum. lib. 1. De computo Dialog. lib. 1.
De quæstionibus Canonum. lib. 1.

Canonum pœnitentialium ad Reginbaldum. lib.1.
De benedictionibus Patriarcharum lib.1.
Sermonum innumerabilium ferè. lib.1.
De Sacramento Eucharistiæ. lib.1.
Epistolarum ad diversos. lib.1.
De Divinis officiis. lib.1.
Convivium Dei ad Ludovicum Imperatorem. lib.1.
De Christiana fide. lib.4.
De Institutione Clericorum. lib.3.
Revelationum. lib.1.

Opus deniq; illud admirandũ prorsus, & profundissimæ doctrinæ, & ingenii eruditissimi, subtilissimique æternum monimentum, quod de S. Cruce composuit. Prȩter universalia merita quibus demereri Ecclesiam studuit universam: non Germani solum, verum Galli eidem plurimum debent, ob Academiam Lutetianam, à nostris primum excitatam, ab hoc verò Rabano nostro ad summam perfectionem atque omnis subtilioris eruditionis cumulum apicemque perductam. De Rhabano sic in Fuldensibus Antiquitatibus: inter alia Brovverus. *Nullius omnino liberali homine dignæ facultatis artis expers, ferè nemini concessam hac ætate excellentissimæ doctrinæ palmam obtinuit; immenso quippe captu, vastoque librorum complexu, docendo, dictando, scribendoque Divinos apices totis dispersos Bibliorum membris rimatus, portentosi ac fœcundissimi ingenii merito nescias utrum illi plus decoris librorum conscriptorum auctoritas, quam profundæ atque inexhaustæ mentis admirabilitas adiecerit. Vnde cum publico Fuldæ docendi fungens munere, explicaret itidem immensi ingenii sui divitias, facilè vicinorum non solum, sed & remotiorum, in tanto Gymnasii Splendore, ad se studia, atque ora convertit: ut concursus etiam audiendi causa ad eum ex tota Germania, Galliaque fierent, &c.* Sed de Rhabano satis, cui nescimus an plus Orbis debeat pro doctrina, an pro ornamento, quod sibi, eo Præsule, accessit Moguntia.

A. C. 857. S. P. N. 377.

NE cedere quidquam Rhabano præclarè gestis successor in Archiepiscopatu Moguntino Carolus noster, Pipini Regis filius, ex Rege Aquitaniæ Corbeiæ Gallicæ Monachus videretur indicta Moguntiæ Synodo, Rei Ecclesiasticæ egregiè consuluit, & nomen sibi Ordinique percelebre, ac æternum comparavit. Vid. Baron. Binius. &c.

Initia circa hæc tempora percelebris loci, Episcopicellæ, vulgo Bischofszell, nostris debetur, & sub eosdem ferè annos oppidi munitissimi Cellensis alterius, ad lacum inferiorem Bodamicum, ut conditarum Vrbium Titulus iure Sanctissimo Legislatori nostro Benedicto adscribatur, cuius filiorum hæredũ in gratiam, sive eorundem opera, alibi probabimus, Vrbium, Oppidorumque millia condita, seu restituta, toto orbe extitisse. Vide Const. Bened.

A.C. 858. S.P.N. 378.

COpulatas hoc anno Bremensem & Hamburgensem Episcopales Cathedras S. Anschario nostro Germania debet; Cuius rei privilegia diligenter asservari in Bremensi Ecclesia, Ansgarium quoque ipsum, & Successores eius (ecce quid Successores Episcopi Antecessoribus suis Monachis debeãt) Legatos, & Vicarios Apostolicæ sedis constitutos, in omnibus Gentibus, Danorum, Suecorum & Sclavorum, Crãzius habet, & de eodem consulend. *Adam. Brem. &c.*

Meminit hoc eodem anno cladis, & stragis Danorum admirandæ Baronius, ex cit. consequutam non sine prodigio, in vindictam, quod tunc Evangelio iidem restiterint, quos tanta utrinq; cæde, Adamus, jam citatus concidisse, affirmat, ut vulgus omne caderet, de stirpe autem Regia, nemo omnino remaneret, præter unum puerum nomine Henricum. *Iste mox ut Danorum Regnum suscepit, ingenti furore super Christicolas, Sacerdotes Dei expulit, & Ecclesias claudi præcepit. Ad quem Sanctus Confessor Dei Ansgarius venire non trepidavit, comitante gratia Divina trucem Tyrannum, sic placatum reddidit, ut Christianitatem ipse susciperet, suisque omnibus ut Christiani fierent per edictum mandavit, & insuper aliam in portu Regni apud Ripam extruxerit Ecclesiam, in Dania secundam.* Ita rursum alium Regem convertit unus Apostolus noster Vid. citat.


A.C.859. S.P.N.379.

MEruit hoc denique anno iis accenseri, & eadem laureola Martyrum donari S. Eulogius noster, ex Monacho, & Abbate S. Zoili Cordubæ, Archiepiscopus Toleti electus, quorum gloriosos prius ipse agones descripsit. solum ipse in carcere positus certamina Martyrum, sed & plurimis ad Martyrium fortiter subeundum,& ambiendū auctor fuisse perhibetur. Extant hac nostra ætate è latebris antiquitatis eruta, præclarissima Scriptorum eius monimenta, quæ Apostolicum Spiritum redolent,& purissimam illam pristinam sinceritatem referunt,imo vivam ipsius imaginem reddunt. *Baron. Yepes, Mariana, Stenglius, &c.*

A.C.860. S.P.N.380.

COmpositis in Dania rebus, novam illic exstructam in Ripa Ecclesiam Sanctissimus Ansgarius, S. Remberto nostro committit, qui in Gentium conversione Regnis illis plurimum profuit & decus inæstimabile Ordini nostro ipse Monachus addidit. Reversus Hamburgum relicto Remberto Ansgarius, mirandum in modum saluti omnium consuluit, deque venditione Christianorum Nordalbingos correxit. Inde ad Frisios pergens, eosdem Dominicæ diei transgressores acrius corripuit, pertinaces, & contemnentes, antiquo,& inusitato prodigio, cælesti nimirum igne mulctavit. De aliis admirandis eius prodigiis fusè Adamus ut & de variorum hominum, & fæminarum Collegiorum cura, & cultu. Nosocomiorum item & Xenodochiorum, &c. quæ obstupescas totus oportet, si intelligas, ab uno Monacho tanta in barbaris provinciis, intra tam modicum, & difficile tempus instituta. *Vid. M. S. vita Cranz. &c. Baro. Bisciol.*

Obiit eodem anno S. Rodulphus Aquitaniarum, sive Bituricensis, ex S. Medardi Abbate Archiepiscopus, meritis admirandus. *Vid. Claud. Rob. Trith. Arn. VVion, &c.*



A. C. 861. S. P. N.381.

SAnctissimus Bertharius ex Regia, Galliæ Regum prosapia, Casinensis Abbas Italiam immortaliter Ordini nostro devincit, toto animo, ceu in Patriæ liberationem civis optimus, curam omnem intendens, alia inter consulendo Italiæ præclarè ausa factaque, sæpius suscepto in Gallias itinere, ac Cæsare Ludovico secundum adducto; tertio eundem net per litteras ac nuncios evocatum, una cum Angilperga coniuge apud Casinum liberali hospitio accepit, inde porro transeuntem in Apuliam adversus Sarracenos sequutus, nihil omisit quod ad arcendos ab Italiæ cervicibus Barbarorum enses oportunum arbitrabatur. Tantam iuvandorum quocunque modo ac ope proximorum studium nostris semper fuit, ut Patres Patriæ Monachos merito nominares. Extructa ab eodem S. Germani nomine prope Casinum Vrbs eidem debetur, ut alios pari opera & labore atque industria eodem tempore quam maximè desudantes prætereamus, *Consf. M. Ant. Scipio, &c.*

Claret apud Tigurinos Bertha Ludovici Germaniæ Regis filia, Secunda SS. Felicis,& Regulæ Abbatissa; ex Cænobio paulatim Vrbs potentissima, & longe pulcherrima excrescit ornaturq; *Const. Bened.*

A.C. 862. S. P. N.382.

NOvum Ecclesiæ Vniversæ ornamētum S. Notgerus Divi Galli apud Helvetios Monachus Mundo lucem, & duplicem affert. Ita nos in Constantia nostra Benedicta ex Act. Canonizat. eiusdem. In Divinis scripturis eruditissimus, in secularium quoque literarum disciplinis omnium sui temporis doctissimus, Philosophus, Poeta, Musicus, Astronomus, Theologus celeberrimus, disciplinarum exactor acerrimus Sophiæ doctrina famosissimus, meritorumque Sanctitate beatissimus. Et ut in brevi omnes Sanctitatis eius complectar dotes, Vas erat Spiritus Sancti, quo suo tempore abundantius nullum, &c.

Plura ibidem,& tom.2. Const. nostrę Bened. Clarent item Ericus, Otfridus, Rapertus, &c. Monachi nostri, viri

viri doctissimi, & pietate illustrissimi *Gaulter, Bucelinus, Æquonius, &c.*

*A. C.* 863. *S. P. N.* 383.

NE sola Germania his temporibus, nostrorum sanguine non purpurata, indignior Regnis ac provinciis aliis appareret, purpura omni pretiosiorem tinxit Sanctissimus Meinradus, sive Meginradus, ex Zollerensi, ac Sulgoviensi Comite Augiæ Divitis Monachus, Cænobii illius primus auctor, pro cuius Origine progressuque, nulla se satis gratam Numini posteritas & ætas exhibere poterit, promerentibus illic æterna Religionis, & sacræ observantiæ constantia Monachis nostris, ut Cælo descendens Cælitum Imperatrix ibidem ad juvandos Germanos, Christianosque omnes eo confugientes sedem fixisse videatur. Einsidlense Helvetiorum Cænobium loquimur, de quo gratulantium sibi Principum Germaniæ, sed & salute impetrata, afflictorum, dignius tu plausum exaudies. Ita Meinradi mortem Einsidlensia monimenta, contra somnia quorumcunque assignant.

Obiisse eodem anno felicissimum cucullo Lotharium Imperatorem, jam Prumiensem Monachum nonnulli habent; nos consultius Adoni nostro subsubscribendum bieniopost censuimus.

*A. C.* 864. *S. P. N.* 384.

PRincipum ac Regum in Ordine, nostro multitudo, circa hos maximè annos eius utilitatem posteritati omni, nomenque ac decus summum commendant. Enitet inter muliebrem sexum, masculo animo, & virtute Hermingarda Imperatrix Lotharii Augusti conjux, quæ marito sacra æmulatione invidere felicitatem visa, idem consequuta propositum, ea virtutis existimatione in S. Iuliæ Brixiensi Cænobio, nostris devincta legibus vixit, ut Amalpergæ dignissimæ Antistiti succedere meruerit. De reliquorum copia consulendus *Wion l. 4. multis capitibus.*

Apud D. Galli, in Corbeia Saxonum Gallorumque, & omnibus passim Cænobiis Sanctorum Monachorum tantus numerus, ut sub hos ferè annos, ducenti, trecentique Sanctitatis opinione celebrati, in uno Divi Galli Archisterio summo Germaniæ bono, Orbis atque Ordinis ornamento convivérent. *Ex Pistorii Manu Scriptis Metzlero, Mariano Bucelino, Constantia Bened. &c.*

*A. C.* 865. *S. P. N.* 335.

CÆlum universum occurrit applausu meritissimo Christi pugili, & Heroi invictissimo, hoc anno ex hac lacrymarum valle transeunti Sanctissimo Anschario nostro, Sueonum, Danorum omniumque Aquilonarium Regnorum, ac provinciarum maximo Apostolo, cujus nos vitæ admiranda propediem luci asseremus tamdiu desiderata.

Transit eodem pariter anno, ad felicius multo quam reliquerat Imperium Beatissimus Prumiensis Monachus Lotharius quondam Imperator, & Galliarum Rex, illud in Cænobio consecutus, ut à morte inter Divos referretur, idque per eum Imperium universum, ut fidissimum in Cælo Tutelarem habeat, habueritque tunc maximè, quando Ludovico, & Carolo fratribus imperantibus, summè tanti Augusti Cælitis ope, ac suffragio indiguisset. *Scriptores Annal. pl. & maximè Ado noster. VVion, aliique.*

*A. C.* 866. *S. P. N.* 386.

DE Rhabani Mauri discipulis hoc anno dicendum, qui Germaniam in primis meritis, ac doctrina impleverе. E pluribus pauciores recensemus, ac consequutum, Magisterio tantorũ fructum, expendendum (nisi superet judicium omne captum que) tibi relinquere malumus. Præter quippe Walafridũ Strabum, quem, ante Magistrum excessisse, superius diximus, maximi fama atque eruditione discipuli ejusdem celebrati, hoc ferè tempore Mundum exornant, excoluntq; Freculphus Lexoviẽsis Episcopus ex Monacho Fuldensi, de quo item jam supra, Linbertus I. Hirsaugiæ Abbas Hyldolphus primus ibidem Scholarũ Magister vir eruditione prestantissimus. Ruthardus secundus ibidem scholis præfectus, Bernardus Hersfeldensium Ab. Ioañes, qui primus apud

apud Germanos (egregium sanè, & hoc meritum) Cantum Ecclesiasticum varia ut ait Trithemius, modulatione composuit: Altfridus postea Corbeiæ Saxonum Scholasticus inde Hildesheimensis Episcopus, quorum singuli singulis sæculis etiam ad miraculum suffecissent. *Videndus de his copiosius agens Trithemius.*

*A. C.* 867. *S. P. N.* 387.

ADmirando sanè successu laborat in Christi Evangelio longè lateque disseminando Sanctissimus Bremensium, & Hamburgensium Archiepiscopus Rembertus, & plures in societatem Apostolici muneris adsciscit, *per quos,* inquit *Vita eius scriptor, & verbum DEI gentiles audirent, & solatium Christiani captivi acciperent, quique Ecclesias longè remotas* (attende quæso Apostoli huius amplissimum studium, & sementem) *quandoque gravissimum erat, non sine magnis Pelagi discriminibus adeundas invisèrent. Quæ tamen, pergit, discrimina ipse frequentius subibat, ita ut non raro in id periculi coniectus sit, ut propemodum dicere potuerit cum Apostolo, nocte, & die in profundo maris fui, &c.* Multus idem auctor est in commendanda quoque eiusdem in captivos liberalitate, ita ut vasa quoque altaris impendere non dubitaret; juvandis vero pauperibus ita studuit, ut extra diœcesim suam ubicunque esset, marsupium ad zonam suspensam haberet, ut absente forte eo, quem Eleemosynis præfecerat ipse dispensaret: cuius peregregium illud dictum; absque cunctatione egenis tribuendum, quando quis eorum sit Christus, vel quando ille veniat ad nos ignoramus. Sed & illud scriptori dignissimum commendatione visum, quod quantumvis gravissimis perpetuo occupationibus penè obrueretur, nullam tamen Pastoralis occasione curæ, perfectionis Monasticæ jacturam fecerit, &c. *Vid. id. apud Surium, Haræum, aliosq.*

*A. C.* 868. *S. P. N.* 388.

HIncmari nostri Rhemensium Archiepiscopi eximia existimatio, & tanta fuit, ut componendus gravissimis per Imperium turbis, Regibus ipsis ut vellet flectendis, aptissimus ab Hadriano Pontifice judicaretur. Inter alia Hincmarum Adrianus ipse, in Epistola hoc anno ad eum data sic alloquitur; *Licet frequens Sanctitatis tuæ fama, quæ nunquam nisi cum laude semper existit te nobis dudum fecerit manifestum: tamen ut virtutum probabiliumque morum tuorum prædicamenta liquidius agnosceremus, fratrum nostrorum videlicet Arsenii venerabilis Apocrisarij Sedis nostræ, quin & Actardi Sanctissimorum Præsulum nec non & dilectissimi filii mei Sanct. Sedis Apostolicæ Bibliothecarii fecit Anastasii multis præconiis plena, delectabilisque relatio. Qua de re, sic animam meam tuæ dilectionis ardorem concepisse cognosce, tamquam si millies mutuis frueremur colloquiis, &c.* Commendat exin eidem Apostolici honoris defensionem contra Reges, & à præclarè eiusmodi iam ante præstitis sic eum commendat. *Quamobrem fraternitatis tuæ industriam specialiter admonemus, uti quod super hoc olim negotio gessisti studium, nullatenus enervari consentias. Sed vice nostra fretus coram Regibus & Præsidibus de testimoniis Domini loqui non cesses, &c.* Vnde priora Hincmari merita, & quæ de eodem sibi promiserit Ecclesia satis cognoscas, quæque exin plane consequuta suo loco ostendemus. *Ex Baron. Bisc. &c.*

Floret eodem tempore, ut ex his ipsis patet litteris Anastasius ille noster, cognomento Bibliothecarius S. R. E. Cardinalis, vir litteratissimus, & si nulla re alia de universa Ecclesia, scriptis Rom. Pontificum gestis, longe meritissimus, cuius opera tam frequenter, & digne usus est Baronius, & si quidem illa desiderarentur, ingentem planè jacturam Historia Ecclesiastica pateretur. Ita diligentia nostrorum omnis Historia, unica Temporum lux in orbe substitit, cum penes nostros tota fere Historiarũ series, & fides potissima sit, & librorum sive Auctorum cæterorum reliquiæ, unis ferè Monachorum bibliothecis debeantur.

*A. C.* 869. *S. P. N.* 389.

NAvarunt circa hæc tempora egregiam nostri convertendis Bulgaris operam. Quanti verò prædicatorum suorum vitam, institutumque faceret Trebellius circa hunc annum, facto ipso

ipſo conteſtatus, vitam & cucullum Monaſticum digniorem potioremque Regno ampliſſimo habuit, & exambivit. Proin abdicato à ſe Imperio ſtupeſcente Occidente, & Oriente univerſo curiſque ac honore in filium translatis ipſe Monachum ſub inſtituto noſtro profeſſus, inter Monachos humillimus ex potentiſſimo, & ſummo vixit. Neque minus à profeſſione novæ vitæ, ſuis profuit, ut maximo ſanè jure eundem ex Monacho Bulgarorum Apoſtolum nomines; quippe *filio paulo post ad priſtinam impietatem reverſo*, verba ſunt Hieronymi Plati, *tantum in eo potuit zelus, ut Monaſterium egreſſus, recepto Regno, iuvenem in poteſtatem receptum* (Pater filium) *luminibus orbaverit, inſuper etiam perpetuo carcere mulctarit: denique Regnum Alberto minori filio cum ſalutaribus monitis conſignans, ad ſuam ſe recepit cellam.* Et cingulo militari denuo reiecto, vitæ reliquum in Sancta converſatione tranſegit. *Theatrum Converſ. gentium. Regino Prumienſis. Hier. Platus. Ant. de Tepes, Trith. VVion. &c.*

Obijt circa hunc annum Sanctiſſimus Hunfridus Morinenſium ſive Tarvanenſium Pontifex. Illud eius inter alia miranda celebratum, cum ſede ſua à gentilibus pulſus eſſet, & ad ſuum Sithienſe Cænobium revertiſſet, quæſiſſe à Sede Apoſtolica (negligens honoris, & extra ſuſpicionem ambiti Præſulatus erat) num revertendum ſibi eſſet ad Eccleſiæ regimen, an in Monaſterio manendum. Suaſit Pontifex Nicolaus, rediret ad Eccleſiam; cuius reſponſum habetur in Decreto *cauſa 7. quæſt. 1. cap. Sciſcitaris, &c. Vid. Molan. Meyerus. Galeſin. Miræus, &c.*

*A.C. 870.* *S.P.N. 390.*

PUrpureus totus hic annus, noſtrorum ſanguine, lætificat domum Dei, atque Eccleſiam præſtantiſſimo fructu ditat, ſed & Angliam in primis atque Scotiam fœcundat. Irruentibus nimirum gentilibus Danis in ea regna, magna Cænobiorum ruina, & Strages Monachorum, quibus Anglia atque Scotia ita tunc abundabat, ut totos in diverſiſſima Europæ Regna, iam olim, & non ita pridem, exercitus ſacros deſtinaret. Virorum, ex muliebri conſtantia fortitudinem æſtimemus. Ebba, digna genere ſuo, ſed multo magis Sanctiſſimo Ordine noſtro Virgo, Ethelfridi Northumbriæ Regis filia, Collinghamenks Cænobij Abbatiſſa, metuens, ne & ipſa, cum ſibi ſubiectis virginibus ludibrio traderetur paganorum, & pudicitiam amitteret Virginalem, convocatis in capitulum ſororibus univerſis, in hanc vocem prorupit dicens: *Advenerunt nuper*, inquit, *ad partes noſtras pagani nequiſſimi, & totius humanitatis ignari, qui loca Regionis huius ſingula perluſtrantes, nec ſexui muliebri, nec parvulorum quidem parcentes ætati, Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas deſtruunt, fœminas Sanctimoniales proſtituunt, & obvia ſibi quæque conterendo conſumunt. Itaque ſi conſiliis meis acquieſcere decernitis, ſpem certam de clementia Divina concipio, quod & barbarorum rabiem effugere valebimus, & perpetuæ Virginitatis pudicitiam cuſtodire.* Cunctis annuentibus, illa admirandæ generoſitatis, ac fortitudinis heroina, arrepta novacula, naſum proprium cum labro ſuperiori ad dentes uſque præcidens, horrendum de ſeſe ſpectaculum præbuit. Quod, factum mirabile, ſubſequutæ cęteræ; ſupervenienteſque manè Barbari ubi tam enormiter mutilatas, atque ad plantas uſque ſanguine defluente tabefactas conſpexere, cedentes cum feſtinatione iniecto igne cum Sanctimonialibus Cænobium cócremavere, *Matth. VVeſtmonaſt. hoc anno, Tepes, Stengelius, &c.*

Quanta contentione pro cucullo Monachico currerent, concurrerentque, exemplo ſint ſoli hoc anno tres Magni Ragneri Auſtraſiæ Ducis liberi, Hildebertus Coloniæ, Ermingarda ibidem in D. Mariæ, & Eva in cognomine Cænobio Treverenſi Ordinem noſtrorum profeſſi ut minorum Dynaſtarum, Comitum, atque Baronum nec meminiſſe quidem liceat, qui potentiſſimorum Principum exempla ſubſequuti, agminatim ad Cænobia noſtra properarunt. *VVion. MSS. Sangallenſia, & Augienſia &c.*

*A.C. 871.* *S P.N. 391.*

ANſegiſi rurſum Senonenſi Archiepiſcopi laudibus hic annus tribuēdus, de Gallia univerſa, ſed ſua inprimis Eccleſia meritiſſimi, digniſſimi Sanct.

Egilis

Egilis, & Venilonis, Monachorum nostrorum in eodem Archipontificatu successoris. Ejus super omnia comendandum opus, quo Leges Francorum complexus, auctor exin pluribus, admirando sane fructu, & bono universi, paria audendi, quibus sequuturæ quoque posteritati utilissimè prospiceretur. Eum MS. à Claudio Roberto cit. vocat. *Virum in cunctis optimè agentem, cujus tempore Ecclesia Senonensis magno ac Pacifico viguerit honore, &c.* Sed inprimis merita comemorat sepulchralis inscriptio eidem posita.

Antistes Senonum, reverentia magna potentum
Ansegisus in hoc conditus est tumulo.
Vt Primas fieret Gallorum, Papa Ioannes
Instituit; meritis hoc tribuendo suis.
Caroli Romana cinxit caput iste corona.
Et dedit in cunctos Imperium populos.
Gregorij Papæ secum caput abstulit inde.
Hic locus ossa fovet, spiritus astra tenet.

Videndus prolixior in ejus meritis laudibus Antonius de Yepes noster hoc anno. *Claud. Rob. Sigebert. Trith. &c.*

Nec minore ob Sanctitatem eximiam fama Gallias ornat Sanctus Adelinus ex Monacho Sanct. Carilephi Sagiensis Episcopus, vir doctissimus, ingenij sui monimenta aliqua posteritati relinquens. *Claud. Rob. VVion. &c.*

Odo item ex Monacho, & Abbate Corbeiæ Gallicę Bellovacensis Episcop9, vir suo tempore facundissimus, multis Legationibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus egregiè de Gallia meritus, magnā inde laudem, & gloriam consequens. *Trithem. & Nicolaus ipse Papa Epist. 24.* Attulit hic ipse ornamenta Regia Ludovico filio Ludovici Balbi morientis. *Consulantur Flodoardus Aymoinus, Lupus Ferrarius, &c.*

*A. C. 872.* *S. P. N. 392.*

STellas facilius numerarit, quam qui nostri Ordinis viros illustres sub hæc tempora numerare contenderit: soli Hartmundo D. Galli Monacho tantum gloriæ, & splendoris, ut nec alios attendamus, quando unius splendor oculos obtundit. De hoc Trithemium audiamus: Hartmundus S. Galli Monachus Rhabani Mauri quondam auditor atque discipulus, vir undecunque doctus, ingenio subtilis, eloquio disertus, vita conversatione devotus, Græcæ Latinæ, & Hebraicæ peritus, adde, & Arabicæ non ignarus, scripsit tam metro, quam soluta oratione, multa præclara opuscula. Feruntur autem super quibusdam Bibliorum libris Comentarii ejus non abjiciendi, item Epistolarum ad diversos liber unus, sermones quoque, cantus, Hymni, & varij in scripturis Sanctis tractatus, &c.

Conspiciend9 etiam occurrit Bertholfus ex Abbate Mediolacensi, Treverensis Archiepiscopus vir ingenio acer, & de Ecclesia sua merissimus.

*A. C. 873.* *S. P. N. 393.*

SAnctissimo Remberto nostro comes, & socius itinerum atque laborum missus Sanctus Adalgarius Corbeiæ Saxonicæ Monachus, incredibili labore in Daniam, Sueciam, Gothiam excurrit, & manipulos in Christi horrea colligit. *Ex vita S. Remberti MS. &c.*

Anno eodem cum B. Salomon noster Constantiensi Ecclesiæ, magna pietatis, clementiæ, aliarumque virtutum laude annos quadraginta duos utilissimè præfuisset, ac post conditum Ratholdicense oppidum, etiam Canonicorum D. Steph. in Vrbe Basilicam fundasset, relicta magna nominis reverentia, ad felicem æternitatem concessit. *Ex nostra Constantia Sacra profana. Rem. Alem. Greg. Mang. &c. Mariano Bucelino, &c.* In Burgundia à Rudolpho Rege expetitus ab Hartmuoto consanguineo S. Galli Abbate B. Yso monachus, Burgundis, doctrina, & sanctitate mirum in modum illucescit. Ex cit. Apud D. Galli item admirandis prodigiis Sanct. Othmarus generi humano prodest, & languores accurrentium prodigiosè curat. Ibid.

*A. C. 874.* *S. P. N. 394.*

AD cumulum hoc anno verè felicitatis, post professionem Monasticæ perfectionis, adjectus à liberalissimo Numine honor Martyris Sanctissimo Salomoni ex Rege minoris Britanniæ, Monacho Sanct. Mainensi. sive S. Maini. De cujus nec dum relicto Regno erga Rom. sedem studio videndus *Baron.*

Effulget in Gallia Wallo ex Monacho nostro Altisiodorensis Episcopus, de quo Trithemius: fuisse virum scientia, & moribus clarum, cujus maximum fuerit studium Magistros, & professores litterarũ charitativè amplecti, eorumque consiliis uti, atque alloquiis perfrui. *Vid. Chron. Hirsaug.*

*A. C.* 975. *S. P. N.* 395.

ITerum Regio, & provincia amplissima Monachorum nostrorum opera Ecclesiæ adjecta. Helmoldum audiam9. *Tradit etiam veterum antiqua relatio, quod temporibus Ludovici II. egressi fuerint de Corbeia Monachi Sanctitate insignes, qui salutem Sclavorum sitientes, impenderunt se ipsos ad subeunda pericula, & mortes pro Legatione Verbi Dei, peragratisque multis Sclavorum provinciis pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani, sive Rugiani, & habitant in corde maris, ubi fomes est erroris, & sedes Idololatriæ. Prædicantes autem verbum Dei omnem Insulam illam lucrati sunt, &c.* Sed de perversione, & conversione rursum eorundem suo loco. Sufficiat nostros hoc anno strenuè laborasse, & vitam cum sanguine pro Christo conjicere in discrimen, Monachos nunquam dubitasse. *Vid. Baron. Bisc. &c.*

*A. C.* 976. *S. P. N.* 396.

EX Hibernia, quæ sæpe dixeramus, subsidio Germaniæ doctissimorum Monachorum agmina misisse, Carolo Calvo imperante, catervatim rursum confluunt, & Germania, Galliaque aureis quasi scientiæ, & doctrinæ omnis, venis, ita dives fuit, ut inde sequutura æternum sæcula, nunquam exhauriant, quantumvis hauriant. Vnde ad Carolum, singularem nostrorum, & liberalium artium Mœcenatem Ericus Altisiodorensis Monachus in datis hoc ferè añо litteris. *Quid Hiberniam memorem? contempto Pelagii discrimine pene totam cum grege Philosophorum ad littora nostra migrantem, quorum quò quisque peritior est, ultro sibi indicit, exilium, ut Salomoni sapientissimo famuletur ad votum.* Quanta vero virorum doctissimorum copia ex institutis per nostros in Anglia Academiis, & Scholis publicis, Regna in primis illa dein Europę universa impleverit, deq; Theologia Scholastica, Philosophia aliisq; artibus jam tunc alternantib9 per vices professoribus. *Videndi Reinerus, Yepes, VVeiss. aliiq. &c.*

*A. C.* 977. *S. P. N.* 397.

HIncmari nostri Rhemensis Archiepiscopi iterum merita referenda, quibus mirandus etiam omni sæculorum posteritati, & nostri sequuturiq; sæculi Principibus utilissimus esse pergeret, si sæpius manibus tractaretur. Carolo Imperatore hoc anno Medici scelere sublato successit in Imperio Ludovicus Balbus cognomine. Eum ad Numinis voluntatem movendum dirigendumq; susceperat, ac proin datis ad eum litteris, officij egregiè non solum cōmonuit, verum etiã scriptis doctissimis de instituendo Regno, de veneratione sedis Apostolicæ, de convocando generali Procerum conventu, de cura animi, deq; aliis Regni, Regnoq; dignissimis atque utilissimis instruxit, ut merito, obsequutum Pontifici cum de Regni cura superius admoneret colligas non solum, sed certo deprehendas Hincmarum Regnis Galliæ utiliorem, quam Reges fuisse, utpote cum supra Reges ille, ij vero non nisi arbitrio illius regerentur. *Ex variis ejusd. & Synchron. Epist. Baron. Bisc.*

*A. C.* 844. *S. P. N.* 364.

GAlliam viris ex Ordine nostro doctissimis refertissimam superius diximus; & quidem ex Anglia ad Mœcenatem litterarum Carolum confluxisse, & ejus in litteratos propensio, & necessitas juxta coegerat. Quippe Danis Angliam vastantibus, eversis, Cænobiis Monachisq;, quos offenderant, trucidatis, qui Evangelicum sequuti consilium, effugere poterant, in Galliam ferè ac Germaniam profugi veniebant. Ita ad huncusq; añum pulcherrimũ illud Angliæ Regnum, vastum incultumq; jacebat. Sed qui in illud Christianam primum Religionem, hoc etiam anno litteras, cumque iisdem felicitatem omnem in Regnum reduxêre, imò Regem Regno suo restituere. Secessit in solitudinem, ne Regnum Christiq; oviculas omnes desererent, S. Neotus noster, & ut licuit, bono publico sese reservavit, & nemorum latebris texit. Eũ forte ante hæc tempora, ædificationis, sic vocant, gratia contigit ab Alfredo Rege visitari. Westmonasteriensem audiamus; *quem vir Dei Neotus, inter alia familiaritatis colloquia acriter* (ut solitos nostros sæpius diximus) *de suis pravis actibus increpavit, pœnas ignis æterni apposuit, potentes potenter passuros, ostendit, & præter hæc omnia ferè, quæ ei affutura erant præsago spiritu revelavit. Ab*

ad-

*adversariis Rex, inquit, multa pateris, sed adhuc mala majora pateris. Nam Regno, quo tumes, quo immoderatam debachando tyrannidem exerces, unde ante Divinæ Majestatis intuitum, ubi humilis apparere deberes, & non facis, à Gentibus Christum ignorantibus infestaberis, & vix ab illis evadens, profugus latitabis, sicque per dies aliquot, peccatis exigentibus permanebis. Sed tamen* (observa quid unius sæpe Monachi ocultis gemitibus, seu precibus bonum concedat Numen) *apud Deum precibus obtinui, ut si te à tuis sævis retraxeris actibus, & libidinis incendiis, adhuc misericordiæ suæ vultum super te prætendet, sceptroque pristino, prosperitatique restituet, &c.* Quæ ita evenere singula, cum paulo post Rex insignem & memorabilem de hostibus victoriam reportavit, ac tam utilem sibi, etiam dum in terris ageret, apud Deum Patronum, sanctissimè colendum, eique in omnibus parendum existimavit.

*A.C.* 879. *S.P.N.* 399.

PRoin reportata ex hostibus tam illustri victoria, & Gritone Danorum Rege in deditionem, non alia conditione, quã ut Christi se addiceret Legibus accepto; Neoti id quoque precibus concessum arbitramur, quod ea Regis conversio, ex eo quod ipse impetravit fuerit consequuta, ut proin duo jam simul Reges Monacho uni debeant, & ille se Regno restitutum, & hic Regum Regi Deo conciliatum, sed & ab ipso Neoto (sanè aliis ex Ordine nostro) formatum, & institutum. *VVestmonast. Matth. VVeiss.*

Iuvit eodem tempore Catholicam Ecclesiam verbo non minus quam exemplo B. Paschasius Ratbertus, Monachus Corbeiæ, ac post Cænobij ejusdem Abbas, nõ absq; Divino instinctu, mirabiliter, sequuturis quoq; Hæresibus occurrens. Græco quippe, & Latino sermone insigniter instructus; *De Sacramento Altaris*, ad Placidum Abbatem, doctissimũ librum composuit, in quo dilucidè, & clarè Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistiæ Sacramento veritatem, cum refutatione diversarũ circa hoc Hæreseon, Spiritu quasi prophetico, apertissimè demonstravit, & tanti Sacramenti majestatem & dignitatem intrepidè tutatus est, & fideliter defendit. Est excusus liber in folio Parisiis apud Michaelem Sonnium An. Ch. 1576.

*A.C.* 880. *S.P.N.* 400.

DEbet hoc anõ Anglia Vniversa Sanct. Neoto nostro, Oxoniensem Academiam præcipuo Regni bono institutã (sive potius restitutam, quam nostri pridem Sigeberto Rege instituerant) in quã undiq; viri doctissimi è nostris accersiti. De Neoto ita Polyd. Virgilius l. 4. Histor. Angl. *Alvreaus.* (Alfredus seu Elfredus) *Neotum imprimis Monasticæ professionis virũ sanctissimum ob eximiam eruditionem, miro amore complex9 est, quo hortante Oxonii Gymnasium instituit, proposita mercede omnibus* (in sustentationem utique honestam) *qui publicè bonas artes profiterentur, quo multi doctrina clari confluxere docẽdi gratia.* Et paulo post. *Academia Oxoniensis statim à principio tum divinarum, humanarumque litterarum studiis, tum mira hominum doctrinis incumbentium frequentia, multo celeberrima esse cepit, deincepsque usque eo floruit, ut jam facile cum quovis alio totius Orbis Gymnasio de Nominis gloria certare posset; in qua Scholastici ipsi, ut cujusdam Religionis observatione à primo imbuti, ne utiquam minus animos bonis moribus, quam litteris excolunt, habent enim Cænobia, magnifico apparatu constructa, multorum cum Episcoporum, tum Regum nobiliumque hominum, ac fæminarum probatissimarum muneribus opulentissima, quæ Collegia vocant, quod eorum Collegia eo loci collocati sint; quorum Magistri sunt viri doctrina imprimis probati. & honesti, &c.* Hæc ille ad Henricum III. Anno 1533. ut facile animadvertas, ait Weiss. Benedictinos ejus Academiæ nõ solum auctores fuisse, & primos Magistros, sed etiam propagatores, ac nisi Henricus, ejurata Religione, quidquid à Majoribus præclarè institutum erat evertisset, futurum fuisse, ut hodie quoq; ex illius Academiæ Cathedris Benedictini audirentur. Plura addit de studio Patrum nostrorum in Capitulo provinciali Northamptoni Ann. 1444. quo nimirum Academiæ Oxoniensi egregij perpetuo ex Ordine nostro Magistri, subministrarentur. *Videat. id. & Reinerus.*

*A.C.* 881. *S.P.N.* 401.

INcredibilis ex Ordine nostro Martyrum numerus, per Italiam, Galliam, Belgium Cælo triumphans excipitur, populantibus longè lateque omnia Saracenis atque Normannis. De quorum felici sorte, *Antonius de Yepes noster, Molanus aliique.*

Meretur egregiè hoc anno de Ecclesia Romana Ioannes Diaconus, egregij operis de vita Magni Gregorii, quam libris quatuor complexus est, Auctor, qui inter

alia gravissima merita fraudem Græcorum nequissimam sub hæc tempora detexit, & impudentiam eorum meritissimo jure confudit, præstantissimum Ecclesiæ Doctorem Magnum Gregorium ab illorum calumnia defendens: quod cũ expressissimis ipse verbis Spiritũ Sanctum à Patre filio que procedere asseruisset, ipsi quasi erroribus suis faventem abradendo verbum illud Filioque fraudulenter vertissent. *Vid. Baron.*

*A. C.* 882. *S. P. N.* 402.

IN Anglia florent doctrina & Religione celeberrimi Grimbaldus, & Ioannes Scotus, professione Monachi, gradu Sacerdotes, quos, ut ait Ingulphus, tales existimavit Elfredus Rex, quorum opera, litteræ denuo, quasi postliminio, in Angliam reverterentur. *Videndi etiam superius citati.*

Obiit anno eodem Hincmarus noster, sæpe laudatus, de quo Baronius *fuisse eum peritia Canonum eruditissimum* (quamvis subnotet eum Canones subinde Apost. Sedis decretis prætulisse) *in Theologia etiam excultissimum*, aitque, *liquere ex iis quæ scripsit contra Hæresim Prædestinatorum*, *&c.* consul. *In reliquis*, pergit, *talis existimatus, quem consulerent plures variis quæstionibus.* Ejus insigne ante mortem meritum: Beati Remigij corpus furorem Gentilium prudenter prævertendo, Gallis reservasse. *Bar. Bisc.*

Iterum Martyrum totæ legiones ex Ordine nostro, militiæ triumphantis Ecclesiæ adscriptæ, in solo S. Vincentij ad Fontes Vulturni Cœnobio nongenti è Sacra D. P. N. Bedicti familia, simul semelque contrucidati victimæ cælo cecidere. *Ex Ioan. Mon. item Rheg. &c.*

*A. C.* 883. *S. P. N.* 403.

APeruit paucos ante annos, favente Ælfredo Rege publicum studium sive ludum doctissimus, & Sanctissimus nostri Ordinis Meldunensis Monachus Ioannes Scotus in eodem Malmesburiensi (idem quod Meldunum) Cænobio. Ibi hoc anno, incertum qua de causa, ingratissimi discipuli, in Magistrum insultantes, graphiis armati, ita fodiunt, eo acerbius, quo lentius, ut dum iniquitas (quemadmodum ait Ingulphus) valida, & manus infirma, sæpe frustraretur, & sæpe impeteret, amaram mortem obiret. Vt videas Scholas quoque ipsas, nostros purpura atq; lauro, quo pluris eos Magistros, & Scholas faceres, suo nimirum sanguine decorasse. Ejus Epitaphium descripsit Malmesbur. &c.

*Clauditur hoc tumulo Sanctus sophista Ioannes*
*Qui ditat9 erat jam vivens dogmate miro.*
*Martyrio tandẽ Christi conscendere Regnũ*
*Quo meruit: Sancti regnant per sæcula cuncti.*

De eodem agit Martyrologium Romanum Anno 1583. exculum. *VVion. Reiner. & cit. Baron. Bisc.*

*A. C.* 884. *S. P. N.* 404.

ITerum, unum unicum Casinense Princeps Ordinis nostri sanctissimi Cænobium, ne minus cæteris per Galliam Germaniamque fecisse videretur, integrum purpuratorum exercitum cælo transmittit. Imperator Duxque tantarum copiarum Berthariusfuit. Regio ut genere, sic virtute Casinensium Antistes quem Fidei hostes, comodum tunc Sacris operantem, victimam cædunt, obtruncantque. Monachorum numer9, qui cum eodem, occubuere, ab eodem tantum iniri potest, qui cumulatam mercedem, & coronas eisdem est impertitus; & quidem numerum inde colligas ingentem fuisse, quando constat, frequentissimum per se Casinense collegiũ, nunc vero maximis incrementis auctum fuisse, ex omnibus Italiæ Cænobiis; nec dubitamus, quin & ex multis Galliæ Saracenorum timore eò Monachis confluentibus, tanquam ad tutissimum asylum, & universalem Cænobitarum parentem Bertarium. *Ex Baron. VVione, Yepes, M. Ant. Scip. &c.*

*A. C.* 885. *S. P. N.* 405.

INstituta sub hæc tempora per Alemanniam Congregatio Fraternitas, sive secundus aliquis Benedictinorum Ordo, unde grande in Germaniam bonũ, mox in Terrarum deniq; Orbem redundavit universum: Sæculi nimirum Principibus potentissimis, Imperatoribus, Regibus, Pontificibus, Monachorum cucullum, amorem, suffragia exambientibus. Admissi certis conditionibus in participationem meritorum Ordinis, & fraternitatẽ quandam Principes, aliique, qui zelum imprimis suum, & erga Deum pietatem nostris probassent. Nec de conditionibus jam ipsis, precibus, Regulis agere licet per compendium, certum admirando sanè fructu novum hoc institutũ, latissimè

pro-

propagatum, & in constantiæ nostræ Benedictæ tomis, Imperatores, Reges, Principes, Præsules potentissimos numeramus, ex innumeris paucos, qui Fratrum conscriptorum adscribi numero, ardentissimis votis expetierunt. Religione exin & pietate mirificè in sęcularium animinis propagata. Augiensibus imprimis, dein Sangallensibus, atque Campidonensibus deberi utilissimum hoc institutum, alibi probabimus, hic satis ducimus, recensuisse. *Ioan. AEgonius, Marianus, Bucelinus, Marchesius, aliique.*

*A.C.* 886. *S.P.N.* 406.

OBligatissima iterū Benedictinis Gallia, pro accepto ab iisdem tam illustri Præsule Fulcone, qui Hincmaro Magno illi syderi, haud inferior sapientia, sane sanctitate nulli antecessorum secundus, in Archiepiscopatu potentissimo atque amplissimo successit extractus è Cænobio S. Bertini, cujus, ut & Vedastini Abbas fuit. Illud unicum hujus ejusdem meritum, sed grande, & imortale huic anno damus, quo Rhemensium Scholarum auctor sanè restitutor dignissimus fuit; ex qua, ut & Parisiensi, veluti fonte felicitatis Galliam irrigavit universam. *Vid. Ferr. Locrius, Flodoardus, Molanus Miræus, Clar. Rob. &c.*

Episcoporum sanctitate, doctrina, genere ex Ordine nostro illustrissimorum ingens Ecclesiis Galliæ, Germaniæ, Italiæ, Hispaniæ, &c. præsidet numerus: paucos qui occurrunt numeramus: B. Gebhardum I. Constantiensem ex Augiæ Monacho Episcopum, Walbertum ex Corbeiensi Monacho Hildesheimensem, Chadoldum ex Augiensi Novariensem, Goslinū è S. Germani Parisiensem. Isbertum è D. Emmerami Ratisponensem: alios eadem ex causa ne quidem nominandos.

*A.C.* 887. *S.P.N.* 407.

OBstupescit manus ipsa, tot Sanctorum Pontificum, & maximè Martyrum Sacratissimo numero. Vnum iterum unicumque Gemmeticense, verè gemeum Cænobium ad triumphi æterni gloriam cælo mittit nongentos Martyres Monachos, de quorum gloriosissimo agone querendus *Antonius de Yepes noster, Matth. VVestmon. Arnold. VVion. &c.*

Anno eodem S. Richarda Imperatrix, abdicata purpura Andloviense nostri Ordinis Cænobium ingressa dulcedinem nō solum Cellulæ gustavit, sed felicitatem ejusdem experta admiranda excelluit Sanctitate. *Const. Bened. &c.*

*A.C.* 888. *S.P.N.* 408.

MAximis, & innumeris opulentus meritis cælum triumphans invehitur Sanctissimus Rembertus noster Bremensis Archiepiscopus, Magnus ille, ita eum celebrat Baronius Danorum Apostolus, successor S. Ansgarii in amplissima, & verè Apostolica functione scriptorque vitæ ejusdem ac imitator egregius. Successorem meruit pari zelo, ac sanctitate verè tanto Apostolatu dignisimum S. Adelgarium Corbeiensem item Monachum, qui in functionem illico suam, & labores gravisimos, indefessus incubuit, & merita sua Ecclesiæ fructu ingenti comendavit. *Ex vita, Yepes, VVione MS. &c.* Commendat hoc eodem anno originem celeberrimi illius, & Sanctisimi Monasterij nostri in Monte Serrato, Antonius de Yepes noster, cujus unius propagatam in hodiernam usque diem dignitatem ejusdemque Cænobij Patrum Monachorum ab exemplo virtutis ac Sanctitatis, nec nō impensa curandis, & juvandis proximis opera, & in peregrinos ex toto confluentes orbe inæstimabili beneficentia, profusissima merita nulla coram intuentium, vel solum audientium se facundia satis posse eloqui, seu deprædicare, non sponte tantum, sed & convicta confitetur. *Vid. Yepes cit.*

*A.C.* 889. *S.P.N.* 409.

ILlustri denique sub hæc tempora Martyrio Apostolicum suum munus consumat Sanctisimus Stephanus Sueciæ, Gothiæ, & Helsingæ magnus Apostolus Vpsalensis, ex Monacho S. Viti Corbeiæ, Episcopus, cujus labores accuratius describunt Ioan. Magnus, & Yepes noster qui Erici Gothiæ Regis conversionem, aliaque per eundem gesta præclarè commemorant. *Videantur.* Plurimos hic Sanctisimus Pontifex in labore Evangelii annos laudabiliter exegit, & Sancto Adelgario jam Bremensium Pontifici etiam in sua provincia adjutor extitit, ut iidem citati pulchrè probant, contra eos qui nimis maturè eum laboribus hisce subtrahentes, cælo pridem receptum asseruerunt.

Clarent eodem tempore SS. Otgerus,

 & Adel-

& Adeluardus, Adelgarij, & Stephani strenui coadjutores, & ipsi earumdem Regionum, Monachi S. Viti Corbeiensis, *cit.*

Illustrissimus gravissimis nostrorum meritis hic annus; cum SS. Cyrillus, & Methudius nostri, Sancti Andreæ Cænobii Romani Monachi, ad conversionem gentium ordinati Episcopi, in Moravia primum, dehinc, & Boemia strenuè desudantes Apostolorum denique apud gentes easdem titulum mererentur. Ab his sub hunc annum in Moravia maximè huc fidei, propagata; & Suatopulcus Moraviæ Rex, gremio Ecclesiæ aggregatus, excitatis exemplo ejus non solum Moravis, sed & vicinis quibusque in Christiani nominis professionem inclinantibus. *Ex Boemiæ diversis script. Dubravio, Bartholdo Pontano, & nostris German. Annal.*

*A. C.* 890. *S. P. N.* 410.

STrenuus ille imperterritus, & invictus Ecclesiæ Catholicæ defensor, Mahometicæ impietatis expugnator, Martyrũ Christi eorundemque honoris, ac gloriæ felicissimus assertor S. Sampson noster ad præmia ingentium laborum imensa, inæstimabiliaque evocatur. De eo ita Bisciola ex Baronio. Hoc anno moritur. *Vir insignis sanctitate atque doctrina Sampson Abbas Sancti Zoili* Martyris Cordubæ Civitatis, qui tempore persecutionis ab Eulogio descriptæ claruit: *Cui fuit certandum non solum adversus Saracenos, sed & adversus malos Christianos Martyrum derisores*: inter quos eminebāt Hastigesius Malacitanus Episcopus, & servandus Comes, ambo egregiæ impietatis homines, Saracenorũ Principum amicissimi, ex Apologetico ipsius Sampsonis, quod adhuc Toleti extat Gothicis litteris descriptum.

Virorum his temporib9 ex ordine nostro doctissimorum, magnam copiam fundit Trithemius noster. Inter illos eminent Wallo, ex Monacho Altisiodonensis Episcopus, Ericus S. Amandi Monachus, cujus liber de sobrietate ad Imperatorem Carolum Calvum (ita nostri è Cellulis suis, juvandis Principibus, & orbi plurimum laboris contulere) alius item de vita S. Amandi commendantur. Hunibaldus ejusdem cęnobii Monachus in Musicis laudatissimus. Hugbaldus cænobii Eluenensis *Poeta & Rhetor sui temporis omnium celeberrimus*, cujus illud opus Calvorum miranda inventione, verbis omnibus à C. littera inchoatis, Carolo Calvo inscriptum. Bertrammus Monachus de Ecclesia meritissimus, & Hæreseon malleus, qui & ipse sicut in Raberto superius observatum, quasi futurorum præscius, Hæreticis ætatum sequuturarũ obvius ac obnixus, scripsit ad Carolum Regem *de prædestinatione*. Item *de Corpore, & Sanguine Domini, &c.* Richbodo Hirsaugiensis, tam in divinis, quam in sæcularibus litteris eruditissimus. Regingbodo ex Canonico Constantiensi Hirsaugiensis item Monachus. Sanctus Ansbaldus Abbas Prumiensis, Almañus Altvillarensis Monachus vir undecunque doctissimus qui multa ingenij sui præclara reliquit monimenta. Remigius Monachus Altisiodorensis, dein Episcopus, hęc tempora docendo, & scribendo illustravit. *De aliis videndus ipse Trithemius Chron. Hirsaug. & de script. Eccles. &c. Tepes, & alij, &c.*

*A. C.* 891. *S. P. N.* 411.

B. Sunderoldus Moguntinus ex Fuldensi Monacho Archiepiscopus, gloriosè pro patria occumbit. Vnde animadvertas, quam præclarè se nostri pro subditis exposuerint, quando coacti denique in populo Principari, ipsi sese uudique pro subjectorum salute murum opposuere. De eo ita Browerus in antiquit. Fuld. lib. 1. cap. 17. Ea Sunderoldi immortali cum gloria conjuncta animi magnitudo fuit, quod fluctuoso Regni Lothariensis tempore, Nortmannis ingenti terrore extrema Mosæ Rhenique fluminum irrumpentibus, ac mediterranea invadentibus, ipse inter alios proceres pro Patria pugnans, in acie profusa vita, vix gustato Archiepiscopatus honore, in occasu suo, fidi Reip. Principis splendorem retinuit, &c. Successit magna rursum Ordinis gloria, Regij generis splendore contempto Monachus Augiensis, ac dein Abbas Hattho, de cujus laudibus suo loco. Trithem. Baron. Bisc. qui brevi sed grandi juxta encomio Hatthonis glorię applaudentes hoc anno, ubi de Subderoldi sive Sunzonis morte egissent, sic de Hatthone: *in locum ejus subrogatur Hattho Abbas Augiensis Monasterii, Totius Germaniæ Bono; utpote qui ad restituendam collapsam Ecclesiasticam disciplinam plurimum laboravit, cujus rei causa Generalis conventus Episcoporum est collectus.*

A.C. 892. S.P.N. 412.

RVrsum Ecclesiam circumamictam omni varietate, sacratissimo suo sanguine tingunt, pinguntque Monachi nostri, interq; illos hoc præcipuè anno Sanctissimi Prumiensis Cænobii Cænobitæ laudatissimi : quorum agones Regino descripsit, tunc temporis digna fuga vitæ consulens, quam egregiis sanè laboribus reservavit, & ipsius Cænobii præfecturæ, atque alia inter operi illi celeberrimo, quo ab origine Mundi, ad usque suatempora Chronologiam pertexuit virorū doctissimorum manibus in hanc usque diem tritissimam, quoque de re Historica meritissimus, gratiam ab omni æternitate, cum summa gloria meruit. *Tritb. Yepes, Baron. Bisc.*

A.C. 893. S.P.N. 413.

QVanti faceret, quantumq; speraret, in sanctitate industria, & ope Beatissimi Fulconis ex Abbate S. Bertini Rhemensis Archiepiscopi, Ecclesia Christi universa, patet ex datis hoc anno litteris ad eundem Formosi summi Pontificis. In quibus, Baronio teste, *monet eum debere compati Romanæ Ecclesiæ, atque imminenti ejus subvenire ruinæ* (intelligis nimirum auctoritatem Fulconis, quæ sufficere in sustentationem Ecclesiæ apta videtur Formoso ipsi) *nec ei suam præsentiam denegare* (invitat eundem Romam) adjungens undique hæreses ac schismata pullulare, *nec, qui ad resistendum occurreret, esse.* Dicitque longo retroacto tempore perniciosas hæreses Orientem confundere, & Constantipolitanam Ecclesiam nociva Schismata perturbare. Simul etiam Regionis Africanę legatos insistere responsa petentes, pro dudum exorto inter Episcopos ipsarum provinciarum Schismate. Diversarum quoq; partium legationes diversa responsa petentes instare. Cujus rei gratia Generalem Synodum die Kalend. Mart. Indict. II. se inchoare disposuisse, ad quam eundem remota omni dilatione, admonet festinare, ut colloquendo largius de his valeat pertractare, &c. Debet Rhemensis Ecclesia Fulconi eidem plurimas professiones, villas, inique dudum subtractas, ab eodem autem recuperatas, de quibus ipse datis ad Pontificem litteris agens, easdem, ut confirmaret summus Pontifex, impetrat.

Clarissimus eodem tempore Amelricus ex Monacho Wisenburgensi Episcopus Spirensis cui hoc ipso anno mortuo successit ex eodem Cænobio Eberhardus, sive Gebhardus. *Vid. Clem. Rob. Yepes Regino.*

Rursum strenuè laborat, & imortaliter meretur B. Methudius noster, ex Moraviæ Apostolo Apostolus Boemorum prę cipuus effectus, ipso Borivorio Duce eorū Christianæ fidei præceptis imbuto, & sacris undis expiato, sciscitanti, ignorantiū, & barbarorum more, qui utilitate solum omnia metiuntur, quidnam inde sibi lucri accederet, si, pluribus neglectis, Deum unum coleret? Methudius, præter æterna prophetico spiritu felicitatem suæ suo ex sanguine posteritatis prædixit; *Hæc,* inquit, *Deus rerum omnium author, & cognitor, tibi per me significari jussit: si tu abrenunciaveris idolis, & diabolis illa inhabitantibus, eris dominus dominorum tuorum. Omnes inimici tui te pertimescent. Progenies tua futuris temporibus amplificabitur sicut fluvius, quem subintrant rivi multi, etenim Moraviæ Regnum in stirpem civitatemque tuam quam nunc incolis transferetur.* Hæc Methudius, quæ postea eventus comprobavit, & Borivorius suscepta semel fide, Divini amoris flammis accensus, aurora, & Lucifer Christianæ Religionis à suis merito est appellatus. *Dubravius AEn. Sylvius, Pontan. Yepes, &c.*

A.C. 894. S.P.N. 414.

QVantumvis gravia sibi, diœcesique urbique Rhemensi non nesciret mala iminere Beatus Fulco noster Rhemensium Pontifex, Iustitiā potiorem habuit, & Galliarum Regno pro virili consuluit. Formosum Romanum Pontificem serio cohortatus, ne confirmationem Caroli legitimi successoris in Regno Franciæ prohiberet; verum afflictis Galliæ rebus consuleret, atque Odoni Regnum invadenti, utcunque posset auctoritate occurreret, immo Arnulphum atque eundem Odonem, à bello absterritos, etiam anathematis, ni pareant, interminatione cohiberet. Luit justitiæ zelum, & patriæ amorem indignè Fulco, Rhemis, & quæ Præsulatus erant impiè ab iisdem quos prohibuerat vastatis, durante tamen contra scelera constantissimo Pontifice, & à Deo remedium flagitante. *Rer. Gall. Scriptores Baron. Bisc. aliique.*

Anno eodem Suatacopius Moraviæ Rex, quanti cucullum faceret, non multò post conversionē ex Gentilitate ostendit,

eo bono ita contentus, ut ad mortem usque Regem se, & Suatocopium fuisse libenter dissimularet. *AEneas Silvius in Hist. Bohem. Yepes, &c.* Ex ingenti Principum numero excellunt Æthelswitha uxor Burrhedi Merciorum Regis, filia Ælfredi Anglorum Regis, & S. Algina ejusdem Soror Schasterburiæ Ordinem nostrum professæ. *Vid. VVestmon. Polyd. Virg. &c.*

*A.C. 895.* *S.P.N. 415.*

CElebratum hoc anno Triburiense Concilium in quo nostrorum suma à Pontifice, & S. R. E. Cardin. auctoritas fuit, ut sanè obstupescat qui audiat tanta illic sydera confluxisse. *Videndus Antonius de Yepes, hoc anno.*

Claret egregia Sanctitate, & imortalibus meritis Beatus Tuto ex Monacho S. Emmerami Episcopus Ratisponensis, cui illud debet Germania universa, Magni illius, & Divini Dionysij Galliarum præcipui Tutelaris corpus in Patriam intulisse, quod hodieque in D. Emmerami conditum Cænobio servari, quidquid reclamēt Galli, certo credimus, & si quid scienti, licet, constanter affirmamus. *Vid. VVig. Hundius.* Intulit, & alia, Arnulfo Cæsari comendatissimus, & de Ratispona inprimis Vrbe ampliata; & gloria auctissima, meritissimus.

*A.C. 896.* *S.P.N. 416.*

ABundante licet nostrorum meritis amplissimis, & exundante hoc tempore Germania; liceat tamen ab una unica Diœcesi Constantiensi provinciæ universæ mutuare. Ita in tomo 2. ejusdem. Salomonis Constantium præsulis (fuit is familia comes de Ramswag. ordine Benedictinus, Cænobio Sangallensis Monachus) toto Romano orbe celebre nomē, & prima ab Rege ac Hatthone nostro Moguntino, auctoritas. Nihilque quam volentibus his ac jubentibus in Imperio gestum. Hatthonem vulgo, *Cor Regis* dixere. Et dubium habueritne verius an fuerit. Illud *Benedicti Patris, & Benedictæ Constantiæ* (sic res Benedictinas Constantiensis Diœcesis, & hoc titulo designam9, & tomis quinq; complectimur) *singulare* & multis jam annis tales habuisse, quorum prima post Cæsares gloria, etsi quæ re bene gesta, laus nostrorum magis, quā Cæsarum fuerit. Magno Carolo ac Pio filio probata res. Heythonem, & Waldonem habuere. Crasso dein ita Monachi cordi fuere, ut supremo infortunio Asylum appellaret. Nec sæculi unius felicitatem hanc Monachorum, an Imperii, fuisse postea ostendemus. Propagavit in ulterius Salomon, & Wittegoviis Augia, Divi quoque Galli Burcardis splendorem diu post retinuit. Ita nos loco cit. & totius anni, cæteris studiosè occlusis, hoc unum damus.

*A.C. 897.* *S.P.N. 417.*

ORdinem immo orbem exornat universum Fridericus Caroli Calvi filius Lotharij ac Carolomanni Frater, Monachus Fuldensis, Patriarcha denique Aquilegiensis, inter alia præclarè facta seu instituta, dignissimum illud, & gloriosissimū Magnæ Virgini, Admirabili Matri Festū Conceptionis, primus & instituens, & celebrans. *Vid. VVion. Stengel. &c.*

Virorum illustrium doctrina ac Sanctitate ingens numerus. Solus Trithemius obiter res nostras perstringens multos rursum circa hæc tempora recenset. Inter alios Linthelmus Magister Scholarum Hirsaugiensium, *in omni scientia doctissimus, qui tantam in docendo Monachos diligentiam adhibuisse legitur, ut multos jam deinceps propter inæstimabilem scientiæ prærogativam, ad diversa Cænobia Monachos Hirsaugiensis Congregationis Abbates, & plerosque etiam Episcopos fieri contingeret, &c.* Rupertus in D. Albani Moguntiæ Græcè, & Latinè doctus, cujus ingenii extant præclara monimenta plura. Sebulo Abbas S. Dionysij, tanta auctoritate atq; fama, ut ob sapientiā, prudentiamq; planè admirandā. *Regibus etiam ipsis esset metuendus* (dicere nimirum voluit) *reverendus.* Berno ex Comite Abbas Gigniacensis: Odo Turonensis. Sigismundus ex Monacho Hirsaugiensi postea Episcopus Halberstattensis, Cunzigo, & Hardericus Monachi Hirsaugienses, de quorum scriptis consulendus *Trithemius, Chron. Hirsaug. & lib. de script. Eccl. &c.*

*A.C. 898.* *S.P.N. 418.*

ITerū, suo jam quasi jure, sane tot sæculorum deinceps, & ante hac consuetudine Apostolicū jus noster sibi ordo vendicat, & usurpat; non Adelgario solum Bremensi Archiepiscopo Danorum, Suecorum, &c. Apostolo, sed & VViggario sive VVidogero ex Ottobuurensi Asceta Augustano Pontifice, Helvetiorum

rum denique Prædicatore, verè Apostolico. *Consul. Const. Bened. ex MS. VVeingart. Democh. VVion. &c.*

Dignissimum hoc anno factum B. Fulconis nostri Rhemensis Pontificis, quod Baronius celebrat; cũ pace paulo ante inter Odonẽ, & Carolũ Reges composita, rursumque rupta, Carolus diffisus viribus cum Normannis inire fœdus, & eorum auxiliis bellum gerere decrevisset. Quod statim, ut audivit Fulco (audi quo eum titulo condecorant Baronius, & annales concinn.) vir præstantissimus, Sacerdotali constantia restitit, atq; ab instituto revocavit, gravissimã ad eum scribens Epistolã cujus partem adferunt Frodoardus, & Baron. Debet hoc Gallia, & Imperium universum, Fulconi nostro, pestem hanc non advocatam, multo minus admissam. Sane, & Carolo salutaribus monitis parenti adfuit Deus, & iniquum mox sustulit adversarium, quem nulli Normannorum copiæ evertissent. Multus in laudibus Fulconis. *Baron. Consul. &c.*

*A. C.* 890. *S. P. N.* 419.

ALius rursum Apostolus Frisiæ agros percolit, senticetis obnoxios, & zizaniis faciliores, Sanctissimus Radbodus noster ex Monacho S. Salvatoris Trajectensis Episcopus; vir genere Illustrissimus, (ex Regio nimirum Francorum, & Frisiæ Regum sanguine editus, Radbodi cognominis Frisiorum Regis pronepos) sic virtute, & sanctitate admirandus. De meritis ejusdem, & laboribus fusè hoc anno Yepes, extatque vita, tomo Surij Sexto. Cujus exigent illustria facta, etiam alibi nos ejusdem facere mentionem.

Ad Divi Galli Helvetiæ Sydera tria splendidissima Germaniam omnem illuminant BB. Notgerus Balbulus, Ratpertus, & Titulo, omnes maximorum Principum familiis oriundi, & ad antiquos Saxones genus referentes, quorum singuli, non annos solum singulos requirerent, verum sæcula plura, si & vita, & laudibus implerent. *Const. Bened. MS. S. Gall. Mezlerus, Marian. Bucelin. &c.*

Tantis tamq; profundis radicibus pietas à SS. Methudio, & Cyrillo nostris in Borsivorij sive Borsinoi Boemorum Ducis pectore est plantata, ut adversa quævis, Christiani nominis causa magnanimiter perpessus, Principatu etiam dejectus, nihil de fervore semel concepto remitteret, Methudiique promissis confisus, solius se Numinis arbitrio libens permitteret. Vt autem perpetuo nostri præter fidei semina, Admirabilis Matris Virginum Virginis honorem propagare perpetuo studio conati sunt, ejusdem etiam Borsivojus ope implorata, templum consolatrici afflictorum vovit ubi primum in Principatum suum restitueretur. Mirum dictu; Adsunt, paulo post emissum votum, Boemiæ legati, reditum sui Ducis constanter flagrantes, reversusque cum Cyrillo Princeps optimus, & Ludvillam exin conjugem, & populi ingentem multitudinem insigni, & felici rerum successu à Cyrillo benè instructos baptizari curavit: tertioque ab reditu die, templum Lætæ Curiæ Pragę Veteris in B. M. V. Assumptæ honorem propriis sumptibus exædificari imperavit, tanta deinceps rerum omniũ per Boemiam consequente abundantia, ut ab imemorabilibus annis felicitatem illam Boemiæ nunquam obtigisse, ipsi etiã Gentiles faterentur, & ad fidei Christianę sacra amplectenda summopere accenderentur. *Ex Dubravio, Sylvio, Pontano, Iepesio, &c.*

*A. C.* 891. *S. P. N.* 420.

HOc anno, verba Bilciolæ ponimus: laudatissimus ille Archiepiscop9 Ecclesiæ Rhemensis; Fulco, columen Francorum Ecclesiæ, jussu impij Balduini Flandriæ Comitis, interfectorum Duce quodam Winismaro, interficitur: quod ipsum invadentem res Ecclesiarum privatis, litteris, atq; Synodalibus monuerat, atque arguerat Sacerdotali libertate pariter & charitate, cujus rei causa potissimũ eum sibi reddidit infensum, &c. Dein agit de Winismari interremptoris dignissima tanto scelere morte. Rursumque de meritis Fulconis subdit: Ecclesiam Rhemensem ab eodem mirificè illustratam, & inter plura corpora Sanctorum etiam S. Remigii reductum, ab Orbacensi Cænobio in Civitatem Rhemensem. Subjicit ex Fodoardo de Scholis liberalium artium ab eo institutis. De eodem sic Henricus Costerus in Arbore Bertiniaca. Sanctus Fulco Archiepiscopus Rhemensis, dictæ domus (Cænobij Bertiniani) religiosus, Martyrio pro defensione Ecclesiasticæ libertatis coronatus XV. Cal. Iul. Ann. C. M. Fuit tutor Regis Caroli, imo Pater ejus, cujus prudentia atq; auctoritate totũ omnino regnũ nitebatur

batur, quodque ipse multis annis gubernabat. De quo Yepes noster consulendus. Reliqua ejus merita, quia grandia, & multa nimis, nunc præterimus, pauca ex Epitaphio ejusdem cognoscenda proponimus.

*Hoc tumulo Magni Fulconis membra teguntur,*
*Rhemorum Sedis Præsulis eximii, &c.*
*Hunc Deus assumptum statuit virtute probatum*
*Ecclesiæ speculum, Pontificemq; piũ, &c.*
*Auxit Episcopium, super addens plurima rerum.*
*Vrbis, & istius mœnia restituit.*

Imo non restituit, quando ex probatissimis, & Synchronis Scriptoribus constat Hincmari nostri tempore, muris cinctam non fuisse, ut Rhemorum inclita civitas etiam Ordini nostro, & Fulconi debeat, primo se munitam atq; exornatam fuisse.

*Orbis honor, Patriæ Tutor, pietatis amator*
*Pro studio pacis, confoditur jaculis, &c.*

Vid. Yepes, Miræus, Ferreol. Locr. Iac. Meyerus, Frodoard. Cl. Rob. &c.

Claret eodem anno B. Margarita Veneta S. Euphemiæ de Majorbio Monialis miraculis hoc ævo spectatissima; Sanctiq; Ordinis innumeri. *Scardeon. aliique.*

*A.C.* 901. *S.P.N.* 421.

SAcratissimus hic annus est incredibili copia Sanctorum Martyrum nostrorum, ab ingruentibus undique Gentilib9 peremptorum. Sola Sicilia locuples seminarium Martyrum fuit, jam aliquoties à barbaris infestata, sed tanto semper postea felicioribus nostrorum incrementis aucta. Hoc anno invadentibus rursum Saracenis, ac Monachis plerisque ad S. Placidi Messanæ Cænobium confugientibus (sicut reliquos Italiæ Monachos ad S. P. N. Casinense se recepisse superius dixeramus) purpuratorum inde laureatorumque Christi militum electus exercitus, cæloque sanguine transcriptus est. De his Wion in Martyrologio Benedictino. Messanæ in Sicilia passio infinitorum Sanctorum Monachorum, qui ab Abraymo Sarracenorum Duce pro Fide Christi necati sunt. Petrus Diacon. retulit ad priorem annum. *Anno*, inquit, *Domini* 900. *indict.* 3. *die* 1. *Augusti*, *Sarraceni cum Abraymo Rege suo à Babylonia, & Africa advenientes, Siciliam invadunt, & Monasterium S. Placidi ingressi evaginatis gladiis Monachos aggrediuntur, illosque Christum negare, & nefandam Religionem venerari compellunt: quod dum contemnerent, omnes in eodem loco una cum Monachis Casinensibus, qui ibi ab Abbate suo directi fuerunt Sarracenorum gladiis occisi sunt, &c.* Vidend. Ant. de Yepes, Leo Ostien. & citatus Petrus Diaconus Cassinens. Auctor item Martyrij S. Bercharij. Illustri exemplo, multis, & æternum, proceribus, contemptu sæculi præivit, atque hoc anno, abdicatis à se Vasconum, & Navarræ Regnis, Monachum professus est Fortunius, verè Fortunatus, in Monasterio S. Salvatoris Leirensis. *Vid. Ambros. Moral. Ioannes Mariana, Yepes, &c.*

Fit eodem anno difficillimis sanè temporibus, bono Ecclesiæ maximo Sumus Pontifex Ioañes IX. ex Monacho Sanct. Benedicti Tyburtino. *Yepes, Baron. Panvin. Platina, AEquilin. &c.*

*A.C.* 902. *S.P.N.* 422.

ILlustrior honorum contemptu, quam quivis ex sæculi hujus honoratissimus, Sanctus Grimbaldus Monachus, & Abbas Sithiensis, cum ab Eduardo Rege ei Cantuariensis Archiepiscopatus deferretur, laudatissimo neglectu contempsit, sola ibidem Wintoniensi Abbatia contentus, Ejus ingens meritum, par cum B. Fulcone Rhemensium Antistite, causa, propter quam Sanctus hic vir, *pro defensione* nimirum, Iperij verba sunt, *Religionis & libertatis Ecclesiasticæ*, in exilium profectus, in eoq; mortuus. Ferreol. Locr19, Yepes.

Smaragdus Abbas quamvis alij in annis non consentiant, vir eruditissimus sæculum hoc exornat, in Scripturis Divinis præcipuè, jugi nimirum earundem studio, exercitatissimus, quem Trithem. lib. de script. Eccles. Aurigam vocat disciplinæ Regularis, & qui Sanctas scripturas exponendo longè latèque Nomen suum coñendavit, magna opinione, & scientiæ, & conversationis Sanctæ comparata. Propter plures coñentariorum in Scripturam Tractatus, ejus libri hodieque in manibus omnium tritissimi. *In Regulam S. Benedictini liber* 1. *Diadema Monachorum, lib.* 1. *In totum Psalterium lib.* 1. *Sermonum plurium, lib.* 1.

Trutpertinum Cœnobiũ per Comites Abtenburgenses restitutum, ubi iidem qui & Habspurgenses, conditi jacent. Ex eo deinceps Monachorum illustrium plurimi effulsere. *Const. Bened. MSS. Trudpertina, &c.*

A. C.

A.C. 903. S.P.N. 423.

ITerum Fidei testes egregij ex Ordine nostro, Ecclesiam purpura sanguinis condecoraverunt. In solo Nonantulano Cænobio, plurimi contrucidati, de quorum numero quamvis non constet inde colligas licet, maximum fuisse, cum non ita pridem S. Anselmi Abbatis ejusdem Cænobij memoriæ consulentes, asseruerimus, mille centum, & quadraginta quatuor Monachis ibidem præfuisse, numero interim si non aucto, sanè parum iminuto. *Yepes, Sigonius, VVion, Baron. &c.* Et quantum quæso debebit Orbis Ordini nostro, tot tantorum Patrocinio, mille utique è periculis ereptus, & deinceps eripiendus, imo tam gloriosè pictus, impinguatus, & exornatus.

A.C. 904. S.P.N. 424.

MAgno extincto lumine luget Germania, B. Ratperto nimirum ad D. Galli Monacho. Ita mortis annum in Constantiæ nostræ Benedictæ to. 2. contra Sangallenses ipsos signamus. Inter alia, quibus egregiè de Germania meruit (Scholis quippe sæcularium multo tempore præfectus, viros doctissimos summo Patriæ bono instituit, ac formavit) Ecclesia illi debet universa, Hymnos sive cantus plures ab eodem compositos, ut hodieque ex corde Majorum nostrorum, sensuque plausum Deo, ac superis universis faciamus. Meminit ejus operæ Eckhehardus Minimus S. Galli item Monachus. Scripserat idem, inquit, librum de Casibus Monasterij, incipiens à temporibus S. Columbani, usque ad Salomonem Episcopum. *Dictaverat etiam Litanias, quas Ecclesia canit per totum Orbem in diebus Rogationum, præter alia plura quæ fecerat, &c.* Ejus egregia illa ab Numine petitio: qua serio precatus est, *ut se diutius morbo coqueret.* Mortuus inter discipulorum manus, cælum triumpho implevit. Celebratur, & illud ejus dictum; quod propter, non ita gratus remissioribus in rigore Monastico fuit: *Labes Monasteriorum maxima impunitas.* Ex scriptis diversis rerum S. Galli, &c.

Clarescit item magis magisque Beatus Notkerus ejusdem Cænobij Monachus, inferis ipsis semper formidandus, quibuscum frequentius acerrimè conflixit, & dæmonem non semel, corpore assumpto assultantem, verberibus strenuè dedolavit. Eodem ipso tempore copia Sanctorum ingens Cænobij ejusdem, ut solum posset colonias in singulas Germaniæ provincias Sanctorum integras emittere, quamvis hinc singulæ suis abundarent, *script. Sangall. rer. &c.*

A.C. 905. S.P.N. 425.

AFflictissimo Reip. Christianæ statu, barbaris Regna omnia vastantibus, direptione, incendio, cæde omnia miscentibus, diversis pro Imperij Corona decertantibus, illud maximis malis, gravissimum insuper accessit, sæculi principes, quantumlibet Christianos, jus sibi Pontificis Romani eligendi arrogasse. Obtigit denique singulari Dei dono, legitimus, atque imprimis Ecclesiæ utilis ex Ordine nostro Pontifex *Ioannes IX.* quem superius dixeramus anno Christi 901. electum in quo uno nonnihil longus Christianorum, & fidelium labor & dolor semetipsum solabatur. Ingens planè, & imortale meritum Ioannis, brevi Pontificatu tria Concilia celebrasse, rebusq; Fidei præclarissimè consuluisse. De ejus laudibus videantur Anton. de Yepes noster, Platina, Illescas, &c. ejus sepulchri Epitaphium Manlius exscripsit dignissimum, quod inseramus.

*Ecclesiæ specimen clarissima gemma bonorũ*
*Et mundi Dominus hic jacet eximius,*
*Ioannes meritis, qui fulsit in ordine nonus*
*Inter Apostolicos quem tulit altitonans.*
*Conciliis ternis docuit qui dogma salutis.*
*Observare; Deo munera Sacra ferens.*
*Temporibus cujus novitas abolita mali est.*
*Et firmata Fides quam statuere Patres.*
*Qui moriturus eris, lector, dic: Papa Ioannes*
*Cum Sanctis capiat Regna beata Dei.*

A.C. 906. S.P.N. 426.

ITerum Martyribus nostris fæcundissimus annus, Nortmannis, Vngaris Saracenis multos passim contrucidantibus. In solo Novaliciensi Cænobio, etiam altera vice, pleni manipuli cælo illati, & plurimi concisi sunt, eo nimirum Cænobio Monachis semper frequentissimo. De ejusdem unius Cænobii Bibliotheca hoc ipso anno, libris ejusdem in Catalogum relatis, reperta librorum sex millia, sexcenti insuper sexque & sexaginta. Vt inde labores nostrorum æstimes, & diversas toto orbe Bibliothecas in Cænobiis nostris, bono universi, & posterorum asservatas, quidq; debeat asservantibus posteritas omnis, judicium feras. *Ex Pingonio in Aug. Tarv. Yepes, &c.*

*A. C.* 907. *S.P.N.* 427.

ITerum è Nostris summum Pastorem Romanorum Pontificem assumit Ecclesia, Sanctum Leonẽ, eo nomine quintum ex Monacho de Brandalo Congregationis, primæ Benedictinæ; egregia Sanctitate virum, quem impiè Christophorus presbyter Cardinalis in carcerem detrusum, abdicare à se summum honorem coegit, dein Cœnobio inclusit, ubi afflictæ condolens Ecclesiæ, paulo post dolore contabuit. Christophorus intrusus & ipse post 7. ferè menses dejectus, Cassinum se contulit, ibique Monachismi rigore scelus expiavit, & mœrorem solatus, est. *Baron. Yepes, VVion. &c.*

Illuxit hoc tempore egregio doctrinæ, sanctitatisque nomine Germaniæ universæ, Beatus Tutelo Sangallensis Monach9, artibus Apellæa, Poetica, Oratoria, Musica celeberrimus, Latina, Græcaque lingua exquisitissimè eruditus, cui Ecclesia etiam debet universa, cautus plures in Divino officio usurpatos, quo (ejus nimirũ doctrina, & sanctitate illecti) maximi imperatores per litteras familiarissimè usi sunt, Carolus imprimis Crassus, componendi cantus Eccles. rationem à nostris edoctus, qui cum Tutelone subinde pia quadam æmulatione concertans, compositione alterna, semet concitabant, Tutelonem non Cæsares, sed ipsa Cælarum Imperatrix, Cælique Regina, maximi faciebat, ita ut quandoque in sua imagine Metis depingenda laboranti, ipsa assistens, non solum præsentia sua illum honoraret, verum etiam colores ministraret, radium, sic vocant veteres, sustineret: cumque eo miraculo proditum se animadverteret Metensibus, occultè imperfecta relicta imagine, ad Divi Galli aufugisset, ipsa imaginem absolvens, Tutelonis opus perficeret, ac raro miraculo cõmendaret. *Vid. Const. Bened. Script. rer. Sangall. &c. Compend. Bucelini, &c.*

*A. C.* 908. *S.P.N.* 428.

SAlomoni ex comite de Ramswag. (illustris olim, quæ nobilis hodie, familia fuit) Monacho S. Galli, dein Constantiensium Pontifici, iterum debet Germania, urbem amplissimam, etsi non primo conditam, tamen præcipuè auctam, ornatam atque munitam) *Constantiam* nimirum ad Rhenum, quam tanto ampliorẽ, firmioremque, quam fuerat extruxit, ut facile invadentium frequentius Germaniam Vngarorum impetum, non sustineret solum sed eluderet, atque frangeret, *Secundi conditoris* Titulum jure sibi Salomone vindicante. De hoc nos pridem egimus in Constantia nostra Sacra profana Romana Alemannica. *Vid. Crusius, Chron. pl. Const. MS. &c.*

Ordinem nostrum, & Regium juxta generis splendorem, rarissima vitæ sanctitate nobilitat S. Verona Ludovici Germaniæ Regis filia, id in Cœnobio consequuta, ut à morte Divorum catalogo adscripta, meruerit ab universo æternum honorari, quæ nisi Regnum reliquisset, in solo illo, & paucis dum viveret annis honorata, & dubium, an gratia, subditis fuisset. *Cratepolius.*

*A.C.* 909. *S.P.N.* 429.

MOritur, ut immortalis fiat Sanctissimus, & meritissimus de Suecis, Gothis, Frisonibus, eorundem Apostolus, & prædicator egregius Adalgarius ex Monacho Corbeiæ Saxonum Bremensis Archiepiscopus. De quo plura in vita Sanct. Ansgarij, & Remberti, paulo post proponemus, & meminit ejusdem Grantzius, Trith. Alb. Stad. &c.

Succedit eidem, pari zelo fervens, & laboribus indefessus, S. Hogerus sive Otgerus, Corbeiensis item Monachus, qui ut & antecessor, gravissimos inter tumultus, & discrimina infinita, imperterritus saluti animorum intendens, suam corporis libentissimè neglexit. *Vid. cit.*

Claret item apud Herbipolim, ejusdẽ Vrbis Episcopus ex Monacho Neostadiensi Thiedo. *Vid. Demochares, Belforest. Brusch.*

*A. C.* 910. *S. P. N.* 430.

S. Notgero Balbulo Ecclesia acceptas referat necesse est Sequentias, sic vocamus, cantum illum, qui SS. Missæ Officij Graduale sequitur ab ipso compositas, ea gravitate juxta ac suavitate, ut Innocentius Pontifex, qui præerat Ecclesiæ Friderico II. Imperante, vel ab ipsa quidem cantus dulcedine argumentum sumeret, ejusdem rarissimæ Sanctitatis, quod non nisi Spiritus Sancti singulari dono ejusmodi componere potuisset. Exaudiuntur in hodiernum usque diem, suavissimę Notgeri compositiones, & non nisi ingenti affectuum motu, & concitatione, etiamnũ vix sine lachrymis à piis toto orbe clericis atque Monachis decantantur,

laude utique semper, & merito aliquo in Notgerum, & ordinem reduntande. *Ex Const. Benedict.* Fundatum circa hoc idem tempus Cænobium illud Augustissimum Cluniacense, cujus si intelligere velis profectum, ut numerum colligere perfectorum Monachorum cognoscas licet ex numero Cænobiorum, quæ sese Divi Odonis arbitrio submisere, cum eorum supra duo millia numerentur, & si cujus eorundem duos tresve probioris notæ Monachos assignes, dignam sanè uno Odone provincia Sanctorum numeres, cum plurima constet singula, plures sexcentis perfectis aluisse. *Yepes, &c.*

*A. C.* 911. *S. P. N.* 431.

AVgiensis cænobij tanta ex famæ incrementis celebritas, ut Græcorum etiam animos percelleret, & ad se usque pertraheret. Elucescit hoc anno rara ibidem Sanctitate Beatus Simeon Achaic9, cognomento Bardo, ex Græcia oriundus. Is summis honoribus sublimis, primus Magnatum Constantinopolitanæ, aulæ, Belli Imperator supremus, & unius Provinciæ Dux, monente intrinsecus Numine, calcatis omnibus, valedicto Patriæ, in Germaniam, Augiamque delatus, Monachum ibidem professus, eximiis virtutibus se ipsum excolens, ad triumphos æternos præparavit. Illustrissimorũ Principum, Comitum, & præcipuorum Germaniæ Magnatum, eodem tempore ingens in Augia numerus, ut uni illi Cænobio successu temporum debeat Germania, patriæ Nobilitatis non pauca millia cælo asserta, cum septem ferè sæculis, non nisi ejusmodi Magnatibus in Augia locus esset, tanto tunc numero Principes patriæ nostræ consecrare se Numini in cucullo gestiebant, & concertabant. *Ex Ochemio, MS. Chron. Aug. Pereg. B. Sim. &c. AEgonio, &c.*

Rebus præclarissime gestis, Germaniā atque Imperium demeretur Hattho noster Moguntiæ Archiepiscopus, sed & rei Ecclesiasticæ egregiè consulens, ut Baronius aliique attestantur, multorum tamen invidentium subinde calumniis laceratur quas nos facile ab ipso avertimus, *tom. 2. Const. Bened.*

*A. C.* 912. *S. P. N.* 432.

BEati Notkeri Balbuli Sangallensis Monachi morte gloriosus hic añus. Tanti habitus ab Imperatoribus hic vir Sanctus, ut ad eum frequentius inviserent, & de rebus gravissimis ejus mentem exquirerẽt, quibus precum suffragio non solùm verum Concilio plurimum profuisse, adeoque Germaniam strenuè demeruisse arbitramur. Miraculis à morte claruit innumeris, & recentissimis etiam nunc benefacere sese interpellantibus non desinit. De ejus nos præclarioribus vitæ gestis multa, & rara in tomo sæpe citato Constantiæ nostræ Benedictæ secundo. Reliquit alia inter sequentia ingenii monimenta.

De vita S. Galli, lib. 3.
Vita ejusdem Hexametricè, lib. 3.
De expositionibus Sacræ Scripturæ, lib. 1.
Martyrologium. Extat to. 6. Henrici Canisij.
Vt videas quam strenuè nostri semper pro Martyrum honore laborarint.
De Musica, & Symphonia, lib. 1.
Epistolarum ad diversos, lib. 1.
Sacra Epigrammata varia.
De vita Caroli Magni, lib. 2.

Eodem ipso tempore claret S. Welfridus ex Comite Nagolts & Kalvu primus Abbas in Hohenwiel, hodie castro munitissimo, vir sanctitate, & prodigiosè factis celeberrimus, *lib. cit.*

*A. C.* 913. *S. P. N.* 433.

MOritur, & ad feliciorem migrat vitam Hattho Moguntinus Archiepiscopus Augiensis Monachus, Germaniæ decus & Salus; quem ob egregiè gesta, & ab his Cæsarum in eundem propensione, etiam vulgo *Cor Regis* appellavere, fuit Regum Galliæ sanguine oriundus, quem perperam alij Regis Galliæ filium dixere; Arnulphi Cæsaris compater, Ludovici Quarti Imperatoris Tutor nonnullis, & quod administratio universi Imperij penè uni ipsi incumberet *Secundus Imperator* nominatus. Beato Salomoni Constantiensi Præsuli familiarissimus, docti uterque convivas fallere, & quando vinum bibere, visi frigidam propinare, & rigorem quo sibi severiores erant dissimulare, & tegere. De utriusque laudibus nos fusius loc. cit. Successit Herigerius, Monachus quidem Ordinis nostri, at incertum cujus Cænobij, nobis certum Augiensem fuisse, sicut & in Constantia nostra asserimus, eximiorum meritorum Antistes, & Imperio utilis. *Vid. Democh. Const. Const. Bened. Brusch. Serarius, &c.*

A.C. 914. S.P.N. 434.

IVra, & bona, Ecclesiæ Constantiensis prima, & antiquissima debent sub hoc tempus defensa, & servata Salomoni nostro Pontifici suo, qui ea propugnando, nec potentissimos quidem Germaniæ Principes reveritus, supremum non semel vitæ discrimen adiit, quoad denique capti Alemanniæ Duces Bertholdus, & Erchingerus, supplicio supremo addicerentur. Impetravit primũ veniã, & gratiã iisdem à Cæsare, verum paulo post eadem contra Salomonem repetentes, atque ideo capitis damnatos non aliter quam à se trucidati essent serio dolens, & de se supplicium exigens, animis saltem illorũ piissimus Pontifex consultum voluit; pulcherrimo exemplo mansuetudinis facem universis Principibus præferens, sicut defensi Ecclesiastici viris Episcopus prætulerat. Ex tom. cit. & constant. Sacra profana.

In Divi Galli tanta Sanctorum copia Ordinem Orbemque illustravit, ut Waldramus hoc ipso tempore Decanus, salutato versibus Cæsare, non dubitarit affirmare, non mille sed millia Sanctorum jam felicem illius Ecclesiæ glebam condidisse; cum constet interim ab hoc primũ tempore longè plures, celeberrima Sanctitatis fama inibi vixisse. *Ex versibus VValdrammi, & Mariani Buzelini Scriptis communicatis.*

A.C. 915. S.P.N. 435.

FElicitate æterna donatus, corpore solutus Magnus, & Sanctissimus Bremensium Archiepiscopus Hogerus, plurimis annis Saxonum, Danorum, Suecorum Apostolatu dignissimè sumo fructu perfunctus, verum hinc Danis ac Sclavis, hinc Bohemis, & Vngaris Saxoniam ejusque Ecclesias laniantibus, se bono publico servare coactus, Namburgumque recipere, eidem sedi sanctissimè præfuit. Ita difficillimis temporibus nostri ab Officio prædicationis nihil unquam remisere. *Baron. Crantzius, VVion. &c.*

Obiit hoc eodem anno exemplum egregiæ virtutis Beatæ memoriæ Angilberta Ludovici II. Imperatoris uxor Ludovici Germanorum Regis filia Abbatissa S. Iuliæ Brixiensis, &c. *Petrus de Ripa Alta. Aimoin. Leo Ost. VVion. &c.*

Claret in Anglia Æthelhunus ex Monacho, & Abbate Bercheleiæ Episcopus Wigorniensis. *Rerum Anglic. Scriptor. &c.*

A.C. 916. S.P.N. 436.

ITerum egregium Apostolum Bremensibus, Archiepiscopum Ordo noster hoc ipso anno dedit Sanctissimum Wimonem, quem alij corruptè Vnni appellant, Corbeiæ Saxonicæ Monachum, qui Gothiam confidens de adjutorio Dei ingressus, efferatissimos bello, & assidua cęde populos, ad mansuetudinem Christi invitans, verbum Dei longè lateque disseminavit. *Helmold. Crantz. Alb. Stad. Trithem. &c.* Electionis ejus sequenti anno meminit Baron. aitq; Conrado, & Henrico Imperatoribus familiarem & reverendum fuisse, nos plures sequuti, arbitramur Baronium, ex missione pallij sequentem annum Ordinationi tribuisse.

A.C. 917. S.P.N. 437.

CÆlum triumphans invehitur egregius Frisonum Apostolus, & Cultor Beatissimæ Matris Virginis laudatissimus S. Radbodus ex Monacho S. Salvatoris Trajectensis Episcopus cujus vita admiranda extat apud Surium tomo 6. & Antonium Yepes tomo 4. cent. 5. Ejus Sacratissimis exuviis clarior Daventria, similibusq; Sanctorum reliquiis plurima universi loca donata atque ornata, famam, fortunas omnes, & felicitatem, Monachis referant accepta necesse est, propter quorum etiam sacra corpora, auctæ aut conditæ Vrbes, sæpe in eam, qua superbiunt hodie, amplitudinem excrevere. Reliquit ingenii partus dignos S. Radbodus.

*De S. Amelberga Virgine, serm.*
*Florum S. VVillibrordi, lib. 1.*
*Vitam S. Lebuini carmine descriptam, lib. 1.*
*De eodem Orationem Encomiasticam.*
*Homiliarum, & Sermonum, lib. 1.*
*Officium quoque integrum de translatione S. Martin.*

A.C. 918. S.P.N. 438.

IMmortaliter rursum debent B. Salomoni nostro Constantienses non solũ, sed & Ecclesiæ eidem subjecta Diœcesis, inter Germanas amplissima, allatas Roma exuvias Sanctissimi Martyris, & Tutelaris Vrbis, atque Episcopatus, Pelagii, cujus huc usque meritis, & Patrocinio florentissima civitas Magni Martyris nomine gloriatur. *Ex Chron. Const. MMSS. pl. & Const. sacra profan.*

Ingens virorum doctrina ac Sanctitate illustrium numerus in ordine claret, &

Episco-

Episcopales Cathedræ pleræque à nostris infessæ, gloriosè administrantur. *Vid. Anton. de Yepes, Trithem. &c.*

*A.C.* 919. *S.P.N.* 439.

MOritur sanctissimè, & felicissimè alter Vrbis Constantiensis Conditor, & Dotator Salomon Episcopus. De quo pluribus nos locis supra cit. Quinque Regibus seu Imperatoribus familiarissimus, ita ut à plerisque eo, & Hatthone inconsulto nihil in Imperio ageretur. Ejus ingenii præclarissima monimenta extare in bibliothecis Sangallensi, Constantiensi & Einsidlensi Hartmannus memorat; servatur & in Bibliotheca Weingarttensi ejusdem labore collecti Dictionarij, seu Vocabularii ingens planè opus, ut inter ardua Imperii negotia, & tumentes bellorum fluctus omnium Doctorum, atque indoctorum mireris comodis providentem, & quasi servientem. Protulit etiam in lucem 1. to. Antiq. lectionum Henricus Canisius, quædam ejus carmine scripta. Illud visum minimè prætereundum, quo agnoscas, & rarum sanè prodigium, & nostros etiam summis honoribus elatos, animo tamen ac voto cum suis semper domi degisse. *Recordatus aliquando, ipsa die, quâ Antiphonam illam Ecclesia solemnem Pater juste, mundus te non cognovit, &c. recitat, & ò,* inquit, *quali studio & vocibus futuram diem* (occurrerat quippe hæc cogitatio ea nec dum die illucescente) *Fratres mei, apud S. Gallum sunt acturi? Illicoque consurgens, plurimis, ex Vrbe equo, curru, nave comitantibus, in Spiritu Dei vectus circa Nonam, Cœnobium ingressus Antiphonam præoptatam, ipse in Evangelium levavit, & clarè præcantavit &c.* ita Eckehardus, &c.

*A.C.* 920. *S.P.N.* 440.

ORiginem Yepes noster celebrat hoc anno potentissimi Cœnobii Albeldensis sive Albanensis in Cispania, quod honori S. Martini Episcopi dedicatum: cujus dein loci Abbates Episcopali honore sublimati, decus egregium Hispaniarū Regnis accessere. Conditum hoc ipso tempore S. Flori in Arvernia Cœnobium Cathedralis item Ecclesiæ dignitate posteà excultum, quod & hoc, aliisque sæculis, Monachis nostris debet Orbis universus, non solum eorundem in gratiam, sive suadentibus ac impetrantibus ipsis Episcopales sedes institutas, sed & honorem eundem Cœnobiis illatum, & potentissimos Episcopatus ab ipsis Cœnobiis sumpsisse initia, non exclusis propterea Monachis, imo iisdem perpetuo eligendi jure, è gremio suo Pontificem eligentibus: Sanctionibus Canonicis ita jubentibus, ut Sanctissimo Patri, & Patriarchæ nostro Benedicto consecrata, ejusdem & filiorum perpetuo maneant: ita attestante Innocentio ipso Romano Pontific. ejus nominis Tertio, in Epistola, quæ in operum ejus Coloniæ editorum tomo 2. pagina 93. legitur, ex qua ista excripsimus: *Ita tamen, quod ab eodem Monasterio Monachi nullatenus excludantur, ne forte venire contra Sanctiones canonicas videremur, quibus provida deliberatione statutum, at quæ semel Deo dedicata sunt Monasteria, semper maneant Monasteria: cum, & hodie generaliter statuatur, ut Ordo Monasticus, qui in aliquo Monasterio secundum Deum, & Beati Benedicti Regulam dignoscitur, institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, &c.*

*A.C.* 921. *S.P.N.* 441.

OPtimè meritus de Patria, Germania nostra Otfridus Wissemburgensis Cœnobii Monachus, cum (quod fieri nostra ætate dolenter advertimus) Teutonicæ linguę, magis magisque vitium accrescere, eique denique prorsum exitium iminere metueret, suo, quocunque, arbitrio, manca, mutila, depravata, dissonantia verba promente, & proferente, solus, quod nemo antehac, dignissimo studio, consulere Germanis ausus, ad certas Regulas, constructionesque grammaticales Teutonicam linguam revocavit; à qua nominum proprietate, ita suo jam tempore Trithemius noster, Germanos queritur discessisse, ut nec intelligere quidem Majorum suorum avitam, patriam, & germanam linguam, ne dum ea uti possint. Fuit hic Otfridus vir in Divinis Scripturis eruditissimus, Philosophicis, Rhetoricis, & poeticis egregiè cultus, scripsit tam metro, quam soluta oratione libros plures: ex quibus sequentes enumerat noster. Trithemius.

*Gratia Theotistæ. incipit. Dignitatis culmine Gratiam, &c. lib.* 5.
*Ad Ludovicum Regem. Ludovico Orientalium, &c. lib.* 1.
*Ad Salomonem Episcopū. Salomoni Episcopo Otfrid. &c. lib.* 1.
*Ad Monachos S. Galli. Otfridus VVissemburg, &c. lib.* 1.

*In Psalterium Commentar. Volum. 3.*
*De Iudicio extremo, lib. 1.*
*De gaudiis regni cælestis, lib. 1.*
*Carminum diversi generis, lib. 1.*
*Epistolas ad diversos, lib. 1.*

A. C. 922. S. P. N. 442.

ITerum grandi merito præter & supra Chronologiæ præclarissimum opus, quod superius commendaveramus, summo & æterno bono Regino noster Prumiensis Monachus, scripsit & perfecit præclarissimum illud opus de Ecclesiastica disciplina, & Religione Christiana, quod ex *Decretis Sanctorum Patrum, & Generalium Conciliorum* duobus libris complexus est, & in nonaginta fere capita luculenter distinxit. *Trithem.*

A. C. 923. S. P. N. 443.

SPlendet Gallia universa Gilderici Abbatis S. Germani meritis, quæ Antisiodorensibus ita ipsum commendavere, ut Vrbis ejusdem Pontifex renunciaretur. Cui debet Antisiodorum celeberrimas illas D. Laurentii reliquias à Ioanne Papa impetratas, & castrum Varziacum ab ipso exstructum. Flodoardus, Clem. Rob.

Rutgerum verò Archiepiscopū Treverensem longè digniora commendant, imo tanto electo Pontifice, collegium nostrorum, qui tum, & multis jam sæculis Canonicorum vicem explebant, egregie comēndatur, ob raram illius quem elegere Virtutem & industriam. Rutgeri labor & meritum imortale fuit: *liber Decretorum* ab ipso compositus seu collectus, quem ipse collecta Synodo probatum laudatumque Solemniter approbavit, & bono patriæ evulgavit. *Const. Cajet. Trithem. &c.*

A. C. 924. S. P. N. 444.

CAthedralem rursum sedem, & singulare provinciarum ornamentum, princeps commodum Germania nostra debet Burcardo nostro Milnensis Saxoniæ celeberrima civitas quem ob rarissimam virtutem, & ab hac famam & gloriā hoc anno Henricus I. Imperator, primū ibidem Pontificem instituit, atque ipse non sine sanctitatis celeberrima opinione laudabiliter gubernavit. *Cratepol. VVion. Trith. &c.*

Clarissimus hoc ipso tempore Richarius Leodiensis Episcopus, ex Abbate Stabulensi. *Vid. Baron. Anno 922. AEgyd. Bucher. &c.*

A. C. 925. S. P. N. 445.

VNgarorum incursione cruentus hic annus. E nostris non pauci Cælitum numerum auxere. In Divi Galli, celeberrima illa Martyr nostra Diva Wiboradis, decus singulare, illustri triumpho Germaniæ addidit. Octavo ab Martyrio die, tribus, quæ in capite acceperat, vulneribus, sponte coeuntibus, dormienti similis, & supra quam videbatur vivens, formosa apparuit, pede brachioque rigore contractis, libitinæ, grandi prodigio, se ultro accommodans. *Vid. Const. Bened. & Sangall. rer. script.*

Clarent eximia virtutis, & doctrinæ fama, Hirsaugienses, S. Galli, S. Albani, Augienses Monachi; celebratissimus inter alios Dethmarus Hirsaugiæ Abbas; *de quo Chron. Hirs. Trithemii consulend.*

A. C. 926. S. P. N. 446.

ADmiratione etiam Fidei hostes detinet, comovetque paratissimæ virtutis rarissima imagine, Sanctissimus Guilbertus noster Gemblacensis Cænobij Fundator & Monachus; qui neque Imperatore quidem cū exercitu occurrente, prior ipse, & solus occurrit insanienti Vngarorum genti, & consternatis constantia viri ipsis Victoribus, Christi Evangelium deprædicavit, dignissimo sanè Apostolatu, fortitudine seu magnanimitate incredibili Idolomaniam eorundem acriter redarguens, & multos Christi servitio emancipans. *Et vita, & Anton. de Yepes.*

Debent, & Constantienses circa hoc ipsum tempus Vrbem suam ab immanitate hostium liberam Salomoni Episcopo, ita munitam, ut Vngari, plurimis, & celeberrimis Germaniæ Vrbibus occupatis, & eversis, in istam nulla vi quidquam proficerent, suburbana tantum propugnatoribus vacua diruerent, atq; incenderent. *Const. Sacra, Profav.*

A. C. 927. S. P. N. 447.

ADdidit egregium Germaniæ nostræ decus Beatus Hildebertus noster ex Monacho, & Abbate Fuldensis Cænobii Archiepiscopus Moguntinus, hoc ipso anno electus, (sunt qui priore contendāt) de Imperio universo meritissimus, quod ejus præcipuè consiliis, auctoritate, atque sanctitate nitebatur, Otthone maximè Magno imperante, qui Hildeberto Archicancellario benè usus, tanto libentius

in agendis ejus arbitrio ducebatur, quanto certius non de prudentia solum ejus, sed providentia ex Prophetico etiam Spiritu constabat. *VVidechindus, Vrsperg. Trithem. Regino. Lamb. Serar. Brovver.*

S. Benno Metensium Pontifex, ad eam cathedram biennio ante extractus è sua cellula, nefario scelere à suis civibus excęcatur. Porro ipse patienter omnia tolerans, exemplo relictus magnæ patientiæ viri, cognominatus est Benedictus, & ad solitudinem reversus in Einsidlensi Helvetiæ eremo vitæ reliquum transegit. *Baron. Bisc. Hartm. monim. Einsidl. &c.*

*A. C.* 928. *S. P. N.* 448.

RAtherius Laubiensis Monachus, vir miræ simplicitatis, sed eruditione litterarum sacrarum atque profanarum celebratissimus, Veronensis Pontifex, ea per scelus Hugonis Cathedra dejectus, ab eodem restituitur, cujus eximium de Ecclesia universa meritum, ipso constantissimè eandem contra scelestissimam ac pernitiosissimam Anthropomorphitarū Hæresim prædicando, & scribendo propugnante. *Baron. Trithem. Chronolog. Hirsaug.*

Eodem tempore Hilduinus Lobiensis Monachus, fit Episcopus Mediolanensis, affinitate junctus Hugoni Italiæ Regi, vir in Divinis maximè litteris eruditus, cujus etiam libri aliquot extant. *Vid. Trithem. VVion. &c.*

Hildesheimensibus ipso hoc quoque anno præficitur Diethardus ex Monacho Hirsfeldensi Episcopus Hildesheimensis citati.

*A. C.* 929. *S. P. N.* 449.

QVedlinburgense Virginum Cænobium Ordinis nostri conditur ab Henrico Imperatore, in quo Mechtildis prima Abbatissa instituitur, ex omni virtutum flore compositissima, Cæsaris ejusdem filia, & Magni Otthonis Soror. Cui uni Cænobio quantum debeat Germania universa, nunquam satis explicaverimus, incredibili Principum Germanarū numero, usq; ad Lutheri tempora, in eodem salutis æternæ asylū quærente, & reperiente, quas Religio nostra sanctissima, benevolentissimè amplexa, cælo educatas Deo transmisit. *VVion. Trithem. &c.*

Sed & aliis passim Cænobiis hoc ipso tempore, quid Regna, & Reges debeant patet facile ex uno rarissimæ Sanctitatis exemplo, unius Cænobii disciplinæ assignando in Sanctissima Regina Ælfleda, Alfredi Angliæ Regis filia, Æthelredi conjuge, Sanctæ Alginę nostræ Schaftesburiensis Monialis sorore, Glastoniæ Ordinem nostrum professa, quæ tanta paulo post enituit Sanctitate, ut ad eam Rex Æthelstanus sæpius ea unica ex causa inviseret, ut divinis ejusdem alloquiis frueretur, in cujus etiam præsentia illud miraculi Deus ostendit, quo deficiente vino illud grandi ꝑdigio ministraretur. *Matth. VVestmonast. &c.*

*A. C.* 930. *S. P. N.* 450.

INcredibili accessione Ecclesiam Christianam auget, sanctissimus Wimo noster vir verè Apostolicus, Hamburgensis Archiepiscopus, Danis hoc tempore ad fidem conversis, qui olim jam ab Ansgario Christo adducti, sed Regum scelere, & bellorum attritione, plerique defecerant. *Igitur,* inquit, Adamus, *nihil asperū, & grave arbitrans subire posse pro Christo, latitudinem suæ Diœcesis per se ipsum elegit circuire. Sequutus est eum grex Bremensis Ecclesiæ universus* (ecce populi erga tantos Pontifices amorem) *pastoris boni absentia mœsti, secumque & in carcerem, & in mortem ire parati. Postquam vero Confessor Dei pervenit ad Danos, ubi tunc crudelissimus Gvvrm regnavit, illum quidem pro ingenita flectere nequit sævitia: filium autem Regis Haroldum sua est prædicatione lucratus. Quem ita Christo fidelem perfecit, ut Christianitatem quam pater ejus semper odio habuit, ipse haberi publicè permitteret, quamvis nondum baptismi Sacramentum percepisset. Ordinatis itaque in Regno Danorum per singulas Ecclesias sacerdotibus, multitudinem credentium Haroldo S. Dei commendavit. Cujus etiam fultus adjutorio, & Legato, Omnes Danorum Insulas penetravit, evangelizans verbum Dei gentilibus, & fideles quos illic invenit captivatos, in Christo confortans.* Vide etiam Baron. &c.

*A. C.* 931. *S. P. N.* 451.

ENumerat hoc uno anno Yepes noster Imperatrices, Reginas, Imperatorum ac Regum filias plures, relictis amplissimis Regnis cucullum amplexas, quarum pleræque egregia vitæ sanctitate, omnes exemplo virtutis, universo orbi, mutatione tanta obstupescenti, plurimum profuere.

Sacramentariorum quoque Hæresi, felici, & utili providentia occurrit Sanct. Ratherius, sive Bacherius Veronensis Episcopus, scripto pulcherrimo libro de corpore, & Sanguine Domini, ita unus Monachus contra duos exercitus Anthropomorphytarũ, & Sacramentariorum, constantissimè depugnans, etiam sæculi nostri monstra nequissima, & infanda confundit expectoratque. Ingenii ejusdem lucubrationes præcipuè commendantur.

Contra Anthropomorphitarum errores, & falsa Dogmata, lib. I.
De corpore & Sanguine Domini, lib. I.
De primo suo exilio (bis enim exulasse convincitur.) lib. I.
Alius qui vocatur Inefficax, lib. I.
De exilio suo secundo, lib. I.
Agonisticon id est Præloquiorũ, lib. I.
Vita S. Vrsmari Lobiensis, lib. I.

*A. C. 932.* *S. P. N. 452.*

STupente orbe universo, ipso etiam orientis Imperio, Magnus ille Venetorum Dux Vrsus Participatius, devictis Saracenis, qui Anconam cremaverant, Cretam occupaverant, & in Dalmatiam usque progressi, omnem oram maritimã infestam reddiderant, & memorabili prælio profligatis atque sinu Adriatico ejectis, *liberata atque pacata Italia*, tantis titulis immortalis, & ab ipso Constant. Imper. *Protospatarii Apocrisanorum* nomine honoratus sponte Principatu se abdicans Cænobium S. Felicis de Amiano ingressus, atque Ordinem nostrum professus contemplationi Cælestium totum se dedit, id consequutus, ut multo celebriore quam in sæculo fama, raræ nimirum sanctitatis celebraretur, à Deo etiam post mortem miraculis commendatus, *Vid. Dandul. Marcell. VVion. Rerum Venet. Script. Vnguis noster Leonis Veneti, &c.*

Egregium ordinis nostri Sydus S. Birstanus Episcopus Wintoniensis. *De quo Script. rer Anglicarum.*

*A. C. 933.* *S. P. N. 453.*

SAnctissimus Danorũ Apostolus, Wimo noster minimè contentus amplissimum Daniæ Regnum, & mersas impetuosissimo Oceano Insulas Christi Regno adjecisse, in Sueoniam quoque, ac Gothiam iter intendit, & pari felicitate ad gremiũ matris Ecclesiæ easdem reduxit, *& vestigia sequutus* (verbis Adami Bremensis referimus) *Magni Prædicatoris Ansgarii, mare Balticum navigans, gravi labore, venit Bircam, quo post S. Ansgarium annis 70. nemo doctior ausus est pertingere, præter solum ut legimus Rimbertum, &c.* (Rembertum nostrũ) *Ita persequutio nostros obtinuit, &c. In eo portu Confessor Domini egressus, insolita populos appellare cæpit legatione.* Et de difficultate conversionis agens pergit. *Quippe Sueones, & Gothi, vel ita si melius dicuntur Nordmanni, propter barbaricæ excursionis tempora, qua pacis annis multi Reges cruento dominati sunt Imperio Christianæ legis penitus obliti, haud facile poterant ad fidem persuaderi, &c. Sueones igitur, & Gothi à S. Ansgario primum in fide plantati, iterum relapsi ad Paganismum à S. Patre Vnni sunt revocati, &c.* Hæc Adamus.

*A. C. 934.* *S. P. N. 453.*

CLaret egregia sanctitate Sanct. Eberhardus ex Franciæ Orientalis Ducibus, Hassiæ, Weteroviæ comitibus, & Franconiæ Ducum frater, Conradi primi Imperatoris ex fratre nepos. Is Angelo duce ad Eremum Deiparæ ductus ad amplissimi Monasterii structuram, hæreditatem expendit. Inde celeberrimi cænobii Einsidlensis successio præsulũ perpetua, & ille in Germaniam fructus redundavit, quem in hodiernam usq; diem perpetuo gustu etiam remotissimorum Regnorum inquilini peregrino munere testantur. *Ex Hartmanno, & Einsidl. MS.*

Eodem anno in cælos emigrat Beatus Notingus è Monacho D. Galli Constantiensium Pontifex, Comes Veringensis, Sanctitatis doctrinæ, generis claritudine præcipuus. De ejus vita scripsisse Epistolam S. Vdalricum Augustanum Episcopum Haiminsfeldius habet, & nos nondum vidisse dolemus. Scripsit Notingus soluta, & ligata oratione non pauca: Et, qui nostrorum proprius, & perpetuus labor, in sacra volumina Commentarios edidit, in Evangelistas nimirum omnes, quos ipse dignè ingenio, & inprimis sanctitate, qua præpollebat, egregiè explicavit. Autor insuper fuit, multarum cantionum, quarum etiamnum usus superasse perhibetur. *Const. Bened. &c. Marianus Bucelinus, &c.*

Electus communi omnium consensu S. Gerardus noster ex Cathedrali Ordinis nostri Monacho, successor declaratus, à puero in Divi Galli, dein à B. Notingo Constantiæ educatus. *Mangold. Const. Benedictin. &c.*

Ipso

Ipso anno Burcardus ex Monacho Hirsfeldensi fit Herbipolensis Episcopus. *Vid. Trith. VVion. &c.*

*A. C.* 935. *S. P. N.* 454.

CÆnobii Cluniacensis tanta ab sanctitate fama, ut universus orbis impleretur. Ingens inde fructus, ut paucos intra annos, multis Sanctorum millibus frequentia Ordinis augeretur, consternatis tantæ perfectionis, prodigio Summis Orbis Principibus, & sua omnia paulatim, sensa, judicia, ac se ipsos Monachis subjicientibus, ut quererentur paulo post Monachi, ad se caussas, & negotia orbis devoluta quæ illi minimè ambientes, sed pro virili removentes, admittere tamen coacti sunt, Principibus eo, velut ad Delphicum, Gentiles oraculum, sed amore Numinis, non Idoli stulta veneratione, undique confluentibus, & responsa sollicitè flagitantibus. *Ant. de Yepes, tom.* 4. *Cent.* 5. *ex Epist. Biblioth. Cluniac. &c.*

*A. C.* 936. *S. P. N.* 455.

QVanti vero ab Ecclesia universa, & Pontifice Romano fieret unus Odo Cluniacensium sanctissimus Abbas, hoc anno gravissima in causa, universis apparuit, quando à Leone VII. Romam evocatus, flagrante inter Hugonem Italiæ Regem, & Albericum Romanæ Vrbis Principem, gravissima dissensione, unus componendæ sufficere visus est, sed & collapsam in Italia restituere disciplinam, & præcipuum Vrbis D. Pauli Cænobium restaurare est jussus, *Legatur Baron. Bisc. & vita Odonis, ubi & facta ejus Romæ egregia celebrantur.*

Decessit hoc eodem Anno, Magnus ille Danorum, Gotthorum, Sueonum, Sclavorum, Sembrorum, sed & Scytharum Apostolus, Sanctissimus Wimo, sive Vnni, in oppido Sueciȩ Birckensi, ibidem conditus, cujus tamen caput Bremam translatum pluri mis ibi sæculis digna veneratione asservatum est. *Adam. Helmold. Crantz. Yep.* Ipso quoque anno delati Otthoni Magno Imperij fasces, & primus Germanorum ipse solemni pompa, ab Hildeberto nostro Moguntinensium Archiepiscopo, frustra renitentibus Trevirensi & Coloniensi, Aquis inauguratus, & cinctus diademate est; Summa Ordinis gloria, cui translatum etiam in Occidentem Imperium deberi superius diximus. Sane Hildeberto exin plurimum debuit Ottho, & indubium nobis, tam Sancti Pontificis benedictione, plurimum adjutum. *Vid. Trithem. Brovver. &c.*

*A. C.* 937. *S. P. N.* 456.

INgentia Divi Conradi nostri Constantiensiū Pontificis merita, & tanta sunt, quæ neque in hodiernam diem, tot sæculorum decursu, ingens pauperum multitudo exhausit: & Clerici, Canonicique ejusdem liberalitate dignè statu suo, & conditione etiamnum sustentātur. Duo, isti, Collegia in Vrbe eidem debent; & Xenodochium pauperibus, tanta in eosdem benevolentiæ significatione, tanta, in pio opere contentione struxit, ut suis ipse manibus, tantus Princeps (fuit illustrissimo Guelphorum Inferioris Bajoariæ Principum sanguine editus) & humeris lapides comportaret, & struentibus cȩmentum ministraret. *Ex Const. Ben.*

Eodem anno ex Monacho S. Vedasti fit Noviomagensis, & Tornacensis Episcopus Transmarus cujus hortatu Arnulphus Magnus Flandriȩ Comes multa bona Ecclesiastica restituit. *Leg. Miræus, Cod. donat. Cl. Rob.*

*A. C.* 938. *S. P. N.* 458.

CRudelissimo fratris consilio, & scelere S. Wenceslaus Bohemiæ potentissimus Dux, cum emisso voto jam monachari decrevisset, eaque ex causa ad Romanum Pontificem Legatos misisset, ut benedictione ejusdem percepta liceret inter D. Patriarchæ nostri filios vitā agere, interimitur. Ejus sanctitati insolenti prodigio, testis adfuit ipse Deus, illo ipso die, quo gloriosissim9 Martyr fratris Idololatræ manu occubuit per visum Daniæ Regi apparens, jubensque Martyri suo Wenceslao ab eodem Ecclesiam exædificari. Is quantum disciplina nostrorum, inter Regni curas agens, profecerit, exemplo sufficiat; regiæ oblitum dignitatis tempore messis, & vindemiæ ipsum messuisse, & vindemiasse, quod Sacrificii hostias, Sacerdotum manibus offerretur. De certa ejus voluntate, & concepto jam voto Monachismi, præter alios dignissimi fide, Ioannes Dubravius, & Æneas Sylvius, ut eum jure merito nostris accenseamus, quem pro hac voluntate Deus singulari præmio, & Martyrii insuper laurea decoravit.

De Sanctissimo Odone nostro, sic hoc anno ex Baronio, Bisciola. Hoc eodem

anno accidit, ut Odo Abbas Cluniacensis, post biennium quam antea Romam venerat rediret, & quas bene plantaverat plantus Sanctæ Monasticæ institutionis, sua præsentia atque munitione rigaret. Quæ autem tunc contigerint, admiratione digna, tu pete ex Annalibus, de codice vitæ S. Martini sub ingenti pluvia non madefacto; & de lacu in montibus, eo deprecante effecto, quo Monachis pisces suppeditarentur, qui ab esu carnium retrahi non poterant. Ita planè Magno Odo, hoc deploratissimo sæculo, à Deo fuit electus, ut egregia sanctitate, & admirandis signis, collapsam, per diversas provincias Monasticam disciplinam restitueret. *Hæc Bisciola.*

Ipso hoc anno fit Episcopus B. Guntharius, vacante sede Ratisponensi, ab ipso Otthone inibi agente promotus, non sine prodigio, jubente per noctem Numine, ut qui primus pulsanti è Divi Haymerammi occurreret, eum Episcopum Vrbis juberet. Occurrit Frater Guntharius, nec pluris seu majoris oblatum Pontificatum duxit, quam ut sciscitanti Augusto, quidnam sibi responderet, si ipsum Pontificem renunciaret, calceum protendens, istum inquiebat, gratiæ loco esse vellem. *Vid. Rader. VVion. Hund. VVig.*

*A. C. 949.* *S.P.N. 459.*

OTtho Magnus quanti nostros faceret, & quam sibi curæ esset, nequid nostris detraheretur, sed condita pro Monachis eorundem perpetua essent exemplo, æternitate dignissimo, hoc anno ostendit. Illud tanti Baronius ipse fecit, ut Annalibus suis inter potiora enumerandum & adscribendum censeret. Cum desertus ipse à multis Principibus, hostibus proderetur, Comes quidam, qui ei aderat cum selecta militum manu, occasionem captans, extorquendi, quod alioqui injustum erat, ex ejus necessitate: Abbatiam sibi dari petiit, prædiis ditissimam, cui Rex præcisè negavit, exprobrans, quod comminatione id extorquere voluisset, abiret si vellet, cum cæteris desertoribus, non esse danda sancta canibus, & dicata militantibus Deo, militantibus sæculo. Quibus auditis rubore suffusus ad ejus se pedes abjiciens veniam petiit.

Floret hoc ipso anno admiranda sanctitate Beatissimus Gerardus Broniensis Abbas, nobili Austrasiæ Ducum prosapia ortus, ad restituendam Monasticam disciplinam, non aliter atque Beatus Cluniacensium Abbas Odo singulariter vocatus, ex qua reformatione is postea fructus consequutus, ut flexus tot Sanctissimorum Monachorum precibus DEVS innumeris afflictissimi Orbis malis medetur, & multa millia horum exemplis ad frugem se meliorem reciperent. *Vid. Baron. vita, &c.*

*A. C. 950.* *S.P.N. 460.*

DE Anglorum Regno meritissimus S. Dunstanus, cujus consilio Rex Edmundus utebatur. Adeo invaluerat toto Orbe consuetudo, ut ipsum Romanum Imperium, tunc maximè, ut & regna potissima feliciter administrarentur, quando nostrorum consilio, & precibus nitebantur. Vt difficillimis huc usque temporibus ij plerumque lucerent, qui ab hac antecessorum consuetudine desciscentes, pro ambitione atque arbitrio suo, sibi omnia arrogarent. Henrico, & Othone Cæsaribꝰ restitutæ paulatim res, quando viris sanctitate conspicuis se ipsos, nedum sua, credidere, & de Divina solum voluntate solliciti, Monachos non doctos solum, sed subinde simplicissimos, pro responsis, mittentes, eosdem beneplaciti Divini interpretes, & deprædicatores, pro sceleribus subjectorum adhibuere. Expertum reipsa hoc anno Edmundum Regem, quid in Dunstano nostro spei repositum ac consilii esset, si sanctè eundem coleret, quidque exin metuendum si negligeret, Baronius attestatur: Is cũ æmulorum suasione ab Dunstano aversus, eum aspernatus ejecisset, suo periculo didicit, *quanti Principes facere debeant veritatis amatores*, Verba Bisciolæ, ex Baronio sunt. *Egressus namque Rex ad venationem, cum cervum insequeretur, ab equo ruptis habenis versus præcipitium abripitur, in illa trepidatione, & angustiis constitutus, recordatur injuriam Sancto viro illatam, emendationem proponit, consistit equus; ipse à periculo liberatur. Sanctum Episcopum in aulam revocat, & veniam de injuria petit, donat quoque locum ad ædificandum Monasterium quod Glasconia appellatur.* Huc usque Bisciola.

Claret admiranda prorsus sanctitate, & eximia maximè humilitate, jucundissimum universi spectaculum Sanctissima Mathildis, ex Henrici primi Imperatoris augustissima conjuge humillima Quedlinburgensis Monialis; de cujus eximiis virtutibus alibi. *Fascic. temp. Tep.*

A. C.

A.C. 941. S.P.N. 461.

INexplicabili merito universum obstringit Beatissimus Ordo noster Cluniacensis Abbas, propagata per Gallias non solum, & Italiam, sed Germaniam insuper, ac Hispanias longè latèque Sanctissimi Ordinis reformatione tanto ubique successu, ut hoc ipso jam anno supra duo Cœnobiorum millia unus ipse ad perfectiorem SS. Regulæ observantiam adduceret, attonitis insuper rei novitate mundi Principibus, & ex toto orbe confluentibus, qui ad famam tantæ sanctitatis viri Cluniacum petentes, ejus se admitti in contubernium, & adoptari ab eodem in filios, sancta ambitione & æmulatione sollicitè, & humiliter flagitarent. Patuit universis, grandi prodigio unum Cænobium, & benevole liberaliterque omnes omnino peregrini hospitesque excepti habitique. De quo S. Petrus Venerabilis, loci ejusdem sanctissimi Abbas, lib. 5. Epistolarum. *Factum est* (Cænobium Cluniacense) *à sui principio, non solum extraneorum hospitium, non tantum confugientium Asylū, sed, ut sic loquar, Reipublicæ Christianæ ærarium, agit parcius in proprios, profusius in alienos, nec attendit quid possit, sed quid superveniens velit. Ea de causa, nec sua ei, nec aliena sufficiunt, quia longè major est quantitas erogatorum, quam liberalitas largitorum, &c.*

A.C. 942. S.P.N. 462.

HOc tandem anno, fervente denuo inter Hugonem Italiæ Regem, & Albericum Vrbis Principem gravissima dissensione; quos ante sexennium inter se conciliarat, rursum à furore revocaturus Sanctissimus Odo noster, cum in dissidiis Principum componendis, Ecclesiis pacem conciliando, Monasteriis reformandis consenuisset, Romæ ex febri moribundus mortis inducias impetravit, donec Turones reversus, S. Martini, quem unicissimè dilexerat, Tutelaris sui solemnitatem celebrasset: tunc febri redeunte, Sanctis Ecclesiæ Sacramentis munitus inter suas fratrumq; preces animam Deo reddidit. Ex vita & Baron. Inter alias è cælo gratias, non minima illa, quod ad eundem Sanctissimus Patriarcha noster Benedictus, nec non Martinus Beatissimus Turonensium Episcopus, frequentius inviserent, & cum eo familiarissimè colloquerentur, qui Odoni obsequentes, favoribus, negligentes vindicta cælitus prosequebantur. Ei debet præter innumera alia, sequutura posteritas, & S. Ecclesia plura sanctissimè instituta, scripta, composita, interque præcipua Officium, & Antiphonas, cantumque in hodiernā diem festo S. Martini toto orbe usurpata, item de S. Maria Magdalena, Lauda Mater Ecclesia, &c.

Sacrorum Hymnorū diversorū, lib. 1.
Homiliarum ac Sermonum ad Fratres suos, lib. 1.
De Vita S. Gerardi, lib. 1.
Chronicæ succinctioris, lib. 1.
Vitæ, & translationis, lib. 1.
Abrenunciationum Moralium Sanct. Gregorij Magni, lib. 20.
In Hieremiam Prophet. Comment. lib. 3.

*Alia insuper plura, de quibus videatur Bibliotheca Cluniacensium;* Trith. Yepes.

A.C. 943. S.P.N. 463.

ILlustris hic annus abdicatione amplissimi Regni Scotiæ, ita fastidiente inconstantiam periturorum Constantino III. Scotiæ Rege; cui sese exambienti, benigna Mater Religio nostra, piè adfuit, & mundi turbinibus emergentem, non benignè solum amplexa, verum materno affectu inter optimos filios adoptavit. *Leslaus Boetius Yepes.*

A.C. 944. S.P.N. 464.

PRofuit universo, illustrissimo sæculi exemplo Hugo Italiæ Rex Lotharij Imper. Pronepos, qui post ingentia, varia fortuna prælia, post vigesimum Imperij annum, purpuram cum vili tunica, amplissimum Regnum cum exigua cellula permutans, hoc anno celebri illi Cænobio, sub nomine S. Petri in partibus Burgundiæ à se constructo, thesauris omnibus quos secum asportaverat priꝰ ibidem contraditis Monachus effectus est. Nec minore de nostris æstimatione sensit ac proin cucullum exambiit Guilielmus II. Nordmanniæ Dux potentissimus, voto revera noster, & jure merito nostris accensendus, cui à pueritia Ordinis nostri amplectendi desiderium concrevit, verum patris ac procerum obstinatio prohibuere. Proditione hoc anno sublatus, quid propositum habuisset à morte satis indicavit: dum namq;, sic loquitur Cranzius, exanime corpus revehunt mœsti satellites, rimantur cruore profusum, & multis cū lachrymis nudantes, inveniunt in lumborum strophio claviculam argenteā. Mirantibꝰ quod foret, supervenit Camerarius

merarius minister qui cistellam in penitioribus esse affirmabat, quæ vestem includeret Monachalem, &c. *Rob. Gaguin. Crantz. Yepes, VVion. Baron.*

*A.C. 945.* *S.P.N. 465.*

A Morte Sanctissimi Principis Wenceslai, turbatum fidei negotium in Bohemia Boleslao impio regnante, jam pridem à B. Ioanne nostro, sub annum 900. Christianæ fidei seminibus jactis, & feliciter fructificantibus. Verum mortificanda magis grana, ex quibus tota dein Regni paulo post ubertas, & felicitas nostris adscribenda; S. Ioannis inprimis Cœnobio Pennensi, quod primum à B. Ioanne Monacho fundatum, exin viris Sanctissimis Regnum locupletavit. Ita turbatissimis rebus, proficiunt bona, & dum opprimi putantur, maximè efflorescunt. *Dubrav. Steng. Yepes Rer. Boem. script.* Claret spectatissimus sanctitate B. Vdalricus Augustæ Vindelicorum Pontifex, nostris tanto magis accensendus, quanto eorum esse magis laboraverat, cum nunquam de ejusdem erga nostros propensione tã evidenter constare potuisset, nisi publica Patrum voce, unoque consensu Ingelheimensi in Concilio prohibitus fuisset abdicato pontificatu; nostris se devovere. Fuit tamen extra Cœnobiũ verè noster, quando, ut alii inviti ac renitentes è cœnobiis ad cathedram Episcopalem extracti, ita ipse coactus, fastiditum honorem Monachus gessit, cucullumque indutus, deinceps in Pontificatu ipso, longè difficiliori, quam in Cœnobio conditione, Sanctissimam Regulam nostram diligentissimè observavit. *Ex vita, & R. P. Carolo Stengelio, &c.*

*A.C. 946.* *S.P.N. 466.*

DE Sanctissimi Duncani nostri meritis prçclarissimè rursum sentit Baronius hoc anno; Mortuo nimirum Anglorum Rege Edmundo, cui superius à consiliis fuisse S. Dunstanum jam diximus, nunc vero Edredo, novo Rege, fratri subrogato, cõmendat Regni felicitatẽ, non consultore solũ Dunstano adhibito negotiis regni, verum Regnũ ipsum administrante. Ita & Bisciola; *hoc anno*, inquit, *Anglicana Ecclesia, novo Rege Edredo subrogato fratri suo Edmundo, benè disponitur, dum Sanct. Dunstano tantum Regnum gubernandum committit, quod tenuit annis novem, &c.*

Iterum novo sole, jacenti in tenebris orbi ex Ordine nostro consulitur, S. Guiberti nostri rarissimo sanctitatis exemplo; de quo iidem. *Florebat hoc tempore sanctitate clarus Guibertus: cujus præclaras res gestas Sigebertus scriptis mandavit, lucerna planè inter tot tenebras ardens, & lucens; à quo inter alia egregia Sanctitatis Monumenta hoc eodem anno erectum est in Gallia nobile Monasterium Gemblacense, &c.* Ex quo ingens illustrium Syderum Orbi universo claritas affulsit. *Vid. Miræus, Cl. Rob. Sigebert.*

Vt taceamus innumera beneficia à solis sanctorum nostrorum exuviis terræ relictis, in hodiernam usque diem universo exhibita, post tot mortis annos effulget denuò, & optimè de universa Gallia meretur hoc anno, & deinceps admirandis, & inauditis prodigiis S. Hunegundis nostra S. Eligii discipula. Quæ divina revelatione, ubi contenderetur, reperta, & elevata, & fidelium venerationi proposita est. *Quo spatio multa illic Divinitus sunt declarata miracula, atque ingens splendor perpetuo ad Sanctũ corpus permansit, ita ut à pectore Virginis, & sursum pro sordibus pulveris nitentia relucerent fragmina margaritarum, & quibusdam clarissimis erumpentibus scintillis aspicientium reverebantur obtutus, tanta etiã ibidem sentiebatur odoris fragrantia, ut omnium nares ineffabili satietate complerentur. Quicunque a. ad Sacrum illud corpus intueri poterant* (ô miraculi novitatem) *quocunque essent affecti morbo, illico curabantur.* Ex ejus temporis auctoris narratione descripta.

*A.C. 947.* *S.P.N. 467.*

TRistis hic annus morte Sanctissimi Ælphegi Wintoniensis in Anglia Episcopi Sanctitate clarissimi, & spiritu prophetico insignis. De cujus meritis videndi Rerum Anglicarum Scriptor. De ejusdem morte agit Baronius hoc anno, ut & præcedente de ejus Sanctitate.

Moritur eodem anno Hugo ex Monacho S. Maximini Leodinensis Episcopus, cujus merita sufficiat ex hoc ejus encomio apud Ægidium in Leodiens. Pontif. gestis c. 43. celebrare.

*Amor plebis, tremor Hugo potentum,*
*Clarus Avis, Clarus studiis recreator egentum.*

Virorum doctrina illustrium ingens numerus singulari non ornamenti solum universi, sed bono maximo, oppresso, nõ solum Hæreticorum orientium cum semine fructu, sed planè agro Dominico,

contra

contra sequuturas, olim inimici superseminantis, insidias, obsepto, & munito. *De quo consulendus Iacobus Gualterius in test. decimi sæculi.*

*A.C.* 948. *S.P.N.* 468.

SIngularissima planè Dei gratia, qua propter, & apud nostros, orbi & Germaniæ inprimis nostræ admiranda planè benignitate benefecit, hoc inprimis año, quando perfecto Deiparentis templo, & sacello Einsidlensi ipse Dominus visus cęlo descendere, & proprium illud ac verè speciale Admirabilis Matris Cæli Reginę in terris domicilium consecrare. Ita qui ipse coram intuitus est, Sanctisimus Constantiensium Pontifex, & Patronus, litteris commendavit his verbis. *Descendit inquit, Dominus de Cælis, casula violacea ante altare, ad sacrum officium celebrandum, cui quatuor Evangelistæ insulam capiti ejus imponentes, Angeli aurea thuribula deferebant, alis suis, ut ramis arborum flabant juxta Dominũ, S. Gregorius flabellum in manu tenens, S. Petrus in manu tenens baculum pastoralem, S. vero August. & Ambros. stabant ante Dominũ. Maria Virgo ante altare stabat, splendida sicut fulgur, S. Michael præcantor erat, S.S. Stephanus legit Epistolam, B. Laurentius Evangeliũ. Sanctus cantabatur sic; Sanctus Deus in aula gloriosæ Virginis miserere nobis. Benedictus Mariæ filius in æternum regnaturus qui venit, &c.* Hactenus D. Conradus, eò viso extra se raptus, quoad meridie appetente; reliqui urgerent Antistites, tandem consecrationem Sacelli aggrederetur eoque visa objiciente, etiam eundem perurgerent, ac jam cogerent, vana quæ vidisset, interpretati: Ita obsequi parantem audita ab omnibus lapsa cælo vox, prohibuit dicens; *Cessa, cessa, Frater Conrade Divinitus Capella consecrata est.* De quibus omnibus fusius agens legendus in Annalibus Einsidlensibus Hartmannus. Vid. etiam Mart. Pœnitent. Hermannum contractum, &c. Ita nostros, filios nimirum suos optima Mater, dilexit semper, fovitque, quos novit perpetuo, præcipuos sui honoris propagatores, ut apud filios sanctos commorata, juxta illud: in plenitudine Sanctorum detentio mea, æternum apud & propter eosdem non desinat de universis ad se confugientibus benemereri. Sicut quotidianis, in Sanctissimo illo Einsidlensi Cænobio exemplis fit manifestissimum.

Hoc eodem anno plurimos ex Ordine nostro Episcopali, & Archiepiscopali honore, nec nõ rara sanctitate insignes enumerat Yepes noster, meritis nostrorum, tempora hæc, & sæculum totum implentibus.

*A.C.* 949. *S.P.N.* 469.

CLaret Artaldus ex Monacho S. Remigij Rhemensis Archiepiscopus, vir doctissimus, Religiosissimus, & de Gallia atque inprimis Ecclesia sua meritisimus; verum, quanto cæteris omnibus præstabat, tanto magis per invidentiam atque ambitionem, indignè traductus, quoad in Nationali denique Concilio ejus honor, summa cum optimi præsulis gloria ab calumniantium injuriis vindicaretur. Inter alia ejus memoranda, unxit Ludovicum Regem ultramarinum, ejusdemq; Regis Ludovicũ filium baptismo lustravit, ejusdem item unctione inauguratus Rex Lotharius, cum paulo ante ejusdem Patrem Ludovicum in suo D. Remigii sepelisset. Inter plurima alia debent eidem successores Episcopi Ecclesiam egregie ditatam, ornatamque, jus item, & facultatem à Ludovico Rege acceptam cudendæ monetæ, & Comitatum denique Rhemensem. Ita suis Ecclesiis nostri plerumque præfuere, ut hodieque successores nostrorum meritis, ac laboribus, summo in otio, atque summa in gloria, felicissimè perfruantur. *Ex app. Flodoard. Clem. Rob. Ant. de Yepes qui plura de eodem dignissima commemorat.*

Benè fecit hoc año, Sanctisimus Odo noster, plurimos recipiendo in tutum, sæculi Principes, & abscondendo in penetralibus Domini. Alios inter Gregorius Edovardi Anglorum filius, contemptis blandimentis fortunæ rarisimis favoribus, cum antiquisimorum Regum longa serie nepos, Regis filius, trium Regum Adelstani, Edmundi, & Eldredi frater, Affinis Magni Otthonis Cæsaris esset, tantis pro tantillo, imo nihilo habitis, in cucullo, post Deum spem omnem reposuit, atq; in Einsidlensi Cænobio, ad quod trina cælitus missa voce, totidem distinctis noctibus, evocatus illud induit, atque in eo rarisimam vitæ sanctitatem consequutus etiã sanctis viris, tunc efflorescentibus, admirandus omnino visus est. *Ex Annal. Einsidl. & Constant. Bened.*

Clarent item Edfleda, & Eadburga nostræ Gregorij sorores ibid. in arb. Gen. &c. *Ex Rer. Angl. Scriptor.*

A.C.

*A. C.* 950. *S.P.N.* 470.

INgens in sola diœcesi Constantiensi Sanctorum numerus, ut ex una sexcentarum provinciarum multitudinem submetiaris. In Divi Galli, ut alios taceam, illustriores tantum eosdemque sanctitate eminentiores indigito; Gerardum, illum Divi Ioannis Evangelistæ animum, Notkerum, vulgo Physicum, Walpertum, Wicpertum, Hartpertum, &c. In Einsidlensi, præter Gregorium ex Angliæ Regibus memoratum, Alaricum, ex Alemanniæ Magnis Ducibus, Eberhardum, ex Franconiæ Principibus, &c. ut nihil de Augiensi, de Campodunensi, Sancti Blasij, & cæteris memoremus. *Ex Const. Ben. tom. 2. Mariani Bucelini rer. Sangall. compendio, &c.*

Wormatiensis Ecclesia egregiè dotatur, atque exornatur in gratiam Annonis nostri ex Monacho, & Abbate S. Maximini Wormatiensium Episcopi, ut paulatim, nisi studiosè temperemus, & parcamus compendio, singulas Germaniæ Ecclesias, meritò nostrorum auctas referamus: quas, sufficit semel dictum, omnes omnino propter, & per nostros locupletatas, atque ornatas, ad summum splendorem, magno Germaniæ Episcoporum fructu, atque auctoritate evectas effloruisse. De Annone sic loquitur sepulchri inscripto.

*Anno vir justus, primus dilectus* (princeps inter amicos) *Othoni,*
*Ergo virum multa concumulavit ope.*
*Anno magis Regis summi sed amat⁹ olympi,*
*Quocirca cæli Regna beata colit.*

Ex syllabo Episcoporum Wormatiensium. *Ex Brusch. item & Demochare, aliisque.*

*A. C.* 951. *S.P.N.* 471.

ITerum Reginam potentissimam suscipit, fovetque Ordo noster, Geloiram, quæ & Tarasia dicta, cognomento Florentina, Sancij Abarcæ Vasconum Regis filiam, & Ramiri II. Asturum, & Legionis in Hispania Regis uxorem, quæ post viri obitum ad Monasterium S. Salvatoris à Ramiro extructum, ubi Elvira ejus filia Sanctimonialis agebat, aulam fugiens, accessit, & Regiis ornamentis depositis, humiles Religionis vestes assumpsit, malens in simplici veste Regum Regi servire, quam in superba, in Regum palatiis exsplendescere. *Beuterus, VVion. &c.*

Per Sanctum Conradum mirificè dotantur, atque exornantur Ecclesiæ Vrbis Constantiensis, Cathedralis imprimis, & varia passim Xenodochia. Quæ una nostrorum cura fuit, etiam posteris Clero, atque pauperibus providere, sicut pleriq; sola veterum, & maximè nostrorum, & nostris ob merita, impensa liberalitate, hodie vivunt. *Ex Mangoldo, Chronicisque MMSS. variis, Manlio item aliisque.*

*A. C.* 952. *S.P.N.* 472.

INgentem Monachorum multitudinē celebrat, ut & ex iisdem Sanctitate atq; doctrina illustrium copiam, Trithemius noster, hoc anno; dein ad Scholarum utilitatem conversus, commendat mirificè studia nostrorum, ex quibus sanè in Orbem terrarum Vniversum, incredibilis felicitas, & fructus atque dignitas redundavit. Enumerat vero è multis pauca, quæ hoc ipso tempore, doctrinæ non solum, sed insuper Sanctitatis fama celebratissima universo patuerint apud nostros Athenæa. *Fuldense, Sangallense, Augiense, Sancti Albani Moguntinense, Corbeiense, Prumiense, Mediolacense, S. Dionysij Parisiense, S. Maximini Treverense, Rhemense; Sanct. Maximini Treverense, Rhemense, Altisiodorense, Turonense, Stabulense, VVissenburgense, &c.* Quanta ex his alvearibus prodierint apum examina, lectoris judicio atque æstimationi relinquimus, ut Vniversitates interim alias, à nostris curatas, taceamus.

*A. C.* 953. *S.P.N.* 473.

ITerum opulentissima hodie, sed felicior olim, Vrbs, Sangallensis nimirum, propè Cænobium Divi Galli, nostris Originem, & se totam debet. Annoni imprimis Sangallensis Cænobii Antistiti, qui primus eam colere aggressus, muris cingere & munire cæpit, quod successores dein Abbates cœptum prosequuti, strenuè perfecerunt.

Benemerentium ex Ordine nostro Episcoporum, atque Archiepiscoporū multus numerus, Moguntiæ præfuit Fridericus, ex Lotharingiæ Duce Fuldensis Monachus, ex Monacho Archiepiscopus, argumentum munificentiæ ejus extat hodieque Collegium Canonicorum, cum Ecclesia Sancti Petri ab ipso fundatum ac dotatum amplis possessionibus. De quo vid. Brow. Serar. &c. Archiepiscopalē Senonensium Cathedram multo Ecclesiæ monimento, tres hoc tempore ex ordine nostro sibi succedētes insedere.

Gui-

Guilielmus ex Monacho S. Petri vivi. Gerlacus ex Monacho S. Germani Altisiodorẽsis, & Vildemannus ex Monacho S. Dionysii Parisiensis, utilissimi Archipræsules, de quibus aliisque *consulendi Flodoardus, Yepes, Trithem. VVion, &c.*

*A. C. 954.* *S. P. N. 474.*

QVam sibi charior esset Regum bonitas, & æquitas, quam gratia, seu propensio eorundem, præclaro argumento probavit B. Ratherius noster, in Hugonẽ, pridem, Regem, alios dein Principes, Põtificali sanè constantia, ob gravia eorum delicta invectus, qua æquitate, veritate, & sincera dilectione, iterum meruit, Pontificatu, usque jam tertio deiici, nullis unquam iniuriis fractus; quin de omnibus optimè mereri, & de iis maximè, qui in se maximè injurii fuissent, sollicitè pergeret. *Vide Rothgerum in vita Brunonis, Aegid. Bucher.* &c.

Eodem anno de Imperio universo meritissimus S. Vdalricus noster, in Otthonẽ Regem, filiumque ejus Luitholphum, paratis jam ad pugnam utrinque exercitib⁹, sequester pacis intercessit composuitque. Causam in ulciscentem Deum reiicit Baronius ipse, quod Ottho in gratiam Adelvidis, matri Bertæ, Abbatiam Laurishaimensem dederit, exempla hujusmodi Cõmendarum jam olim severissimè damnans. Videndus in alio consimili exemplo terribili idem *Baron. Anno* 952.

*A. C. 955.* *S. P. N. 475.*

MErseburgensis amplissimi Episcopatus fundatio, S. Vdalrico nostro Augustano debetur, quem vovit hoc anno Otho Imperator se conditurum, si Victor è gravissimo contra Hungaros prælio reverteretur. Sequutus Imperatorem Vdalricus inter medios telorum jactus, Sacerdotali stola tectus volitabat, & cruce divinitus per Angelum missa ac prælata, mox consequuta de barbaris victoria est. Ecce iterum quid nostris debeatur. *Baron. Steng.*

Hoc eodem anno, quid incommodi, viris Sanctis neglectis, consequatur Reges, ac Regina, illustri exemplo coacta discere Anglia, mortuo Religiosissimo Angelorum Rege Eadredo, & per successionem Edruinum S. Dunstano nostro in exilium relegato, omnibus pessum euntibus, & exitio proximis. Causa exilii, pro qua innocens Dunstanus luit, beneficium & charitas fuit, qua Regẽ ab interitu vindicare voluit, quod Dunstanus nimirum Regem è sinu impudentissimarum fœminarum, matris, & filiæ, quæ procacissimè ejus nuptias ambiebant, violenter abstraxerit. dignissimum Episcopo factum. Verum Rex ob scelus in virum Dei commissum, pellendo eum è Regno, ipse è Regno pullus, vindice DEO, paulò post luit, & Dunstanus Regno restitutus Angliæ exin multo utilior, fuit. *Flod. Histor. Matth. VVestm. rerum Angl. Script. &c.*

*A. C. 956.* *S. P. N. 476.*

SAncto Adomaro Cluniacensi Abbati, sponte eo se honore abdicanti, successerat Sanctissimus Maiolus, vir præclarissimè gestis, planè prodigiosus, cujus illico laboribus per Galliam & Italiam fructus Ecclesiæ Dei ingens accrevit, miraculis verò innumeris, ita afflictus omnibus adfuit profuitque ut nec Sanctorum quisquam ita iisdem enituisse videatur. De quo Sanctum Petrum Venerabilem l. 2. de miraculis audiamus. *Is enim,* inquit, *Sanctus, sicut penè cunctis Galliæ populis notum est, ut magnus vita, sic miraculis, & dum mortalis viveret, & post mortem maximè insignis extitit. Hac miraculorum gloria in tantum jam per centum sexaginta duos annos, hoc est à tempore suæ mortis claruit, ut post Sanctam Dei Genitricem nullum Sanctorum in tota Europa nostra, in hujusmodi operibus parem habeat, &c.* Sed de tanti viri præclarè factis requiratur. *Odilo in vita. Biblic. Clunia. Tepes, &c.*

*A. C. 957.* *S. P. N. 477.*

REspiravit illico Regnum Angliæ, revocato S. Dunstano nostro, & Rege Edwino, qui innocentem expulerat, ipso in exilium pulsò. Eum invitum licet ac renitentem Edgarus Rex VVigorniensi Ecclesiæ præfecit, & Episcopum jussit. In cujus consecratione illud accidit mirandum, ut S. Odo Archiepiscopus expressis verbis consecraverit eum in Cantuariensem Archiepiscopũ, prophetice, quod esset futurum præsignans. Ex vita. Baron. Bisciola, &c. Commendatum iterum ab Edgaro Rege Dunstano Regnum, & Rex ipse ab ejus arbitrio atque Imperio pependit. *Ex vita, &c.*

*A. C. 958.* *S. P. N. 478.*

CÆlum petit hoc anno sanctissimus ille Broniensis Cœnobii Abbas Gerardus, vir cœlo dignissimus, cum nõ Broniensi solum, verum omnibus Galliæ Belgicæ Cœnobiis multis annis, summo uni-

universi Belgii bono atque ornamento, utilissimè præfuisset. Prodigijs & vivus, & mortuus admirandis meruit. Arnulphum Flandriæ Comitem à gravissimo calculi morbo, liberavit, à morte verò usque in hunc diem mereri nunquam de ægris destitit. Extat Bronii puteus etiamnum, è quo hausta aqua, & ab ægris epotæ, juxta promissionem S. Gerardo ab Apostolis Petro, & Paulo factam, pristinam illis sanitatem restituit, æterno miraculo. Inscripti puteo versus.

*Concurrant ægri, sani, bibuli, sitibundi,*
*Præstabo cunctis dulce refrigerium.*

Ex vita, Rayssio, Yepes, VVione, Gerardo, Belga, &c.

*A.C.959.* *S.P.N.479*

PRIMUS hoc anno ad conversionem Russorum Episcopus, è Monacho Sancti Albani ordinatus Sebutius, primus iis gentibus grandi nostrorum gloria Evangelium Christi nunciavit. Ita rursum hujus etiam gentis primitiæ DEO consecrandæ per nostros erant, quamvis nequitia incolarum, & Reginæ Helenæ, paulo post subtractam Evangelizantibus fidem, & injurias gravissimas irrogatas simus audituri. *Ex Reginone, Baron &c.*

Artaldi hoc eodem anno meritis debetur, Rhemensem Episcopatum ab Arnulpho Comite liberalissimè ditatum, sed & ipse Arnulphus præter valitudinem pro voto receptam Sancto Gerardo nostro, quem superiore anno extinctum diximus, sanitatem insuper mentis debet, ad meliorem ejus opera frugem conversus, à qua conversione multum in Ecclesias CHRISTI, ac pauperes fructus consequutum. *Annal. Belg. script. & vita S. Gerardi.*

Edvirum Regem, jam quoque diximus scelus in Dūstanum admissum gravi exilio luisse, Regno exterminatum; vexatio tamen Regno, & ab obnoxiis Eduino metuebatur, quoad hoc ipso anno idem extinctus est. Porro Edwini animam, ne penitus ad inferos damnaretur, precibus Sancti Dunstani quem afflixerat, impetratum, Otbertus in Dunstano narrat. Vid. Adeoque iterum Regem cœlo nostri asseruerunt, jam præcipitio proximum, & æternum luiturum.

*A.C.960.* *S.P.N.480.*

MORTUO hoc anno Sebutio nostro, primo Russorum sive Ruthenorum Apostolo, secundus eidem è Sancti Maximini Treverensi Cœnobio Episcopus destinatur Sanctissimus Adalbertus noster, qui plurimum in ea provincia, multo merito, sed fructu modico desudavit, cumq; videret, se in fidei negotio, pro quo illuc missus fuerat, parum aut nihil proficere, populoque duræ cervicis, & in vitiis enutrito, inaniter prædicare, eorum excæcationem miseratus, post multas ab illis perpessas injurias, mortis imperium vix elapsus, ad suos reversus est. *Vid. Baron. Yepes, Crantz. Regino, Trith. &c.*

Ipso anno S. Dunstanus fit Archiepiscopus Cantuariensis, qui pro pallio ipse Romam profectus, Sanctissimus Episcopus, Pōtificem moribus perditissimum veneratur, in eo nimirum agnoscens Petri personam, & reverentiam. *Ex Baron.*

Moritur hoc anno felicissimus ille Ioannis Evangelistæ cultor S. Gerardus Sāgallensis Monachus, ipso die quo, & natus Cœnobium ingressus, Ordinem professus, presbyterque ordinatus est; reversus à prædicatione verbi DEI, ubi populo vale dixisset, ac Cœnobii valetudinarium ingressus convocatis Patribus, sibi ipsi cilicium, ac cineres sparsisset, ridenti similis cōspecto occurrente sibi Sanctissimo Tutelari, inter verba benè veni Domine, benè veni Domine, spiritum duci suo consignavit, vir doctissimus, & doctrina sua de plurimis meritissimus. *Ex Manusc. S. Galli. Mezler. Bucelino, &c.*

*A.C. 961.* *S.P. N.481.*

CIrca hoc tempus Ecclesia Dei atque Imperio, meliorem in formam reductis, Monasteria quam plurima, ait Sigebertus, partim extructa, partim restaurata, atque amplificata ad Dei, & Sanctorum honorem, amplissimo rursum fructu consequente.

Excellit, ac fama per Europam deprædicatur universam VVidichindus Corbeiensis Saxoniæ Monachus, vir in divinis humanisque litteris eruditissimus; cui omnis sæculorum posteritas debet, summa fide relatam Saxonum Historiam in tres libros distributam, gesta item Magni Otthonis lib. 1. Scripsit & vitam Pauli Eremitæ lib. 1. Passionem S. Teclæ Virg. metrice lib. 1. aliaque plura eodem anno, præter alios ex Principibus plurimos, salutem

in

in Cœnobio, quod olim reliquerat ut conjugio Edgari Anglorum Regis potiretur rursum quæsiit, & invenit, adducta etiam filia Editha, atque utraque à S. Ethelwodo consecrata, in pœnitentia perseverans, bonis plena operibus diem clausit extremum. *Polyd. Virg. Matth. VVestm.*

*A. C. 962.* *S. P. N. 482.*

MOritur splendidum illud Belgii jubar Sanctissimus Guibertus ex Regum Austasiæ familia, Monachus Gortziensis, ac fundator Monasterii Gemblacensis, quod ex castro seu palatio ipse cõvertit. Translatum est viri beatissimi sacrum corpus ad Gemblacense suum Cœnobium, multis ibidem à DEO prodigiis honoratum, multa exin populi frequentia confluente, sed & sedem ibidem figente, ita ut nobile paulo post oppidum ibidem consurgeret; rursum Ordine nostro, Conditoris Titulum Sanctissimo Patriarchæ nostro amplificante. *Miræus, Haræus, Baron. &c.*

Orbi egregium addit ornamentũ Flodoardus S. Remigii Rhemensis Abbas de omni posteritate meritissimus *Chronico suo*, quod verè *aureum* appellat, eoq; potissimum utitur Miræus, eo quod fidelissimè temporum rationem continuata serie deducat. *Cl. Rob. &c. Mir. &c.*

*A. C. 963.* *S. P. N. 483.*

FElicissime cœlo immigrat B. Tiethlandus, Burcardi Magni Alemanniæ Ducis frater qui S. Eberhardo Duci Franconiæ, ex Monacho, primo Einsidlensium Abbati successerat, neque difficile in Gregorium virum Sanctissimum Eduardi Angliæ Regis filium, Adelstani, & Edmundi Regum fratrem, vota omnium consensere. Scripsit inter alia Commentaria in D. Pauli Epistolas Thietlandus, ut conjunctam nobilitati generis, & eximiæ virtutis, etiam doctrinę excellentiam non nescias. *Ex Hartm. & Einsidl. Syll. Abb.*

Hoc ipso anno fit Episcopus VVintoniensis S. Ethelwoldus noster ex Monacho Glasconiensi, & Abbate Abendoniensi, ut prodigiosissima Sanctitate, & meritorum immensitate celebratissimus, qui rursum in Anglia ingenti ejus Regni fructu Monachos propugnavit, & plurima Cænobia construxit, unde ingens Regno emolumentum accessit, & Religionis incrementum vel maximum est consecutũ *Ex rer. Angl. Script. diversis, & ex vita.*

*A. C. 964.* *S. P. N. 484.*

ALiud in Anglia hoc ipso tempore Sydus splendore etiam orbem illuminat universum, Sanctissimus Oswaldus ex Monacho Floriacensis in Gallia Cœnobii, Episcopus in Anglia VVigorniensis, accerrimus Inferi exercitus debellator, & gloriosissimus triumphator. De ejus eximiis meritis plura habent. *Script. rerum Angl.*

Claret hoc eodem tempore Bauco Morinorum, sive Bononiensis in Gallia Episcopus ex Monacho Corbeiensi. *Vid. Cl. Rob. VVion. & Demochares, &c.*

*A. C. 965.* *S. P. N. 465.*

VVilla Italiæ Regina Berengarii II. Vxor, filia Bosonis Tusciæ Marchionis, post mortem mariti, contempto sæculi fastu, humilis sub cucullo latere prælegit, in filiam à Sanctissimo Patre nostro adoptata, felicitatem omnem Imperio potiorem eidem debet. Trithem. VVion. app. ad Reginonem. *Yepes, aliique qui requirantur.*

Apud Divi Galli in Germania claret eximia Religionis laude Burcardus cognomento ingenitus, Henrici primi pronepos, ex Principe Rhetiæ, Comite Lingzoviæ ac Buchorni Monachus ac postea Abbas Sangallensis, admiranda sanè in pauperes effusione verius quam liberalitate, de qua aliisque ejus virtutibus consulendus Eckehardus Monachus. Nec minor laus utriusque Eckehardi senioris, & Iunioris, eodem Divi Galli in Cœnobio Monachorum, quorum virtus eximia tãti ab omnibus æstimabatur, ut Imperatoribus, summisque Orbis Principibus familiarissimi, eorundem consuetudine, sæculi magnates frequentioribus ad virtutẽ stimulis excitarentur. Vnde maximum in Germaniam atque Imperium omne bonum redundabat. *Ex Constit. Bened. & rerum Sangall. Scriptor.*

*A. C. 966.* *S. P. N. 486.*

SAnctissimus Adalbertus de cujus apud Ruthenos seu Ruscos Apostolatu superius, elegitur Abbas Herbipolensis, vir eximiæ Sanctitatis ob cujus rarissimum splendorem Otthoni Augusto inprimus charus summo habitus in pretio, liberalissimè donatur, & colitur. *Ex Crantz. Reginone, VVionio, &c.*

Spectatissimus meritis atque auctoritate in Imperio Hattho noster ex Abbate

Fuldensis Cœnobii Moguntinus Archiepiscopus, quem plane immeritum sera posteritas, ab fabulis invidentium gloriæ ejus veterum nonnullorum fœde traduxit, verum Serarius in Mogunt. serio asseruit, & nos in Germaniæ nostræ Benedictæ to. 2. vindicavimus.

In Hispania celebratur egregia Sanctitatis fama S. Isaurus Episcopus Aurariensis, in Portugallia, prodigiis à Numine ipso, hujus sæculi, & posterorum fidelibus commendatus. *Morales, &c.*

*A. C. 967.* *S. P. N. 487.*

EXemplum dilectionis, liberalitatisque in proximos immortale exhibet Sanctissimus Ethelwoldus noster, ex Monacho Glascoviensi, Wintoniensium Pontifex, ut eum, velut unicum Patrem, ægri, egentes, aut quomodocunque affecti aspicerent, colerentque. Haræum ex VVolstano audiamus, breviter ac compendio prolixam ejus liberalitatem complectentem: *Etenim,* inquit, *cum acerba fames universam Britanniam vehementer opprimeret, deficiente pecunia, tolli jussit ornamẽta, & permulta vasa argentea ex Ecclesiæ Thesauris cum multo cordis gemitu testans. Se æquo animo ferre non posse, muta metalla durare, integra, hominem vero factum ad imaginem Dei, pretiosoque Christi sanguine redemptum, mendicitate, & inedia confici:* Atque ita scilicet sustentavit innumeram multitudinem pauperum, qui periculum famis evadere cupientes, ad eum undique confugiebãt, quos ipse in plateis destitutos, omni solatio, refocillabat, singulis necessaria præbens, donec misericordia DEI de cœlo in terram prospiciens, malum inopiæ temperaret. Ex vita. Vt videas non de Principibus solum, sed de pauperibus nostros æquè semper mereri studuisse. Eckehardi Iunioris Sangallensis tanta ab virtute fama, ut Otthonis, Iunioris item, moribus præfectus, Imperio Principes educare, formare, imò per hoc imperare, ipse Monachicis, ut poterat, exercitiis unicè addictus videretur. Et sanè ita Principib⁹ adfuit Eckehardus, aliique nostri, ut nunquam sibi defuerint, Cœnobio verò abfuerint invitissimi, cellulæ solitudini in aula adsueti, & domando corpori addictiores, quanto à suis remotiores, vigilantissimi vitiorum in Principibus censores, sicut in uno Dunstano nostro sexcentis colligimus argumentis. *Ex Const. Ben. Germ. Ben. Scriptor. rerum Sangall. &c.*

*A. C. 968.* *S. P. N. 488.*

ITerum, circa hæc tempora Originem suam, initia successusque debet Monachis nostris Milverburgensis sive Citizensis in Misnia Episcopatus, cujus primus hoc anno Episcopus à S. Adalberto nostro ordinatus Sanctus Hugo, excellenti virtute Monachus, & egregia celebris sanctitate. Nec quærendus hoc anno alius Adalberto titulus, quam sedis incertæ, Archiepiscopi nempe ad conversionem Gentium ordinati; unde seducti non pauci certam eidem ante tempus sedem, de qua suo loco, designarunt. Paulus Langius in Chron. Citizensi, Cratepolius, &c. Plurium ex Ordine nostro virorum illustrium famæ ac immortalitati consuluit Antonius de Yepes noster, hoc anno, ubi requirendus; ut perpetua virorum illustrium series continuetur. *Videndus item Trithem. Chron. Hirsaugiensi, & lib. de script. Eccles. &c.*

*A. C. 969.* *S. P. N. 489.*

MErseburgensis quoque Cathedralis in Thuringia Ecclesiæ jacta sunt fundamenta, ita vovente (ea in pugna, de qua supra dictum, contra Vngaros longe difficillima) Othone Cæsare, votumque excipiente, & probante, imo, ut videtur, proponente, S. Vdalrico nostro. Eo se tãdem solvit hoc anno Augustissimus Cæsarum Ottho, neque visus dignior, qui Ecclesiæ præficeretur, quam ex Ordine nostro, & ex D. Emmerammi Ratisponæ Cœnobio, Boso Monachus generis nobilitate, honestate morum, & scripturarum scientia, (quæ propria olim nostrorum fuit) clarissimus, atque honore illo dignissimus. Vid. Trith. VVion. &c.

Moritur Imperatorium sanè Ordinis nostri decus sanctissima Mathildis Henrici I. August. conjux felicissima, Othonis I. Mater, prophetico spiritu prædicens mortem, id consecuta in Cœnobia, ut admirabilis sanctitate toto terrarum Orbe celebretur. *Vrsperg. Trith. Yepes, &c.*

Claret admirabilis ille humilitate Monachus, vere spectaculum mundo factus, & Angelis, & hominibus Comes Osorius Gutierrez, de cujus prodigiosa vitæ mutatione Yepes noster fuse *tom. 5. cent. 5.*

*A. C. 970.* *S. P. N. 490.*

MEritum hoc anno gravissimum Sanctissimi Dunstani nostri Archiepiscopi Cãtuariensis, cujus sollicitatione celebra-

lebratur Concilium Generale adversus incontinentiam Clericorum, jussus præsidere à Ioanne Rom. Pont. ipse Dunstanus, & exequutores denominati Sanctissimi Pontifices nostri Oswaldus VVintoniensis. *De quo vid. res gestæ S. Osualdi, Script. rerum Angl. & Baron.*

Aliud rursum, admirandum constantiæ Pontificalis argumentum, & exemplum ipso eodem anno S. Dunstanus exhibuit universo, dissimulare, & adulari prorsum indoctus. Cognito nimirum Edgarum per vim renitenti Sacræ cuipiam Virgini vim intulisse, occurrentem forte Regem, & manum de more porrigentem, Pontifex aspernatus, manum retraxit suam, & nec contingi se passus est; ex quo Rex attonitus (non enim illi constare putabat) cum manum non offerret, inquisivit. Nec exhorruit, in faciem hæc fundere Principi. *Tu postposito omni pudore, adulterium cõmisisti: Tu despecto DEO, & signum castitatis non veritus (velum scilicet, quod puella statim arripuerat, putans per illud à vi se tutam fore) Virgini suam integritatem præripuisti, & cur manum, summo Patri Virginum immolanti, impuris manibus non tradam, quæris. Lava prius per pœnitentiam, tuas à sordibus tuis, & tunc demum, quo gratiæ DEI reconcilieris, honora & amplectere manum Pontificis.* O verè Ambrosium! Territus ad hæc ille, terræ procumbit, pedes Antistitis, petit, se peccasse, gemitu verba interrumpẽte, contestans. Condoluit pœnitenti, & comploravit, Præsul optimus, & septem annorum injunctam ab Dunstano pœnitentiam Edgarus patientissimè amplex⁹, Ordini imprimis nostro addictissimus, plurima Cœnobia construxit, & in constructa plurima expendit. Osbert. in Vita, &c.

Nec minori constantia usus Dunstanus in præpotentem quendam Comitem, qui cognatam suam illicito sibi matrimonio copulaverat: admonitum siquidẽ tertio, monita negligentem comunione interdixit. Rege intercessore adhibito, sed & missis Romam Legatis, qui ad Dunstanũ mandatum impetrent, vinculo ut eũ absolvat excomunicationis, nihil efficit, respondente constanter Dunstano; cum eũ pœnitere videro, tum præceptis D. Papæ parebo; Sed ut ipse in peccato suo jaceat, & liber ab excomunicatione nobis insultet, & exinde gaudeat, nolit Deus. Pervicit apud obstinatum constantia præsulis, & abdicato conjugio, nudis pedibus, laneis indutus indumentis, virgas præferens, manũ, concilio se ultro ingessit, & ante pedes Dunstani gemebũdus, & ejulans corruit, & demum à Patribus omnib⁹ postulatus serio flagitanti, misericordiam Dunstanus impertivit. *Baron. ex Oberto, &c.*

Quam propitium Tutelarem Divum VVenceslaum Boemiæ Duces populusq; haberent, hoc anno edoctus prodigiose Boleslaus Pius Princeps religiosissimus; cum Boleslaviam, ad tumbã S. VVenceslai peregrinatione suscepta, inde reversus, somno ipso in itinere tentaretur & succumberet. Brevi unius horæ somno, in terram abjectus, quæ in cœlo pro Boemis VVenceslaus jugiter ageret, contemplatus est. Fassus id ipse est, quomodo S. VVencesla⁹ Deum sibi fecerit propitium: qua de causa, & locum signari jussit, & S. Basilicam S. VVenceslao, quæ Prosick dicitur, æternũ grati animi monimentum, condidit. *Ex Boem. rer. Script.*

*A.C. 1071.* *S.P.N. 491.*

AVspicatur iterum à nostris, dignissimus tanto honore, Archiepiscoporum, & Primatum Germaniæ nostro seriẽ hoc anno, Sanctissimus Adalbertus noster, primus Magdeburgensium Archipræsul renunciatus. Addita Ecclesiæ urbs nobilissima, Magdeburgum, & quinque Suffraganei subjecti, Magno Otthone, tanta nomini suo monimenta statuente. Baron. Exemplum egregiæ etiam cõstantiæ edidit hoc anno (Baronius priore edidit) S. Ethelwodus VVintoniensis Pontifex, qui cum sæpius monuisset suæ Canonicos Ecclesiæ, de impudica vita, nec profecisset, paratis aliquando pluribus Monachalibus vestibus, & cucullis, illisque in medium chorum projectis, hortatus est eos ad pœnitentiæ habitum suscipiendũ, alioqui expellẽdos, quibus correctionem in posterum, ut sæpius fecerant, pollicentibus, illoque non credente sed instante, aliqui Monachi facti, alii de Ecclesia expulsi. *Ex Ethevvoldi vita, &c.*

Ipso etiam anno Petro Archiepiscopo Ravennate sponte se abdicante egregio illius Ecclesiæ emolumento sufficitur Sanctus Honestus noster ex Monacho & Abbate Classensis Monasterii, qui S. Romualdum Monachico habitu induit. *Baron. Bisc. Cl. Rob. &c.*

*A. C. 1072.* *S. P. N. 492.*

IN cælum abiit meritis immortalibus locupletissimus circa hæc tẽpora. Beatus

Ratherius noster Veronensis quondam, & Lugdunensis Episcopus, Anthropomorphitarum Hæresis extirpator egregius, sed & invictissimus veritatis zelator,& exactissimæ disciplinæ, morumque integritatis custos,ac vindex egregius. Vnde factum ut plurimorum odia, insidias, injuriasq; perpetuas ferret, quos nunquam destitit ipse,ad saniora consilia revocare, scelera eorundem corripere, & patientia Principum furorem vincere. Decessit autem vir Sanctissimus in Cœnobio suo Laubiensi miraculorum gloria clarus, ibidem sepultus. De ejus ingenij monumentis satis superius. *Vid. Sigebertus in Chron. Trith. de vir. ill. Ord. & script. Eccl. Aegid. Bucherius. Baron. VVion. &c.*

A.C. 973. S.P.N. 493.

IMplet Orbem admiratione Sanctissima Imperatrix nostra Adelheidis, rarissimo sanè, summo honoris, opum deliciarumque contemptu, æternis sæculis celebranda. Filia fuit Rudolphi Burgundiæ, & Italiæ Regis primisque nuptiis copulata est Lothario Italiæ Regis, Hugonis Regis filio: quo defuncto; Otthoni I. Roman. Imperat. nupsit, eoque vitam universæ carnis ingresso, vitæ Monasticæ se devovit in condito à se Sehlsensi ad Rhenum Cænobio, egregia illic vitæ proficiens Sanctitate, & plurimis à Numine prodigiis honorata: *VVion. Lupold. Bebenburg. fragmentum ad Albertum Argentinensem. Cratepolius, & in Constantiæ nostræ Benedictæ Tomo 3. &c.*

Obiit hoc anno Vulfarus, ex Monacho & Abbate Floriacensi Episcopus Carnotensis, vir laudatissimus. *Videndi Sausseius, Claud. Rob. VVion. aliiq.*

Clarent viri ex Ordine illustres innumeri, aliosque inter summo in honore ab summa simplicitate celebratur Richardus ex Monacho S. Germani Antisiodorensis Episcopus, de quo Trith. Clemens Rob. Herigerus item Abbas Bobiensis, &c. Plura, Bibliothecis universi, opera reliquit.

| | |
|---|---|
| *De Dissonantia Ecclesiæ.* | *lib.* I. |
| *De corpore, & sanguine Domini.* | *lib.* I. |
| *De Divinis officiis.* | *lib.* I. |
| *De vita S. Vrsmari.* | *lib.* I. |
| *Ad Hugonem de quæstionibus.* | *lib.* I. |
| *Gesta Episcoporum Laubiensium.* | *lib.* I. |

Vt videas nostros Ecclesiæ etiam in cellulis perpetuò invigilasse, & gliscentibus Hæresibus, Eucharistico Sacramento insidiantibus, providè, & strenuè occurrisse. *Vide Trithem.*

A. C. 974. S. P. N. 494.

IAcenti in tenebris orbi, & Romana in primis sede scelere perversissimorum assiduè impetita, admiranda luce, Sydus novum, imò sol novus ex Ordine nostro exoritur, Beatissimus Romualdus Congregationis Sanctissimæ Camaldulensiũ felicissimus institutor, de quo hoc anno Bisciolam ex Baronio audiamus; cum enim de Sanct. Honesto nostro ex Classensi Abbate, & primo S. Romualdi institutore, de in Raveñate Archiepiscopo, egisset, ejusque de Ravennatibus merita cõmendasset, subdit. *Inchoato quarto anno ejus,* (Honesti) *Episcopatus in tanta peccatorũ caligine, Deus pro sua misericordia eximium sanctitatis lumen ostendit, Sanctissimum Romualdum, qui Ravennas, ex nobilissima Ducũ stipe oriundus, primo Classensis Monachus, post Anachoreta, secundus in prole occidentalem Ecclesiam Sanctis replevit Anachoretis, quorum aliqui Apostolatum ad Gentes meruere, & insigni Martyrij corona decoravi, cujus res præclarè gestas, scripsit Petrus Damianus Ravennas sanctitate, & doctrina notissimus, qui his temporibus proximus vixit.* Ita Bisciola.

A.C. 975. S.P.N. 495.

EGregiè Monachorum utilitati in Ecclesia ac honori contestatus hoc ipso anno Deus, dum prodigiosissimo sanè miraculo pendentis in Cruce imago, plenissimo in Episcoporum ac Clericorum Cõcilio pro Monachis definivit. Eos Clericorum opera, post mortem Edgari Regis, utpote Cathedralibus templis, inutiles, an indignos, quieti solum & cellulis devovendos, iisdem expulerant, reinductis clericis, plures Angliæ Principes: cumque proin convocato & celebrato Concilio gravior in Clericos censura lata, & pro Monachis Patrum sententia staret, magnoperè solicitantibus clericis Regẽ, ut vel hac unica vice, ejus apud Patres interventu, veniam mererentur, & de Ecclesiis reinvestirentur; Silente Primate Dunstano, quidque potissimum de negotio agendum esset, demisso capite pertractante, silentio item omnes occupante, & ad responsum Pontificis aures erigentibus: *Tunc subito crucifixi Dei imago signo crucis in edito affixa, audientibus cunctis dixit: Non fiet, Non fiet; judicastis benè, mutaretis non benè.* Obstupescentibus, ac cõtremefactis universis subdidit Dunstanus: *Quid ampli-*

*amplius vultis fratres mei. Divina sententia audistis definitum negotium præsens.* Aiunt, *audivimus verè.* Nec deinceps Monachis ulla est illata molestia. *Ex Osberto, Baronio, &c.*

Meretur de Historia, & universo præclarissimus Annalium Scriptor Floriacensis Monachus Aymoinus, in sacris humanioribusque litteris versatissimus. Idem admirabilis Patris, & Patriarchæ nostri honori egregiè consuluit, scripto libro de ejus miraculis. *Vid. Trithem. in Chron. Hirsaug. & libr. de Script. Eccles. Gaulterius, aliique.*

*A. C. 976. S. P. N. 494.*

SPectatissimi doctrina, & Sanctitate Archipræsulis, & Primatis, Magdeburgẽsium primi Antistitis Adalberti, meritis Illustrissimus annus, quo ipse, tantus Pontifex, nullis parcens laboribus, neque ullis itinerum deterritus difficultatibus, & discriminibus, in VVandaliam usque excurrit, & plurimis prædicatione assidua Christo ajunctis Apostoli VVandalorum dignissimum titulum meruit. *Vid. Regino Crantzius, Trith. VVion.*

Condita Cœnobia refert Trithemius, & Antonius de Yepes cent. 5. quæ omnia sub primo statim initia, perfectissimis Monachis, mundi scelera, deplorantibus, & Deo pro iisdem satisfacientibus, fuere frequentissima, ut ex Annalibus seu Originibus plerorumque Cœnobiorum fit apertissimum.

*A C. 977. S. P. N. 497.*

ITerum tutelarem è nostris meretur Belgium, Velsensi Diœcesis Harlemensis, pago, Sanctum Ingelmundum Kenemariensium Apostolum, quem è terra hoc anno elevatum, ac fidelium venerationi expositum Miræus habet, &c.

Fama longè lateque celebratur S. Guarinus Abbas noster ex Regulæ Sanctissimæ præscripto post longam in Cœnobio exercitationem, ad singularem eremi pugnam instructissimus. Profuit exemplo Sum̃is Orbis Principibus, ut ad eum turmatim, sæculi pompis calcatis neglectisque profugerent. Ejus viventi institutum hoc anno æmulatus S. Romualdus Classensis Monachus, eximiis denique orbem fructibus cumulavit. Damianus. Baron. &c. Obiit eodem anno mira miraculosus ille Compostellanus Episcopus Rodosyndus noster, *Yepes, &c.*

*A. C. 978. S. P. N. 798.*

GRandibus incrementis subito efflorescit, Sanctissima illa Camaldulensium Anachoretarum Congregatio, & primis statim initiis Angulares, & verè fundamentales præter lapides Guarinũ, & Romualdum, de quibus superius, coaptat, cooptatque sibi Petrum Vrseolum, Venetorum Ducem rebus gestis, & contemptu tanti honoris, fortunæque planè admirandum, qui Guarini, & Romualdi Abbatum persuasionibus inflam̃atus, uxore, liberis, ac Ducatu relictis, clam noctu in Aquitaniam concessit, ac Monasterio nostro S. Michaelis de Cusano, sub Monastico habitu se inclusit, ubi Religione, ac sanctitate florens, miraculisque ante, & post mortem coruscans II. Ianuarii, Monachatus sui XIX. decessit ac Sanctorum albo inscriptus est. Visitur in palatio Sanct. Marci cum hoc (quæ illi debeant Veneti, dignissimè exprimente) elogio.

*Ecclesiam Sancti Marci prior ædificavi.*
*Deinde, & Monachus factus, miracula plurima egi.*

Alii ejus præclare gesta; Palatium Ducis majori quam antea splendore exædifivit; Saracenos Barum Apuliæ expugnantes fudit, fugavitque. Tabulam Sum̃æ æræ S. Marci ditissimam, & artificiosissimam ex auro mirabili nobilitate gemmarum ornatam, Constantinopoli delatam, templo Divi Marci intulit. Sequutæ exemplum Mariti uxor Felicitas, Patris filia Felicitas, eodem quo mater nomine, & ordinem nostrum professæ sunt: Gradonicus item æquè nobili ac Vrseolus genere, qui omnes Ordini decus ingens addidere. *Ex Yepes, VVione, Marcello, Dandulo, Henninge, &c.*

*A. C. 979. S. P. N. 799.*

PRodigiosa sanè admirabilis viri, Sanctissimi Dunstani nostri, Constantia, quando nullius potentia Principis absterritus, nec Regis, juvenilem etiam animi, impetum reveritus ambitionis eundem constantissimè damnatum, consequutura ejus imperium mala, palam confessus est. *Quoniam*, inquit ad ipsum Regem, *aspirasti ad Regnum per mortem fratris tui, quem occidit mater tua, propterea audi verbũ Domini. Hæc dicit Dominus. Non deficiet gladius de domo tua sæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de semine tuo, quousque transferatur Regnum tuum in Regem alienum, cujus ritum & linguam gens cui præsides, non*

*novit: nec expiabitur, nisi longa vindicta, peccatum tuum, & peccatum matris tuæ, & peccatum virorum illorum, qui interfecerunt consilio ejus nequam. Post hanc Dunstani viri Dei prophetiam nubes per totam Angliam nunc sanguinea, nunc ignea visa est.* Conf. westm. Osbert. Baron. &c.

Synodo hoc eodem anno Calnæ celebrata, considentibus una totius Regni Senatoribus, clericis animosè rem suam cōtra Monachos agentibus, cum Dunstanū quasi Ecclesiæ murum, multorum jacula convitiorum impeterent, nec vincerent, Solarium subito totum, quo considebant, corruit, omnibus qui cum Dunstano sentiebant salvis, reliquis aut exanimatis, aut perpetuo languore retentis. Contulit denique Dunstano pacem, & Monachis hoc miraculum, & Monachorum opera Anglicana Ecclesia gravissimos inter motus servata est. *Ex citatis Rerum Anglic. diversis Script.*

*A. C.* 1080. *S. P. N.* 500.

CElebratissimus ille Germania nostra universa Divus VVolfgangus noster, ex Monacho, & Decano Einsidlensi *Vngarorum Apostolus*, Ratisponensis denique Episcopus, natus Comes Achelmensis, & Pfulingensis, admiranda explendescit sanctitate. Nec Vngarorum solum (quorum quinque salutaribus tinxit aquis) Sed & Austriorum, & Boemorum animos pertentasse, priusquam Ratisponæ Pontifex deligeretur, gloriæ Ordinis, est accensendum, quamvis isti Vngaris pertinaciores fuerint: alii utique, ut mox audiemus, à Numine reservati. *Ex Const. Bened. & ex vita, &c.*

Virorum Sanctorum, & illustrium frequentia ex Ordine ingens. Vna Constantiensis Diœcesis, tantis viris exuberavit; præter SS. Conradum, & VVolfgangum, Gamenolphum, Gebhardum Episcopos, Adalricum ex Alemaniæ Duce, Chunonem item, & Vdalricum è Saxoniæ Ducibus, æquè virtute ac genere illustres, Comites, Barones sine numero cucullo felices, aluit, & Cœlo educavit. *Const. Benedict. Annales Einsidl. Chronicon. Augiense, &c.*

*A. C.* 1081. *S. P. N.* 501.

MVltus Sanctorum numerus in uno D. Galli Cœnobio, quorum nō paucos, annus iste Cœlo intulit: Burcardū inter alios loci Abbatem, Cæsaribus Otthoni utrique tam familiarem, ut magnus Ottho eundem filii loco diligeret, junior non aliter quam germanum fratrem haberet, coleretque. Sed & duos Notkeros unus hic annus sustulit, Medicum nimirum cognomento, & eum qui resignanti olim Burcardo jam memorato, successit. Isti perfectam seu absolutam Sangallenses urbem, illi ægri, & debiles plurimi seipsos restitutos debuere, non medicamentis solum naturalibus, verum prodigiosis sæpius adjuti. *Vid. Hen. Canis. Marian. Bucelinus* in Notis, Metzlerus.

Circa hoc idem tempus Sanctissimus Adalbertus noster sumō omnium consensu eligitur secundus Pragensis Ecclesiæ Episcopus, discipulus B. Adalberti primi Magdeburgensis Episcopi, VVandalorum Apostoli, quo ipso tempore ejusdem opera Scholæ Magdeburgenses egregiè floruere: & sanè orbi universo, atque Ecclesiæ ingenti cum ornamento, satis multum fructum intulissent, si unum Adelbertum educassent, quem tot ac diversæ exin gētes, Apostolum suum agnovere. *Aeneas Silvius. Dubravius Bonifinius, Cromeus, Michonius.*

*A. C.* 1082. *S. P. N.* 502.

IDem S. Adelbertus Boemorum Conversioni sedulo incumbit, & quantumvis obstinatos plerorumq; animos offenderet, Bohemorum tamen Apostoli nomen, tanto magis meretur, quanto majoribus laboribus desudavit. *Ex vita quæ est apud Hen. Canisium.*

Hildesheimensi Episcopatui benefacit, ejusque reditus auget, Canonicorum item præbendas, sic vocant, multa liberalitate, & æterna sui relicta memoria, dignè tanto præsulatu multiplicat, Othwinus noster; ex Augiensi Monacho Abbas Bergensis, ex Abbate Hildesheimensium, Pontifex, ut tot tantisque sęculis, ea tanti Pontificis munificentia usi, Othwini memoriam sanctè debeant colere, qui hodie, utpote Hæretici, contemptim habuere, cujus ope tam deliciosum, & commodum fuit nomen tueri Nobilitatis. *Ex VVernh. Zimb. MS. Augiensi, &c.*

*A. C.* 1083. *S. P. N.* 503.

CÆlo recipitur mortali liber carcere Sanctissimus Adalbertus prim9 Magdeburgensium Archiepiscopus VVandalis conversis de Ecclesia meritissimus. Electus uno omnium consensu, eo honore dignissimus Othericus, Corbeiensis Monachus, vitæ integritate, & omnis erudi-

tionis

ditionis amplissima laude optimus, maximus. Is Electioni de se factæ invitus, more nostrorum assensum præbuit, & sollicita prece ab Numine contendit, ne se Episcopum fieri permitteret, idque ipsum impetravit, ipso in itinere, pro confirmatione, Romam proficiscens, morte felicissima præoccupatus. *Trith. VVion.*

Eodem anno cum S. Adalbertus Pragensis Episcopus, Boemos frustra cum à feritate, & rapinis, tum ab impio Dæmonum cultu revocare conatus esset, pertæsus eorundem pertinaciam, Romam demigravit, unde Pontificis Maximi permissu, Casinum se transferens, Monasticæ vitæ exercitationem rursum de integro complexus est, & aliquot ibidem exigens annos, cum nihilominus ut Episcopus Cassini uteretur, Romam se denuò conferens in nostro S. Bonifacii Cœnobio, Magisterio B. Leonis Abbatis se subdidit, & sanctissimè vixit. *Ex vita, Marco Anton Scipione, & aliis.*

Ethelredo Anglorum Regi, eadem quâ aliis Regibus constantia minatur, & avaritiam exprobrat, S. Dunstanus noster, cû ille Roffensem Ecclesiam premeret, & Episcopus centum libris argenti malum redimeret, prophetica prædicens spiritu mala, quæ postea Regi evenerunt, cum invasiones Danorum Rex decem millibus libris coactus est redimere. *Ex Angl. Rerum script. vita Dunst. Baron.*

*A. C. 984.* *S. P. N. 504.*

MOritur ipsis Kalend. August. S. Ethelwoldus noster VVinthoniensis, nec non Roffensis Episcopus, ille, de quo superiore anno, cujus prædicens exitum deploravit Dunstanus, tanto viro, tot discriminibus laborantem Angliam destitui. Vnde merita nostrorum æstimes, ut & cælitibus rursum contestantibus; cum Clerici rursum instarent, se in VVintoniensem Ecclesiam restitui, Sanctus Andreas Apostolus, cui præcipuo affectu addictissimus, erat Dunstanus, mandavit, ut nihil hæsitans Elphegum Abbatem Bothoniẽsem, Ecclesiæ vacanti præficeret, quod & perfecit. *Ex Osberto &c.*

Migravit eodem pariter anno in Cœlum ex hac vita Sanctissima Editha Virgo, Edgari Anglorum Regis filia, S. Eduardi soror VViltoniensis Sanctimonialis, miraculis prodigiosissimis gloriosissima, quã cum à morte fratris conarentur proceres Regni ad Regni gubernacula Cœnobio extrahere, omni quo potuit modo restitit, evicitque. Ejus mortis horam, Numine docente, præcognoscens inter Missarum solemnia S. Dunstanus, in lachrymas prorupit, & à Diacono cur fieret requisitus, suspirans & ab imò pectore trahens vocem; *Hæc,* inquit, *Deo dilecta anima,* (de Editha loquebatur, quæ sacro intererat,) *hæc gemma siderea, ad patriam Sanctorum ab illuvie terrena, & hac ærumnosa vita rapietur, Neque enim flagitiosus hic mundus tantæ lucis præsentia dignus est. Tertio & quadragesimo die occidet nobis hæc stella luculenta. Ecce autem tolluntur ex ergastulo nostro Sanctorum lumina, & nos in tenebris, & umbra mortis sedemus. Nos pigros senes damnat ætas immatura, dum nobis dormitantibus illa cœlos penetrat.* Hæc Dunstanus. Profuit Sanctissima Regina ut viva exemplo, sic admirandis prodigiis mortua. Et salutem debet Canutus Rex, naufragii periculo metuque liberatus apparente ad preces Virgine, atque illicò sopita tempestate. Eam ille olim cum minimè Sanctam crederet, inque cachinum resolut⁹, nunquam se crediturum diceret, Editham, filiam Regis Edgari, Sanctam esse, cujus pater libidini semper ac tyrannidi addictus fuisset. Cõtra dixit Regi Ednotus Episcopus, & statim tumulo Virginis aperto, illa cingulo tenus se erigens, in contumeliosum Regem, impetum facere visa est, Rexque consternatus, ceu exanimis humi corruit, tandemque respirans, lætus erubuit, Editham que perpetuo deinceps obsequio sancte coluit. *Ex vita.*

*A. C. 985.* *.P. N. 505.*

PRodest consilio Principibus non solum sæculi, sed & Ecclesiæ Dei Pontificibus, Adalbertus ex Monacho Hirsaugiensi Abbas in Klingenmunster, omni eruditione, & præcipua vitæ integritate tota Germania celebratus. De cujus laudibus consulendus. *Chronico Hirsaugiensi Trithem.*

Sydera Ordinis multiplicata, toto orbe circa hoc tempus elucescunt, ex quibus paucissima hic numeramus. Odo ex Abbate Corbeiæ Gallicæ, Bellovacensis Episcopus, tam eruditione Scripturarum, quam vitæ Sanctioris commendatione, ab omnibus summo in honore habitus, qui Apostolicis, Regiisque Legationibus, difficillimis in negotiis strenue perfunct⁹ est. Erhardus Monachus Lunæburgensis, in Saxonia, inter alia ingenii monimẽta, exquisitæ doctrinæ specimen edidit, Commentaria in Genesin, Exodum, Leviti-

viticum, & plerosque Sacræ Scripturæ libros. Algeri viri doctissimi longè major laus, & meritum, à duobus præclarissimis operibus, quibus prophetico quasi spiritu insurgentibus deinceps Hæresibus obstitit, *de Sacramento Altaris, & libero arbitrio* eruditissimè scribens. Bruno ejusdem cum Algero Cænobii Corbeiensis in Saxonia Monachus, Verdensis exin Episcopus frater Henrici Ducis, filius Otthonis Sueviæ, & Bavariæ Ducis, nepotis ex Ludolfo Ottonis Magni Imperatoris pari doctrinæ laude excelluit. Rhemensium Pontificum gesta, sed & Moguntinorum ad usque sua tempora debemus, illa Flavaldo Rhemensi, hæc Theodorico S. Albani Monacho, qui & aliis pluribus labores suos posteritati commendarunt. Nec minori laude digni Osbernus Glasconiensis in Anglia Monachus Arnoldus, sive Arnulphus Hiersaugiensis aliique innumeri scriptis immortales. *Vid. Trith. Yepes, &c.*

*A.C.* 986. *S.P.N.* 506.

NE virorum doctrina excellentium solummodo meminerimus, occurrit hoc anno fæminæ miraculum: Rosvveidis nimirum, sive Rosuita Ordinem nostrum in Cænobio S.S. Anastasii, & Innocentii, Pontificum in Civitate Gandersheimensi, professa, inter Scriptores hujus sæculi, de posteritate omni meritissimos, celebratissima, quæ linquarum Græcæ, atque Latinæ cognitione clara, miro ingenio, & doctrina ad miraculum usque excelluit, & in utroque scribendi genere, metro & prosa admirabilis extitit. Oratores enim dicendi arte supergressa, Poetarum quoque sui temporis nulli inferior cessit, loquentibus, quæ scripsit, operibus, iisque quidem, ut multis, ita, & tantæ Virginis famam immortalem reddentibus. Ea sunt.

*De laudibus Beatissimæ Matris Virginis, Elegiaco & Hexametro versu incipit unica spes. lib.* 1.
*Passio S. Dionysii Episcopi, & Martyris versu Elegiaco. lib.* 1.
*De Sanct. Gangulpho, & aliis Sanctis plura. lib.* 1.
*Passio S. Pelagii Martyris Hispani. lib.* 1.
*De Gestis Otthonum Imperatorum. lib.* 1.
*Ad Virgines Sacratas exhortationes. l.* 1.

Alia plura de quibus cons. Yepes, VVion, Trith. Gaulter. &c.

Alteram hoc ipso anno non minorem merito, & gloria Virginem producimus, hoc ipso tempore, inter dumeta Boemiæ, summo cum decore enascentem Sanctissimam Miladam, sive Mariam, Boleslai Sævi, Bohemiæ Regis (sive potius Ducis) filiam, quo hoc ipso anno, auctoritate Ioannis Roman. Pont. Monasterio S. Georgii in ipsa arce Pragensi extructo, ac in eodem Sanctissimis Regulæ nostræ institutis se devovens, consummato Religionis cursu, cum maxima Sanctitatis opinione in cælos evolavit. Eidem debent Bohemi sumptibus ipsius primum in Bohemiæ Regno Scholas publicas institutas, erectaque in eam rem Collegia varia, & templa. Extructum ab eadem Templũ Sancti Viti magnificentissimum, aliaque præclarè gesta, quorum non pauca Anonymus Poeta Boemus decantat.

*At quo te memorem pia Milada carmina Virgo*
*Digna pios inter nomen habere Duces.*
*Qua non est studiis illustrior altera Sacris,*
*Altera nec magis est digna puella cani, &c.*

Et post pauca:

*Tu Sacra fundasti nitidis Collegia templis*
*Qua pubes studiis est bona culta piis, &c.*
*Conspicitur quod adhuc Viti venerabile Templum.*
*Nominis est ingens munus honorque tui, &c.*

Excelluit eadem Rhetoricis artibus studiisque Latinam æque ac Bohemicam docta. *Vid. Ioan. Dubravius Hist. Boh. lib.* 6. *Aenas Sylphius. Hist. Bohem. c.* 16. *&c.*

Attollit dignissima laude meritissimũ Cassinensium Abbatem Sanctum Aligernum Baronius, hoc anno in cælos evocatum. Sed nimis quantum Mansonem deprimit, Successorem, ceu inutilem, & ob vitam indignam syllabo, Præsulum Cassinensium expunctum, quem tamen Cassinensium monimenta imprimis cõmendant, non genere solum (fuit Pandulphi Capuæ Principis consobrinus) verum virtute egregium in cujus gratiam inter alia, Pandulpho donante, Casinates Aquinensis Comitatus possessione aucti sunt. *Vid. Marc. Anton. Scipio in Elogiis Abbas Cassin. &c.*

*A.C.* 987. *S.P.N.* 507.

IMperio, velut alter Imperator, consilio atque auctoritate summopere prodest, VVittegovius Abbas Augiensis, vir immortalium meritorum, à doctrina, prudẽtia, rerum gerendarum dexteritate, egregia vitæ integritate, nunquam satis laudãdus.

dus. Vulgo, Os, & manus Regis appellatus, nonnulli, inter Catholicas columnas primam, seu Primatem dixere. De eodem versus illi vetustissimi.

*Rege jubente suis parent simul omnia dictis,*
*Contra velle suum se vertit nemo retrorsum.*

Vt sanè, si quid ab Imperio mali aversum, uspiam benè cœptum, hujus prudentiæ, posteritas omnis jure merito adscribat. Ex Monim. Augiens. MS. Chron. Augiensi. Const. Ben. &c. Ejusdem laudes libello integro decantavit Burckardus Augiensis Monachus, VVittegovii discipulus. Claret doctrinæ fama celeberrimus ille Bobiensis Cœnobii Monachus Adelbertus, Gemblacensis dein Abbas, Gymnasii Bobiensis Professor egregius; ex cujus schola Magnus ille Burcardus noster *Decretorum*, seu *sacrorum Canonum collector* nominatissimus prodiit. Sed & Musicorum ille Antesignanus, *de Re Musica* meritissimus, Engelbertus Treverensis S. Matthiæ Monachus effulget, cujus præclarissima extant de Musica, & Monochordo Syntagmata. *Vid. Trithem. Yepes, & alij.*

A. C. 988. S. P. N. 508.

ITerum Apostolus, & fulgentissimum Germaniæ ac finitimis ex Ordine nostro sydus exsplendescit, Sanctissimus Lubentius, sive Libentius, Bremensis Archiepiscopus hoc anno electus, qui prædicatione sua Ecclesiæ Dei plurimum profuit, & insigniter de eadem meruit. *Vid. Histor. Eccl. Adami, Abbat. Stad. Crantz. &c.*

Supremus hic idem annus S. Dunstano nostro Angliæ primati, Ecclesiæ Christi columnæ præcipuæ, & veri Patriæ Patris, Prophetæ, Apostoli, & triumpho tot adversorum, & adversariorum verè Martyris. De eo sic hoc anno Bisciola: *Moritur hoc anno mirificus ille Dunstanus, Archiepiscopus Cantuariensis, quem egregia vitæ Sanctitas, Sacerdotalis immota constantia, claritudo miraculorum, & omnia Spiritus Sancti charismata illustrarunt, &c.* Successit iterum ex ordine nostro Æthelgarius ex Monacho Monasterij novi apud VVintoniam Cantuar. Archiep. *Ex Angl. rerum script. VVion. &c.*

A. C. 989. S. P. N. 509.

SEria Boemorum supplicatione audita hoc anno, à summo Pontifice, reverti ad Apostolatum suum cogitur S. Adalbertus noster Pragensis Archiepiscopus, in eoque indefessè laborat, ac plurimum meretur. Ita ut nullum tempus hac ætate, ut & omni decursu sæculorum, à prima Ordinis origine esset, quo nostri nō summa vigilantia domum Dei custodirent, alii in vinea Domini laborarent. Dignissimum Pontificis Romani ad Legatos Bohemorum responsum, minimè prætereundum, quod collecta propter idem negotium, in causa Adalberti, Synodo, audientibus Patrib⁹, dedit; *Reddimus*, inquit, *quod justè quærunt malè merentes filij. Sed dabitur eis hac lege, si audierint eum, teneant cum benedictione Dei, & faciant sub eo fructū centuplum; si autem à consueta iniquitate recedere nolunt, hoc est, si ad voluptates suas, & desideria, luxuriante malitia redirent, absque periculo sui capitis malorum consortia declinet.* Flens igitur ad Episcopatum rediit. *Vid. Baron. Dubrau. Silvius, Bonfin. &c.*

A. C. 990. S. P. N. 510.

NOn contentus Bohemiæ finibus S. Adalbertus noster, in Vngariam usque excurrit, & Geisa Duce ad fidem Christi adducto, & sacro baptismate tincto, plurimis passim extructis Ecclesiis, per Apostolum nostrum fides in Vngaria mirifice propagatur. Natus Geisæ filius Stephanus, Sanctissimus ille Vngarorum Rex ab eodem Adalberto baptizatur. Et Adalbertus sciens Apostolatum ad gentes non sponte suscipiendum, sed à primario Ecclesiæ capite imponendum Romam proficiscitur. *Ex citatis.*

Claret in Ordine nostro Cixilena, Ervigii Visigothorum in Hispania Regis uxor, de qua *Vid. Mariana, VVion. &c.*

A. C. 991. S. P. N. 511.

HVnc annum Tribunus Memus, Dux Venetorum professione Monachismi nobilitat. Is multis pro Repub. præclarè gestis, patria contra Otthonem Imperat. fortiter defensa, & Cœnobio S. Georgii Majoris constructo, tandem pro pulla veste purpuram mutavit, in D. Zachariæ Monasterio se nostrorum Imperio subdens. Epitaphium in Ducali Palatio istud meruit.

*Regis ab insidiis, defendens Imperialis*
*Othonis Patriam, pondera multa tuli.*

Requirendi rerum Venet. Script. *Dandulus lib. 8. Marcellus: Yepes, VVion. &c.*

Compostellana Ecclesia Cathedralis sub hæc tempora debet S. Petro nostro cognomento Monsorio, omne ferè Patrimo-

monium suum, eidem injuria temporum, & sceleratorum unquam antehac, & uspiam subtractum, quæ ejusdem Petri, Sanctitatis reverentia, Veremundus Rex Ecclesiæ restituit. *Vid. Vasæus in Chron. Ioan. Mariana, &c.*

Ingens ex Ordine nostro virorum illustrium exercitus producendus, quando, ut doctrina sola, & Sanctitate præstantes taceamus, vix Episcopatus erat, de quo hoc ipso tempore nostri non ita mererentur, ut memoriam æternam cum æterna gratitudine referrent. *Conf. Yepes, VVion, & omnium ferè Cathedralium Eccles. Histor. &c.*

*A. C. 1012.* *S. P. N. 512.*

CLaret admirandæ sanctitatis Abbas Cœnobii Floriacensis, B. Abbo, de Romana Ecclesia meritissimus, Apostoli nomen prædicatione sua in Vasconibus meritus, Martyrii denique corona donatus. *Vid. Yepes, Chron. Floriacense, Baronius, Gault. &c.*

Cælo recipitur S. Oswaldus noster Vvigorniensis Episcopus, Angliæ alter post Dunstanum nervus, imò ab obitu hujus animus, de cujus prodigiosa morte, dignissima admiratione, mirabundus ipse adfert Baronius, merita ipsius, ipso Numine Orbi & posteritati omni approbante, *Harpsfeld. Eduard. Maihevv.*

*A. C. 1013.* *S. P. N. 513.*

MOritur Magnus ille Ordinis nostri post S. Odonem reformator Sanctissimus Maiolus Abbas Cluniacensis, cujus opera, multa rursum operariorum millia ex Ordine nostro agrum Dominicum colere cœperunt, tantus ipse prodigiorũ virtute, ut post Apostolos parem non habuisse, B. Odilo deprædicet; Principum verò hujus sæculi Oraculum fuit, ut proin nemo satis æstimet, quantus à tanti viri æstimatione, & consiliis fructus sit in DEI Ecclesia consequutus? Eum Ottho II. Romanum Pontificem esse voluit, quod prudenter ille à sese, & Religiose onus avertit. *Vid. Yepes, Baronius, Odilo, in vita, &c.*

Sancto VVolfgango quoque Ratisponensi Episcopo, Vngarorum, & Carinthiorum Apostolo fuisse hunc annum, vitæ ultimum auctores tradunt, *& nos in Const. Bened. asserimus.*

*A. C. 994.* *S. P. N. 594.*

INgens Vniverso Orbi affulget rursum lumen, Sanctissimus Odilo, Cluniacensis Abbas, cujus vitæ res præclarè gestas commendavit posteritati Sanctus ille, & Magnus S. R. E. Cardinalis Petrus noster Damiani; propagavit non minori felicitate Cluniacensem reformationem, ex qua Primum in Cœnobia, dein in provincias Orbis omnes, Orientales etiam ipsas, incredibile pietatis, & Religionis augmentum consequutum, ut jure merito Odo, Majolus, & Odilo, inter præcipuos Ecclesiæ benefactores sint referendi. *Vid. Yepes, aliique.*

*A. C. 995.* *S. P. N. 515.*

ÆTerno Sanctissimi Ordinis nostri cum honore missus à Ioanne XV. sumō Pontifice Legatus in Gallias S. Leo noster, S. Bonifacii in Vrbe Abbas, Rhemis Concilium celebrat, eidemque summa cum auctoritate præsidet. Consul. Baron. auctor ad Aimoinum, &c.

Summa in Imperio pollet auctoritate, & apud Reges Principesque gratia Eggebardus Sangallensis Monachus vulgo Palatinus. Ejus Magisterio, & curæ debetur formatus Imperio Ottho Tertius Imperat. multi item Principes, dignissima sanè promptitudine tanto viro obsequi paratissimi. *Et rerum Sangall: Script. & Constant. Bened.*

*A. C. 996.* *S. P. N. 516.*

SVMMO Orbis universi & afflictissimæ Ecclesiæ bono, rursum ex Ordine nostro Romanæ Ecclesiæ Pontifex assumitur Gregorius eo nomine V. Cujus vix inito Pontificatu, tanta fuere de Romano Imperio, & Germania imprimis nostra merita, ut nulla sæculorum æternitate, satis illud iisdem liceat demereri. Is primum Othonē III. Imp. coronavit, unde quàm primum Romanæ Ecclesiæ ab Augusto Pontifici gratiam referente, id commodi obtigit, ut impiissimi Crescentii gravissima tyrannide liberaretur. Gregorius verò vicissim Imperio consulturus, collecto Episcoporum Romæ Concilio, de constituendis Imperii Electoribus ad Patres retulit, & septem Imperii Principes Ecclesiasticos partim, partim sæculares deinceps Imperatorem electuros esse & fore, perpetuo sanxit. Vt hodieque iidem Principes

cipes Gregorio nostro acceptum honorem, & potentiam referant, & sequuturis sæculis omnes agnoscere debeant. *Ex Baron. Constant. Cajet. &c.*

Debent hoc eodem anno S. Romualdo nostro Tiburtini, nomē, vitam, omnia & seipsos, quos exscindere prorsus venerat Ottho Imperator, quibus multa denique prece Romualdus eos conciliarat. Tantum autem primo hoc ab ipsa coronatione anno, verbo poterat atque exemplo apud Imperatorem Otthonem Romualdus, ut voto tantus Cæsar jam noster fieret, sancteque viro Sancto promitteret, se relicto Imperio, Monachicum habitum suscepturum. Confessus de peccatis Romualdo eidem Augustus, ea contritione ab eodem recessit, ut pœnitentiæ causa, nudis pedibus de Romana Vrbe egrediens, sic usque ad Garganum montem ad S. Michaëlis (stupendo sanè humilitatis exemplo) pergeret Ecclesiam. Per totam verò quadragesimam in Classensi Monasterio B. Apollinaris, cum paucis jejunio, & psalmodiæ vacavit, cilicio ad carnem indutus, & lecto stramineo usus. Tanta, exemplo, apud tantos, nostri potuere. Ex Baron. &c. Eodem anno S. Romualdus ad Cassinensem Cœnobium invisens, Sanctissimi Patris sui vestigia, & exuvias corporis veneratus est. Nec minus in Cassinenses propensus Ottho Imperator, eadem ex causa eo profectus, multa ibidem donaria obtulit. Leo Ostiensis. Cogitantem aliquando Imp. suadente Pontifice, & aliis zelo bono ductis Ecclesia S. Pauli amovere Monachos dissolutiores, & inducere Canonicos per visum B. Apostolus Paulus monuit; Si bono zelo ducerentur, non expellendos Monachos, sed corrigendos. *Ex Glabro, Bisc. &c.*

Ipso anno reverti ad Archiepiscopatum, denuo cogitur S. Adalbertus noster, ac ingenti fructu Vngaris, Polonisq; prædicat, *Baron. &c. Chron. Bohem. &c.*

*A. C. 997.* *P. N. S. 517.*

DEnuo à Bohemis expulsus in Poloniam proficiscitur S. Adalbertus, ac Miecislaum Polonorum Ducem cum omni populo suo ab Idolorum cultura avertens Gnesnensi Archiepiscopatu functus, substituto pro se B. Gaudentio Breunoviensi in Bohemia Monacho, ipse in Prussiam proficiscitur, ibidem denique *Magnus Boemorum, Vngarorum, Polonorum, Luiticorum & Prussorum Apostolus*, Martyrio coronatur. Cum enim defixus in cælestium rerum meditatione, ipsa Crucifixi Domini memoriæ Sacra die, versaretur, conto à nefario homine prosternitur, humi prostratus terræ figens oscula: *Benedictus*, ait, *Deus, benedicta misericordia DEI, si plus non accipiam, pro crucifixo meo, unum pretiosum ictum habeo.* Septem denique lanceis à barbaris confossus manibus in modum crucis extensis, felix est factus Christi victima. Corpus Martyris Poloni æquali auri pondere (tanti jam tum faciebant Apostolum suum,) redemptum Gnesnensi Ecclesiæ intulerunt, ubi immensis claruit miraculis, quorum fama permotus Otho Imper. ab Italia Gnesnam usque est peregrinatus. *Ex Cartuitio, Lamberto, vita ejusdem, Steng. &c.*

*A. C. 998.* *S. P. N. 518.*

PRoficit mirabiliter hoc anno Castro S. Germani (ut videas quid nostri precibus contra potentissimos Reges possint) S. Odilo noster Cluniacensis Abbas, cui cum Robertus Galliarum Rex, cum universo bellico apparatu illud eversurus imminet, nec quidquam obsessis veniam deprecante Odilone, subito prodigiosa exoriēte nebula, castrum circumdatum, atque ita tectum, ut aspectus illius qui foris erant, prorsus adimeretur, & ab obsessis gravi cæde oppugnatores prosternerentur. Ita neglectas Sanctissimi viri preces dignè, sed durè, Robertus luit, doluitque. Rerum Gallic. Scriptores. Quid non solum Orbis uterque, & sequutura posteritas, verum Inferus etiam Purgandorum Odiloni nostro debeat, nullius unquam ingenium, seu labor quantuscunque assequetur, *Instituta solemni illa fidelium Defunctorum Commemoratione*, tot jam ab Odilone sæculis perpetua, & sequuturis quoque sæculis perpetuanda, ab eo maximè, post Hamularium nostrum, per diffusam toto jam Orbe Cluniacensium Congregationem, in Regna, ac Provincias omnes introducta, & dein Pontificum Rom. auctoritate probata, & præcepta. Cujus nimirum ope suffragii, tot animorum purgatricibus flammis addictorum myriades Cœlo assertæ, & deinceps in finem usq; mundi asserendæ, Cluniacēsibus sanè Monachis obstrictissimæ, gloriæ Ordinis nostri, meritisque immortaliter applaudunt. Quæ verò præter solemnem illam diei memoriam, Cluniacenses iidem animis juvandis, excogitarint, fecerintque, quot unus Odila, flam-

mis eripuerit, & deinceps continua assuetudine, tot Cœnobiorum millia, tot Monachorum centena millia, eorum deniq; exemplo (fructu semper, & gloria ingenti in auctores redundante) fideles toto orbe reliqui, tot jam sæculis juvarint, & liberarint, imensum, innumerum, definiendum, ei qui potest, relinquimus. De Cluniacensium piis susceptis laboribus, ut & Odilonis consulenda *Bibliotheca Cluniac. alijque plu.*

*A. C. 999.* *S. P. N. 519.*

MOritur Gregorius noster S. Pontif. Max. meritis de Ecclesia, Imperio, Germania imortalis. Successit ex ordine rursum nostro Magnus ille, & doctissimus Gerbertus, sive Gilbertus, ex Monacho Floriacensi Rhemensis primum, dein Ravennas Archiepiscopus, jam pridem de Gallia meritissimus, Rhemensibus nimirum Scholis propter incomparabilem scientiam præfectus de quarum Scholarum præstantia sic Massonus in Hugone Capeto; *Rhemensis Schola*, inquit, *cæteras antestare videbatur, propter Gerberti authoritatem, præstantiamq;, cui ob eam causam Otto, & Robertus in disciplinam sunt dati, &c.* Vir fuit omnium longè doctissimus; Philosophicis, & Mathematicis scientiis admirandus, unde factum ut propter insolentiam doctrinæ magus putaretur, quam vulgi opinionem, aranei nostri temporis hæretici prorsus insuxerunt, cũ tamen de Ecclesia Rom. meritissimus, & nimis quã longè ab infandissimo illo scelere abesset. Ciaconio teste, natura prudens, pietate præstans, fidei insignis, constantia mirabilis, in consiliis providus, &c. *Vid. Baronius, Bapt. Masson. Avent. Genebrad. Panvin. Moral. Hieron. Platus, &c.*

Hoc statim año percrebrescente fama de admirandis, & immensis S. Adalberti nostri Boemorum, Vngarorum & Polonorum Apostoli, Roma Gnesnam usque ad ipsius sacratissimas corporis exuvias Ottho noster Rom. Imp. Augustus peregrinatur. Ex Baronio. Romæ Germani Ducis militibus Monachorũ S. Pauli prata occupantibus Cœlum contra eosdem dimicavit, divinitus cũ fieret, Diethmaro teste; ut obducto cœlo nubibus terribili tonitru minantibus fulminibus, aliquot eorum interfectis, cæteri diffugerent.

*A. C. 1000.* *S. P. N. 520.*

HVngaria, Regnum, & coronam debet hoc anno Sylvestro nostro sumo Orbis Pontifici, sed & metropolitanum honorem Strigoniensis Ecclesia, primo quidem Vngarorum Rege S. Stephano Regis titulo ab eodem honorato, & Stephano ex Monacho Cœnobii nostri S. Martini, primo Strigoniensium Archiepiscopo renunciato. *Vid. rer. Vngar. Scripto. & Baron.*

Illud in tituli Regii ac coronæ transmissione mirandum evenit, coronam eandẽ quam Poloniæ Duci mittere proposuerat Pontifex S. Stephano obtigisse, monito divinitus Sylvestro; eam Stephano Vngarorũ Regi deberi. Misit cum diademate etiam crucem ante Regem tanquam Apostolatus insigne: ob multos infideles ab ipso ad fidem adductos, gestandã, Cartuitio in Stephani vita, & gestis testante. Vnde nimirum eadem pro Regni insignibus perpetuo assumpta, hodieque Sylvestri, & nostrorum merita loquitur, quorũ laboribus talem etiam Regem Vngari habere meruerunt. *Vid. etiam Baron. &c.*

*A. C. 1001.* *S. P. N. 521.*

PErpetuus ferè nostrorum Apostolatus. Ingenti hoc ipso tempore, & anno in Vinea, & agro Dominico labore desudat, & in honorem Ecclesiæ manipulos sine numero congregat, Sanctissimus ille Hũnorum, Slavorum, & Ruthenorum sive Russorum Apostolus Bonifacius, S. Alexii Romæ Monachus, Otthonis Imperatoris consanguineus. De quo pluribus agit *Yepes Tom. 5. Annal. sive Chron. Ben. Damianus.*

*A. C. 1002.* *S. P. N. 522.*

MOritur Ottho III. Imperator, voto, & promissione Sanctissima verè noster, sed quo minus exequeretur, bello Romano, & morte præventus, merito tamen suo nostris accensendus. Bis nimirũ, Casinum ad Sanctissimi P. N. ac sui, sacra vestigia, & reliquias venerandas, pfectus, duas ibidem Coronas Regias destituit, ut dum ipse caput suum abiiceret, submisisse se diadema Patriarchæ nostro eo dono testaretur. Gault. Leo Ostiensis, &c. Incredibilis nostrorum per Vngariam labor, dignissimus ex labore fructus, juvante imprimis ope, & studio omni Sancto Stephano Rege, à nostris baptizato, educato, & ad bona omnia moto, & permoto. Ex operariis Vineæ Christi potiores fuere; Sanctus Anastasius Abbas, Monachi plures Casino postulati, alii item Roma missi de quibus legendi. *M. Ant. Scipio, Ant. de Yepes tom. 5. aliique.*

A. C.

*A.C.*1003. *S.P.N.*523.

MOritur meritissimus de Romana Ecclesia Sylvester II. Pont. Max. cujus pro meritis memoriæ insigni consuluit Sergius successor. Ejus inter præcipuas laudes retulit Baronius, & Bisciola; *Cultorem fuisse Sanctorum virorum tunc viventium, cupidumque Monasticæ observantiæ, atq; malorum acerrimum correctorem*, *nec non egregium*(..) *defensorem jurium Ecclesiæ. Denique ipsum planè primum extitisse* ( ingens revera meritum ) *qui Sacræ militiæ classicum occinuerit.* Vt amplius dici, & prædicari de Roman. Pontifice non posse videatur.

Gilberto, sic enim ante Pontificatum vocabatur, inter alia etiam merita debetur inventio Horologii, & Organi aquatici. De quo continuator Bedæ, Vincent. Belvacensis. Erfod. Mon. VVion, Yepes, &c. Ejus item lucubrationes sunt, liber unus de Sphæra, alius de compositione Astrolabii, alius item Epistolarum, Opuscula plura Mathematica. *Cons. VVion. lib.* 5. *c.* 7. *Yepes Tomo* 5.

Vt intelligas quanta per universum orbem nobilitas, generis splendorem, deliciarum blanditias, opesque cucullo posthabuerint, ex sola Otthonis Imperatoris prole intellige quam ambitiosius videntur Cœnobium, quam mundi Regna omnia exambiisse: Sophia, ab ipsa juventute, nostro se ordini in Cœnobio Gandersheimensi addixit, ibidemque honorem denique Antistitæ meruit, & Sanctè Sanctis convixit. Adelheidis non minori laude in Quedlinburgensi se condidit, inde ad Gandersheimēsem præfecturā à morte sororis evocata; S. Felicitas in S. Felicis, & Iuditha in Ratisponensi Monachismū professæ.

Ex hac calamitatum valle cum Martyrii laureola evolat in cælos, S. Abbo sive Albo, de quo jam superius, Vasconum Apostolus, vir Sanctissimus æquè ac doctissimus. Scripsit super calculo Victorii lib. 1. Additiones in eundem lib. 1. *Vid. Haymo Floriac. in vita Sigebert. &c.*

*A.C.*1004. *S.P.N.*524.

PEssima, & pernitiosissima Berengariorum Hæresis pullulat, & paulatim serpit, cui ex prophetico sanè spiritu è nostris plurimi, multo jam ante, relictis ingenii, & solidæ pietatis, atque in fide constantiæ monimentis, occurrere, & jam nascenti alii, atque alii egregia Sanctitate atque doctrina Monachi sese opposuere, imò ipse etiam Galliarum Rex potentissimus Robertus, à nostris puer doctus, & educatus, Leutherico Episcopo, summa sane gloria, contradixit, & ab errore revocavit. Sed ante omnes, primum Berengario discipulo suo, optimus, & Sanctissimus Magister Fulbertus, Carnotensis Episcopus, restitit, qui omni ope ac studio eum retrahere ab illa ingenii in malum proclivitate satagebat. Vid. Baron. Glaber. Cl. Rob. aliique. Claret admiranda Sanctitate S. VVilhelmus filius Alduini, vel potius Harduici Italiæ Regis, de quo suo loco, Abbas Fructuariæ, cujus inter alia merita, gravissimis quibusque admirandum, periculosissima à Galliis bella inter Reges exorta avertisse, pacem cōposuisse, consilio atq; auctoritate, & sanctitatis inprimis opinione Principibus diversis plurimum profuisse. *De eo fusè Ant. de Yepes tomo* 5. *cent.* 6. *hoc anno.*

Archiepiscoporum atque Episcoporū toto orbe integri Syllabi pertexendi, qui omnes Ecclesiæ inprimis universæ, dein quisque propriæ strenuè consuluere, quos tamen omnes compendii nostri ratio excludit. *Vid. VVion, Yepes Trith.*

*A.C.*1005. *S.P.N.*525.

MEritis Alwici ex comite de Sulz Monachi Augiensis, ex Monacho Episcopi Argentinensis, debuere Episcopi successores, ipsum Argentoratum, urbem opulentissimam ac potentissimam, ab Henrico Cæsare donatam, multa insuper alia, quibus insigniter dotatus Episcopatus, in eum postea splendorem excrevit. Vrbis dominio quamvis posteri successores, per oscitantiam, sive injuriam exciderint, Alwico tamen, ex fructibus partam, jure merito referunt in acceptis, & potentiam, & feram felicitatem.

Auctus hoc ipso tempore opibus atque auctoritate Episcopatus Basileensis meritis, & pietate Adalberonis, ex Monacho S. Blasii, Basileensium Pontificis, plurimū Rege Burgundiæ Rudolph. & Henr. Cæsare tribuentibus, & Ecclesiam ejusdem ditantibus. De Alwico, & Adalberone fusius *tom.* 3. *Const. Ben. ex diversis.*

Hoc anno Sanctus Ansfridus, abdicato à se Pontificatus Trajectensis honore humilitatem Monachicam potiorem habuit, & amplexus est in Cœnobio Montis B. Mariæ Virginis prope Amerfordiam, multis ex in virtutibus clarissimus; cui successit Adelboldus Laubiensis (aliis Bobiensis)

ensis) Monachus, Henrici Cæsaris aliquanto tempore Cancellarius, vir doctissimus. Scripsit de laudibus Sanctissimæ Crucis, Beatissimæ Mariæ Virginis, diversorum item Sanctorum, tam metro, quã prosa, de vita item, & gestis S. Henrici II. Imperatoris, & alia plura. *Vid. Trithem. VVion. &c.*

Clarent varia doctissimorum virorum ex Ordine lumina, inter alios: Remigius Abbas Mediolanensis, & Theodorus S. Matthiæ Treverensis Monachus, uterque apertis publicè Scholis, summo Germaniæ bono, meritissimus. *Consul. Trith. libr. de vir. illustr. & Scriptoribus Eccl. & Chron. Hirsaug.*

*A.C.* 1006. *S.P.N.* 526.

FAME gravissima, & inaudita orbem terrarum Vniversum vexante, ingentes nostrorum eleemosynæ, multas hominũ myriades sustentavere. Sancti Odilonis liberalitatem hoc ipso anno dignam Annalibus suis Baronius censuit, ubi celebrat, eam jam omnibus ærariis & horreis exhaustis, vasa sacra confregisse, & distraxisse, sed & coronam auream qua ipsum Sanctus Henricus Imperator honoraverat expendisse, ut pauperes juvaret. Quis verò tot millium Cœnobiorum uno anno, nedum seculo, imò tot jam sęculis, in pauperes expensas numeraret? Bisciola, S. Odilonis liberalitatem immensam appellat *Vid. Cit. & diversæ Sanctorum res gestæ sub hæc tempora viventium, &c.*

Hoc ipso anno meritissimus ille de Anglia universa S. Elphegus, Balneensis Monachus, ex Episcopo VVintoniensi creatur. Primas & Archiepiscopus Cantuariensis, Romam pro pallio profecturus à civibus oppidi cujusdam spoliatur, quod illico horribili incendio affligitur, illud verò pænitentibus de scelere civibus, quamprimum Elphegus prodigiosè restinguit. *Ex Osberto. Vid. Mal. Baronius &c.*

In Polonia, Vngaria, Bohemia, nostri in fide propaganda strenuè laborant. *Ex Dubravio, Bonfinio, &c.*

*A.C.* 1007. *S.P.N.* 527.

Rutilat per Ecclesiam universam igneo splendore insignis meriti, egregius Doctor, incomparabilis vir Sanctissimus Fulbertus noster, S. Petri apud Carnutum Monachus, qui hoc anno ad Carnutensem evectus Põtificatum ampliorem benè merendi occasionem accepit. De hoc ipso anno, Baronius his verbis. *Est hic item annus, quo in Galliis super candelabrum extulit Deus, lucernam ardentem atque lucentem, cum virum Sanctitate atque doctrina insignẽ Fulbertum, ex Monacho Monasterii S. Petri apud Carnutum assumpsit in Episcopum Ecclesiæ Carnutensis, &c.* prædicat, & Glaber hujus temporis Scriptor Fulbertum, *virum sapientissimum, Præsulem incomparabilem.* Fuisse quidem ipsum vita sanctissimum atque Prophetiæ spiritu imbutum, testatus est Guilerinus ex quo Vincentius Belovacensis descripsit: *quod enim omnium sui temporis Doctorum doctissimus prædicaretur*: ad illum confluere consueverunt omnes, qui eum de rebus dubiis interrogarent Episcopi, atque etiam ipse Robertus Rex Francorum, quod scriptæ ab eo ad diversos Epistolæ docent.

Meritissimus hoc statim anno ab eodem Baronio idem Fulbertus laudatur ob indictum quasi bellum, rerum Ecclesiasticarum persuasoribus, & usurpatoribus in quo egregiè laboravit, ne beneficia Ecclesiastica Sæcularibus dentur. Vid. Baron. & Fulberti Epistolas. De Fulconis cõversione per Fulbertum cum egisset Baron. mox subdit. *Fulberto igitur muralis jure corona debetur, qui hoc sæculo primus, reperitur superasse muros Babylonicæ civitatis, cujus Principes Tyrannica violentia jura Ecclesiastica occupassent.*

Hoc eodem anno S. VVolfgangus noster, ad cujus tumulum frequentissimè invisebat S. Imperator Henricus ejus quondam discipulus, eidem Imperii fasces deberi, per somnum indicat.

Ipso quoque anno insigne Ordinis nostri lumen S. Romualdus Abbas D. Emerammi exstinguitur, cujus feretro ipse Henricus Rex, postea Imperator, ad portandum humeros supposuit. *Ex Baronio Bisciola, Radero, &c.*

*A.C.* 1008. *S.P.N.* 528.

MARTYRIO cõsumatur illustrissimus ille Prussorum, & Lituanorum Apostolus, S. Bruno ex Comite de Querfurt, fratre Gebehardi Saxonum Ducis Monachus S. Ioannis Magdeburgensis, dein Ruthenorum Archiepiscopus, à summo Romano Pontifice creatus, & ad concessionem Sarmatarum legatus, cum Lituanos brevi temporis spatio Christo adduxisset, nec modico fructu in Prussia laborasset à nonnullis duræ cervicis hominibus manibus, pedibusque præcisis capite truncatus est. *Vid. Dithmanus, Marian. Scotus, Baron. &c.*

Aliud

Aliud ingens, & imortale hoc ipso anno meritum de Ecclesia, & orbe universo celebratur à Sigeberto, & Genebrardo, nostris, inter præcipua Ordinis referendum: quando Burcardus Monachus Laubiensis, ac dein VVormatiensis Ecclesiæ Episcopus, *Antiquos Canones in unum Decretorum volumen colligens*, sumo universi bono monimentum sibi ad posteros æternũ transmisit ipsum illud, quod dein *Canonistarum Phœbus*, Dux, & Magister *Gratianus noster* in compendium contraxit.

*A. C.* 1009. *S. P. N.* 529.

ITerum augustissimo sanguine fœcundiorem, reddit Otthonis III. consanguineus, Sanctissimus Bonifacius Hunnorũ, Slavorum, & Russorum Apostolus, siccitatem sterilis Ruthenorum provinciæ, cum Regem imprimis ac populum Regni pene universi baptismali unda expiasset, à fratre denique Regis interemptus, quem tamen ipsum à morte grandi miraculo punitum, & sospitati restitutum cum cæteris obstinatioribus Ecclesiæ gremio indidit. Ex Petro Damiani in gestis S. Romualdi. Ei debentur præter fidem, sanguinem, & exin gloriam, & salutem tot populorum, Gnesnensis Archiepiscopatus initia, quæ in D. Adalberto Episcopali jure originem habuere. *Petr. in Catal. VVion, Yepes, &c.*

Accepto de morte Bonifacii nuncio, S. Romualdum insolens planè Martyrii desiderium incessit, impetratoque à Romano Pontifice consensu, viginti sex Monachis in societatem adscitis, & ex iisdem duobus Archiepiscopali honore condecoratis, sola Numinis voluntate prohibitus est; cum proximus Vngariæ, quo tendebat, finibus ulterius progredi conatus, morbo præpeditus, quotiescunque verò reverteretur, eodem levatus esset. *Ex Baron. & vita, &c.*

Eodem año extincto Ioanne XIX. summus Pontifex ex Ordine nostro creatus Sanctus Sergius eo nomine Quartus, vir si nullo alio nomine, sanctitate meritissimus, quæ sumæ sedi summum decus addidit. *Bugianus, Illescas, VVion. Hieronymus Platus, &c.*

*A. C.* 1010. *S. P. N.* 530.

RVrsus Regnum nobilissimum purpura Sanctissimi sanguinis sui tingunt felicissimi ex Ordine nostro Martyres Ss. Benedictus, Matthæus, Ioannes, Isaac, Christianus Breunoviēses Monachi, Barnabas, eorum socius & ipse Monachus, per absentiam servatus, sed longiori Martyrio, rigoris nimirum Monastici reservatus; quorum triumphis sera Polonorum, apud quos passi, & Bohemorũ, apud quos educati, posteritas æternum triumphat, & gloriatur. *Ex Dubravio, &c.*

Celebratur hoc eodem anno à Baronio memoria Beatæ Theresiæ Veremundi Regis, & Geloiræ Reginæ Filia, quæ contra voluntatem desponsata Regi Atabum Habdallæ, ab eodem graviter, vindice DEO, punito, dimissa cum muneribus Ouneiti Ordinem nostrum in S. Pelagii professa. *Vide Ambros. Moral. Baron. &c.*

*A. C.* 1011. *S. P. N.* 531.

ALiud item hoc anno Regnum, Angliæ nimirum, sanguine Martyrum nostrorum irrigatur, Danis rursum in Angliam irruentibus, & nostros promiscuè decimantibus, & contrucidantibus. Inter captivos abductus Sanctissimus Elphegus noster Cantuariæ Archiepiscopus, tanto illustriore merito hunc annum condecorat quanto magis mirando quod de hostibus meruerit, quos cum divina statim ultio sequeretur, gravissima in exercitum lue immissa, ipse Benedicto pane hostes ab internecione servavit. Ex Osberto, & Baron. Obiit hoc anno Tagmo Magdeburgensium Pontifex ex Monacho S. Emmerammi Ratisponæ, & Henrici Imper. Cancellario, vir egregia sanctitate laudatissimus, quem pro meritis Ditmarus plurimum commendat, subditque post eius verba adducta Baronius; in quem tantum Patrem sæculi hujus decus, & ornamentum, utinam aspicerent filii desertores. Successit VValterdus, Magdeburgensis Monachus, S. Adalberti discipulus sacerdos Dei, ait Baronius *pariter laudatissimus.*

Cassini moritur S. Ioannes Abbas, de Vngaris meritissimus ad quos suorum Coloniam destinavit, sed & Illiricis pari beneficentia obligatis. Sub eo Pandulphus Salerni Principatu dimisso, salutem Religionis portui, in quem admissus, debet, religiosa exin in Cœnobio Casinensi servitute nobilior. Successit Athenulphus Pandulphi item, sed Beneventani Principis filius. Clarent inter alios Casini sub eodem miraculorum frequentia Ss. Guinizo, Nicolaus, & Ianuarius.

*Vid. Ant. Scipio Leo Ostiensis.*

*A. C.* 1012. *S. P. N.* 532.

FELICISSIMO transitu, cœlitibus jungitur S. Georgius IV. Pontifex Maximus, de cujus meritis satis Epitaphium. Inter alia.

*Hic timulata jacent pastoris membra sereni*
*Quē decus Ecclesiæ contulit omnipotens.*
*Pauperibus panis, nudorum vestis opima,*
*Doctor & egregius qui fuit in populo &c.*

Alius rursum è nostris Martyr, quid hoc quoque tempore, Austriæ de nostrorum triumpho desiit, provinciam illam morte sua beatam facit Sanctus Colomannus Monachus Huensis, & Abbas Amarbacensis, Archiepiscopus denique Lindisfarnensis; qui in ea Norici parte, quam hodie Austriam dicimus, post longa, & plurima tormenta in arbore suspensus, lauream Martyrii meruit. Duobus cum latronibus suspensus, cum eorum carnes avium, & bestiarum morsibus laceratæ essent, Sancti viri corpusculum unguibus cū barba Cæsarieque crescentibus sine corruptione permanēs refloruit, sed & arbor, in qua integro anno cum dimidio perpēdi viruit, cumque venabulo transfigeretur, & carnes ex corpore rescinderentur, calidus semper sanguis defluxit. Tandem honorificè sepult⁹, innumeris claruit miraculis. *Ex Breviario Melicensi. Steng. Baron. Gualterio, &c.*

*A. C.* 1013. *S. P. N.* 533.

HVngaria mille modis nostris obligatissima, quam ait hoc denique anno fidem palam, seu publicè professam Gaulterius ex Palm. Clarent in eadem admiranda sanctitate, & meritorum immensitate Monachi inprimis Samartinenses, quibus S. Stephanus Vngarorum Rex ita addictus fuit, ut decimum quemque ex ipsis Hungaris, nedum ex certis Regni fructibus eisdem mancupatum vellet. Vide Yepes. Baron. Bonfinius, &c. Clarent item in eodem Regno S. Anastasius, S. Maurus, Sanct. Andreas, Sanct. Benedictus, Sanct. Bonifacius aliique nostri. *Legendus Cartuitius.*

*A. C.* 1014. *S. P. N.* 534.

S. Poppo noster Abbas Stabulensis, familiarissimus Sanct. Henrico Cæsari, cum à Rege magnificentissimè exciperetur, acriter ipsum corripit, corrigitque. Ita nullis blanditiis nostri deliniti, peccata Principum constantissimè redarguentes, æterno se exemplo, & merito posteritati commendant. Qualiter autem eidem obtemperare, & revereri solitus sit Henricus Augustus, fusius in vita Popponius tradit *Everhelmus requir.*

Qualiter eodem tempore suspexerint, & coluerint Sanctum Odilonem Benedictus ipse summus Pontifex, & Henricus Imperator, consule Baronium ut inde merita ejusdem, ex opinione, & spe summorum orbis Principum facilius liceat æstimare.

*A. C.* 1015. *S. P. N.* 535.

IMMENSA Berwardi Hildesheymensis Episcopi merita memoranda forent, modo & sufficeret ingenium nostrum & compendium admitteret. Is totus noster, ab Oldacho nostro Hildesheimensi item ex Monacho Augiensi, Episcopo, educatus, post longos, & multos in Episcopatu, post Magistrum, labores, sub hæc tempora denuo noster factus, cucullo se denuo abdidit. Ei sub Otthone plurimum debuit Imperium ejus consilio administratum. Hildesheimensis Civitas eidem, & jura urbis, & mœnia debet. Sed plura in vita à Browero edita requirantur. Ita rursum civitate illustri per nostros Imperium ornatum, & munitius redditum.

*A. C.* 1016. *S. P. N.* 536.

POst superatos gravissimos tumultuantis mundi fluctus, recipitur in felicissimum Religionis portum Arduinus Italiæ Rex, ab Italis adversus Hēricum Sanctus electus, Monachum in Cænobio Fructuariensi professus, in quo duobus annis in pęnitentiæ luctu perseverans, felici permutatione, pro terreno Regno cœleste acquisivit. *Carolus Sigonius, Phil. Pingonius, &c. Yepes, &c.*

Moritur hoc anno illustrissimus ille prodigiis Monachus Sancti Benedicti ꝓpe Mantuam, de quo fusè *Yepes, & VVionius.*

Scripsit hoc anno præclarissimè ad Henricum Cæsarem, Berno Augiæ Abbas Religiosissimus, & doctissimus Tractatum *de vera laude Regis*; ut videas Sanctum Imperatorem non puerili solum in ætate, sed in omni etiam matura, & ad senium vergēte nostrorum studiis circumdatum, atque contra omnem scelerum in cursum præmunitum fuisse. *Ex constantia Bened. & Ochem. &c.*

Eminet præcipua in Imperio auctoritate Erchenboldus Moguntinensis ex Mo-

Monacho Fuldensi Archiepiscopus, qui virtutis, sapientiæ, ac Religionis fama eam Cathedram insigniter illustravit. Studium suum in Deiparentem Virginẽ im̃ortali monimento testatus, Basilicam eidem, addito Canonicorum collegio, exstruxit, & dotavit. Ita ut rursum in hodiernam diem Canonici S. Crucis, ita enim hodie in Ecclesia illa titulum gerit. Erchenboldo nostro, eos ex quibus liberaliter sustentantur sumptus debeant *Brovverus.*

*A. C.* 1017. *S. P. N.* 537.

SPeculum exactissimæ pœnitentiæ exhibendus hoc anno Sanctus Hartkerus Divi Galli Monachus, quem omnis jure merito posteritas demiretur, & grata memoria se debito quadantenus exsolvat, innocentissimo viro pro tot nocentibus lucente, & in se ipsum animadvertente. De eo sic Marianus Bucelinus. *Hartkerus insignis Sancti Galli Monachus, plusquam triginta annos in cellula, in qua prius B. Pertherada Sacra Virgo, inclusa vixerat, summis vitæ rigoribus, cum propter cellulæ angustias erigere se nunquam posset, incurvus semper staret, sanctissimè exigens, cum ante mortem Angelorum choros vidisset, animam efflavit, &c.*

Iterum præter plurimos alios è Principibus, suscipit, & fovet Ordo noster hoc anno potentissimam Hispaniæ Reginam Elviram Veremundi Secundi Regis Hispan. filiam, Alphonsi V. matrem: de qua consul. Yepes hoc anno Tom. 5. cent. 6. Repullulascens in Gallia nequissima Manichæorum Hæresis opprimitur ab Roberto Rege, nostris inprimis rem subodorantibus, & Fulberto Carnotense nostro, à quo Episcopi omnes & Rex pendebant, rem urgente. Colligitur. *Ex Epistol. Fulb. & rer. Gall. Script.*

*A. C.* 1018. *S. P. N.* 538.

MEritissimus ille de Re Historica B. Ditmarus ex Monacho S. Ioannis Magdeburgensis Mersburgensis Episcopus moritur. De quo his verbis Baronius, cum Borealium Ecclesiarum cladem ex eodem descripsisset: *Porro, his enarratis, Dietmarus finem scribendi fecit, pariter & vivendi, anno ætatis, quadragesimo primo, multiplici quidem nomine commendandus, sed in primis, quod in omnibus optimi pastoris specimen edidit, in cunctis semper sui accusator existens, aliorum verò commendator eximius. Ceditque insuper ipsi magnæ laudi, quod jam argumentis mille, & exemplis innumeris egregiè fidem Catholicam testatam reliquit, adversus tot gentiles apostatas, novatores, qui nostro hoc sæculo emersere.* Hæc Baronius.

Moritur hoc quoque anno Lambertus ex Monacho Petrusiano Constantiensis Episcopus, cui inter plurima alia debent Constantienses Cathedrale templũ magnificentius exstructum & ornatum. *Ex Chron. Constant. Manusc. VVidmero, &c. Const. Bened.*

*A. C.* 1019. *S. P. N.* 539.

INgens rursum meritum Adalberonis Basileensium Pontificis, qui ope etiam S. Henrici, magnificentissimam illam, egregiis, mole, sumptu & opere, Cathedralem Basileæ Basilicam condidit; hoc anno præsentibus Augusto, & Augusta, & innumera Principum, ac Dynastarum in frequentia dedicatam. Inter amplissima alia, quæ in gratiam dilectissimi Adalberonis, Ecclesiæ tum Henricus contulit, fuit altare, sui sacelli Palatini: seu domestici, laminis auro solidis fabrefactum, expressis in eodem, quos vitæ suæ actionumque tutelares præcipuos delegerat, Christoque adstantibus, Sanctissimo Patriarcha nostro Benedicto, SS. Michaele, Gabriele, pluribusque Angelis, ipso Henrico cum Chunegunde conjuge ad pedes eorum geniculantibus. Debent insuper (& si fortassis dein eis spoliati sint, seu ipsi dilapidarint,) Adalberoni Basileenses accepta tunc dominia duo, seu districtus, cum arcibus Pfeffingen, & Laudehre, ut planè posteritatem omnem immortalibus meritis habeat Adalbero obstrictissimam, ipsam etiam urbem, quam splendidè ornavit: modo ingrata Hæreticorum lues seu agnosceret, sive agnoscere vellet. *Ex Const. Bened. Vustisio, &c.*

Claret sydus illustrissimum Ordinis, Doctor egregius, Sanctissimus Osbertus, sive Olbertus, magister dignissimus Fulberti Carnotensis, Monachus Laubiensis, de Belgis imprimis meritissimus, apud quos publicè lectiones Scholasticas professus, plurimum profuit, & doctissimos post se summo Europæ bono discipulos reliquit. *Trith. Yepes, Myræus, &c.*

*A. C.* 1020. *S. P. N.* 540.

MOritur Sanctissimus VValbodo Episcopus Leodiensis, ex Monacho Stabulensi, filius Godefridi Ducis, & Ioannæ Flandriæ Comitissæ, Capellanus

nus S. Henrici Augusti, & Imperii Cancellarius. Inter alia ejus merita, ut erat de omnibus, imò Imperio ipso meritissimus, erat professio Scripturæ, qua confluentes ad se discipulos egregiè instituebat, & perficiebat; in summis honoribus sibi vilissimus videbatur, etiam in palatio Imperatoris summi rigoris observantissimus, tantæ in pauperes propensionis, ut suppellectilem Ecclesiasticam in eosdem exhauriret. De vigiliarum ejusdem, algorisque patientia miranda fusè describit Ægidius in Pontificibus Leodiensibus. Meritum rursus grande istud, quod longas inter Henricum Cæsarem, & Heribertum Archi-Episcopum Coloniensem, simultates ita composuerit, adeoque flexerit Sanctum Henricum ut Coloniam properans in Natalitiis Domini feriis publicè coram omnibus Heriberto satisfecerit.

Instituit etiam Processiones solemnes Cleri Leodiensis certis diebus ad Basilicam Cathedralem, multisque brevi Pontificatu præclarissimè gestis in amplexu sanctissimæ Crucis felicissimè exspiravit. Tantis à morte miraculis celebratus, ut Abbas S. Laurentii per Divinum nomen contestatus sit ut ab illis temperaret, tantæ Monachis fiebant per occasionem infirmorum noctu & interdiu molestiæ. *Ex Anselmo Leodiensi, Aesgidio Auneavallensi, Capravillo, & Bucherio, &c.*

Floret multo nomine, & auctoritate Fridebaldus Abbas S. Vdalrici Augustæ, quem S Henric. Imper. cui à confessionibus fuerat, tanto amore pariter, & honore prosequatur, ut quotiescunque curiam Imperat. adiret, ei cum primatibus assurgeret, & nunquam prius ipsi daret licentiam abeundi, quam aliquod clenodium pro munere acciperet à Rege. *Ex Steng.*

*A. C.* 1021. *P. N. S.* 541.

CLaret meritis immortalibus celebratissimus Ss. Guido noster Monachus, & Abbas S. Crucis de Avellana sex Notarum Musicalium, ac manus Musices inventor, acerrimusque hostium Ecclesiæ, Hæreticorum expugnator. Is sub hæc tempora, cum instantissimis precibus numen sollicitaret, ut sibi facilem instillaret modum, tradendæ rudibus Musicæ, quo universæ Ecclesiæ ipse in hoc opem ferret, positum sibi in mente cœlitus sensit, eum ex initio Hymni. *Vt queant laxis resonare fibris, mira, &c.* desumi posse. Ad quē oculos conjiciens sex Syllabas, ut, re, mi, fa, sol, la, ex eo notans, novam vocum flectendarum edidit disciplinam, quæ in hunc usque diem à Musicis constantissimè observatur. Manum præterea, ut vulgo vocamus per litteras flexurus digitorū sinistre manus adjungere docuit, ex quibus omnis Musicæ perfectissima hodie redditur institutio, ut ex Musicorum omnium testimoniis, manifestum est. Ad hoc verò propositum scripsit de Musicalibus duos quos extare dicit VVion in Bibliotheca Georgii Fabricii. *Libr. ex Trith. VVione, Yepes, &c.*

De eodem sic ex Baronio Bisciola: Guido, &c. *Maxima omnium admiratione novā discendi Musicam, rationem invenit, ita ut puer paucis mensibus disceret, quod pluribus annis, vix homo quilibet pollens ingenio ante capere potuisset, qua etiam de causa Romam vocatus est à Benedicto Pontifice, postea verò sub Ioanne XX. Benedicti successore, anno ætatis 34. edidit de musica librum, quem Micrologum nuncupatum, dedicavit Theobaldo Episcopo Aretino.* Videndæ ejus Epistolæ recitatæ à Baron. XI. &c. De eo contra Hæreticos scripsit suo loco, &c.

*A. C.* 1022. *S. P. N.* 542.

HOc anno Imperatorem suum Henricum Ecclesia, & universum Imperium debet Sāctissimo Patriarchæ nostro Benedicto. Hic cum apud Casinum, ad vestigia Sanctissimi Patroni sui invisisset, asperrimo calculi dolore, (quo sæpius urgeri cōsueverat) solito vehementius cruciaretur, Benedictus clientem suum per quietem de cœlo invisens eo doloris, sensu ac molestia perfectissimè in reliquum vitæ tempus liberavit. Henricus postridie mane cōvocatis in exedram Theobaldo, ac Monachis humiliter eos ei sciscitatur qua tandem mercede remunerandum censeant, cujus opera desperatam ipsi valetudinem recepisset, cumque omnes exquisitis muneribus donandum pronunciassent, opesque Cœnobii promptissimis animis eam in rem detulissent; atqui scitote, excepit Henricus, mercedem à me vobis dependi oportere, quorum parens Authorque Sanctissimus, recrudescente morbi acerbitate, confectum me ac penè deficientem proxima nocte sanitati restituit. Quæ cum diceret prolatis tribus calculis, quos mane è lecto consurgens ex nocturna Benedicti vaticinatione egesserat, lachrymis præ gaudio ac Religione perfusus, fidem miraculo adstruit.

De

De Donariis ab eodem, & Benedicto Sūmo Pont. tunc quoque præsente S. P. N. oblatis fuse *Leo Ostiens. Baron. Scipio.*

Nec satis Henrico magnas Regni opes Benedicto obtulisse, nisi seipsum quoque Magnus Imperator offerret: voto proin facto, per sanctè Deo spondet Religiosam inter Casinates Monachos vitam, & ubi primum gravissimis Imperii curis se expediisset, abjecta purpura cucullum amplexum noster revera est factus, & priusquam licet cucullo se occuleret morte sublatus pro voto, à Deo coronatus, & Benedictinis Cælitibus sociatus. *Ex Leone Ost. Baron, Scip. Const. Ben.*

*A. C.* 1023. *S. P. N.* 543.

CLaret B. Ledovvinus Abbas S. Vedasti, summa apud Principes æstimatione quem virum plane dignum omnium dilectione Robertus Rex in script. Ch. appellat, & Varinus Bellovacensis Episcopus de se ipso prædicat. *Ego meo bono omine interfui* ( scilicet Consilio Regis Roberti in Compendio palatio) *cum ibidem tanti viri* (Leduini Abb.) *notitiam, & sacræ Societatis præsidium paraverim meæ dignitati.* Citat. Claud. Rob. Chart. in Episc. Bellon.

Fit Episcopus Halberstadensis ex Monacho Fuldensi Branthous, multiplici egregiorum operum fructu celebratus; cui posteritas inter alia merita duo Canonicorum debet collegia S. Ioannis Bapt. intra urbem, alterum S. Bonifacii in Bosleve. Quibus utique sperandum, nostros exactis Hæreticis potitos, gratiam Branthoo relaturos. Lamb. Trith. Prover.

Claret egregium Germaniæ sydus Gothardus de cujus præclaro miraculo dum ad Consilium pergeret hoc anno Bar. Vid. Sed de viris hoc tempore ex Ordine illustribus doctrina, & sanctitate consulendi Yepes, & Trithemius, dignissima sane referentes.

*A. C.* 1024. *S. P. N.* 544

MOrte Sanctissimi Henrici nostri Imper. tristissimus hic annus, cujus præclarè gesta omnia, nostris referenda, in acceptis, duplici nomine tum quod à nostris, à puero Henricus ad mortem usque regeretur, tum vel maximè quod Cassinatibus se devovens, totus quantus in purpura, ac cucullo fuisset, noster esset. Moriturus ad præsentes Episcopos, & Abbates, ait, recipite quam mihi tradidistis Virginem vestram, Chunegundam tradens. De quibus Baronius. Vidit infaustū sæculum, nunquam hactenus visum in continentia tantorum Imperatorum miraculum; gloriaturque jure Germania uno se edidisse partu, Augustum, & Augustam Sanctos Imperatores inter Sanctos relatos ambos, & in tabulis Ecclesiæ perpetua memoria illustres. Ita Baronius, ut tanto magis glorietur Ordo noster quam Imperium, nostrum utrumque esse, & Legibus iisdem nobiscum paruisse, qui Orbi antea imperaverant.

Eodem anno Benedictus Pontifex mortuus S. Odiloni æternum debet, ab eodem ex purgatricibus flammis, testante Damiano ereptus. Videndus idem Damianus in Epist. ad Nicolaum S S. Pont. in qua recenset numerum eorum qui exemplo Benedicti territi, ab Episcopali se munere abdicantes, cucullum amplexi sunt. *Vid. & Baron. aliique.*

*A. C.* 1025. *S. P. N.* 545.

IPsa die anniversaria obitus Henrici Imper. ejus conjux Sanctissima Chunegūdis Augusta, in Monasterio Confugiensi, à se erecto, in dedicatione ejus Basilicæ inter Missarum solemnia, dimissis ornamentis Imperialibus, crineque deposito, ab Episcopo Monasticum habitum suscepit quem sibi ipsa, suis manibus operata fuerat, atque in eodem Monasterio ad obitum usque annis quindecim perseveravit cæteris monialibus summa humilitate deserviens, quæ pluribus descripta habentur ab ejus vitæ Auctore, qui & miracula ab eodem edita recenset. *Vid. Divos Bamberg. Gretseri, &c.*

Eodem quoque anno non minore ex Ordine nostro æstimatione conjungere se nostris gaudet, contempto insuper Italiæ Regno Guilielmus, IV. Aquitaniæ Dux Monachum in Monasterio S. Cypriani Pictaviensis professus. De oblato sibi Italiæ Regno ita ipse; *quantum enim in ipsis fuit* (de Longobardis loquitur;) *partū erat mihi Regnum Italiæ si unum facere voluissem, quod nefas judicavi, scilicet ut ex voluntate eorum Episcopos qui essent Italiæ deponerem, & alios rursum eorum arbitrio elevarem. Sed absit à me rem ejusmodi facere, ut pastores Ecclesiæ quibus mei Patres semper honorem exhibuerunt, quos ipse quantum valui semper exaltavi, sine crimine inhonorem sub hac conditione, vellent mihi primores Italiæ me seu filium meum Regem facere, &c.* Ita curas ingentes Regni cucullo tantus Princeps redemi.

*A. C.*

*A. C.* 1026. *S.P.N.* 546.

ILlum triumpho implet, transitu, felicissimo Sanctissimus Burcardus noster VVormatiensium ex Laubiensi Monacho Episcopus; ad quem priusquam pro diademate Romã proficisceretur, conferens se, tanquam ad patrem suum & nutritorem Conradus Cæsar; eum humanissimè, & gratissimè sibi salutandum duxit. Qui cùm diu ante paralysi lecto decumberet, à Deo precibus obtinuit, ut valeret, dum Regem dignè susciperet. De sanctissimo ejus obitu, ut & insolenti vitæ rigore narrat in vita ejusdem quidam è domesticis. *Reliquit*, inquit Baronius, *egregia suæ pietatis, & ingenii monimenta, nempe libros viginti Decretorum, ex sacris Conciliis, summis Pontificibus Sanctisque Patribus collectorum, quorum novissimo libros pœnitentiales nempe, Romanum, Bedæ, & Theodori, simul jungens in viridem observantiam revocavit pristinam Ecclesiæ disciplinam. Insuper ad Clerum suum admonitionem in Ecclesia à Diacono post Sectionem S. Evangelii recitatam de his quæ præstanda essent ab ipsis, sexaginta sex brevibus capitibus distinctam scriptam reliquit, ut sic perseveraret apud nos in compendium redacta doctrina Canonum.* Hæc Baron.

Ita Sanctissimus vir Commodo Sanctæ universalis Ecclesiæ, maxima cum sua tum Ordinis nostri gloria studuit, & seipsum impendit. Debent enim Vangiones Vrbem suam, post eversionem, & excidium, *restitutam muris, fossis, turribusque munitam.* Ex Epitaphio, & gest.

*A. C.* 1027. *S.P.N.* 547.

RVrsum cæli ingens gratulatio in triumphali occursu Sanctissimi Romualdi nostri qui hoc anno ad gaudium Domini sui vocatus, innumeros meritorum manipulos, thesauro Ecclesiæ intulit & reliquit. De Romualdo sufficiat unum Hieronymi Plati testimonium adferre lib. 2. c. 22. de bono statu Rel. Romualdus, adeo, inquit, exemplo & Sanctitatis opinione homines permovit, ut nisi ipsemet cohibuisset, totus terrarum orbis (sic enim scribitur) religiosam disciplinam subiturus videretur, &c. Vt nihil dicamus de nostris Europæ Regnis, quibus hoc ipso tempore, ab viris Sanctissimis, & Cluniacensium, & Camaldulensium ex Cõgregationibus ingens felicitas accessit, & quotidianis incrementis accrevit. Hoc ipso anno de Ægyptiis quoque ipsis ac Oriente Sanct. Bononius noster meruit, atque in nostras illas Babyloniæ, & Ægypti solitudines, Monachorum agmina, & semen condidit Religionis, & revocavit. Ita in vita ejusdem Monachus Locedensis: *Evenit autem*, inquit, *famæ ejus, & virtutum fragrantia ad Aegypti incolas pervadente, ut ea capti ac deliniti Aegyptii proceres, ac potior pars populi ad eum amore ac singulari benevolentia complectendum vehementer incitarentur: ita quidem ut potestatem facerent ea istis in locis restituendi, quæ ad Religionis restaurationem barbarica feritate conculcatam pertinere censuisset. Quod cum frequenter urgerent, gavisus pius Pater, & Deo, qui feroces barbarorum mentes mitigasset, gratiam referens, occasionem tantam minimè sibi negligendam ratus, operi sedulo institit, primum diruta multis in locis templa restaurans; & post jactũ hoc Virtutum suarum, quasi spiritale fundamentum, Monasteria deinde plurima reparans, per quæ cætus Monachorum distribuit, Abbates constituit, eosque secundum à Divo Benedicto præscriptam Regulam Vitam religiose traducere jussit. &c.* Vid. & Yepes, &c.

*A. C.* 1028. *S.P.N.* 548.

ITerum ingens terris lumen extinguitur, cælo exoritur; Beatissimus Fulbertus ex Monacho S. Petri Carnuti, Vrbis ejusdem Pontifex; de quo Monachus Silviniacensis in vita, Sanct. Odilonis; Vir, ait, Sanctitate laudabilis sapientia mirabilis, in cujus morte studium Philosophiæ in Francia periit, & gloria Sacerdotum pene concidit &c. Sunt vero plurimorũ de eodem Scriptorum dignissima Elogia ut Glabri Adelmanni Brixiensis, auctoris Historicæ Aquitanicæ, Antonini, Bellarmini, Baronii atque aliorum. In quo præter scientiam, & vitæ integritatem, maximè commendatur, quod erga Sanctissimam Virginem Dei Genitricem addictissimus servus, & promptissimus ejus amator fuerit, in cujus laudem librum conscripsit, basilicam construxit gloriamque cecinit; ab ea vero singulari remuneratus est dono, dum ipsi ægrotanti per visum apparens, sugenda aperuit sacra ubera; sicut testatur Guillerinus, & ex eo Vincentius, qui etiam tradunt eum prophetiæ Spiritu fuisse imbutum; sed & in extremis positum, haud dubium reliquisse testimonim, de Berengario olim suo discipulo, cum à plurimis visitatus, inter alios oculis rimatus Berengarium, nisu quo potuit, expellendũ censuit, eo testatus, imanem

nem Dæmonem prope illum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu, & illiciis corrumpere. Testatur eadem VVilhelm. Malmesburiensis, de Berengario funestam texit historiã. Adversus cujus etiam errorem idem Fulbertus antidotum voluit reliquisse benè cõpositum, dum in Epistolis ad Adeodatũ, & Finandum, de veritate Corporis, & Sãguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ, dogma statuit, ac disertè confirmavit. *Ex Bisciola, & Baron. &c. Vid. Cl. Rob. Sixt. Sen. Gualter. &c.*

*A. C.* 1029. *S. P. N.* 549.

QUid speraret à Monachis nostris, quantique preces eorum, & vitam faceret Augustissima Galliæ Regum familia, pluribus agit hoc anno Baronius ex Helgaldo Historico sincerissimo, qui ubi ab Hugone Magno ejusdemque conjuge Adelaide, femina, ut ait admirandæ pietatis, recensuisset constructa Monasteria, & Ecclesias, subjicit. *Erant siquidem, huic generationi speciales amici Sancta videlicet Maria, & Pater & Dux Monachorum, Sanctus Benedictus, Sanctus quoque Martinus, &c.* Vt inde quoque merita æstimes hujus tẽporis Monachorum, quando in iisdem ceu thesauro Regni sui, spem post Cælites omnem maximi Reges repositam habuere. *Vid. Baron. hoc anno.*

In Vngaria ingenti à nostris fructu laboratum de Copia Sanctorum nostri Ordinis in eadem, ut & vitæ res gestas Sancti Anastasii nostri, primi Colecienfis in Vngaria Episcopi vide fuse Ant. de Yep. t. 5. cent. 6. ut & de Sancto Emmerico, Sancti Stephani Regis filio, nostris Monachis familiarissimo, immo ab iisdem educato, qui Castitatem cujusque ex odoris fragrãtia dignoverat, memoratu dignissima, apud eundem, & Bonfinium atque Cartuitium, &c.

*A. C.* 1030. *S. P. N.* 550.

ITerum Orbi universo summa Dei liberalitate novus exoritur Phæbus, lumen insolens, mirandum, immo ex sole tanto, calor fovendo agro Dominico aptissim⁹, unde exin fructus incredibilis consequutus, in sanctam Dei Ecclesiam: Sanctissimus Ioannes Gualbertus, qui cum inimico, quem in potestate habebat, per Christi passionem, quæ ipso die colebatur salutem deprecanti, non solum ignovisset, sed etiam ultro eum amplexatus, fratris loco, quem is occiderat, accipere se dixisset, tãtopere id factum Deo placuit, ut eo statim Ecclesiam proximam ingresso, Crucifixi imago lignea, ad quam orabat quasi ei adblandiens, caput inflexerit, ita ut crepitus è ligno audiretur, insuper etiam eidem Religiosæ vitæ amorem inspirarit, quo accensus, cum Monachi S. Miniatis ipsum metu patris ejusdem, recipere metuerẽt, ille cucullo Fratris cujusdam apprehenso, ipse se eo, veste prius in altari posita, induit, & ingenti deinceps in Domo Dei, fructuum copia multiplicatus in gentem deinceps magnam crevit, ut suo loco dicemus. *Ex Ant. de Yepes. Vita ejusdem.*

*A. C.* 1031. *S. P. N.* 551.

INgens hoc anno meritum S. VVilhelmi nostri, flagrante bello civili, Galliarũ Regno, cum Robertus, & Henricus filii contra Robertum Patrem insurgerent, sedatis nimirum discordiis, quas ambitiosa de eorundem in Patris Regnum successione cogitatio succenderat. Eos Pater cum dein acriter persequeretur, paulo post agente eodem VVilhelmo ad pacem redeuntes benignè recepit. *Requirendus Glaber. Baron. Bisciola aliique.*

Euehitur hoc anno ad Archiepiscopale Cathedræ Moguntiæ culmen Sanctissimus ille Bardo Hersfeldensis Monach⁹ à Sanctitate eximia, & gestorum gloria, toto orbe decantatissimus de quo fusius. *Trithem. Yepes aliique consulendi.*

*A. C.* 1032. *S. P. N.* 552.

CLaret eximia Sanctitate in Cænobio Cluniacensi S. Casimirus, dein Poloniæ Rex, insigni Dei providentia quo deinceps Regno magis prodesset in Cænobio institutus, cum ipse nihil minus quam Regnum cogitans, in cucullo, se Regni cælestis triumpho appararet, nec porro quidquam de terreni Regni curis somniaret. *Ex vita, & Anton. de Yepes. Menologio nostro, &c.*

IN Regno Vngariæ Magnus ille Hunnorum Apostolus Sanctissimus Gerardus Monachus Sanct. Georgii Majoris, incredibili fructu operatur, Regnum etiam ipsum, Vectigale, novo planè instituto facit, Magnæ illi Cælitum Imperatrici, Matri Virgini, cujus non minori studio, cultum & amorem quam alii è nostris fidem, propagat. *Ex Vita & MS. diversis.*

A. C. 1033. S. P. N. 553.

MOritur egregius & piissimus Francorum Rex Robertus, affectu & propensione non solum, verum & societate noster, quibuscum plerumque conversatus, etiam chorum adiit, Psalmos concinuit, in hoc Hugonem patrem imitatus, qui pari pietate nō tā nostrorum quàm noster fuit. Monitionem supremam filiis datam, alii Roberto, plures Hugoni hanc tribuunt; Specialiter tibi inculco nullo pacto, Ducem omnium, Patrem dico BENEDICTUM, à te patiaris divelli illum apud communem judicem salutis aditam, tranquillitatis portū postq; carnis obitum securitatis asylum, &c. *Ex Helgaldo, Chron. Mag. Belgico, Baronius, Yepes, &c.*

Profecit nostrorum convictu, & institutione ita Robertus, ut etiam prodigiis exsplendesceret, debiles solo attactu, & Crucis signo curaret, cæcum, quasi per jocum aspersa dum manus lavaret, aqua illuminaret, &c. Et sane tantos hoc tempore Cæsares, Reges, Principes, omnia fere Regna nobis debent, *Helgald. &c.*

Moritur eodem anno S. Guilielmus Abbas S. Benigni, discipulus S. Majori in vita, & post mortem, prodigiose meritus; clarent eodem tempore, multa in Ordine Sanctorum millia, imò si quis numeret benè, in quavis Cluniacensium, Camaldulensium, &c. congregatione, nullum numeret, quando numerum pene in numero non deprӕhendet. *Vid. Yepes, VVion. Trith. &c.*

A. C. 1034. S. P. N. 554.

TOta Europa fama repletur Sancti Popponis Stabulēsis Antistitis qui meritis plurimis universam Ecclesiam demeretur. Ea expendens Conradus Imperator Cathedra Pontificali sublimandum censuit. Proin vacante tum Sede Argentinensi Popponem Episcopum esse jussit. Sed qui obedire in vita omni didicerat, in uno hoc Imperatori restitit, evicitque, ut ab hoc quidem liber onere, à graviore tamen minimè esset; quippe Conradus humilitate viri magis incitatus, plurima primum illi Cœnobia restituenda, dein provincias etiam integras commisit, ut insignis paulo post Monachorum exercitus Imperator, esset. Ejus inde labores fructus haud immodicus consequutus, & fervor Monachorum, in incendium etiā sæcularium excrevit. Ita ferventibus novis Cluniacensium atq; Camuldulensium institutis, novis ignibus Belgium, & Gallia summo cum Ecclesiæ universæ splendore, exarsit. *Ex vita Yepes, &c.*

A. C. 1035. S. P. N. 555.

MOnachorum nostrorum in Sinay Arabiæ monte Sanctitatem, & merita describit Antonius de Yepes noster, hoc anno Tom. 6. cent. 6. sed & de Bethleemitico Cænobio nostro, & de S. Symeone hujus primum Cœnobii Monacho, dein Sinaytani Monasterii Rectore, qui mira denique providentia Numinis ab Oriente, in Occidentem delatus, Treveris Sanctissimè obiit. *Vid. Yepes eundem, & vitam Sancti Symeonis, VVionem item pluresque alios, &c.* Fuit Symeonis Cœnobium eo tempore, quo fames inaudita Ægyptum, Arabiamque premebat, Regnorū illorum indeficiens horreum, & promptuarium, dante DEO precibus Monachorum nostrorum, ut quantumcunque quotidie erogaretur, in undique confluentem multitudinem, nunquam tamen copia ad elargiendum non suppeteret. Tantum possunt, & potuerunt semper Monachorū ad Deum vota, & suffragia, quod mille exemplis, omnique sæculo factum est quam testatissimum.

A. C. 1036. S. P. N. 556.

BErengariana scelestissima Hæresi jamjam in apertum erumpēte, nostri quicunque cellulis abditissimi, quo S. R. Ecclesiæ defensione erumpentes, omnibus viribus, in ea explodenda, convincenda, & evertenda laborant. Inter primos, præter Fulbertum nostrum; qui necdum in publicum emergentem straverat, & Berengarium ipsum prophetico spiritu, graviter perstrinxerat, & notaverat, fuere Rogerius Corbeiæ Saxonicæ Monachus Algeerius ejusdem eodem in Cœnobio collega, & Adalmannus Fulberti discipulus (ut in Fulbertum etiam Secundariū gloria cadat) qui doctissimis scriptis Ecclesiā fortissimè propugnaverunt, & nomen suum æternæ memoriæ imortali merito consecrarunt: Rogerius tres contra Berengarium libros, & alia nonnulla edidit: Algerus, præter libros, itidem tres contra Hæresiarcham eundem, etiam aliis nonnullis repullulascentibus Hæresibus occurrens, librum etiam scripsit doctissimū, de gratia, & libero arbitrio, plura insuper alia ingenii monimenta reliquit, & Epistolas nōnullas, ex quibus abunde de zelo no-

nostrorum, & meritis sequuturum constare æternum possit posteritati. *Trith. Caulber. Yepes, VVion. &c.*

*A. C. 1037. S. P. N. 557.*

NOn contentus suo apud Ungaros Apostolatu, & Silesios ad fidem convertit Sanctissimus Gerardus, primus Canadinensium in Ungaria Episcopus, de re Christiana meritissimus, qui gravissima inter pericula imperterritus, ne in Episcopali munere, quidquam de rigore Monastico remitteret, *apud urbes, ad quas concionaturus veniebat cellulas sibi in silvarum secretioribus locis construxit, in quibus ligatus pernoctasse, multasque afflictiones soli Deo cognitas pertulisse memoratur.* Ex vita, & Ant. de Yepes, &c.

Ita præter fidem Silesii, & Moravi debent etiam primam in suis finibus Cathedralem Ecclesiam, primumq; Sanctum Pontificem, tutelarem, & Apostolum Ordini nostro.

*A. C. 1038. S. P. N. 558.*

B. Hermanus contractus ex comite Veringensi Augiensis Monachus novum Orbi, & Ecclesiæ sydus exoritur. Ei, cum Dei genitricem pro valetudine consequenda precaretur, ab eadem per visum optio datur: utrum omnium Scripturarum scientiam an bonā corporis valetudinem consequi mallet: cumque illud huic prætulisset, ex eo tēpore, cum rudis esset, & idiota, rebus tamen spiritualibus, ac pietati deditus, & scripturarum studio accensus, usque eo profecit, ut & in divinis literis, & in omnibus humanis disciplinis Philosophia, Astronomia, Musica, Poesi ad summam eruditionem perveniret, nullique ætate sua secundus fuerit. Trium quoque linguarum idiomata, Latinæ scilicet, Græcæ, & Arabicæ (cuius quidē usus ad Philosophos Arabes intelligendos qui eo tempore clarebant, non parum utilitatis afferebat) perinde callebat, ac si eas cum nutricis lacte suxisset. Inter alia quibus egregiè de posteritate meruit, sunt:

*De Musica.* lib. 1.
*De Monochordo.* lib. 1.
*In consideranda mora.*
*De sex ætatibus mundi.* lib. 1.
*Prima est mundi huius, &c.*
*De Compositione Astrolabii.* lib. 3.
*In metienda igitur, &c.*
*De Vtilitate Astrolabii.* lib. 1.
*Quicunque Astronomicæ, &c.*
*De Eclipsibus.* lib. 1.
*De Computo.* lib. 1.
*De quadratura circuli.* lib. 1.
*De Conflictu Rythmimachiæ.* lib. 1.
*Qui peritus Arithm. &c.*
*De Physiognomia.* lib. 1.
*Clari viri, & prud. &c.*
*Vitæ plurium Sanctorum.* lib. 1.
*Chronologia Vniversi.* lib. 1.
*Extat tomo 1. Canis. &c.*

Ex MS. Aug. & S. Galli. Trith. Ioan. Bonifac. Spinello, & innumeris Auth.

Moritur hoc ipso anno felicissimus Vngariæ Rex, Sanctissimus, Stephanus totus noster, cum à matris utero à nostris susceptus, ab eorundem nutu, & arbitrio ad mortem usque pependerit. Inter alia præcipuè celebrandus, quod primus Virginum Virgini Admirabili Matri, sceptrum, coronam & Regnum, *Suadente, & efficiente Sanctissimo nostro, & Principe Vngarorum Apostolo Gerardo* obtulit & Vngarorum gentem dignissimo nomine, familiam Sanctissimæ Virginis, appellarit, & esse meruerit. Ex vita, & rer. Vngar. Script.

Gisila Regina S. Henrici Imperatoris soror, S. Stephani Regis uxor à morte mariti viduitatem solata cucullo est; in quo pleniorem felicitatem quam in Regno experta, vitæ rara integritate, merita est, ut Helicæ S. Henrici Imperat. & suæ amitæ in Abbatiæ honore Patavii succederet, in quo honore plurimos annos sanctissimè transigens, ad Regnum Regis Regum evolans, Stephano rursum suo feliciori societate iuncta est. *Ant. de Yepes, sepulchralis inscriptio, Avent. &c.*

*A. C. 1039. S. P. N. 559.*

ITerum alius è nostro Ordine Heros egregius, pro Sancta Dei Ecclesia adversum. Inferi & Berengariorum exercitum insurgit, & in campum descendit Beatissimus Guido Aretinus S. Crucis de Avellana Monachus, superius de admiranda tradendæ Musices ratione, & inventione laudatus, qui libro doctissimo de Corpore, & Sanguine Domini in Sacramento Eucharistię errores detestan-

testandos Berengarii rejecit oppressitque. *Vid. Trith. de vir. illust. Ord. S. P. N. & de script. Eccle. Sigebertus Volaterranus, August. Florent. &c.*

Scriptorum Ordinis nostri illustrium numerus ingens excelluit. Bernonis tamen Augiæ Abbatis super alios virtus enituit. Cui præter innumeros, eosdéque communes cum Regibus, labores & onera, studium litterarum perpetuũ fuit, ut labores eius, cum ociosissimi hominis liberalissimo ingenio metireris. Vnius tantum anni labores referimus, unde cæterorum fructum omineris: fuit liber unus, De jejunio Sabbathi, de officio Missæ alius. De Ieiunio quatuor temporum item alius. Et quod miramur maximè seria ipsum ludicris tam scitè interposuisse, ut Mathematica juxta, & Musica interserens, de Musica & Symphoniarum Regulis, librum cõcinnaret; alium insuper de Monochordo mensurando, ultra Regulam Boethii, & Guidonis, supponendo unum tonum Tetrachordo Hypathon, & cõtra usum majorum in ipso utiliter inserendo synemeticon scriberet. *Vid. Constan. Bened. Chron. Aug. &c.*

*A. C. 1040.* *S. P. N. 560.*

Circa hoc tempus replet Ecclesiam Vniversam novo gaudio, novo plausu Sanctissimus Gerardus Canadinensium Primus Pontifex, propagato eius sanctissima consuetudine in Orbẽ Vniversum, insolenti tunc titulo nunc Germanis nostris Germano: Dominæ Nostrę. Cum enim ille, inter cultores Admirabilis Matris præcipuus, necnomen quidem illius exaudire, nedum proferre posset, quin totus amore eiusdem in lachrymas deflueret, & quasi colliquesceret, remedium Passionis inveniens Dominæ Nostræ titulum primus evulgavit, qui dein per orbem paulo post universum invaluit. Vt deinceps Vniversus omnino Orbis, eandem ex Ore Gerardi nostri, utinam eodem ex affectu consalutarit. Et apud Vngaros primum, Gerardi instituto, insolentior cultus Reginæ suæ crevit, dein apud orbem invaluit, & omnem posteritatem.

Obiit eodem anno S. Chunegundis nostra Imperatrix. *Vid. Grets. &c.*

*A. C. 1041.* *S. P. N. 561.*

Remisit hoc anno, si quis unquam benè fuerit institutus, formatissimũ Regno, Regem, Sanctissimum Casimirum, Cluniacense Cænobium, septem jam annorum, probatissimum omni virtute, & exactissimo vitæ rigore, Monachum Diaconum. His conditionibus absolutus à Romano Pontifice Religionis votis.

1. *Vt Poloni singulis diebus Mercurii jeiunent unica tantum refectione contenti.*
2. *Vt iidem omnes, rotunda in morem Monachorum tonsura capillorum utantur nec ultra auriculas, ritu barbarico quisquam omnino comam promittat.*
3. *Vt festis solemnibus dum sacra peraguntur, singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qua in sacris utuntur Sacerdotes, atq; Diaconi, è collo suspensam ferant.*
4. *Vt de singulis capitibus, exceptis nobilibus, & qui sacris addicti sunt quotannis tres oboli, & cribrum avenæ in lucernam perpetuo in D. Petri æde arsuram pendantur.*

Quam utilis Regno, gloriosus Ecclesiæ, Monachus hic ad Regnum subvectus fuerit alibi dignius commemorabimus.

*A. C. 1042.* *S. P. N. 562.*

Ovone sive Vuone Tyranno, contra Petrum Vngariæ Regem insurgente, Principibusq; ac clero universo, uno ferme omnium consensu Tyranno consentientibus, sane manum dantibus, cũ ab uno Gerardo nostro maximè coronari, & eius gratiam demereri Tyrannus satageret plus quam Herculea constantia, Apostolicus Præsul Tyrannum rejicit. Sed & cum ad eius Ecclesiam profectus cum universo Pontificum ac Principum comitatu Rex eundem quã humanissimè invitaret, & ab eodem coronari expeteret, Gerardus primum quidem nec ingredi Ecclesiam annuẽs, mox ingressus ac suggestum conscendens, publice Regem præsentem coram omnibus redarguit, prædicens eum anno tertio usurpati Regni ultore gladio periturum. De Sancti Pontificis Constantia vide pluribus agentem *Baronium & vitæ Ger. script. aliosque.* Vnde colligas quam potior nostris semper iustitia quam adulatio fuerit.

*A. C.*

*A. C.* 1043. *S. P. N.* 563.

MEritis innumeris gratiam merentur à Numine Orbi universo, & misericordiam innumeri Sancti ex Ordini nostro Monachi, precibus singultibus, votis ac suffragiis assiduis, quorum in uno Cœnobio Cluniacensi Sanctorum subinde sub hæc tempora millia numerata, non repentina, ut sic loquamur, gratia gratis data in numerum Martyrum cooptatorum, sed longo perfectionis usu sanctissimè conviventium. De cuius Cœnobii admirando profectu, ac in Ecclesia Dei fructu requirendus *Antonius de Yepes tomis* 4. 5. *& sexto.*

*A. C.* 1044. *S. P. N.* 564.

ITerum ex ordine nostro caput Ecclesiæ Vniversæ petitur, & statuitur Sanctus Gregorius IV. Pont. Maxim. qui initio statim Pontificatus de Romana Ecclesia ita meruit, ut eidem immortaliter successores debeant; quippe Romani Apostolatus statum per incuriam antecessorum diminutum, in antiquum jus reformavit, grassatores ac prædones, precibus partim, partim armis coercuit, multas possessiones, & civitates ad Romanam Ecclesiam pertinentes recuperavit, pacem denique & securitatem quasi postliminio reduxit. *Ex Const. Caietano, Baronio, Malmesburiensi.*

*A. C.* 1045. *S. P. N.* 545.

AFflictissimum Poloniæ Regnum juvit egregiè, & restituit Sanctus Casimirus Monachus Rex, ut jure merito verum Patriæ Patrem Poloni hodieque, & præcipuum ab Adalberto Regni Tutelarem, imo Apostolum agnoscant. Is hoc anno compositis Regni rebus Legationem ad Pontificem mittens, promissionem de obolo superius memoratam confirmavit. Quippe magno Principum Regni conventu celebrato, eorum consensu impetrato, æterno sane meritò, & pulcherrimo exemplo Regnum Poloniæ Romanæ Ecclesiæ, & Vicario Iesu Christi summo Pontifici feudale seu Tributarium fecit. Quæ verò ex hac submissione ac donatione, quamvis graviter principio proceres Regni acciperent, & ferrent, Regno deinceps commoda consequuta, narrat Longinus Polonus, & nequiter Chromerus prætermisit. *Vid. etiam Baron. &c.*

Moritur hoc anno Sanctissimus Guntherus, S. Stephani Vngarorum Regis cognatus, Monachus Altahensis de cuius prodigiosissimè gestis videantur. *Matt. Raderus, &c. & Henr. Canis.*

*A. C.* 1046. *S. P. N.* 566.

EXemplo humilitatis stupendo sanè, & inaudito, Sanctissimus Gregorius noster, cum eidem instaret Henricus Rex, prætextu indignissimo ambitionē occultans (quod absq; assensu suo electum doleret) ut summo se Pontificatū abdicaret, cernens ea occasione gravissimum denuo schisma cōflandum, imitatus ipse Gregorium Nazianzenum, qui ob pacem Ecclesiæ conciliandam Episcopatu Constantinopolitano spōte se abdicavit, & ipse eodem anno, eademq; virtute, Pontificia sede Romana libenter cessit, & ad Cluniacense secedens Cœnobium, ibi vitæ reliquum securius, quietiusq; sanctissime transegit.

*A. C.* 1047. *S. P. N.* 567.

ITerum Regnum præstantissimum Sanguinis Benedictini purpura insignitur, Sanctissimi Vngarorum, Moravorum, ac Silesiorum Apostoli Canadinēsis Episcopi Gerardi, qui primus in Vngaria Martyr, inter protomartyris saxa, & verba occumbens triumphantem in cælos misit animam 24. Septembris: Si quis unquam Sanctorum de cælo meritissimus, qui Cæli Imperatricem, ita terris colendam instituit, ut nemo unquam eius ita honorem promeruerit, de terris iterum meritissimus, ut qui Amatores Magnæ Matris omnes exemplo prę iverit, & eius amore mundum accenderit. *Videatur vita eiusdem à nobis in compendium redacta post partem* I. *Operum Gerardi Belgæ*, Y*ep. &c.*

De B. Petri Damiani nostri apud Pōtificem Max. ac Imperatorum auctoritate requir. hoc anno Baron. &c.

*A. C.* 1048. *S. P. N.* 568.

MOriur hoc anno Sanctissimus ille Abbas noster Odilo quem tali ex Baronio encomio colit Bisciola. *Hoc anno, eiusdem exordio, Calendis Ianuariis Admirandus ille Odilo Cluniacensis Abbas, sæculi*

*culi huius astrum lucidissimum, quem, ut vidimus, Reges, Imperatores, atq; Romani Pontifices coluere, quemq; pro egregia virtutum excellentia, Fulbertus nominat Archangelum, ex hoc mundo apud Silviniacum migravit ad Cælum.* Consulendus prolixior in eius laudibus Baron. Quot vero eidem se erepti debeant ex Purgatorii flammis animi, quot è mortis animæ atque corporis vivi faucibus, nulla unquam satis poterit lingua exponere seu exprimere *leg. Yepes, & Biblioth. Cluniac. &c.*

Petiit eodem anno, haud imparibus meritis cælum, Sanctissimus Poppo Stabulensis Abbas, de quo *Baron. & vitæ auct.*

*A.C.* 1049. *S.P.N.* 569.

AFflictissima diu Romana Ecclesia variis dissensionibus, hoc denique anno felicissima novo Pontifice refloreſcit, Sanctissimo Leone IX. ex Tullensis Cænobii Monacho, ac dein eodem nomine Vrbis Episcopo, ad summum Pontificatus culmen evecto. Is cum auctoritate Imp. Henrici III, Pontifex renunciatus, habitum Pontificiū, quo indutus Romam petebat, suasionibus, & consiliis Abbatis Cluniacensis, & Hildebrandi Monachi (qui postea fuit Gregorius VII. PP.) tanquam male acquisitum dimisisset, & seipsum Pontificatu abdicasset. *Electione libera clero, & populo Rom. restituta* (ecce quantum bonum à Monachis) factum Deus insigni miraculo comprobavit voce de cælo lapsa dicente: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* At vero Romanus Clerus, eundem Pontificem elegit quo eodem ipse die consecrationis munus, & coronationis insignia suscepit. Cæpit Pontificatum ingentibus statim meritis Leo, & Concilia eodem anno tria, insolenti planè usu, sed summo Ecclesię bono, Papiæ, Rhemis, & Moguntiæ celebravit, Simoniacę Hæresi funestissimum bellum indixit, nefanda carnis vitia (suadente, & incitante inprimis S. Petro Damiano nostro) exscidit, & miraculis insuper ipse illustris, Ecclesiæ honorem, & decus perpetuum addidit. *Vid. Baron. &c.*

Inter præcipua merita, Leoni adscribit Baronius. S. Humbertum nostrum una secum Romam adduxisse; ita enim ait: *Debuit plurimum Ecclesia Romana Leoni, qui tantum virum* (Humbertum Tullensem item Monachum) *otiosum fortasse in Lotharingia commorantem, his opportune temporibus in orbis theatrum, pro universa Ecclesia Catholica constituit laborantem.* Sed de hoc sæpe inferius. Eum Leo hoc statim anno ad prædicandum Siculis Verbum Dei Archiepiscopum ordinavit, dein ad Cardinalatus apicem promovit. *Vid. Lanfr. Bar. Vita Leon.*

*A. C.* 1050. *S. P. N.* 570.

HOc uno anno, quo Remp. Christianam imminente gravissimo malo, Hæreseos Berengarianæ liberaret, summo Ecclesiæ Vniversæ bono duo Romæ Concilia celebrat Leo noster Summus Pontifex. In altero eorundem Conciliorum, transtulit Leo Patriarchatum Gradensis sedis ad Venetos, adeoq; eorundem gloriam mirificè auxit, ut tantum honorem, Leoni nostro, jure merito posteri Venetorum referant in acceptis. Eiusdem voluntate, celebratum item Coyacense in Hispania Concilium, ita ut plurimis subsidiis, auctoritate, industriaque Leonis Ecclesia universa egregiè iuvaretur. Ex Seu. Binio Baron. Lanfr. &c.

Claret egregia nominis celebritate & eximiis apud Polonos meritis Aaron Archiepiscopus Cracoviensis ex Monacho Cluniacensi de quo *Vid. Mart. Cromerus in Pol. Hist. l.* 4. De plurimis nostri Ordinis eximiis sub hæc tempora Sanctis, Episcopis, Abbatibus, Monachis, *leg. Yepes, & ipse Baronius*, de Roberto Alvernensi, Alferioque Cavensi, viris Sanctissimis, & miraculorum frequentia verè prodigiosis.

*A.C.* 1051. *S. P. N.* 571.

PErmagnis incrementis, instituitur propagaturque incredibili Ecclesiæ ornamento, universi commodo, cæli applausu Sanctissima Ordinis nostri Congregatio Vallumbrosana. Ipso etiā anno, eius Sanctissimus Institutor Ioannes Gualbertus Leonem Pontificem in Monasterio Passiniano hospitio excipit, & miraculosè, grandi prodigio, in aqua nullius unquam Piscis ferace, captis duobus miræ magnitudinis Luciis in mensa reficit. *Ex vita, & Baron.*

Iterum Leo, meritissimus Pontifex, totum se impendens necessitatibus Ecclesiæ, Romæ Concilium congregat, & plura utiliter sancit, & nequissimum libidinis scelus undiq; proscribit. *Bar.*

Dedit

Dedit iterum Moguntiæ Ordo noster, Patronum seu Tutelarem Divum Bardonem, qui hoc anno Archiepiscopali honore, & vita defunctus, intercessurus Numen inter ac Moguntinos, cælos petiit. *Ex Baron. Brovvero, &c.*

Quanti habitus toto orbe S. Hugo Cluniacensis Abbas, multis probare possemus, si vacaret, constet saltem ex hoc, dum summis Orbis Principibus prælatus ab Henrico III. Imp. accersitus est, ut filium ex Agnete Imp hoc anno natum, è sacro fonte levaret. *Ex vita Mathild. Baron. &c.*

*A. C.* 1052. *S. P. N.* 572.

INgens Leonis studium, immortali commendatione dignissimum, quo Sanctissimus Pontifex difficilimo itinere in Germaniam, hoc anno properavit, ut gravissimas inter Henricum Imperatorem, & Andream Vngariæ Regem discordias componeret. Ita cordi nostris pax publica semper fuit, ut mille eiusmodi exempla suppetant, quę si vel unica solummodo essent, æternam Ordini ab Orbe gratitudinem meruissent. *Ex Baron. &c.*

Profligavit hoc anno æterna cum Ordinis nostri gloria, unus noster Petrus Damiani damnatissimam exurgētem adversum S. Ecclesiam Hæresim de reordinandis ordinatis à Symoniacis gravissimis scandalis ac perplexitatibus mundum involventem. De cuius mirando sane triumpho, ita ex Baronio Bisciola: *porro cum adversus novam eiusmodi de reordinandis ordinatis à Symoniacis emergentem Hæresim Petrus disputasset, demum in fine compellat Episcopos omnes, ipsumque etiam Summum Pontificem ut iam matura zizania ad messem parata, & à tritico separata tradant ad comburendum. Cuius quidem scriptionis tanta fuit auctoritas, ut nullus amplius sit repertus, qui eidem fuerit patrocinatus errori, &c.*

*A. C.* 1053. *S. P. N.* 573.

S. Leo Papa cum Imperatore egit de Northmannorum insolentissima, & intoleranda immanitate ab Ecclesiæ cervice dejicienda, & priusquam contra Northmannos propugnaretur, egregio sane exemplo contestatus, quid à Monachis ipse, & Ecclesia subsidii speraret. Cassinum profectus, se prius omnino Monachorum precibus commendatum voluit, multis argumentis suam in eosdem benevolentiam designans. Captus dein à Northmannis, ipsis etiam hostibus venerationi fuit. *Ex Bar. &c.*

De Leonis meritis ita Desiderius Abbas Cassinensis, qui dein Victor III. fuit: *Vir per omnia Apostolicus, regali genere ortus, sapientia præditus, Religione conspicuus omni Ecclesiastica doctrina apprime eruditus, ac qui (quemadmodum scriptum est) cœpit invocare nomen Domini. Quem ipse etiam vidi, eiusque familiaritatem habere merui: sæpe etiam eo in Ecclesia Missas celebrante, cum illo ad Divinum altare sacris indutus vestibus steti, eique Euangelium legi. A quo omnia Ecclesiastica studia renovata, & restaurat, a nova que lux mundo visa est exoriri. Hic sæpe sacerdotale Concilium advocans, sacerdotes, Diaconos, & reliquos clericos non regulariter ordinatos removit, & in eorum locis ad veri, & Summi Dei cultum, qui digne ministrare possent constituit. Quotidie quoque per se suosque discipulos vbique missos, populis viam Domini litteris, & verbis prædicans ostendebat. Qui per Apostolicam viam semper gradiens Apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus, &c. Ita Desiderius.*

*A. C.* 1054. *S. P. N.* 574.

MIssus hoc anno summa cum potestate à Leone IX. in Orientem legatus S. Humbertus noster S. R. E. Cardin ex Monacho Tullensi, ut Constantinopolitanam Ecclesiam cum Romana conciliaret, & Græcorum errores confutaret, qui tanta maiestate, & verborum facundia, de fide sacrosancta coram Imperatore disseruit, ut & Michaelē Constantinopolitanum, & Leonem Acridanum Episcopos confuderit, Nicætamque Pectoratum Monachum, in præsentia Imperatoris, & præfatorum Episcoporum librum suum, quem contra Romanam Ecclesiam cōscripsere, anathematizare, & manu propria comburere coegerit. Quidquid autem disputando dixit, ipse dialogice scripto complexus posteritati ingenii æternum monimentum reliquit. *Vid. Plat. l. 2. capitul. 32. Leo Ostiens. Baronius Trith. VVion, Yepes, &c.*

Moritur eodem anno S. Leo IX. immensa meritorum copia opulentissimus & à morte etiam prodigiis à Deo honoratus, & ab Ecclesia inter Divos relatus.

Eum inter alia Baronius à singulari *Angelorum cultu* commendat, *inde Consortio Angelorum dignum esse habitum*. Is hortatu Damiani nostri totum se ad extirpationem Hæresis Berengarianæ, dein ad vitiorum carnalium excidium convertit. Sepulchrum Dominicum restitulit, Germaniæ patriæ, omni modo consuluit, plura concilia celebravit, in suos, Monachos nimirum propensissimus, eos unicè coluit, bis minimum Cassinatem Montem adiit Pontifex, & Monachorum ibidem pedes lavit. *Vid. Baron. Plat. Ost. &c.*

Obiisse hoc quoque anno B. Hermannum Contractum nonnulli habẽt, ei Ecclesia præter plurima alia debet, cælestem planè illam Antiphonam seu salutationem Beatissimæ M.V. *Salve Regina, &c.* item *Ave Regina Cælorum, &c.* & *Alma Redemptoris, &c.* ut eo jam tot sæculis interprete ad Maiestatem illius Augustissimæ Cælitum Imperatricis totus Orbis, Clerus, ac populus utatur &c. De Antiphonæ illius solemnis: *Salve Regina, &c.* præstantia ita inter alia S. Bernardus, *à Summis labiis Canticum istud effusum venit. Habet enim fundamentum eius in montibus Sanctis, &c. A Sanctis compositum, à Sanctis institutum, digne frequentabitur etiam à Sanctis. Et verè nisi à Religiosis, & affectione Sancta ferventibus, nec subtiliter intelligi, nec efficaciter poterit decantari. Est enim tam suave ad gratiam, tam fæcundum ad sensum, tam etiam profundum ad Mysteria. Tale enim est, quod à nobis considerari, & discuti, prout dignum est non valeat, &c.* Vid. in oper.

*A. C. 1055.* *S. P. N. 575.*

ADmirandum prorsus, imo stupendum est, quod summa cum auctoritate Romanæ Ecclesiæ gessit hoc anno B. Hildebrandus noster Cluniacensis Monachus S.R.E. Subdiaconus, Legatus à Latere missus, ad reformandas Galliæ Ecclesias; Is in quadam Episcoporum Synodo, cum Episcopus quidã de crimine Simoniæ confiteri detrectaret, repente eundem jussit versum *Gloria Patri, &c.* recitare, cumque is *Patrem & Filium* proferre, *Spiritum Sanctum* vero minime posset, ac proin convictus confessusq; abdicato Episcopatu, dein libere etiam *Spiritum, &c.* proferre posset, id eo miraculo effecit Hildebrandus, ut eo in consessu, præter alios Ecclesiæ Prælatos 27. Episcopi quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi fuerint, & suis honoribus absque ulla accusatione renunciaverint: Ita unus hic Monachus Ecclesiam repurgavit. *Vid. Desider. Ab. Cass. Damian. Malmesburg. Hugo Ab. Clun. Baron. &c.*

Porro non hac duntaxat Actione, sed & alias sæpe Hildebrandum gratia Spiritus S. cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu cognovisse, aliaque futura prædixisse, seu ex visionibus Divinis illustratum fuisse, testis Wilh. Malmesburiensis noster huius sæculi Historicus, ex irrefragabili relatione Sanctissimi Hugonis Cluniacensis, ipsius familiarissimi, constatque ex ipsiusmet Hugonis vitæ actis, ab alio Hugone conscriptis.

Præcipuè autem eiusdem in Galliis invigilavit sedulitas, ut Berengarium rursum, Hæresin, quam fuerat detestatus, defendentem ac propalantem, vel in meliorem sensum reduceret, vel synodali sententia damnaret. Quamobrem ne subterfugiendi amplius locus esset, domi suæ eum conveniendum esse ducens, Turonis Concilium Apostolica auctoritate indixit, in quo Berengarius, iterum detestatus errorem, Fidei Catholicæ propria manu subscripsit ac jurejurando confirmavit. *Lanfr. Guitmund. Baron. &c.*

*A.C. 1056.* *S. P. N. 576.*

INæstimabile prorsus meritum, quo cælum ipsum, cælique ipsius Augustissimam Imperatricem V.M. demeruit, Ecclesiamque universam æterno sibi debito obstrinxit, S. Petrus Damianus noster, instituto primum apud Monachos suos usu Officii Beatissimæ Virginis, dein in Ecclesiam introducto, quem mox initio usum perinsigni confirmatum miraculo ipse Damianus, & ex hoc Baron. attestatur. Quo hodieq; Officio tam officiosè, non Monachi solum, sed & horum sequuti exempla Clerici sæcularesq; incredibili sanè fructu, servitium suum Magnæ Dominæ commendant, & innumera quotidie averti ab Vniverso mala impetrant; principio boni omnis ad nostros referendo. Eodem ipso tempore, etsi non Damiano auctore, certo tamen, imò præcipuo propagatore, introductus, voluntariæ

tariæ pænitentiæ causa, publicus flagellorum, & flagellationis usus, ipso quoq; etiam Imperatore Henrico eundem in se suscipiente. Dominico in primis Loricato nostro, *pænitentium omnium æterno speculo ac miraculo*, de cuius admiranda vita consul. *Surius, Yepes, &c.*

Quod insuper alios ritus spectat; *suorum Monachorum institutione* servari cæptum, ipse asserit Damianus, quod nos jam summa Ecclesiæ utilitate toto receptum orbe gaudemus: nempe *ut feria II. animabus defunctorum liberandis*, (ô majus quacunque æstimatione meritum!) Sacrosancto Missarum officio sit adscripta; *Feria sexta Dominicæ Passionis memoria* eodem Sacrificio, insuper jejunio & verberum afflictione colenda esset; *Sabbato vero, in honorem Sanctissimæ Dei genitricis* celebrandum idem incruentum Sacrificium Missæ. Patet ex Epist. eiusdem ad Desid. Ab. Cassin. *Vid. Bar. &c.*

*A. C.* 1057. *S. P. N.* 577.

ITerum in Cassinense Cænobium invehit summam Pontificatus Maximi dignitatem, Fridericus è Lotharingiæ Duce, Gozilonis Ducis filius, Monachus, dein Abbas Cassinensis, ex eodem Cænobio, ad Principem omnium ac primam in orbe dignitatem extractus. Is hoc anno nunciato Victoris Papæ obitu mirifica totius Sacri Senatus gratulatione, in demortui locum sublegitur, adeo invitus ac reluctans, ut per vim ex hospitio ad Basilicam S. Petri ad Vincula educendus fuerit, postridie ingenti omnium Ordinum acclamatione Stephanus IX. salutatus. Qui quidem ita permisit in locum suum eligi Abbatem Cassinensem, nempe Desiderium, ut tamen non nisi à sua morte succederet, tam visum Sanctissimo Pontifici Pontificatus Maximi honorem, & Abbatis Cassinensis benè congruere. *Ex Ost. Script.* Baron. *&c.*

Meruit hoc statim anno Stephanus, de Ecclesia Vniversa inæstimabiliter, extrahendo summa omnium gratulatione, & elevando ad S.R.E. Cardinalatum S. Petrum Damianum, quem eam ob causam idem Damianus *Persecutorem suum* appellat *Bar. &c.*

Initium hoc anno ab nostris sumit, à Monasterio nimir. S. Mariæ Conventrensi, eiusdem nominis Ecclesia Cathedralis in Anglia, sed more antiquo, cum antiquum id nostris eo in regno, ab ipsis Cathedrales Ecclesias omnes Originem derivare. *Vid. Yepes, &c.*

*A. C.* 1058. *S. P. N.* 578.

AD Cælos felicissimè concedit S. Stephanus noster IX. (alii X.) quàvis infirmus corpore, assiduè tamen pro Ecclesiæ Dei tranquillo statu laborans, decreta paulo ante mortem Legatione in Orientem, ad Ecclesiam Constantinopolitanam Schismate scissam Apostolicæ communioni consociandam. Eius commendatur insignis constantia qua Henricum Imp. aggredi non veritus, eundem quod Sacerdotia, Abbatias, Episcopatus, aperta sacrorum nundinatione, venalia haberet, cum Simoniacæ hæreseos insimulavit, tum piorum cætu prohibuit. A funere multis nobilitatus prodigiis, superum beatitatem juxta, & summam mortalium venerationem cultumq; promeruit. *Ex Bar. M. Ant. Script. Yepes, &c.*

Moritur ipso eodem anno Casimirus noster ex Monacho Cluniacensi, Poloniæ Rex, magno sui relicto desiderio, cui æternum Poloni debent, restitutum, collapsum penitus antea, Regnum, & Polonicam Ecclesiam mirificè illustratã. Pietate is quoq; meritus inter Beatos celebrari. *Longin.* Bar. *Yepes. &c.*

*A. C.* 1059. *S. P. N.* 579.

IMmensa iterum copia & affluentia Nostri Ord. meritorũ: Relapso quippe jam tertium, in Hæresin Berengario Hæresiarcha, adeo insigniter nostri undecunque verbo ac scriptis, publicè privatimque occurrunt, ut denuo eandem, ejurare Hæresin compellerent. Inter Scriptores æternum de Ecclesia meruere, contra Berengarii errores invictissimi Christi pugiles, Sanctissimus Lanfrancus, Guitmundus Aversanus, Algerus Cluniacensis, S. Wolphelmus Brunvvilerensis Abbas, & Albericus in primis Monachus Cassinensis. Is unius spatio hebdomadæ petitis induciis, librum adversus Berengarium conscripsit de Corpore Domini, tantis SS. Patrum testimoniis obsignatum, & roboratum, ut omnes eius assertiones omnino destruxerit, æternæq; oblivioni tradiderit, & Domini sui causa tam

ſtrenuè defenſa, jure tanti Sacramenti fautor, & propagator invictiſſimus dici & prædicari meruerit, *Pet. Diac. Oſt. Baron. &c.*


Sancti vero Petri Damiani ſingulare rurſum hoc anno meritum; reductis ad unionem S. Rom. Sedis, Mediolanenſibus, qui jam à ducentis ferè annis abducti, exerraverant, Simoniaca, & Nicolaitarum Hæreſi, excæcati. Ita ipſe de ſe *Damianus, Yepes, VVion, &c.*

Vrget idem Damianus anno eodem dimiſſionem à Cardinalatu, libello ſupplici Nicolao Papæ, ſed necquidquam, porrecto; ex eo tamen deinceps ſe nunquam Cardinalem ſeu Epiſcopum, ſed peccatorem Monachum ſcripſit & appellavit, *Baron. &c.*

*A. C.* 1060. *S P. N.* 580.

FRagrantiſſimo odore Sanctitatis exhilarat, & ubertate pinguedinis, impinguat agrum Dominicum, univerſam Dei Eccleſiam, abſolutiſſimo perfectionis exemplo inſtruens Sanctiſſimus æque ac doctiſſimus noſter, Lanfrancus Beccenſis Monachus, Abbas Cadomēſis, cuius rariſſimum illud præſtitum Orbi univerſo beneficium eſt: publicis de Dialectica Scholis inſtitutis, quibus ipſe præfuerat Theologiam ſenſim enatam, quam hodie Scholaſticam appellamus, ſacris nimirum Dogmatibus, quæ prius in Patrum monumentis ſparſim jacuerant uſuque Dialecticæ, quæ ordinis mater eſt ac methodi, quaſi ad artem revocatis. *Ex VVeſc. VVerſ. &c.*

Claret perinſigni nomine in Germania Beringerus ex Luzelburgenſi Comite Abbas Weingartenſis, translato paucos ante annos in montem Cænobio, ubi hodieque viſitur, à Guelphone IV. quem alii tertium appellant, qui raro ſanè exemplo Regium ipſe ſuum palatium Monachis ceſſit, quo commodius ipſi, quam eousque egerant, habitarent. *Ex Conſt. Ben. MS. &c.* Fuit exin loco major celebritas, & plurimum ſanè eidem debet Germania univerſa, tot Regni proceres, ex ſæculi fluctibus emergentes in ſecuriſſimum Religionis portum ſuſcepiſſe ac foviſſe: de quo pluribus ſuo loco.



*A. C.* 1061. *S. P. N.* 581.

ABdicat ſe Epiſcopatu necquidquā reclamante Hildebrando noſtro Petrus Damiani, & in Cænobio ſe ſuo recondit, conſentiente quidem ſed invito admodum Alexandro Pontifice. Ingruentibus verò fluctuum ac tempeſtatum graviſſimis in navem Petri turbinibus, eiusdem perpetuo ſolitudo inquietatur, jugiter inſtantibus pro ope ac conſilio Alexandro, & Hildebrando quod probè ſcirent quam eſſet Eccleſiæ Romanæ proficuum perditiſſimis hiſce temporibus (graviſſimo ſchiſmate ſcindente Eccleſiam) Damianum aſſiſtere Summo Pontifici. Proin urgentem aſſiduè Hildebrandum Damianus, Virgam Aſſur, & Sathanan Sanctum appellitat, ut videas quam anxiè Hildebrando cordi eſſet Eccleſiæ negotium, quāque ipſe de ſe ſubmiſsè ſentiret, quantumque item Damiano noſtro deferret quantum denique utrique debeatur, cum ſollicitatione aſſidua Hildebrandi cogeretur ille, etiam dum privatus ageret, publicas ſubire functiones, juſſus ab Alexandro Legationes varias ſuſcipere, & Conciliis intereſſe, ut fidem faciunt cum ſcripta illius tum quæ de eo ſuis locis dicentur. Sed neque ipſe in ſacro illo otio ſuo curam Eccleſiæ, & boni publici depoſuit, certare nunquā prætermittens tum contra corruptos eius temporis mores, tum adverſus Schiſmaticos, & Hæreticos Catholicā Eccleſiam propugnando. *Vid. fuſè Baron. &c.*

*A. C.* 1062. *S. P. N.* 582.

MEretur immortaliter de Eccleſia Vniverſa, & Pontificatu Romano B. Petrus Damianus noſter, Pontificis in Gallias Legatus miſſus ad Conciliū Osborienſe, cui tunc Imperator ipſe intererat, ſcriptione illa à ſe compoſita, qua texta haberetur longa diſceptatio inter Advocatum Regium, reprobantem Alexandri Papæ electionem Romæ abſque Regis conſenſu factam, ac defendentem Cadaloi Antipapę ordinationem; & Romanæ Eccleſiæ defenſorem; Alexandrum adverſus Cadaloum protegentem. Idque adeo feliciter proceſſit, ut in ea Synodo omnium conſenſu, electione Alexandri comprobata, damnatio Cadaloi concla-

mata fuerit ipsis Vigiliis SS. Apostolorum Simonis, & Iudæ. *Ex Bisciola Baron, &c.*

*A. C.* 1063. *S. P. N.* 583.

IMplet unus sæculum non solum istud sed sequutura omnia idem toties laudatus Damianus; qui uti superiore anno Cluniacensium admirandam Sanctitatem intuitus commendavit, sic isto in Cassinates amore reverentiaque totus exarsit; quibus deinceps ad virtutem stimulos perpetuo addidit, & semetipsum vicissim, aliorum exemplis exstimulavit. De iis quæ apud Cassinenses egerit, fusè Leo Ostiensis, & Baron. Ex hoc Bisciola sic deniq; concludit: Porro tanta erat eiusdem Petri (Damiani) in Ecclesia Dei existimatio, ut quæ ipse facienda moneret, tanquam oracula Divina pij quiq; perciperent.

Liberavit hoc anno populum Florẽtinum à Simoniacæ Hæreseos virulentissima labe S. Petrus Vallis Vmbrosæ Monachus, Abbas dein Ficedensis, ad Cardinalatum deniq; pro merito evectus, qui jussu S. Ioannis Gualberti Magistri sui, ut ostenderet Simoniaçam labem, quæ Episcopum omnemq; civitatem invaserat, Deo invisam, ignem in medio succensum spectãte populo, nudis pedib. miraculosè incolumis transiit, & Vrbem ab ea peste liberavit: ab eo exin miraculo Petri Ignei nomen consequutus. *Ex vita Ioan. Gualb, &c:*

*A. C.* 1064. *S. P. N.* 584.

PErpulit hoc anno literis suis, sacerdotali dicendi libertate conscriptis Hẽricum imper. Petrus Damiani, imò cõminationibus effecit, ut collabenti Ecclesiæ adversus Cadaloum, nova indies molientem, occurrens Legatum Romã mitteret, S. Annonem Archiepiscopũ Coloniensem. Annoni modeste conquerenti de Alexandro, quod contra morem absq; mandato, & assensu Henrici Imp. Pontificatum suscepisset, sufficienter satisfactum ab Hildebrando nostro, & Episcopis, celebrataq; Mantuæ Synodo Cadalous omnium sententia damnatus est. Mirandum prorsus sub tantis oneribus Damianum, & Hildebrandum non defecisse, neque Regis seu Principis cuiusq; potentia absterritos, ut murum æreum pro domo Dei se opponere ausos esse. *Consul. Bar. &c.*

Incredibilis ex Ordine nostro Episcoporum copia, ex Cassinensi, Cluniacensi, aliisq; Cænobiis extractorum; de quibus leg. *Trith. Yepes, Baron. &c.*

*A. C.* 1065. *S. P. N.* 585.

ITerum Petrus Damiani incredibili labore pro Ecclesia Dei desudat, cum ex Concilio Mantuano, cui iussu Alexandri interfuerat reversus, totum se ad versus improbissimam Nicolaitarum Hæresim convertit. Sed & mox alia invalescente Hæresi Incestuosorum, adversus eos etiam insurgit; rursumq; alia Hæresi, ementium Episcopatus, invictissimus & constantissimus Christi Athleta, inæstimabili merito S. R. Ecclesiam propugnat. *Baron. &c.*

Sub hæc eadem tempora cucullum Regnis omnibus præponunt Sanctissima Agnes Henrici III. Imperatoris uxor Augustissima Monialem primum Fructuariæ professa, dein vitę reliquum Romæ in D. Petronillæ Religiosissimè exigens; de cuius laudibus sæpe Damianus. Et Sancita Castiliæ, & Legionis Regina Ferdinandi Magni coniux. *de qua Vid. Yepes, t. 6. cent. 6.* Et de illa, *Granz. Stad. Sigon. VVion, & Yepes cit.*

*A. C.* 1066. *S. P. N.* 586.

ALexander Papa Cassinum venit ipse, & quod reapse experiretur, quam opportunum Ecclesię Monachorum auxilium esset, plures ex illius Sanctissimi Cænobii fratribus, suo lateri sociabat, & in S. R. E. Cardinales cooptabat, alios ad diversos undique Pontificatus administrandos distribuens. De quibus *Leo Ostiensis. Bar. Scip. &c.*

Illustrat, inter alios nostri Ordinis Sanctos, insolentissime Orbem, Hesperiam maximè Vniversam, lumine S. Dominicus de Silos, Abbas eiusdem Cænobii, vir admirandæ sanctitatis, innumeris prodigiis in vita, & à morte, de afflictis quibusque, captivis maximè, meritissimus. Cuius res gestas memoratu longe dignissimas multis celebrat *Ant. de Yepes noster hoc anno.*

Laborat egregie in convertendis Slavis S. Benno noster ex Monacho Hildesheymensi Misnensis in Saxonia Episcopus. De quo cons. *Hier. Epserus, &c.*

Claret etiam S. Wolphelmus Abbas Brauvvilerensis, Hæresis Berengarianæ egregius debellator. *Legendus Conradus Monachus in vita, Yep. &c.*

*A.C.* 1067. *S.P.N.* 587.

VIrorum in Ordine illustrium ingẽs numerus, nec facilè quis unius possit digne memoriam & merita celebrare. Inter alios effulget Marianus Scotus, S. Pãtaleonis Coloniæ Monachus cuius est celebratissimum, illud ab origine Mundi Chronicon, mille Scriptoribus celebratissimum. *Vid: Trith. &c.*

Claret item Leo Ostiẽsis Monachus Cassinensis, vir doctissimus, & Summis Pontificibus commendatissimus, Lambertus Schafnaburgensis, Monachus Hirsfeldensis, Chronographus insignis Theodoricus S. Albani, Bernardus Cluniacensis, Anselmus, Rhemensis, Ruthardus Hirsfeldensis, Wilramus Mersburgensis, Theodoricus Trudonensis, Guntherus S. Amandi Monachus, Bernardus Corbeiensis, &c. aliique ex Ordine doctrina celebratissimi, de quibus cõsul. *Yepes, Trith. Wion, &c.*

Efflorescit longè lateque & viris sanctissimis Ecclesiam juvat Congregatio Ordinis nostri, dicta Columbina, ex qua præter Damianum excelluere Guido Aretinus, & Guimundus illustrissima huius sæculi, etiam cum admiratione maximorum quorumvis, lumina. *Ex VVione, Gaulter. &c.*

*A.C.* 1068. *S.P.N.* 588.

FIt Abbas Hirsaugiensis Magnus, ille & admirabilis Wilhelmus Abbas, Ordinis Benedictini reformator post D. Hugonem præcipuus, cuius unius merita laudesque, si quis grandi, sed uno, conetur volumine complecti, næ ille æquè facilè Iliadem nuce compræhenderit. *Ex Trith, Const. Ben. Yepes, &c.*

Post Damianum, & Hildebrandum excellit præcipua per Ecclesiam auctoritate B. Desiderius Abbas Cassinensis, exin S.R.E. Cardinalis, & per Campaniæ Principatum, Calabriam, Apuliam, amplissima cum potestate Legatus. Ipso Abbate, dedicatum ab Alexandro Summo Pontifice Cassinense templum præsentibus quatuor, supra quinquaginta, Antistitibus, quos inter duodecim ex Ordine Benedictino Cardinales eminebant, Principes, & Magnates plurimi, Celebratissimus virtutum fama Desiderius, remotissimis ex locis summa observatione honoratus est. Ipsum, præter Europæ nostræ maximos Principes, Alexius Cõnenus Imperator, destinatis nunciis ac muneribus ab Vrbe Bizantio, apertissimo, quantum Desiderii tribueret Sanctitati, argumento, veneratus, ex ipso Imperii Censu, viginti quatuor, in singulos annos, auri pondo, Cassinati Cænobio legavit, eiusque donationis tabulas, aureo sigillo pensili munitas, cum magna munerum copia ad Desiderium transmisit. Agnes quoque Imperatrix, in Imperii etiam tunc culmine constituta sex totos menses, admiratione defixa Cassini substitit, fassa non semel, multo maiora esse, longeque admirabiliora, quæ ipsamet oculis præsens subiecisset, quam quæ vulgato rumore, apud exteras gentes, de illius Sanctissimi Collegii moribus, integritate, disciplina, amplitudine circum ferretur *Ex. M. Ant. Scip. Leon. Ost. &c.*

*A.C.* 1069. *S.P.N.* 589.

DAmianus noster bono Ecclesiæ natus, gravissimo infamiæ malo Cæsarem, & Imperium liberat, dum missus in Germaniam à Summo Pontifice legatus, Henricum jam repudiare parantem, Bertham coniugem, ea qua valebat gratia atque auctoritate, à consilio revocat. *Ex Bar. Bisc.*

Clarent ipso hoc tempore professæ tres Henrici III. Imper. & S. Agnetis Augustæ filiæ, ut ex his solis, cæterorum Principum, quorum meminisse in tanta materiei copia non licet, multitudinem, adeoque his receptis ad quietem sacræ solitudinis, Ordinis meritum metiaris. *Ex Ant. de Yepes anno 1065. cent. 6. tom. 6.*

*A.C.* 1070. *S.P.N.* 590.

PRofuere sub hæc tempora egregie nostri afflictissimo Hildephonso, sive Alphonso Hispaniarum Regi, quem cum captivum detineri à fratre B. Hugo Cluniacensis Abbas intellexisset, illico Patrum Monachorum Collegio solemnes indixit preces, effecitque ut vel ipso quidem teste Petro Apostolo, Rex liber à vinculis dimitteretur, & ex apparitione Petri Liberationis suæ auctores agnosceret. *Vid. Bisc. Clar. &c.*

Eodem

Eodem anno admirandus ille doctrina ac Sanctitate Lanfrancus, ex Monacho Beccensi, Abbas Cadomensis, fit Archiepiscopus Cantuariensis: quem pro meritis Baronius, & Bisciola appellant: *celeberrimum huius sæculi in Ecclesia Catholica lumen supra tantum candelabrum erectum.* Eius non possumus, quin querelas apud Alexandrum, propter Ordinationem suam depositas, proferamus, quippe vulgaris pertæsus gloriæ, & tanti seu honoris, seu oneris insuetus, post gemitus, meditata fuga, Alexandro Pontifici, cui alias carissimus erat ita scribit; *Nescio cui aptius, calamitates meas explicem, quam tibi Pater qui ipsarum calamitatum mihi Author existis. Nam cum de Beccensi Congregatione, in qua habitum Religionis assumpsi, à Principe Northmannorum Wilhelmo abstractus Cadomensi præessem Cœnobio, imparque existerem paucorum regimini Monachorum, incertum habeo, quo iudicio omnipotentis Dei, factus sum, te cogente speculator multorum, numeroque carentium populorum.* Et paulo post: *Adversus hoc imbecillitas mearum virium, morumque indignitas prolata in medium, nihil profuit excusatio incognitæ linguæ, gentiumque barbararum nullum apud eos locum invenire prævaluit.*

*Quid plura Assensum præbui, veni, suscepi; in qua tot molestias, tot tædia, tantumque ab omni ferè bono, defectum mentis, quotidie sustineo, tot aliorum in diversis personis perturbationes, tribulationes, damna, obturationes, cupiditates spurcitias, tantumque S. Ecclesiæ casum incessanter, audio, video, sentio, ut tædeat me vitæ meæ, doleamque plurimum, me usq; ad hæc tempora pervenisse.*

*Audi, & deprecantem; Meminisse inquit debetis, nec tradi oblivioni oportet, quam benigne vestros consanguineos, aliosque à Roma scripta deferentes, in præfatis adhuc Cœnobiis constitutus, sæpè recepi, quam studiosè eos, pro captu meo ingeniique ipsorum, tam in sacris, quam in sæcularibus litteris erudivi, &c.* Nec tamen à se impetrari ullis precibus passus est Alexander, ut amicitiam, Ecclesiæ emolumento, præferret.

Expertus eodem rursum anno idem Alexander Pontifex, quanti faciendi Monachi essent, audito Ioannis nostri, Lucensis Monachi, merita tanta esse, quod aqua quibus lavasset manus, febrem omnem depelleret, cum ipse gravissima detineretur, ea sibi deferri latēter, iussa, ac epota, repente restitutus est. *Ex Desid. Ab. Cass. & Baron. &c.*

*A.C.* 1071. *S.P.N.* 591.

DE celeberrima omnium, quæ uspiā reperiuntur, Cassinensis Basilica Dedicatione; per ipsum Pontificem facta, præsentibus omnibus S.R.E. Cardinalibus, Archiepiscopis decem, Episcopis quadraginta tribus, pluribusque Principibus ac magnatibus, supra in desiderio diximus, & hoc anno refert Baronius, qui vid.

Eodem anno cum Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus Romam, de more pro pallio venisset, Alexander Pontifex accedenti propius, non assurrexit modo, sed & præter pallium consuetum, quo plenitudo potestatis significatur, suo quoq; pallio, summi videl. amoris symbolo, hominem donavit. Cui eidem ab Alexandro Legationem in Anglia decretam constat ex litteris ab Alexandro per eum missis ad Wilhelmum Angl. Regem. *Vid. Bar. Weiss. &c.*

Commendat sua merita B. Guidmūdus Aversanus, ex Monacho Ordinis nostri Archiepiscopus, tribus præclarissimis editis contra Perengarii errores de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini voluminibus, de quo *Vid. Bell. Gaulter. Bib. PP. &c.*

*A.C.* 1072. *S.P.N.* 592.

HOc anno S. Petrus Damiani, patriam Ravennam, supremo beneficio demeruit, ad concives ab Alexandro Pontifice legatus; quibus opera eiusdem à Schismate revocatis, & Romanæ Ecclesiæ reconciliatis, cum perfuncto egregie munere Damianus reversurus Faventiam pervenisset, illic octo decumbens dies, octava, denique meritis innumeris cumulatissimus cælum invehitur. De operibus ab eo scriptis, hic agere non solum non vacat sed neque nunciare libet, tot ac tanta à diversis recensentur. *Vid. Wion. Tepes, &c.*

*Damianum quidem Deus*, verba Baronij referimus, *in hoc deploratissimo sæculo, cum excrevisset ad Ecclesiam obruendam diluvium, carnis, dedit Mundo, qui austerissimo vitæ exemplo, verbique prædicatione, & scriptis exsiccaret tandem putredinem; pariterq; pugnaret adversus Simoniacam Hæresin, quæ ubique locorum grassabatur impune,* &c. Ei successit B. Gerardus sive Geraldus

dus noster in Episcopatu Ostiensi, vir eo honore dignissimus, utpote, qui teste Bertholdo Constantiensi, *Scientia scripturarum insignis, & moribus Damiano non impar* fuerit. Vt multum sibi Ordo rursum noster gratuletur, Ecclesiæ, *Damiano nō imparem*, iterum concedere potuisse. *Vid. Baron.*

De Beato Wulstano nostro Wigorniensi Episcopo, rem mirandam narrat idem Baronius, ut qui sua ante sede, indignus ob simplicitatem putabatur, exin venerationi non solum sed & admirationi ipsis Metropolitanis esset. *Videretur.*

*A.C.* 1073. *S.P.N.* 593.

SEquentes anni meritorum admiranda copia, ita animum ac manum aggravant, ut obiter & perfunctoriè ne in immensum crescat historiæ compendium placeat attingere. Suggerit materiam tantam maximus ille Romanorum ex Monacho Cluniacensi Pontifex, Gregorius VII. antea Hildebrandus dictus, rebus gestis, doctrina, & eximia in primis rarissimaque Sanctitate, & constantia incredibili miraculosissimus Ecclesiæ Antistes; qui mortuo hoc anno Papa Alexandro, illico universi populi voce acclamatus Rom. Ecclesiæ Pontifex Maximus his verbis: *Hildebrandum Archidiaconum B. Petrus elegit.* Quo audito vir Sanctissimus nimium expavit, & quasi extra se raptus, mox ad pulpitum cucurrit, & populi vocem acclamationesque compescere & avertere contendit. Verum Hugo Candidus Card. ubi omnium vota in Archidiaconum convenisse indubitanter cognovit citius præcucurrit, & populum ipsum, in hunc modum alloquutus, est: *Ecce charissimi Patres. Scitis, & indubitanter cognoscitis, quod à diebus B. Leonis Papæ, hic Archidiaconus tanquam vir prudens atque probatus, hanc Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, plurimum exaltavit (ecce hæc ante Pontificatum quanta iam merita) & Civitatem ipsam ab imminentibus periculis liberavit. Vnde quia idoneorem ad Ecclesiæ regimen invenire nequivimus; Nos Episcopi Cardinales, unanimiter ipsum nobis, & vobis, in Patrem & Episcopum animarum nostrarum eligimus. Et continuo Vniversitate populi, & Cleri acclamante; Dominum Gregorium Papam B. Petrus elegit, indutus rubea chlamyde (sicut est mos) & papali mitra insignitus, & mærens in B. Petri cathedram fuit inthronizatus.* Hæc acta ex Baron. &c.

Vix adito Pontificatu, vix Orbis Vniversi provinciam reliquit, de qua non illico mereri satageret: Verum ante omnia novo astu apud Imperatorem institit, quo eius electionem improbaret. Sed nec quidquam pia proficiens fraude, ad negotia quamprimum Ecclesiæ animum totum convertit ac operam: Legatum in Hispanias destinavit, Principibus omnibus Christianis, facta copia ad belligerandum contra Sarracenos animum addidit. Legatum item ad Michaelem Ducam Imper. pro componendo inter Græcos, & Latinos Schismate misit; Lanfrancum item Cantuariensem, ad vindicandam in Scotis, & impediendam uxorum venditionem instigavit; in Simoniacos Pontificium gladium strinxit, Godefredum Mediolanensem excommunicavit; Ducem & Populum Venetum, quod Patriarcham suum inopia laborare paterentur corripuit; Vratislaum Bohemiæ Ducem per Legatos convenit, conquestus de superbia Ioramini Pragensis Episcopi, cui excommunicationem minatus est, Sardiniæ Clericos reformavit; Saxones contra Imperatorem arma moventes cohibuit; Philippum Francorum Regem de Simonia increpavit, & nisi abstineret, regno deiectur ū minatus est; Monachos ad profectum incitavit; ad demerendum Imperatoris animum omnia egit, Concilium Generale Romæ indixit, decretum de Clericis uxoratis renovavit. Tanta vix inito Pontificatu, Vnus Gregorius egit, quamvis paucissima ex multo pluribus enumeraverimus. Vnde reliqua cogitare liceat, &, si fieri potest, ut æstimētur, æstimare. *Ex Baron. auct. vita, Bernried. &c.*

*A.C.* 1074. *S.P.N.* 594.

IMmensa Gregorii merita, ite⁻⁻m numeramus, cum numerum vix ordiamur. Vrget hoc anno gravibus comminationibus Episcopos, ad promulgādum decretum contra Clericos uxoratos renovatum; Robertum Guiscardū Northmanorum Ducem excommunicat,

cat,

cat, sæpiusque pro absolutione interpellatus renuit: arma contra Northmannos, & Sarracenos parat, Encyclica ad omnes Principes Christianos missa pro expeditione contra Sarracenos in Orientem suscipienda, ea tamen timore Henrici Imper. & aliis causis dilata; Wilhelmum Anglorum, Philippum Francorum Reges exhortatur: Concilium indicit & delinquentes Episcopos aliosque ad dicendum causam citat: iterum Galliarum Regi pro nequitia excommunicationem minatur; Salomonem Vngariæ Regem increpat, quod Regnum Vngaricum, Romanæ Ecclesiæ proprium, ausus sit in feudum accipere ab Impetatore Germ. Ita paucissima rursum, quamvis magna eadem, de Gregorio memoravimus. *Ex Baron. aliisq; &c.*

*A.C.* 1075. *S.P.N.* 595.

EXundant undique meritorum copiæ; solis, quo magis miremur Gregorii laudibus insistendum; Egregio exemplo præsidet ipse iudex, ad decidendas causas totius orbis terrarum in Roman. Concilio, & multa in eodem præclarissime gerit; Visitatores Ecclesiarum per Italiam mittit, plurimumq; pro Ecclesiæ Christianæ reformatione laborat: Concilium in Anglia celebrari jubet: Sueonem Daniæ Regem in Italiam invitat, fidem exploraturus, quidque ab eo Ecclesia sperare posset: pacē conciliare Geysam inter, & Salomonē Vngariæ Reges, omni modo laborat. Boleslaum Poloniæ Regem ut Russis ablata restituat commonefacit: per Regnum eiusdem, qui ordinent Ecclesias Legatos submittit; Ipse eodem anno, pari Martyrum merito à Cincio Vrbis præfecto pessime tractatus, & incarceratus, à populo denique Romano, omnia, quæ Cincii erant, ferro, & igne vastantibus ereptus est. *Ex Baron. vita S. Vdabrici, & cit.*

Ex innumeris per universum orbem dynastis nomen Benedictino Ordini hoc anno, & seipsam consecrat Cecilia Wilhelmi Conquestoris Anglorum Regis filia. *Vid. Matth. Paris. Virg. VVion, &c.*

*A.C.* 1076. *S.P.N.* 596.

EFflorescit, & summo Ecclesiæ bono mirificè per Galliam propagatur Congregatio nostra Grandimontensis, auctore S. Stephano Abbate: de quo fusè Yepes, Wion, aliique, ut unus hic magnus Abbas, sæculo meritis implendo sufficeret.

Rursum Gregorii celebrandæ sola nomenclatura laudes: Evocat hoc anno incredibili Magnanimitate nihil reveritus ferocissimi Regis immanem sævitiam, Henricum Imper. Romam, ad dicendam ob multa perpetrata flagitia, causam, proscissus ab eodem calumniis, rebellem in Concilio Romano excommunicat, & excommunicationem toto orbe promulgat; Longobardiæ item Episcopos Schismaticos, & multos præterea Antistitum Galliȩ sacris interdicit: ad omnes Christi fideles datis literis eos admonet ut Henricum Imperatorem præcipitem revocent: Comitia Triburiam indicit, & eo Legatos destinat contra Henricum eundem: Demetrium Croatiæ, ac Dalmatiæ Regia exornat dignitate: ut coronas Regnorum istorum Austrii hodieque, & ex tantis laboribus fructum, & Ecclesiæ decus immortale, posteri omnes, uni Gregorio nostro in acceptis referant. *Vid. Bar. & sæpius citat.*

*A. C.* 1077. *S.P.N.* 597.

SIgefridus ex Monacho, & Abbate Fuldensi Moguntinus Archiepiscopus, cum fastidio aulæ ac mundi Cluniacum secessisset, cucullum denuo amplexus, invadentibus Simoniacis sedem Moguntinam jubente Abbate suo eam denuo resumit: Vid. Marian. Scotus, alii que, quem Gregorii per multas tribulationes adjutorem indefessum Bertholdus Constantiensis celebrat.

Gregorius etiam usq; in Flandriam se extendit, fornicarios ibidem Presbyteros corrigit: in Germaniam ipse profectus, ad Comitia, Canisii subsistit, admiranda Pontificiæ maiestatis auctoritate, Henricum Imperatorem ad se nudis pedibus venientem, post quatuor denique dierum jejunium admittit, certis conditionibus absolvit sumpta Eucharistici Sacramenti parte, canonice innocentiam suam probat, eandemq; purgationem Imperatori offert, de eiusdem pænitentia, & absolutione ad Principes, & populum Germaniæ scribit, insidias ab Imper. passus, iterum de co-

eodem apud Germ. Principes queritur; legationem ad Venetos, in Hispanias, Gallias, Aquileiam in gravissimis negotiis mittit: Synodum Lingonensem celebrari mandat, in qua de investituris laicorum prohibendis decretum sancitur. Fatigamur commemoratione. Excitat.

*A.C.* 1078. *S.P.N.* 598.

DOlemus maxima aliorum hoc anno gesta celebrari non posse, ea rursum nimia sui præstantia, & magnitudine Gregorii gestis obumbrantibus; celebravit rursum hoc anno Generale Romæ contra Schismaticos Conciliũ, in quo contra plurimos Ecclesiæ Antistites, pro æquitate sententiam proferens eosdem honore dejecit, sollicite pro restituenda Imperio pace laboravit. Northmannos rursum excommunicavit, aliud ipso anno Concilium Romæ celebrat, Guibertum Ravennatem deponit, Iordanum Capuanum Principem corripit: laicorum investituras publico decreto, prohibet, & tollit: Norvegis ratione fidei dilatandæ consuluit. Singula singulis voluminibus celebranda.

*A.C.* 1079. *S.P.N.* 599.

MEretur immortaliter de Ecclesia Catholica *S.* Bruno sive Brunus noster, doctrina, & sanctitate hoc sęculo clarus, victo, & triumphato jam quartum ad vomitum reverso Berengario, in pleno Patrum Concilii Romani, hoc rursum anno à Gregorio indicti, & celebrati consessu. Creatus Bruno, non multo post, invitus licet sed cogentibus divinitus ostensis visionibus Episcopus Signiensis Petr. Diac. Wion. Yepes Baron. &c.

Gregorius suo jam more, præter illstud ipsum Concilium indictum, infinita pro dignitate, & bono Ecclesiæ agit, pacem inter diversos conciliat: invasores Regni Dalmatici, minis coercet. Alfonsum Hispaniæ Regem ad contemptum mundi exhortatur, & accendit, Boleslaum S. Stanislai interfectorem Regno privat; Wratislaum Bohemiæ Ducem ab communione cum excommunicatis revocat; aliud Romæ rursum Concilium celebrat laicorum rursus investituras interdicit: Schismaticos denuo, & Henrici Imper. fautores excommunicat; Petrum item Eccesiæ Narbonensis invasorem. Sed de aliis legendi Bernriedens. Bar. &c.

Claret admiranda sanctitate S. Anselmus noster Lucensis Episcopus, quẽ relicto Episcopatu rursum ex Cænobio extraxit S. Gregorius noster ipsique Mathildem Comitissam, celeberrimã illam Ecclesiæ dotatricem commendavit. *Vid. Bar. Gault. &c.*

*A.C.* 1080. *S.P.N.* 600.

HOc anno celebrato Romæ Concilio rursum Gregorius Henricum Imp. excommunicat, & simili vindicta in Northmannos animadvertit: Rudolphum item Rhinfeldensem creatũ Germaniæ Regem confirmat, eidemq; sceptrum, & coronam Regiam destinat quem vicissim Henricus sede Pontificia, necquidquam dejicere molitur, & Moguntiæ primum, dein apud Brixiam Conciliabulo celebrato, Guibertum Schismaticum, ex Archiepiscopũ Ravennatem contra eundem intrudit, &c. virulentissima Epistola eius honorem proscindit; Verum, suo more nostrorum plurimi, Ecclesiæ, & Pontificis honorem defendendum suscipientes, egregiè pro Gregorio se opponunt, & famam eius vindicant; quos inter meritissimus S. Anselmus Lucensis Episcopus, qui pro defensione Gregorii Apologeticum scripsit, duobus distinctum libris, adversus Guibertum. Vid. in commendationem Anselmi Baronius ex ore etiam Schismaticorum.

Mirandum tunc accidit, tanto Schismate, tot ab Ecclesia desciscentibus Episcopis, ac Principibus; Robertum Guiscardum, juratissimum Ecclesiæ antehac hostem, vel tunc maximè pænitentem, ad Ecclesiam, & Gregorium confugisse, Siciliam, Apuliam, Calabriam Ecclesiæ submisisse, annuam pensionem promisisse; sed & mirabilius multo, Gregorium inter tot adversa, imperterritum, atque immotum, minime reveritum, auctoritate uti Pontificia, & graviter in quoscunque Principes, pro delictis animadvertere, nullius gratiam exambire, sola æquitate subnixum, Apostolico sane spiritu, & virtute, fulminare, & detonare; quippe

hoc

hoc ipso anno, comminatus Alfonso Hispaniarum Regi pluribus ex causis, prohibet insuper, ne Iudæos sinat Christianis dominari, sed & laborat pro milite cogendo contra Nicephorum Botoniatem Constantinopolitanum Imp. expeditionem etiam parat contra Guibertum Antipapam. Vt hæc omnia stupentes commemoremus, pleraq; prætereamus.

Interea hos inter tumultus tantum abest ut Ordo noster sibi deesset, verum Principum ac Magnatum plurimi ne se negotiis Cæsaris immiscerent, turmatim ad Cænobia confluerent, illicque se conderent testantibus Naudero aliisque, plures sua bona, ne direptioni paterent in Cænobia expenderent, alia restituerent, alia de novo fundarēt, & exstruerent. *Vid. etiam Ant. de Yepes, &c.*

*A. C.* 1081. *S. P. N.* 601.

ITerum Romæ Concilium celebrat Gregorius noster Pontifex verè Maximus rursum Henricum Imp. ac fautores excommunicat, formam dein præscribit juramenti ab eo præstandi, qui eligendus esset in Regem Germaniæ. Regno eidem summa sollicitudine intendit; prævidens inferenda ab Henrico Imp. Ecclesiæ mala fideles ad tolerantiam adversorum exhortatur; congratulatur Visigothis ad fidem conversis, eosdemque præceptis salutaribus instituit, Andegavensem Comitem excommunicat; Venetos inire amicitiam cum Schismaticis prohibet; exigit pecuniam à Galliæ Rege à Carolo Magno S. Petro promissam; Cum interim Imperator cum exercitu Romam usque contendens, vicina populatur, urbem obsidet; constanter Romanis pro Pontifice stantibus. Ex alia parte distractus ancipiti bello, quo nimirum inaudito ad eam diem exemplo, utrique se Occidentis atque Orientis Imperatoribus Pontificia maiestate opponens, misso cum copiis ad Alexium Constantinopolitanum Imperatorem expugnādum Roberto Guiscardo Apuliæ Duce eundem hoc anno, cum quindecim armatorum millibus insigni prælio superavit, cum adversus Robertum Imperator, centum septuaginta millia produxisset. Ex sæpe citatis.

Effulgent inter tantam toto orbe tēpestatem, egregia ex Ordine nostro lumina, & quidem pene innumera, meruit ea inter egregiè de Carthusiani Ordinis sub hæc tempora institutore, Sanctissimo Brunone, S. Hugo noster Gratianopolitanus, ex Monacho Casæ Dei Episcopus, cui præstantissimus ille Carthusianorum Ordo Carthusianos montes, adeoque nomen, imo originem quasi suam post Brunonem. Ita nostri, in hanc usque diem aliis quoq; Ordinibus, opem, consilium, immo seipsos impendere. Ex vita S. Brunonis Yep. &c.

*A. C.* 1082. *S. P. N.* 602.

HIc annus grandi miraculo S. Gregorii nostri Sanctitatem commendavit; militari namque stratagemate, Guiberto Antipapa, per proditorem S. Petri Basilicam incendere moliente, adeoque vicinis jam ædibus incendio flagrantibus, quo nimirum ad restinguēdum concurrentibus civibus, ipse cum Imperatore, de improviso per portas irrumperet: Gregorius incendio conspecto, illico milites ad propugnacula concurrere jussit, ipse vero solus fiducia S. Petri fretus, facto crucis contra incendium, signo, ignem progredi ulterius non permisit. Ex Bertholdo.

S. Norberto felicissimo Sanctissimi Præmonstratensium Ordinis Institutori, sub hæc tempora nostri quoque insigniter profuere; eorum quippe juvenis, consortio delectatus, spiritualis vitæ apud Sigebergenses Monachos rudimēta non solum posuit, verum gravibus subinde tempestatibus jactatus, in Cænobio eodem, quietem ac solatium quæsivit. Vt rursum, dilectissimi tanti Patris filii, veteri jam exemplo Patris necessitudine, nostris sint devincti, & nostrorum, in Archimagistrum suum benevolentiam hodieque amplectantur. *Ex vita Yepes VVion, &c.*

*A. C.* 1083. *S. P. N.* 603.

HOc anno Henricus Romam aggressus Guibertum Antipapam apud S. Petrum inthronizavit. Gregorius vero occupato etiam Palatio Lateranensi, ad Castellum S. Angeli se recipiens, infractus ipse, rursum Henricum excommunicat.

Insignis eo ipso tempore constantia desiderii Cassinensis Abbatis qui minis Henrici Imp. venire coactus cum ab eo juberetur, sibi fidem jurare, ac Monasterium de manu eius suscipere, constantiis animo contempsit, dicens: se non modo Monasterii causa sed ne pro mundo toto quidem id facturum. Mirum sanè, quod Chron. Cassinense de eodem refert; quod toto eo tempore quo cum Imperatore egit, cum multi Episcopi & honorati viri, amici etiam sui, quamplurimi (fuit desiderius Beneventani Ducis filius) & Imp. Cancellarius sibi occurrissent, neminem sit osculatus, cum nullo eorum oraverit, comederit vel biberit. *Vid. etiam Bar. &c.*

Cænobium Hirsaugiense mirum in modum efflorescit, & plurimos pro Mundo deprecatores S. Wilhelmus egregie instituit, ut abundante malitia, in nostris gratia augeretur. *Ex Trith. &c.*

*A.C.* 1084. S.P.*N.*604.

HOc tandem anno, vocato ex Oriente Roberto Guiscardo de Henrico Cæsare triumphat Gregorius Robertus namque relicto cum exercitu Boamundo filio, armata manu urbem invasit, rebelles subegit, & Cæsarem expulit, & hic resistere porro non valens, festinanter in Germaniam se recepit, Baron.

Res gestæ Gregorii hoc eodem anno Divinitus comprobatæ; victo namque Cæsare, ad Sanctissimi Patriarchæ nostri, Patris optimi dignissimus filius, limina invisens, dum ibi aliquando ad aras staret, visa columba, & niveo candore aliis humeros protegere, & demum rursum ad cælos remeare de hoc pluribus. *Ost. Baron. &c.*

Eodem anno Gregorius Robertum Apuliæ Ducem in Orientem remisit, rursumque eodem Duce, ingenti navali prælio devicta classe Alexii Imperatoris, triumpho insigni, animos fidelibus auxit. Nec minori felicitate, Catholici in Occidēte, insignem de Schismaticis victoriam reportarunt, benedictione corroborati S. Anselmi nostri Ducensis Episcopi. Tam validæ semper Episcoporum nostrorum vota, & preces fuere. *Ex Baron. &c.*

*A. C.* 1085. *S. P. N.* 605.

FVnestissimus, si quis ullus alius, hic annus, morte duorum maximorum in Orbe Principum, Sanctissimi Gregorii nostri Summi Pontificis, & Roberti Guiscardi, quem nonnulli Orbis terrorem appellavere. Gregorius à prima pueritia à nostris notatus, honori tanto natum quasi, certè à Deo destinatum, cum infans, etiamnum segmenta lignorum, infantibus aliis alia struentibus, ipse litterarum ignarus, elementa non solum formaret, sed distincta positione segmentorum, rem ipse nesciens his verbis signaret; Dominabitur à mari usque ad mare: Ornamentum æternum Ecclesiæ; exemplum æternitatis diadema Pontificum omnium extit. Nomen & Titulum. Defensoris Ecclesiasticæ libertatis, verè meritus. Igneus revera Pontifex, ex cuius etiamnum Monachi, cuculli manicis, dum excuteret, visus ignis prosilire: Martyrii honore mille modis celebrandus: Beatissimæ Matris Virginis cultor singularissimus, in quem illa vicissim studio ita propensa, ut in muta etiam imagine, arridere aliquando, aliquando complorare eidem visa sit, cuius eiusdem etiam ope, magnis aliquādo æstuans febribus, vir Sanctus convaluit. Inter alia Sancte instituta, ut Sabbathum abstinentia à carnibus perpetua celebraretur instituit. Ita Gratianus de Consec. dist. 5. Ordinem sive Congregationem Vallumbrosanam confirmavit; Vt in septimanis Paschæ, & Pentecostes tres tantum Psalmi in Nocturnis decantarētur instituit: Multa præclara, scripsit infinita quasi, immortalitate dignissima, sed quæ ob multitudinem referri saltem dignè non possint, egit. Mortuus Salerni, etiam à morte miraculis illustratur, cuius corpus post annos quingentos ferè integrū repertum est, atq; Pontificalib. etiamnum indutum. Guiscardus in Cassinenses benevolentissimus, pretiosissima S. P.N. Benedicto dona variis temporibus detulit. Northmannorum, insolentiam primo, visibiliter sæpius S.P.N. Benedicto retundente, & copias eorundem, priusquam Dei & ipsius manum agnoscerent profligante. *Vid. Leo Osc. Bar. Microl. vita Greg. Gretsf. Berried. &c.*

A.C.1086. S.P.N.606.

ADMIRANDUM hoc anno, æternis sæculis de se spectaculum, adhibuit Sanctus Desiderius noster Abbas Casinensis, Beneventani Principis filius unicus verum contempto Principatu, & paratis nuptiis Monachismum complexus; qui multo majore animi demissione, quam ullus alius ambitione, Pontificatus Maximi, summum honorem, & tanta quidem contentione subterfugit, quantam nec Ecclesiam de ullo sibi eligendo, capite contendisse, proditum est. Bisciolam ex Baronio audiamus: Anno Domini 1086. indict. 9. Cum diu multumque laboratum esset à Catholicæ partis Cardinalibus, ut eligeretur Gregorii Papæ successor, tandem omnibus Romam convenientibus, Desiderius Presbyter Cardin. titul. Sanct. Cæciliæ, Abbas Cassinensis, patria Beneventanus, nobilissima prosapia ortus, de quo sæpissima facta est superius mentio, ingenti desiderio ab universo clero, & populo expetitus, cum nullis precibus ac persuasionibus flecti posset, ut adhibita invitus ac renitens in diaconiam Sanctæ Luciæ perductus, ipso die Pentecostes electus est Pontifex ac Victor ejus nominis Tertius appellatus; Verum post dies quatuor Romam egressus, insignia Pontificatus Tarracinæ dimisit, & Cassinum se recipiens, rigidus in proposito, nullius aliorum precibus, lachrymis, rationibus, persuaderi valuit ea resumere. Sicque in iterum annus elapsus est. Hæc Bisciola, ut nec de eligendo quasi Pontifice alio cogitaret, quam de Desiderio, Ecclesia unice sibi desiderato.

Mortuus hoc anno Sanctus Anselmus noster Lucensis Episcopus, innumeris coruscavit miraculis, quibus etiam à morte plurimos Schismaticos convertit, & ad Ecclesiæ gremium reducit considerantes eum à DEO honorari, qui pro Gregorio stare, & pugnare nunquam desiisset. Ita vivi mortuique nostri prosunt Ecclesiæ, atque Orbi etiam universo. Quod sexcentis ejusmodi exemplis probatissimum omni sæculo fuit perpetuatis nonnullorum ad hanc usque diem miraculis, plurimos ex Hæreticorum nassa vindicantibus. *Vid. Yepes Baron. &c.*

Eodem anno fit primus Toletanus Archiepiscopus, & Primas Hispaniarum post recuperatam à Mauris Urbem Sanct. Bernardus Monachus Sanct. Aurentii de quo fuse hoc anno Yepes. Ut rursum nostris non initium solum, sed & Tutelarem tanta sanctitate tantisque meritis, Divum debeat Princeps illa Hispan. Ecclesia Toletana. Verum quidquid sit de electione, certum, aliquot primum post annos à B. Urbano II. confirmatum. *Rodri. Mar. VVion, &c.*

A.C.1087. S.P.N.607.

HOC demum anno victor electus Pontifex, victus tandem precibus & rationibus Præsulum ac Principum Pontificatum admittit: Quia vero minus distinctè Bisciola, tergiversantem descripsit, cum tertio coactus, vix tandem assensum præbuerit, ex accuratissimo & doctissimo Scriptore M. Antonio Scipione, rem plenius audiamus: *Extincto apud Salernum Gregorio Antiquæ sanctitatis Pontifice, & Ecclesiastici juris propugnatore accerrimo proximis inde Cardinalium Comitijs, Desiderius communi omnium consensu, Christianæ Reipubl. præficitur; quo ille accepto nuncio, tanquam repentinæ calamitatis inopinato casu perculsus, vehementer indoluit, tantumque oneris ac periculi constanter à se reijciens, nunquam persuaderi potuit, ut sacri Senatus voluntati, decreto, precibus, assentiretur. Itaque absolutum jam confectumque negotium eo solum dificiente, qui maximè confirmaturus videri poterat, res Pontificia in præsens refixit. Cum vero iterum aliquot post menses, coacto Patrum conventu ad suffragia ventum esset, iterum in Desiderium universi consensere, ac ne rursum effugio relinqueretur locus, cum delatæ amplissimæ dignitatis nuncio, nec opinanti coccineam chlamydem injiciunt, quo minus albam quoque inducerent ipsemet contranitente impediti: Nomen Victoris III. est inditum. Verum ne ita quidem res processit; nam Victor quatriduo post Roma digrediens, ubi Terracinam ex itinere attigit, disertè contestatus se Pontificem esse nolle depositis sacris insignibus, Cassinum ad suos remigravit. Anno demum proximè insequente per occasionem Capuam conventus, cui cum cæteris Episcopis & Cardinalibus Victor quoque præsidebat, denuo accerrimè oppugnatus, cum nihil de pristina animi firmitate remitteret; tam vero sacrati Præsules universi cum Iordane Capuæ Principe ac Rogerio Calabriæ Duce ad ejus pedes provoluti omnibus precibus orare, atque obtestari ne Pontificatu diutius recusando,*

*rem Christianam gravioribus incommodis affectam vellet, neve totius Cleri, totque Procerum infimas supplicationes ac vota frustrari pergeret, quibus omnino deliberatum esset, ac constitutum, neminem alium (ipso quidem superstite ac vivo) ad illud dignitatis culmen evehere. Hunc in modum Victor aliquando victus sacrorum Antistitum arbitrio ac potestati se tradit.* Ita Scipio.

Non fefellit opinionem adeo se desiderantium Desiderius, & dignè novo quam primum Victoris nomine conscriptis, undique copiis, quo tandem gravissima Saracenorum peste Italiam & Europam liberaret, in Africam transmisso exercitu, Saracenorum vires, impotentemque audaciam adeo fregit, ac contudit, ut primo armorum congressu ex eis centena millia occisione occisa sint; cujus adeo celebris victoriæ lætitiam, rei gestæ admirabilis nuncius, multo etiam reddidit insigniorem: cum eodem die triumphus de Sarracenis, & relatus in Africa sit, & in Italia auditus ac cognitus. Neque verò in reprimendis civilium seditionum authoribus, quàm in profligandis barbaris, minus fortem atque invictum se præstitit: quippe Clementem Pseudopontificem, Romæ divina humanaque, pro libidine miscentem, vi atque armis è civitate exturbavit. Verum hujusmodi intentum, & contra Schismaticos eorundemque Imperatorem pugnantem in Concilio Beneventano læthalis morbus pertentat: qui illico suprema imminere conjiciens, Cassinum, ut in Sancto illo monte moreretur deportari voluit, & nominato, quem sibi succedere, si ita Patribus visum, Otthone Ostiense Episcopo (quem & Gregorius Septimus moriens post Desiderium, si ille renuisset, eligendum suaserat,) designatoque prius in ipsa Capituli abside ac aperto tumulo ingenti omnium mœrore ac luctu immatura morte præripitur; XVI. Calend. Octobris. Quem nonnulli Martyribus accensendum, veneno nimirum à Schismaticis propinato, quo extinctus sit putant. Ex Scipione, Baronio, Yepes, VVione &c.

*A.C.* 1088. *S. P. N.* 608.

NOSTRORUM fidem, industriam, felicitatemque felicissimis temporibus plane admirandam, experta jam toties Ecclesia, non potuit non, eo rursum, adspicere, & Gregorii inprimis atque Victoris Sanctissimorum ac meritissimorum Pontificum, consilium supremum attendere, dein communi Cardinalium Episcoporum, Cleri, populorumque Catholicorum consensu applausuque, dignissimus eo honore, Pontifex Maximus salutatur B. Ottho Cardinal. Episcopus Ostiensis, Cluniacensis Monachus, & Vrbanus II. appellatur. Eum tam Sanctum Pontificē huic Ordini debet Sanctorum Ecclesia: Cluniacensi imprimis in quo educatus, & Monachum professus est Cænobio; Cassinensi dein, & ejus Patriarchæ dignissimo P. N. Benedicto, ad quem ut inviseret idem jam Pontifex inter prima & convenientissima habuit; ubi laterum dolore pene exanimatus, insigni valetudini, ipsomet opitulante Benedicto restitutus est. Ex Leon. Ost. Scip. Baron. &c. Is præclarissimè illico mereri de Ecclesia aggressus, ante omnia Sanctissimi antecessoris Gregorii acta approbavit, & æterno sanè merito etiam posteris Hæreticis, & sui sæculi Schismaticis, strenue occurrit, atque ora obturavit; nisi alius atq; alius ex profundissimo mendaciorum, eorundem barathro lubinde obganniret; datis proin ad omnes Catholicos litteris, se vestigiis Gregorii inhæsurum per omnia promittit; reformandæ dein Mediolanensi Ecclesiæ diligentissime operam intendit; Sancto Bernardo item Toletano Archiepiscopo, de quo superius. Primarum Ecclesiæ Toletanæ confirmat, & pallium mittit. *Vid. Baron. &c.*

Bernardi verò, eximia item quamprimum de Toletana sede merita in quam viros egregios ex Gallia secum duxit, *eosdemque, & Monachos S. Facundi fundandis Ecclesiis primaria fundamenta providit, quorum solers prudentia, & honesta religio* (verba Roderici l. 6. cap. 28.) *causam dotationis, & incrementi Ecclesiis præbuerunt: sicut adhuc hodie patet in privilegiis possessionum, & libertatum, quæ Ecclesiis supradictis, ob eorum Sanctitatis reverentiam, Principes indulserunt.* Egregia sane ab meritis æternis nostrorum commendatio. *Vid. & Yepes cent. 7. Tom. 6.*

*A.C.* 1089. *S. P. N.* 609.

INSIGNE Ordinis nostri Sydus, inter tempestatum toto orbe, & in primis in Germania, molem, elucescit Beat. Gebehardus, ex Zaringiæ Duce, Bertholdi Alem-

lemanniæ magni Ducis Germano, Hirsaugiensis Monachus, ex Monacho Episcopus Constantiensis, insignis columna Ecclesiæ, quem pro meritis hoc anno Vrbanus Pontifex, rarâ cōcessione, Germaniæ universæ Legatum Apostolicum renunciat. Quam autem strenuè primo statim Legationis anno se gesserit, ex Baronio disce.

Celebratum ipso anno Generale Romæ Concilium ab Vrbano, centum quindecim Episcoporum, in causa Schismaticorum, & paulo post primum etiam in Apulia Ticianum cui 75. Episcopi interfuere: adeo indefessus Ecclesiæ fluctuanti prodesse Sanctissimus Pontifex laboravit, & æternum benè meruit. Quo eodem anno Guilbertus Antipapa Vrbe pulsus, coactusque juramento promittere, se Apostolicam deinceps sedem minime invasurum. Baronius. Claruit hoc ipso tempore, Constantinus Afer, Cassinensis Monachus, scientiæ omnifariæ prodigium, præter Hebræam linguam, Syriacam etiam, Chaldaicam, Græcam, Persicam, Arabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, Indicam, Latinam, & Italicam perfecte callens, totius Medicinæ artis illustrator, sive alter Galenus. Idem Philosophicis studiis plenissime eruditus, Orientis & Occidentis Magister, novusque effulgens Hippocrates de Carthagine ex qua oriundus egressus Babyloniam petiit, in qua Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Geometria, Arithmetica, Mathematica, Astronomia, Musica, Physicaque Chaldeorum, Arabum, Persarum, Sarracenorum ad perfectum edoctus est; indeque discedens Indiam adiit, eorumque se studiis erudiendum tradidit: quorum artibus imbutus, Æthiopiam petiit, ubi rursus Æthiopicis disciplinis eruditur: exinde in Ægyptum profectus, Ægyptiorum quoque artibus informatus: denique Cassinum profectus, exemplum posteritati omni imortale præbuit, tum denique humanæ mentis tranquillitatem reperiri, quando in statu Monachico, & cellula religiosa quæreretur. Ejus doctissimas lucubrationes VVion recenset. *Vid. Ant. Scip. Chron. Caß. Get. Diac. Trith. &c.*

*A.C.* 1090. *S.P.N.* 610.

HOC anno, insigni sanè industriæ suæ commendatione duo celebravit Vrbanus Concilia; Tolosanum unum, alterum Melfitanum: ita totus in juvanda Republ. Christiana fuit; cum nec excogitari quidem dignius quidquam celebratione Conciliorum possit, in quibus tamen diligentissimi nostri Ecclesiam mirando studio juverunt. *Vid. de actis Conc. Seu. Bin. & Baron.*

Immortali merito, Boemos suos sibi obstringunt Sancti. Adalbertus, & VVēceslus nostri, qui gravissimis fœdissimi belli calamitatibus, turbatissimum hoc anno regnum liberant, cum VVratislaus Rex pater, & filius Bretislaus, infestissimis inter se odiis atque armis concurrerent: visi quippe captivis plurimis in custodiam regiam conjectis, quorum prodigiose vincula solverunt: *Ita*, inquiebant, *in nostram Metropolit. Ecclesiam, pro hac vestri liberatione gratias DEO agite, atque indicate hæc omni populo, maxime vero Regi, adjuncta monitione, ne DEVM ad indignationem majorem provocent, sed à bello & sanguinis effusione à modo abstineant.* Quo quidem prodigio territi Principes positis armis, supplices Divis facti sunt, ingentesque impetuosissimi belli fluctus, conquievere. *Ex Boem. rer. Script.*

Sanct. Thiemonis Salisburgensis, hoc anno ex Monacho Hirsaugiensi, Archipræsulis, nunquam satis laudata virtus & constantia: plurimis injuriis ab Henrico Imperatore pro Ecclesia exātlatis: de quo Bisciola; insigni plane encomio; instar S. Athanasii Alexandrini (miraculum is cōstantiæ fuit) nunquam penè liberum corpus, nedum liberam auctoritatem habuisse: omnia extrema perpessum, tredecim, quibus præfuit annis, bellis, obsidione, gladiis, captivitate, afflictissimum. Ad quē carcere detentum, missum aliquando spiculatorem, gladio caput, iteratis summo nisu ictibus, amputare conatum, nec quidquā in impietate desudasse, sumā tantum in cute, signa illati sceleris, & quidem deinceps incredibilia adhæsisse. *Vid. Bisc. & vita t. 4. Canisii.*

*A.C.* 1091. *S.P.N.* 611.

OB sanctitatis B. VVilhelmi Hirsaugiæ Abbatis famam, plurimi eodem tempore sæculares homines, vitam Religiosorum simillimam in sæculo instituendo defendendos auctoritate sua Vrbanus censuit, defenditque. Vide Yepes, Bertol. Conss. Baron. Bisciol. &c.

Moritur decus Germaniæ nostræ meritissimus de Ecclesia universa S. VVilhelmus, quem tantum virum celebrare ipsa multitudo prodigiorum prohibet, & copia annorum, etiam ipsum compendium magis stringit. Vid. Stengel. Baron. Yepes.

Iterum concilium celebrat S. Vrbanus noster Beneventi, in quo Gilbertum Antipapam Romæ denuo receptum excommunicat. Eum ibidem convenit Beat. Aisbertus noster Crispiniensis Monachus egregius Ordinis reformator, & amore in proximis admirandus, Beatissimæ insuper Virgini Matri commendatissimus: de quo in vita apud Sur. & Script. Belg. &c.

*A. C. 1092.* *S. P. N. 612.*

PRodigiosa constantia, pro Ecclesia contra Schismaticos pugnat, & gravissimis afficitur injuriis, multis ab Ecclesia sua annis ejectus B. Gelhardus Constantiensis Episcopus. Ecclesiam ex Ordine nostro viri Sanctissimi undique propugnant, & diversis licet congregationibus, multa Sanctorum millia clarescunt, & propitium Orbi numen demerentur. Ex Trith. Yep. Consc. Bened. &c.

Iterũ nova Cathedralis Catanensis in Sicilia Ecclesia, nostris originem debet, ab iisdem primum curata, & ad tantum honorem provecta. Vide Anton. de Yepes.

*A. C. 1093.* *S. P. N. 613.*

COnciliis celebratis immortale sibi nomen Vrbanus, fructumque Ecclesiæ peregregium peperit; hoc inprimis anno, indicta rursum Troiam Synodo generali, in qua diversis Ecclesiarum necessitatibus provideri curavit. Adelhaidem Imperatricem ad se confugientem benigne recepit, rursumque ob immania flagitia, Henricum August. excommunicavit. Nec minore favore exceptus ab Vrbano Conradus Henrici filius, in Longobardia postea imperavit quo rerum successu Principes Germaniæ in Conventu Vlmensi statuerunt omnino, Legato Apostolico Constantiensi Episcopo Gebhardo se omnes submittere, & Vrbanus insigni omnium gratulatione Romam rediens susceptus est. Ex Baron. &c.

Fit Archiepiscopus splendidissimus ille universi sol Anselmus, ex priore Beccensi Cantuariensibus post Lanfrancum prælatus de quo sæpe inferius. Dignissima Lanfranci gesta, obruti multitudine meritorum Pontificiorum, negleximus, hoc negligere non possumus ejus arbitrio administratum Angliæ Regnum, nec inconsulto eo, VVilhelmum quidquam feliciter gessisse; Rege etiam absente, penes Lanfrancum imperium constitisse. Vid. Angl. Script. &c.

*A. C. 1094.* *S. P. N. 614.*

PRofligat felicissimè novam Hæresim, seu potius antiquam Sabellianorum repullulascentem scripto doctissimo volumine de Incarnatione Verbi, S. Anselmus Cantuariensis Archi-Episcopus, quod hoc anno examinandum misit ad Vrbanum Pontificem. Ita rursum egregius bello Dux, in causa fidei, ex Ordine nostro, contra exercitus inferorum exurrexit. Dodechinus, Edinerus, Baronius, Yepes, &c.

Idem Anselmus honorifice primum à Rege susceptus, quod mille denariorum libras pro promotione sua dare seu rependere noluisset, è curia discedere coactus est. Hæc & longe deinceps graviora, pro gravitate Pontificia, & libertate Ecclesiastica conservanda, magnanimiter perferẽs imò pro Ecclesia tolerare, lucrum ducens. Ex vita.

*A. C. 1095.* *S. P. N. 615.*

RVrsum Ecclesiæ Sydus exsplendescit, Divus Bernardus Florentinus ex familia Vbertorum, in Collegium Cardinalium ab Vrbano II. cooptatus, egregius Schismaticorum expugnator, & felicitate victoriæ, plurimis ad gremium Ecclesiæ reductis, immortalis. Vid. Yepes noster t. 6. cent. 7.

Iterum Episcopatus Zamorensis, initia celebrat Yepes noster, nostris debita, qui fusior legendus hoc anno Tomo sexto cent. 2.

Eodem anno quietem, & salutem in Cœnobio, & cucullo reperit Adelheidis Henrici Imp. conjux Aug. Vid. Yep. Berthold. Dodechin. Trith.

Rursum Placentiæ generalem Italiæ, Germaniæ, Galliæ Episcoporum Synodum convocat Vrbanus Papa, tam innumerabili multitudine confluente, ut in cam-

campo aperto celebranda fuerit. Placentia recedenti Pontifici apud Cremonam obvius progressus Conradus Rex, Stratoris eidem munus exhibuit. Iterum Claromontanum celebrat Vrbanus Concilium, in quo Philippum Francorum Regem excommunicavit, & strenuè pro colligendo contra infideles exercitu laboravit. Baron. De Anselmi item in Anglia laboribus, & periculis, vide ib.

A. C. 1076. S. P. N. 666.

INter prima, & præcipua Benedictinæ gloriæ, & meritorum monimenta, merito referendum: quod hoc anno, B. Vrbanus primus fuerit, Cruciatæ in infideles auctor classicum inter afflictissima licet Schismaticorum scelere tempora, omnibus Gentibus occinens, quam latè Imperii Christiani fines extendebantur ad sacrum bellum omnes omnino exstimulavit. Signum expeditionis, & conscriptorum crux purpurea, ex panno purpureo, vestibus super dextram scapulam assuta. Trecenta statim millia, prima expeditione, cruce signatorum numerata. Initium ante profectionem milites ipsi ab Iudæis sumpsere, omnes qui Christo nomen dare renuerent contrucidantes. Videndi Guil. Tyrius, Chron. Hierosol. Volaterr. Plat. Blandus, &c. innumeri.

Nec minor eiusdem eodem ipso tempore gloria, ęquè celebre de cælo ipso, & cęli Regina meritum: quo Officium B. Mariæ Virginis a Monachis etiam ad clericos transtulit, & in Ecclesia recitari jussit: novem item Missarum præfationibus decimum addidit: Et te in veneratione B. M. semper virginis collaudare, &c. Tantum uno anno, & longè plura unus hic Pontifex noster. Vid. Ration. diu. Nauder. Yepes, &c. Celebratum ab eodem ipso anno Turonicum Concilium. Baron.

A. C. 1097. S. P. N. 667.

PRiora quidem omnia cum admiratione, ista stupefacti prorsum, & in tanta brevitate, dum vix attingimus, nescimus an scribamus; quæ de Anselmi modo Cantuariensis Archipræsulis meritis referenda. Huic cum Rege rursum acerrimus pro Ecclesiastica libertate conflictus intercessit. Post longam vero concertationem Anselmus ad Pōtificem Rom. appellavit. In itinere quantumvis latere studeret, sua ipsum ubique sanctitas prodidit, & ad tanti viri miraculum, undiq; ac undecunque multitudo mortalium ingens accurrit. Susceptus ab Vrbano, & Romana Vrbe multo cum honore est, de quo ad Patres idem Pontifex: hominem, eum commendans omnium liberalium artium disciplinis eruditum, & quidem, inquit, cum illum pro Magistro teneamus, & quasi comparem, velut alterius orbis Apostolicum, & Patriarcham jure venerandum censeamus: ita tamen excellens menti eius humilitatis constantia præsidet, ut nec maris periculis, nec lōgissimis peregrinæ terrę spatiis terreri potuerit, quin vestigiis B. Petri, nostræ parvitatis ministerio se pręsentare, nosque magis illius, quam illum nostro egentem consilio super causis suis consulendos adire studuerit. Quapropter considerate, quo amore, quo honore suscipiendus sit, & amplectendus. Ex Edinero comite ipsius Sancti; quæ eadem, recitat Baronius.

Singulari providentia Numinis factum, ut hoc maxime tempore Anselmus noster in Italiam veniret, quo doctrina atque sanctitate diversissimis Regnis & provinciis, ac populis prodesset: quippe plurimis tunc sub Rogerio, infidelibus, & Mahometi cultoribus nomen militiæ dantibus, iis inprimis Anselmus prædicatione mirum in modū profuit, multosque Christo adduxit, in signe insuper volumen contra infideles elaboravit: quod *Cur Deus homo?* inscripsit. Appropinquante vero Concilii indicti tempore, hoc ipso anno Græcis cum Latinis, de processione Spiritus S. altercantibus: opportune adfuit Anselmus, & pleno Patrum in consessu, cum omnium admiratione, eloquentiam eorundem compescuit, & egregiè convicit.

Consederat humili loco, qua summa erat animi demissione Anselmus, ita ut nec ab Vrbano, præsens notaretur. Verum Græcis nimium Latinos urgentib. *Anselmi recordatus Pontifex exclamat: vividæ vocis (verbis Malmesburiensis referamus) tonitruum ædis capacitas, & turbæ multiplicitas ingeminant: Pater, & Magister Anselme Anglorum Archiepiscope ubi es? Ille ubi se vocari audivit, in pedes constitit.*

Quem

*Quem Apostolicus compellans: Nunc, inquit, Magister opus est scientia, opus eloquentiæ tuæ opera. Veni ascende huc, & defende Matrem tuam* ( ô digna Monachi Episcopi compellatio ) *Ecclesiam quam Græci labefactare conatur. Succurre ergo, quasi à Deo huc missus. Continuo cuncti astantes, & assidentes, oculos & ora in eum conversi, percunctari quis esset annitentibusque proximis ad consessum Apostolici levatus, sedere jussus iuxta Rom. Archidiaconum, cui ante Papam sedere moris est: includamus inquit, hunc in urbe nostro, quasi alterius Orbis Papam, &c.* Convicit adeo die sequenti Græcos Anselmus, ut ridiculo omnibus exponerentur, & plausu clamoreque gaudium testarentur Latini, sedatoque fragore, intendens in eum Vrbanus, in hæc verba erumperet. *Benedictum sit cor tuum, & Spiritus tuus, os sermo oris tui Benedictus.* Inde in contra sentientes excommunicationis fulmen intorsit. Mox de Anglorum Regis sceleribus, edoctis Patribus conclamantibus omnibus adversum Regem, & parante jam simili vindicta in impium animadvertere Vrbano, pulcherrimo sanè charitatis in hostem infensissimum exemplo, Anselmus ad pedes Pōtificis proiectus, dilationem enixe petiit ac vix obtinuit, &c. Malm.

Nec eo solum Græcos Concilio confudit cōvicitque Anselmus, sed & eruditissimo scripto de processione Spiritus Sancti, volumine posterorum quoq; errori, & sceleri occurrit. De quibus omnibus fusè Baronius hoc anno.

*A. C.* 1098. *S. P. N.* 618.

PLenissimus iterum annus nostrorū meritis indicente Romam Concilium Vrbano, & magna pace Vrbem ac finitima componente. Interfuit Concilio S. Anselmus quem discedere properantem ea causa Pontifex detinuit. Tanta auctoritate etiam apud hostes Schismaticos valuit, ut sæpe captivum tracturi in plateis concurrerēt, sed viso vultu eiusdem, abiectis armis supplices ab eodem benedictionem flagitarent. Edin.

Immortali memoria dignissimum quod de eo Wilhelm. Malmesburiensis celebrat; *Antequam ab Vrbe recederet,* inquit, *obedientiæ pertinax custos, cum Archiepiscopus liberæ potestatis esset, rogavit Papam Vrbanum, ut sibi aliquem præponeret, cuius iussis vitam disponeret. Is Edinerum exhibuit* ( qui eius, alias discipulus, vitam descripsit) *cuius Anselmus tanti iussa faciebat, ut cum eum cubili locasset* (ô vere Martyrem obedientiæ) *non solum sine præcepto eius surgeret; sed nec latus inverteret.* Baron. Rursum ingenti ab Ordine nostro fructu Ecclesia, & Cælum exhilaratur, & impletur, instituta sanctissima, & lactea Augustissimæ Matris Virginis Congregatione, sive Ordine Cistertiensi, per S. Robertum nostrum, inæstimabili ubertate, & felicitate institutionem consequente. Ex vita S. Roberti, & Baron.

*A. C.* 1099. *S. P. N.* 619.

ROmæ celebrat generale Conciliū Vrbanus centum quinquaginta Episcoporum, Abbatum, & Clericorum innumerabilium; mortuus ipse eodem anno 4. Cal. Aug. rebus jam sedatis, paceque diu exule restituta, atq; ipsa Ecclesia Catholica in tranquilliorem statum revocata. Bar. Domnizo, de Epistolis eius decretalibus, quibus Ecclesiæ summopere consuluit ac profuit, Vid. Gratianus. Spectat ad eundem, felicissima hoc anno parta de Christianæ fidei hostibus victoria, & Hierosolyma per Godefredum Ducem capta; de qua triumphum ipse Sanctissimus Pontifex in Cælo egit, & cælites omnes applaudentes habuit.

Instituit hic idem Vrbanus, inter alia præclara pulsum matutinum, meridianum, & vespertinum pro Dei misericordia pugnantibus in causa fidei impetranda, quem 134. annis continuatum, & occupata rursum ab hostibus Palæstina, pietate languente, honori, & salutationi Deiparentis Gregorius noster IX. assignavit. Vid. Bugian. Vrsperg. Yepes Wion. &c. Tanta rursum unus hic verè admirandus Pontifex præstitit.

A morte Vrbani, calculi omnium illico, in Rainerum sive Raginerium ex Monacho item Cluniacensi Monasterii S. Laurentii, & Stephani Abbatem, Cardinalem tit. S. Clementis consensere, qui post biduum solemni inauguratus consecratione, Paschalis II. appellatus est. Baron. &c.

A. C.

A.C. 1100. S.P.N. 620.

ADmirandum prorsus, quantumvis, quos celebravimus ex Ordine nostro Pontifices Ecclesiæ commoda ita promoverint, ut amplius quisquam nil agere potuisse videatur: nulli tamen Antecessorum, vel sanctitate, vel rerũ gerendarum dexteritate, Paschalem II. cessisse. Eius Pontificatus initia felicissima statim fuere, interitu Guiberti Pseudopontificis, sed multo gloriosior exin successus, cum de tribus exin eodem scelere succedentibus belluis, Alberto, Ludovico, Maginulpho, unus ipse triumpharet. Hoc ipso autem anno Ecclesiam in splendorem pristinum restituere cupiens, nonnullas civitates, & oppida ex perduellium manibus vẽdicans, minis tyrannos perdomuit; Philippum dein Galliæ Regem ad vomitũ redeuntem, sacris interdixit, eamque ob causam per Legatos Concilium Pictavis celebravit; in quo undecim Sanctum canone adversus investituras Ecclesiarum per seculares principes, adversus item Simoniacos, & concubinarios Clericos, &c.

In Oriente feliciter eius auspiciis res gesta, &, antiquis renovatis miraculis, innumerabiles hostium infidelium copiæ profligatæ.

In Anglia, mortuo infelici obitu, Wilhelmo Rege, S. Anselmus summo honore à successore Henrico ad Ecclesiam revocatur: verum turbata quamprimum pace, cum acerrimus Ecclesiasticæ libertatis assertor Anselmus, adulari Reges nesciret, sed impiæ ambitioni obvius iret. Ex Baron.

Hoc eodem anno Paschalis Papa ad regimen Ecclesiarum Germanicarum, quas Henricus Imp. Schismaticus persecutione vexabat, legationem Apostolicam credidit Gebehardo Constantiensi Episcopo ex Monacho Hirsaugiensi, qui eam à Paschalis prædecessoribus, multis jam annis obtinuerat. De eo sic Baronius: Apostolicus plane vir, qui præ cæteris stetit pro muro domui Israel perditissimis hisce temporibus. Vid. & Const. Ben. &c. Berthold. &c.

A. C. 1101. S. P. N. 621.

LAudanda æternum industria Sanctissimi Pontificis nostri Paschalis II. quo agente alia in Terram Sanctam expeditio suscepta, & quidem ingenti numero ingentiora factura, si per Alexii Græcorum Imperatoris invidiam atque perfidiam licuisset. Illatæ inde plurimę Sanctorum exuviæ, aliasque inter D. Ioannis Baptistę cineres nostris Pontificibus acceptæ debentur, quorum jussu & labore expeditiones eiusmodi susceptæ Europam dein nostram ita abunde bearunt. Ex Vrsperg. Tyrio, Baron. &c.

Mirandum, quod Henrico Angliæ Rege, & Anselmo, missis Romam Legatis, de investitura Ecclesiarum concertantibus, in itinere accidit: Hereberto Norvvicensi Episcopo Regis legato à prædonibus intercepto, & lytro persoluto, non ante dimisso, quam per omne quod dicitur Sanctum jurare cõpulso, nihil se Romæ acturum quod spectaret ad incommodum Anselmi. Quibus videas adeo increbuisse nomen Anselmi, ut etiam latronibus esset in honore & defensione. Ex Malmesbur.

Multa Sanctorum millia in Ordine, diversis Congregationibus, Cassinensi, Camaldulensi, Valumbrosana, Grandimontensi, Cistertiensi &c. eodem ipso tempore convixere Episcoporum, Cardinalium, aliorumque Ecclesiasticorum procerum numerus ingens, quorum plurimi etiam in Palæstinam profecti, ibidem Cænobia condidere: eosque inter B. Gerardus noster ex Monacho Italo & Abbate Schaffhusano ad Rhenum, Archiepiscopus Cęsareensis, & Custos Dominici sepulchri electus, novam planè, tanto munere, in Ordinem felicitatem invexit. Ex Constant. Ben. Berthol.

A. C. 1102. S. P. N. 622.

COncilium generale habitum ab ipso Paschale, in quo, cum secus quã promiserat, adesse dedignaretur Henricus Imp. imo rursum alium Antipontificem intruderet, rursum excommunicatus est Baron. &c.

Anselmi opera strenuè consulitur Ecclesiis Anglicanis, indicto etiam Londinum Concilio in quo Ecclesiasticæ disciplinæ restituendæ conditi canones & Clericorum laicorumque mores reformati; nihil metuente exulcerationem animi Regis Anselmo, cui in votis sem-

semper erat, pro commisso sibi grege vitam cum sanguine profundere. Wion, Malmesbur. &c.

Confirmat hoc anno donationem à se Gregorio VII. & Ecclesiæ factam Mathildis celeberrima illa Princeps fæmina, ita ut sub Gregorio & Paschale, quos illa unicissime coluerat, quam maxime auctum D. Petri Patrimonium fuerit. Ex Bisc. Baron. &c.

*A. C.* 1103. *S. P. N.* 623.

INstitutus celeberrimus ille fama atq; utilitate Equitum S. Ioannis Baptistæ Ordo militaris, de Ecclesia meritissimus, nostris non solum juvantibus suo more, sed origine ipsa nostris referenda apud quos, diu etiam post, Magistri Hospitalarii eligendi potestas permansit, opem atque opes de suo ministrante Cænobio nostro Latinensi Institutor Ordinis præcipuus fuisse memoratur S. Petrus Panormitanus, Abbas Cavensis; primus vero Ordinis Magister Gerardus eiusdem Cænobii Monachus, de quibus omnibus legenda Chronic. Cavense, Victorin. Ant. de Yepes t. 6. cent. 6. & t. 7. cent. 7. Arnoldus Wion, &c. Assumpsere dein milites illi Regulam S. Augustini de qua iidem consul.

Cavensis Cænobii & Congregationis insignis per hæc tempora felicitas, affluente tanta mortalium ad conversionem turba, ut unus Petrus Abbas de seipso scriptum reliquerit, se plus quam tribus, virorum millibus habitum Sanctæ conversationis imposuisse, ut unius ex Cænobii fructu, cęterorum toto Orbe omnium proventum submetiaris. Debet eidem Cænobio originem Major Ecclesia, Montis Regalis de qua (scriptorum monimentis celeberrima) in diplomate Innocentius Tertius. Sic ait de Guilhelmo Rege conditore: *statuit autem imprimis, ut Ordo Monasticus, qui secundum, Dei timorem, & B. Benedicti Regulam, & Cavensis Monasterii observantiam, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, &c.* Yepes & cit.

Eodem anno S. Anselmus, pari, qua superius meminimus constantia libertatis Ecclesiasticæ defendendæ studio Romam proficiscitur. Mittit pro se electum Exoniensem Episcopum Rex Hẽricus, qui ea dexteritate Regis partes defendit, ut plerique ex Patribus in eius sententiam concessuri viderentur, securior denique de opinione assensuque omnium redditus, ausus etiam in ista erumpere: *Regem nec pro amissione Regni passurum sibi Ecclesiarum investituras, auferri.* Ad quæ digna Summo Pontifice constantia Paschalis noster: *Nec ego*, inquit, *pro capitis mei redemptione eum investituras permittam impune habere.* Ad quam magnanimam vocem conversis in eius laudem contra sentientium linguis, legatus confusus obticuit. Verum Rege inaudiente, causa se cecidisse jussus per eundem legatum Anselmus; nisi investituris acquiesceret, in exilium concedere, libens exulavit. Ita potior nostris calamitas omnis, quam inglorioſa felicitas fuit. Ex Malmesb. &c.

*A. C.* 1104. *S. P. N.* 624.

CLaret egregia nominis fama, è Cluniacensi Cænobio usque in extremas Hispaniæ oras accitus Dalmachius, Primus Compostellanus Archiepiscopus, ut Principis apud Hispanos loci dignitas etiam à nostris sumat exordium. Vid. Yepes Vasæus, Wion, &c.

Destinavit hoc anno varias passim legationes Paschalis noster, in Poloniam, in Gallias, & summo rei Ecclesiasticæ bono consilium Trecense per legatos celebravit, Baron.

Congregatione Cluniacensi tota jam Europa, diffusa, sed & in Orientem propagata in ipsum quoque novum Orbem Benedictinorum meritorum copia redundavit, præterque Persiam, Armeniam ac Palestinam à nostris institutas, *in quibus Benedictinorum* inquit Caietanus, *Monasteria nec quidem pauca, ad hanc usq; diem extant*; Æthiopiam etiam S. P. N. Legibus illustratam fuisse, non parũ ipsi Æthiopes gloriantur. Qua de re Magnum Benedictum, non modo Abbatem, & Patrem, sed etiam Angelum vocitant. Ea enim illorum lingua vox est; *Abba, Pruck, Amalack*: quod latine sonat: Abbas Benedictus, Angelus. Ex Caiet. &c.

*A. C.* 1105. *S. P. N.* 625.

B Paschalis Concilio apud Northusiũ celebrato Ecclesiæ egregiè consuluit præter legatos Ruthardũ Mogunt. & Geb-

& Gebhardum Constantiens. Episcop. Baron. Ei denique se submittens Henricus Imp. Imperio se abdicat, & in locum privatus abscedit, sibi à legatis Pontif. assignatum. Decreto item Paschalis ossa Guiberti Antipapæ exhumantur, & in flumen projiciuntur. *Vid. Baron. &c.*

*A.C.* 1106. *S.P.N.* 626.

DIgnissima tanto Pontifice industria rebus Ecclesiæ intentus Paschalis Papa, in Galliam Cisalpinam usque ipse iter suscipit, & Guastallæ, sive Guardastallæ super ripam Padi, Concilium celebrat, in quo inter alia plurima, summa prudentia, & moderatione gesta, & statuta, ad ordinandam Ecclesiam, longiori Henrici senioris persecutione quassatam: omnes Episcopi, & cujuscunq; Ordinis clerici, in schismate ordinati, in suis officiis suscepti sunt, nisi qui aut invasores, aut Simoniaci, aut alias criminosi probati essent. *Baron. Domnito, &c.*

Claret inter innumeros nostri Ordinis Sanctos, multa per Ecclesias Galliæ auctoritate S. Godefredus Episcopus Ambianensis, doctrina præclarus, & sanctitate conspicuus, & Pontificum decus; De quo memorabile sanè illud; quod cum Missam in Natalitio Domini celebraret, oblationes eorum, qui more mulierculatum intonsam comam gerebant noluit recipere, qui agnita Pontificis auctoritate, certatim cultris, & gladiis (forfices n. deerant) pilos sibi amputarunt, miseros se putantes, si propter comas, tanti Præsulis benedictione privarentur. *Ex Claud. Rob.* Ejus inscriptum sepulchro, dignum tanto Pontifice elogium.

Gloria Pontificum, Cleri decus, ac
Monachorum,
Forma, gregis Dux, exemplar morum
Godefridus
Hic jacet, astra petens octava luce
Novembris.

Innumerabilis hominum multitudo ad ordinem nostrum confluens, in nova Cistercensium Congregatione à fluctibus mundi in tutum recipitur. *Ex vita S. Bern.*

*A.C.* 1107. *S.P.N.* 627.

PErpetua Paschalis merita, hoc rursum anno plurimum aucta Trecensi in Galliis Concilio celebrato, de cujus Canonibus, & actis leg. Sever. Binius, Baronius. Mortuo Otthoni è Comite Fundensi, Cassinensi Monacho, & Abbati (successerat is B. Odorisio Marsorum Comiti, ex Abbate Sanct. Rom. Eccl. Cardinali) sufficitur S. Bruno, admirandus sanctitate, & doctrina Monachus, Berengarianæ Hæresis oppugnator gloriosissimus gemina Rom. Pontificis jussu legatione etiã ante indeptum Abbatiæ honorem, celebratus, quarum alteram ad Rogerium Apuliæ Comitem, alteram cũ Boamundo Antiochiæ Principe in Gallia obivit: ubi Apostolica auctoritate ac præcepto, Synodum etiam celebravit. Inde Italiam repetens, in itinere grassatorum insidiis circumventus, ita eos perterruit, emicante ex oculis, totoque vultu splendore, ut accidentes ad ejus genua, destinati facinoris, veniam demissè petierint, eumque insuper per infesta latrociniis loca, ne quid damni pateretur, officiosissimè deduxerint. *Ex Marco Ant. Scip. &c. Yepes, &c.*

Plurima toto orbe condita Cænobia, & consequenter, in immensum Monachorum, hoc inprimis sæculo perfectissimorum, auctus numerus. *Vid. Yepes Consc. Baron.*

*A.C.* 1108. *S.P.N.* 628.

NEmo satis, nec unũ quidem Paschalis Papæ præstitum orbi universo, & Ecclesiæ beneficium commemoret; quorum, ille copia etiam numerum omnem excessit: Hoc anno plures Tyrannos oppressit, & tumultuantium denuo Romanorum insolentiam compescuit iterumque Concilium Beneventi celebravit, quę singula singulis libris celebrari digna essent.

Anselmi Cantuariensis non minor industria, qui summa auctoritate hoc anno Concilio Londoniensi præfuit, in quo de investituris lis denique, annuente etiam Rege terminata. *Malmesbur. Bar. &c.*

*A.C.* 1109. *S.P.N.* 628.

OCcumbunt uno hoc eodemque anno illustrissima duo Orbis Sydera SS. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & Hugo Cluniacensis Abbas quorum sanctitatem Orbis universus, & posteritas omnis obstupescens admiratur. Hugoni suum Edinerum defuisse lamentatur Baronius, qui tanti Abbatis prodigiosè, & præclarè gesta, ut ille Anselmi, descripsisset. Anselmi supra omnia pro Ecclesia exãtlata, honor ex eo

præcipuus fluxit, quod Augustissimam illam Cælitum Reginam, Matrem Virginem, insolenti planè obsequio, & æterno elogio, posteritati omni commendarit primusque ejusdem Conceptionis annum memoriam, dignissimo concelebratam festo Orbi invexerit. In ejus brevibus opusculis, ait Demochares penè omnia firmus rationib9 demonstrari quæ Petrus Lombardus, Magister Sententiarum in quatuor plenis voluminibus, multis SS. Doctorum auctoritatibus postea confirmavit. *Baronius, Stengell. Ediner. VVion. Yep.* Nullo respectu tanti Principis S. Paschalis noster excomunicationem, & privationem Regni indicit Alphonso Aragonum Regi, ob incestuosum, cum Vraca, tertio gradu consanguinitatis juncta, conjugium. Contemnens uterque ulciscentem Deū experitur; Vraca morte subitanea per medium crepuit, Alphonsus à Sarracenis peremptus est. *Vid. Mariana, &c.*

*A.C.* 1110. *S.P.N.* 630.

INduxit hoc anno Henricum IV. Imp. Paschalis noster, ut investiturarum vindicato diu à multis Impp. & Regibus juri renunciaret, libertatemque Ecclesiarum, ac restitutionem, & conservationem jurium ac possessionem ad eas pertinentiū, concederet. Grande sanè meritum Pontificis, quantumvis concessionem suam impius Imperator denique rursum irritam vellet.

De ipsis etiam Christi incunabulis S. Pontifex meritissimus, locum Christi nativitate illustratum, Bethleem in Sedem Episcopalem erexit. *VVilh. Tyrio, &c.*

Virorum ex ordine illustrium plurimos hoc anno, & circa hæc tempora Yepes, & Trithemius nostri, comemorant. Requir.

*A.C.* 1111. *S.P.N.* 631.

ENitet admiranda hoc anno constantiâ S. Paschalis nostri Summi Pontificis, qui Henrico Cæs. pro coronatione Romam venienti, atque investituram reposcenti, pro auctoritate Pontifici egregiè restitit à quo proin captivus, cum Cardinalibus, & magna Clericorum ac civium multitudine, abductus est. Verum suadentibus quos secum habuerat, Cardinalibus, propositis captivorum calamitatibus, urbis periculis, & gravissimo quod Ecclesiæ universæ imminebat, Schismatis scandalo, juramento promisit, se Henricum de investitura minimè inquietaturum. Ita dimissus, ipsum Imperatorem coronavit, & ut videbimus, dein juramentum, utpote extortum, rescidit. *Ex Baron.*

Nunquam vero satis laudanda excelluit hoc anno magnanimitas S. Brunonis Cassinensis Abbatis, & Signini Episcopi, qui minimè veritus, cum ipso Paschale concertare cum Paschalis, non statim factum suum revocasset, ipsum omni ratione monendum, & quasi cogendum censuit ut Henrico Imp. quamprimum occurreret, & vim illius atque ambitionem execraretur. Acerbè tulit correptionem Episcopi Papa, & virum Sanctissimum Abbatia Cassinensi abire jussit, quem alii detulerant, multa in Pontificem moliri. Bruno in Episcopatu vitæ reliquum sanctissimè transegit, ab ipso Paschali commendatus: dignissimum illum esse, cui, se vita functo, Christianæ Reip. gubernacula traderentur. Ita egregii semper zelatores pro Domo Dei, ex Benedicto nostro Ordine floruere.

Absolvit sub hęc tempora B. Rupertus noster Leodiensis Monachus, dein Tuitiensis Abbas præclarum illud opus suum de Divinis Officiis. *Vid. Baron.* vita operibus ejusdem præfixa, &c.

Dignissimæ hoc loco ejusdem S. Brunonis nostri, Abbatis tunc Casinatis litteræ, intimi doloris testes, acrimoniæ, & querelarum plenæ, rei Christianæ ferventissimum studium, ut ait Scipio noster, & religiosi pectoris synceritatem, constantiam, & ab omni privato comodo alienissimā mentem præse ferentes, quibus minimè exhorruit, ipsummet Paschalem Pontificem serio commonefacere, etsi nescire non poterat, ægerrimè, ut post ipse expertus fuerat laturum. Audiamus.

*Paschali Summo Pontifici*

*Brunus peccator, Divi* Benedicti *servus.*

*Quod tanto Domino, & Patri.*

*Inimici mei dicunt tibi, quia te non diligo, & quia de te malè loquor: sed mentiuntur; Ego enim sic te diligo, sicut Patrem, & Dominum diligere debeo, & nullum alium, te vivente, Pontificem habere volo, sicut ego cum multis aliis tibi promisi. Audio tamen Salvatorē meū mihi dicentem: Qui amat Patrem, aut matrem plus quā me, non est me dignus. Vnde & Apostolus dicit: Si quis non diligit Dominū Iesum, sit anathema maranatha. Debeo igitur diligere te,*

*sed*

*sed plus debeo diligere illum, qui te fecit, & me. Huic enim tanto amori nihil unquam præferendum est. Fœdus autem illud tam fœdum, tam violentum, cum tanta proditione factum, tam omni pietate, & religioni contrarium, ego non laudo. At vero, neque tu, sicut pluribus referentibus audio. Quis enim illud laudare poterit, in quo fides violatur; Ecclesia libertatem amittit; Sacerdotium tollitur, unicum & singulare Ecclesiæ ostium clauditur, aliaque multa ostia aperiuntur, per quæ, quicunque intrat, fur est & latro? Habemus Canones, habemus Sanctorum Patrum Constitutiones, à temporibus Apostolorum usque ad te. Via regia incedendum est, neque ab ea in aliam partem declinandum, &c.* Tulit acerbius initio Pontifex, perspectaque tanti Abbatis constantia: *Si non accelero*, inquit, *tollere ei Abbatiam, futurum est, ut ipse suis argumentationibus, Romanum mihi tollat Pontificatũ.* Quare Brunoni per Epistolam mandavit, relicto Cassinati Magistratu, ad Signiensem se Ecclesiam referre.

*A. C.* 1112. *S. P. N.* 632.

PAschalis Papa ad curandum Ecclesiæ scandalum, ex eo quod promiserat superiore anno Henrico Cæsari, exortum; Concilium Generale in Basilica Lateranensi Romæ celebrat. In eo rescissum privilegium Cæsari datum, idemque excommunicatus à Patribus, ita ut Paschalis contra juramentum ipse non ageret.

Memoranda æternis sæculis Paschalis Sumi Pontif. in eodẽ Concilio humilitas, & pœnitentia ex eo, quod ipse non tã Cæsaris metu, quam Ecclesiæ amore, ne schismate scinderetur, ac consiliis suorũ faciens, tunc necessarium duxerat, quando admittebat; rejecta namque mitra, & manto semet Pontificatu abdicat, jussus mox à Concilio ipso Pontificalia insignia recipere. Ita charior nostris Sumo Pontificatu ima humilitas fuit, & pœnitentialis vita, Regum imperio potior visa. De eo sic Gotfridus Viterbiensis Notarius Imper.

Papa dolens lamenta dedit, totumque per orbem
Ecclesiam sua charta vocat properanter ad urbem
Hæc ubi cõcedit Cæsaris acta dedit.
Tunc ait: ô Patres, à Cæsare scripta notate
Et quodcunque placet super his decreta parate.
Me quoq; Pontificem non fore jussa date.
Peccatis mala vestra meis venisse notavi,
Officiis me destitui dignum reputavi
Me quoque deposui ne pereatis, ait
Hæc ait & Mitram rejicit, mantumq; relinquit,
Ordinet Ecclesia sine me, quidquid placet, inquit,
Moreque Pontificis judicet ipsa sibi, &c.

Claret admiranda sanctitate Sanctissimus Stephanus Abbas 3. Cisterciensis, cujus opera, summo, & æternæ Ecclesiæ bono, felicissima Cisterciensium Congregatio maxima sumens incrementa, de plenitudine sua universo mundo, imo cęlo ipsi comunicat. *Ex vita ejus.*

*A. C.* 1113. *S. P. N.* 633.

QVod initio libri dixeramus, omnes nostrorum sanguine purpuratas orbis provincias, de Palęsthina denique hoc etiam anno probandum. Et quidem plurimi jam eam sanguine suo infuderant, ut meritissimus ille Ecclesiæ Salisburgensis Archiepiscopus, ex Monacho Hirsaugiensi S. Thiemonoster horrendis ibidem paucos ante annos suppliciis excarnificatus, aliique. Hoc verò anno plurimi è nostris, omnes Cluniacensis Cænobii Monachi (colonia perinsigni in Palęstinã ducta) in Monasterio montis Thabor, ne solo transfigurato illic Domino Moyses, & Elias testes essent, Martyres ipsi, felicissimum illum montem, nova beatitate illustriorem reddiderunt. Tyrius. Hic insuper annus est; qui S. Bernardi conversione à sæculo ad Cistercienses Ecclesiæ Dei extitit memorabilis (ita Baronius) cũ ipse doctrina, vitæ exemplo Sanctorum fœcunda sobole magnopere Ecclesiam illustraret. *Vid. Chrys. Henriq. VVilhel. Abb. S. Theodor. &c.*

*A. C.* 1114. *S. P. N.* 634.

ADmiranda constantia in Henricianam Hæresim depugnat Cono sive Chuno Comes Vracensis, Congregationis Arosianæ nostræ Monachus S. R. E. Card. qui hoc anno Paschalis Pontificis Legatus ad Gallos, in Vrbe Bellovacensi Concilium celebrat, & nihil reveritus, insanientem ferocia Principem Henricum Imper. excomunicat, & excommunicatum proclamat. *Vid. Baron. Iuo. vita Godefred. Amb.*

Celebrat, & Paschalis ipse Ceperani Concilium, *de quo leg. Pet. Diac. Binius. &c.*

*A. C.* 1115. *S. P. N.* 635.

IMplet orbem fama B. Guido Guilielmi Burgundię Comitis filius Monach9 Fallerensis, ex Monacho Archiepiscopus Viennensis, quem Petrus Venerabilis vocat; *verbo & opere Patriarcham Viennensem,* item; *Regii sanguinis nobilitate insignem, sed moribus, probitate, ac liberalis animi magnificentia longè insigniorem.* Et Sugerius in Ludovico Grosso, *Imperialis, & Regiæ celsitudinis derivativa consanguinitate generosum, sed multo generosiorem moribus, & qui terrenæ nobilitatis celsitudine præcellit, sed cælestiũ nitore charismatum pulchrius elucescit, &c.* De eodem plura viri hujus temporis sanctissimi, & doctissimi; unde liceat ejus virtutem æstimare. Eodem anno Paschalis Papa Concilium Trojæ habuit, & res Catholicorum magis magisq; invaluere. *Bar. &c.*

*A. C.* 1116. *S. P. N.* 636.

ALiud Generale Concilium Romę in Basilica Lateranẽsi convocat Paschalis, cujus memoratu dignissima vide apud Baron. t. 12. Innumeri ex Ordine Sancti, & Ecclesiarum Antistites celebrantur. Inter alios decantatissimus multorum voce & scriptis Raynaldus Archiepiscopus Lugdunensis ex Abbate Vigiliacensi, cujus industria Ecclesia illa opibus egregie aucta: De quo sepulchralis inscriptio loquitur:

Vigiliacensis prius Abbas, post Patriarcha
Lugduni fulsit, factus, honoris honor.
Prædia thesauri, fastigia celsa loquuntur,
Quo studio primo præfuit ille loco.
Lugdunensis apex junxisset cornua cælo,
Ni celer occasus subripuisset eum, &c.

De aliis hujus temporis viris illustribus videatur hoc anno Anton. de Yepes, &c.

*A. C.* 1117. *S. P. N.* 637.

ORigo Congregationis nostræ Fontis Ebraldi, qui ad honorem personæ Beatissimæ Virginis Matris Abbatissa, tã viris nimirum quam fœminis præerat. Ej9 brevi tempore ij successus fuere, ut quinquaginta post ortum Cænobii Ebraldini annis, ad quatuor ferè aut quinque milliũ ejus loci sanctimonialium numerus excrevit. *Ita Sugerius Abb. Yepes, &c.*

Loco, dum scriberet Iepesius, non sine opinione sanctitatis præfuit Eleonora de Borbonio amita Henrici Magni Regis Christianissimi Francorum, & Navarræ, quæ in Cænobio eodem ducentas, præter Religiosos, DEO dicatas Moniales ad omnem Religionem suo exemplo ducebat. *Vid. Baron.*

Eodem anno, qualiter S. Benno noster Misnensis Episcopus etiam post mortem (deçeñio ab hinc obierat) miraculis contra Schismaticos, & adversus ipsum Imperatorem Henricum depugnaverit, eoque terrore Henricus concussus absolutionem quæsierit, nec impetraverit, consule eundem Baronium hoc anno.

Iterum Paschalis, suo & nostrorum more, quod nihil Ecclesiæ utilius esse depræhenderet, Concilium in Apulia celebrat. *Vid. idem, &c.*

*A. C.* 1118. *S. P. N.* 638.

MOritur S. Paschalis noster Summus Ecclesiæ Pontifex, sanctitate, patientia, constantia, meritis immortalis. De eo sic Hieronim. Platus: *Paschalis II. Cassinensis antea Monachus* (fuisse Cassinensem aliquando, dein ad SS. Laurentij & Stephani Abbatiam Cluniacensium congregationis evocatũ, minimè repugnant) *ipse quidem, nolens ac gemens* (eligitur) *sed tanto populi & Cleri, Cardinaliumque consensu, ut resistere non potuerit; Hic annis decem & octo Ecclesiæ præfuit, eaque in magna temporum varietate, in qua semper ejus fortitudo eluxit, cum schisma quod multos jam annos Principum quorundam perfidia Christi gregẽ miserè lacerarat, ipse tandem tum prudentia, tum etiam felicitate quadam profligarit, omninoque sustulerit; deinde Ecclesiasticam ditionẽ à multis discerptam restituerit, & amplificarit; denique cum multis alias seditiones; multa Christianorum Principum, rerumque publicarum dissidia composuisset, tantam apud omnes sui caritatem excitavit, ut Romam rediens, ob ipsam multitudinem hominum obviã prodeuntium in morbũ incidisse credatur, quo etiam extinctus est.* Hæc Platus, &c.

Successit Ioannes patria, & familia Cajetanus S.R.E. Cardin. & Monacho Cassinensi sumo omnium consensu electus, & Gelasius eo nomine II. appellatus, qui prima statim electionis die sanguine suo Pontificatũ initiavit, à Cincio Frangipane pugnis, & calcibus percussus, & tanquam brutũ animal intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentatus, per capillos & brachia tractus, & captivus ad domũ nefarii Principis deductus. Quem tamen mox cives in libertatem vendicarunt, cum vix

ereptus

ereptus ab Imperatore pari scelere appetitur, & vix in patriam Cajetam evadit. Romam reversus, iterum Frangipaniorum manus vix effugit, & in Galliam se denique recipit. *Vid.Baron.&c.*

Instituit hoc eodem anno Gelasius primum post captam Cæsar-Augustam, ejus loci Episcopum, peccatorum absolutione concessa iis, qui Ecclesiæ Beatissimæ Virginis ibidem, vulgo S. Maria de Pilari reædificandæ, seu Clericis alendis aliquid contribuerent. *Hieron.Blanca,&c.*

Ordo Templariorum sub SS. Regula nostra institutus, plurimum hoc seculo Ecclesiæ ornamenti, & utilitatis contulit: ac tantum ut nemo satis queat verbis exprimere. *Vid. Quil.Tyrius, &c.*

Moritur Alexius Constantinop. Imp. qui quod fuerit Catholicus, & Ecclesiæ Rom. cōmunione conjunctus, vel illud satis demonstrare ait Baronius; quod legationibus ac donis frequentasse reperiatur Cassinense Cænobium, ipsamq; etiam Romanam Ecclesiam. Vnde intelligas quid Humbertus ille noster Sedis Apostolicæ Legatus, ipsique Pontifices nostri effecerint, qualiterque in acceptis etiam toto remoti Oriente Principes, & Impp. Sanctissimo Patriarchæ nostro Benedicto, felicitatem suam retulerint, atq; animi salutem, filiorum ipsius adjuti charitate, quod & in Calo-Ioanne Alexii successore manifestius patuit, ad quem uti, & Patriarcham Constantinopolitanum Petrus Abbas Cluniacensis statim post aditum Imperium litteras pro Cluniacensium, quod erat Constantinopoli, Cænobii restitutione dedit. Imo Ioannes ipse Confrater, & comparticeps, omnium spiritualium beneficiorum Congregationis Cluniacensis fuit. Maximis toto Orbe Principibus, Monachis fratrum titulo accenseri exambientibus. *Vid. Petrus Ven. in Epist.Baron.Bisc.Leo Ost. &c.*

*A.C.* 1119. *S.P.N.* 639.

MOritur Sanctissimus Pontifex noster Gelasius Cassinensis Monachus celebrato Viennensi in Galliis Concilio, eoque absoluto, in Cluniacense Sanctissimū Cænobium delatus, provido ibidem mentis intuitu rebus Ecclesiæ consulens, felix quod apud suos, Sanctos nimirum inter Monachos, nec suis Cassinensibus impares, moreretur, in eodem Cluniacensi Cænobio conditus. Eum Hieron. Platus ab sanctitate, continentia, doctrina insigni, ac dicendi quoque elegantia, quæ iis temporibus penè pro miraculo fuit, egregiè cōmendat: longè vero illustriori Encomio Baronius celebrat. *Post Martyres, qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit qui breviori vitæ tempore, majora sit passus, ob idque præclariori corona donandus atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus.* Hæc Baron.

Electus à Patribus Guido Archiepiscopus Viennensis, Cluniacensis primum Monachus, Falleritanus dein ante Archipræsulis honorem, Abbas Regio genere ortus, longo tempore sub Paschali legatione Apostolica adversus Schismaticos strenuè functus, quem Magnum tempore Schismatis fuisse Catholicæ Ecclesiæ propugnaculum, Baronius asseverat. Is absens quidem electus, electionem sui per visum præcognovit; cum vidisset nimirū proxima electioni nocte, sibi à præpotente persona Lunam sub chlamyde repositā cōmitti, ne causa Ecclesiæ transitu Apostolici periclitaretur. Ita Sugerius additque Baronius: *quod magis magisq; perspicuum reddiderunt eventa, siquidem diuturnū bellum ob investituras conflatum diu multumque Ecclesiam fatigans ac lacerans cedente tandem Imperatore, ab eodem Callisto Papa* (sic relicto Guidonis nomine salutatus est) *felicissime compressum est.* Nihilominus adveniens ipse post obitum Gelasij Cluniacum, & rursum canonicè electus, rejecit tamen, quantum valuit, tantum onus, donec victus aliorum precibus, & unanimi omnium consensu, invitus admodum illud suscepit, cujus electio, mox Romæ quoque ab universo Clero ac populo est confirmata. *Vid. Baron. Sugerius, Bisciola, Pandulphus, Vrsperg. &c.* Primum statim Callisti meritum fuit: indictum Rhemense Concilium, hoc ipso anno congregatū, in quo, cum investituris renunciare Imperator nollet, excōmunicatus est.

*A.C.* 1120. *S.P.N.* 640.

DEbet Viennensis Galliæ celeberrima Ecclesia, cui ante sumum Pontificatum præerat Callistus Papa, eidem hoc anno acceptam Primatus dignitatem super septem amplissimas provincias, Viennensem, Bituricensem, Burdegalensem, Auxitanam, Narbonensem, Aquensem, & Ebrodunensem in quibus Archiepiscopus Viennensis Romani

Pontificis vices ageret, Synodales conventus celebraret, & negotia Ecclesiastica, canonicè definiret. *Vid. Pet. Diac. Pandulph. Baron. &c.* Exin Pontifex in Vrbem profectus ibidem sum̃a omnium gratulatione exceptus est. Burdino Antipontifice illico ad Sutrinam munitionem se recipiente. Paulo post eundem ut inde quoque expelleret Callistus Beneventum se contulit, ut Northmannos ad expugnationem Sutrini exhortaretur. Beneventi eum Regis Galliarum nomine Legatus convenit Sugerius Abbas noster. *De quo leg. Baron.*

*A. C.* 1121. *S. P. N.* 641.

CAstillus Papa tyrannidem Burdini porro ferre non valens, qui ex munitione Sutrina persequi Ecclesiam, peregrinos prædari, & alia nefanda perpetrare non desistebat, collecto Romanorum, & Northmannorum exercitu eundem obsedit cæpitque. Nec minus Cincium Frangipanem edomuit, attrivitque alios qui contra Ecclesiam arma sumpserant. Quibus fractus, & exterritus Imp. Henricus firmissimam tandem servare pacem promisit. Vt annum hunc plenissimum meritis neglectis aliis finiamus. *Vid. Bar.*

*A. C.* 1122. *S. P. N.* 642.

COncilium generale à Callisto Romæ celebratur, imprimis pro restitutione Ecclesiasticæ disciplinæ, diuturnis schismaticorum factionibus agitatæ, in quo Canones 17. condidit, maxima ex parte in Decretum à Gratiano nostro relatos, ut hodieque eis omnis posteritas fruatur, remissionem insuper peccatorum ad sacrum bellum proficiscentibus concessit, aliaq; statuit, de quibus fusè Binius & Baron. Legatos denique in Germaniam direxit, ac Concilium denuo Wormatiam edixit, in quo denique cor Imperatoris emollitum, ipseq; investituris, ac electionibus Episcoporum, renuncians, Summo Pontifici, Ecclesiæ, aliisq; ablata hactenus bona restituit. *Sicque cunctis prospere compositis* (ex Bisciola & Baronio) *plenissimaq; tandem ingenti omnium gaudio restituta Ecclesiæ pace ipse Imperator Legatos proprios cum Legatis Apostolicæ sedis Romam ad Callistum cum muneribus direxit* Ex vit. &c.

Alphonsus Lusitaniæ Princeps memorabili Victoria potitur contra Albacazan Maurorum Regem, ducto secum ad prælium B. Aldeberto Priore Monasterij S. Ioannis de Tarouca, viro sanctissimo, quo orante & instar Moysis manus levante; pauci de ingenti montesque ac valles oplente atque operiente hostium exercitu prodigiosè triumpharunt. Quod ipsum litteris ad perpetuam rei memoriã consignans felicissimus Princeps, amplas eidẽ Cænobio possessiones contulit, & acceptum tantum beneficium largitate & pia agnitione compensavit. *Videantur ejus litteræ apud Angel. Manrique.*

Ingens ad sacram familiam nostram Cisterciensem concursus, iis quibus Monachos esse non dabatur, ipso etiam Galliarum Rege Ludovico, Cardinalibus aliisq; Prælatis ac principibus, inter familiares & Confratres recipi suppliciter expetentibus, & certis conditionibus receptis, memorabili omnino fructu, cum ab iisdem in quorum consortium recipiebant, siquid ipsi etiam Reges exerrarent, magna Spiritus libertate, tanquam jure confraternitatis corriperentur. Sicut & nunc memoratus Ludovicus, ad quem his ipsis verbis Abbas Cistercii Stephanus: *Eximio Regi Francorum Ludovico, Stephanus Abb. Cister. tutusque Conventus Abbatum, & fratrum, &c. salutem, &c. Rex cæli & terræ Regnum vobis in terra donavit, &c. Cæterum vos, quonam consilio, eisdem nostris pro vobis, quas, si recolitis, olim tam humiliter requisistis, modo tam acriter repugnatis &c. Hæc ita vobis & pro vobis, audacter quidem, sed amanter intimare curavimus, monentes, & rogantes, per illum invicem amicitiam nostram & Fraternitatem, cui vos dignanter sociastis, &c.* Ecce quam Venerabilis Religio, in verè Religiosis? cum pauperes Principibus, Monachos & pannosos homines Regibus æquaret; imo Regibus suspiciendos & metuendos redderet, tantoq; majores in oculis apparerent alienis, quanto in suis, sibimetipsis minores & viliores apparebant.

*A. C.* 1123. *S. P. N.* 643.

INgens agnoscat oportet Compostella, Hispania ipsa, imo Orbis universus beneficium, quo cælum etiam ipsum, & Magnum cælitem Iacobum Apostolum demeruit Callistus noster, Compostellana Ecclesia, in Metropolitanam exaltata, & sanctissimi illius Apostoli honorem, sum̃o Hispaniarũ ornamento, orbis universi & pœnitentium com̃odo, mirificè promovens: adeo ut S. Iacobi vitam (cujus erat studiosissimus) seu potius librum Miraculorum ipse conscriberet, & amplissimis, sic vocant Indulgentiis eo peregrinantes donaret, Anglos peregrinos magis

magis ad dictum Sanctum, quam Romam pergere admoneret. *Baron Malmesbur.*

Ingens eodem anno de Sarracenis Victoria reportata, Callisti & Antecessorum, qui eo misere exercitum, felicitati post Deum adscribenda *Baron.*

Dum totus in promovenda sacra Carthusiensium familia est S. Hugo noster Gratianopolitanus Episcopus, Mellifluus Doctor non minus ad eamdem affectus, eam mirifice colit ac veneratur, atque ut etiam demereretur, plures ad Carthusianos scribit melle ac lacte fluentes Epistolas, in quorum postea gratiam Cantica Canticorum explanavit. Hugonem vero nostrum alterum eorum conditorem, ipsummet contueri ac venerari volens, quanto exceptus sit gaudio, Godefridum Clarævallensem synchronum & sanctæ fidei testem audiamus: *Quem prædictus Episcopus, tam gratanter & reverenter suscepit, divinam intelligens in ejusdem hospitis visitatione præsentiam, ut prostratus solotenus adoraret. Videns autem servus Christi, Episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, coram se procidentem, vehementer expavit, ipse quoque pariter corruens ante eum; & ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam, non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum, & anima una, & se invicem fruerentur in Christo. Sicut enim Regina Sabba de Salamone testatur: uterque se se in altero longè amplius, quam fama vulgasset invenisse gratulabatur, &c.* Ex quo intelligas, quanti æstimandi sint illi, & quantum Ecclesiæ profuisse, qui Divinis illustrati splendoribus, cum tantus uterque esset, tantum se quisque contuitu alterius demisit atq; humiliavit.

*A.C.* 1124. *S.P.N.* 644.

ILlustrissimum sane orbi & Imperio maximè Germanico spectaculum exhibet, potentissimus ille, si quis unquam Germaniæ Principum Henricus, Bavariæ, Saxoniæ inferioris, Hetruriæ Spoleti, &c. Magnus Dux, Princeps Sardiniæ, Marchio Veronensis, &c. fama, virtute, & potentia tantus ut uni filio (de cujus ditionibus B. Ottho Frisingensis, qui comes ejusdem & agnatus omnia ipse perspexerat) terrarum ea spatia relinqueret ut à mari Meridionali Siculo ad usque mare Danicum æquinoctiale, dominaretur, destructo & reædificato Cænobio Weingartensi, vili ibidem cucullo, tanta permutans, & senectam in Dei deniq; laudibus impigrè transigens. Mariti consilium propositumq; sequuta conjux Wulphildis Saxonum Ducissa, inferioris Saxoniæ hæres, ibidem cucullata (additum eisdem olim redditibus Sanctimonialium Cœnobium) ad mortem usq; vitam dignissimâ vixit. Quo eodem tempore memorabile illud accidit, ut in ipso eodemq; Weingartensi Asceterio, cui tum post B. Walichonem (qui B. VVilhelmo Hirsaugiensi, ejus olim, discipulus, per omnia simillimus fuisse prædicatur) Chuno Comes de Thann, & Dapifer de VValdpurg præerat, septem ejusdem familiæ Dapiferi Monachi, præter plurimos alios ex illustrissimis Germaniæ procerum familiis simul Monachi conviverent, interque eos Chuno & Henricus Abbatis memorati nepotes, non absq; sanctitatis opinione decederent. Ita tunc Magnates Germaniæ cucullum prę omni hæreditate exambiebant. *Ex Const. Ben. MS. VVeingart. &c.*

Claret S. Ottho Bambergensis Episcopus Pomeranorum Apostolus, quos sub hæc tempora ad fidem Christianam convertit. Ottho in nostra potestate quamvis Pontifex esset semper fuit, conatus rejecto etiam lituo, & tiara, cucullo se tegere, & nostris se legibus mancipare, quod cũ prohiberetur, bono id publico factum, votum ac voluntatem viri sanctissimi, minimè irritum fecit; quem Deus pro voluntate nostris accensuit, inter nostros merito nos æternum veneramur. *Ex Ireng. vita &c.*

Ad finem vergente anno moritur S. Callistus Papa de quo Bisciola, & Baronius: Callisti memoria summa cum benedictione in Ecclesia Catholica perseverat, utpote sanctissimi Pontificis, cui Deus dederit tam brevi tempore adeo gloriosa peragere, *Ecclesiamque Imperatorum Tyrannide servitutis jugo depressam vindicare in perpetuam libertatem.* Vid. Baron. &c.

Ipso anno Ecclesia Hibernica florentissima olim, sed postea penitus desolata restituitur per S. Malachiam nostrum Conneretensem Archiepiscopũ, *lęg. cit.*

Iterum demereri Præmonstratensem sanctissimam Divi Norberti familiã novo beneficio aggressus lactifluus Doctor noster, cum maximos ab eadem in Ecclesia fructus speraret, atq; ut erat illuminatissimus, prævideret, sacros ejusdem alumnos, non in occidente solum sed & in

oriente promotos voluit, cum Rex Hierosolymorum Balduinus, post obtentam prodigiosam victoriam, eidem locum S. Samuelis haud longe ab Ierosolyma, simulque mille aureos struendo illic Cœnobio dono daret, ipse regium munus qua par erat grata significatione animi suscipiens, mox tamen gratissimo sibi Ordini offerens, de quo ipse Epistola 252. *Apud Hierosolymam*, inquit, *Rex Balduinus, dum adhuc viveret, locum S. Samuelis donavit nobis, & mille aureos simul, de quibus ædificaretur: Vos dono nostro, & locum habetis, & aureos hausistis, &c.* Novo rursum nexu, tot aliis accedente candidissimæ illius familiæ, familiarius, & sanctius nostris illigandæ.

*A.C.* 1125. *S.P.N.* 645.

MOritur S. Bruno noster Signiensis Pontifex ex Abbate Cassinensi cujus sive admirabilem vitæ innocentiã, sive impensum juvandis hominibus studium, ac laborem, sive religiosæ vitæ flagrantissimum studiũ, exactissimamq; disciplinã, sive gestas pro Ecclesia legationes, sive libros pie luculenterq; conscriptos perpendas, Brunonem virum planè admirabilẽ affirmaveris, & cuivis Reip. Christianæ Ordini, si quem alium, maximè salutarem. *Et M. Ant. Scip. &c.*

Claret admiranda sanctitate, terror inferorum, mundi gloria Sanctissimus Bernardus Monachus Cisterciensis. *Ex vita.*

Insigniter de Regno Portugalliæ merentur Beati Ioannes Cyrita, & Aldebertus Abbates nostri, qui Tarasiam Reginã, Alfonsi Principis matrem desperatam à medicis prodigiose curant & incolumitati restituunt. *Ber. Brito, Ang. Manriq. &c.*

Quo ipso anno Alphonsus Portugalliæ Princeps, primus postea Rex, Quadragesimam, apud Cistercienses nostros Taroucæ totam exegit: *Ibi inter Monachos*, (sic Lusitanus scriptor Brito memoriæ prodidit) *tanquam unus ex eis degens, vitam communem imitatus est. In Choro psallens, in Ecclesia orans, in triclinio jejunans, in agro etiam laborans manibus propriis.* Sic cui sceptrum Deus præparabat, ut Manrique ait, imposuisse ligonem pro eo nequaquam veritus, stema regium, aut meruit, aut prævenit.

*A.C.* 1126. *S.P.N.* 646.

CReatur ab Honorio Pontifice S.R.E. Cardinalis B. Mattheus Cluniacensis Monachus, cujus vitam planè admirandã Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis scripsit, ipse vero virtutem, prudentiam, ac dexteritatem in agendis deinceps legationibus pro Sede Apostolica susceptis omni orbi, & posteritati egregie comendavit. *Baron. Bisciol.*

Eodem tempore egregiam sibi laudẽ, Ecclesiæ utilitatem, parit, felicissimo suo ingenio, sed & insigni ob sanctitatis famã auctoritate idem Petrus venerabilis, Petri de Bruis impij Hæresiarchę erroribus execrandis explosis, & confutatis, ac Petrobussianorum Hæresi obtrita, *vid. Bisc. Baron.* Moritur S. Stephanus noster, Grandimontensis Ordinis institutor, ex quo ingens ad Ecclesiam lucrum accessit, & mirificè pietas propagata. *Ex vita.*

*A.C.* 1127. *S.P.N.* 647.

INsigni sua atque Ordinis nostri comendatione præest Concilio Trecensi B. Matthæus noster Cluniacensis Monachus S.R.E. Cardinalis, sedis Apostolicæ legatus, qui minimè ignarus quanti faciendus Bernardus Clarævallensis ejusque judicium esset, eundem quantumvis renitentem Concilio adesse voluit, & de forma vivendi Templariis præscribenda requisivit. *Ex Baron.*

Ipso anno Tyro nobili in oriente civitate ab infidelibus recepta primus è nostris, ejus creatur Archiepiscopus Wilhelmus, ex Priore S. Sepulchi Guil. Tyr. Ita rursus Archiepiscopus dignissimus à nostris originem meruit, &c.

Procul ab adulatione Divus Bernardus noster, dum hoc anno apud Ludovicum Regem Galliarum minus Episcopos reverentem, monitis nil proficit, etiam minis agit; iramque cælestem ipsi iminere prænunciat, diserteq; supplicii genus, & primogeniti mortem prædicit: *Hæc*, inquit, *tua Rex pertinacia, filii interitu mulctabitur.* Qui quam verus extiterit Propheta morte hæredis, eaq; infelici satis, & miseranda comprobatum est. *Paulus AEmil. Rob. Caquinus.*

*A.C.* 1128. *S.P.N.* 648.

ITerum insigni honore è nostris sublimatur, Stephanus S. Ioannis Carnotensis Abbas, hoc anno Patriarcha Hierosolymitanus, comuni Cleri ac populi universi consensu electus. Io. Balduini Regis affinis, sicut nobilitate ita moribus præstans, nec sanguinem, neq; majestatem Regiam aspexit seu pertimuit, quin adversus

versus Regem pro juribus Ecclesiæ Hierosolymitanę strenuè ageret & se opponeret, nondum completo biennio, veneno ut creditur extinctus. Ita nostrorum cum sumo honore, constantia etiam in Palęstina, visa est & laudata. *Ex Tyrio,&c.* Quantum speraret nostrorum sanctorũ in suffragiis, dignissimo hoc ipso tempore exemplo ostendit Boleslaus Polonię Dux longissimo itinere, cilicio indutus, comitante exiguo presbyterorum, aliorumq; piorum virorum numero pedes veniens in Galliam, S. Ægydii nostri sepulchrum visitaturus. *Geneb.Gault.&c.*

Quanta hoc anno Divi Bernardi nostri in Concilio Trecensi esset Auctoritas his verbis, Manrique celebrat: *Hæc, & similia* (res illic gestas comemorat) *In Concilio Trecensi acta firmataque licet cunctorum suffragiis decernerentur; soli tamen Bernardo imputabantur. Quippe tanta jam viri erat auctoritas, ut omnium Patrum vota, & voluntates, in ejus unius zelum compromisisse, nec quidquam se facturos, nisi per ipsum, firmiter statuisse judicarentur &c.* Quo ipso Concilio solus ille delectus est, legibus Templariorum Ordini præscribendis, quæ deinceps Teutonico quoque Ordini cum Templariis comunes extitere. *Ang. Manriq.&c.*

A.C. 1129. S.P.N. 649.

RVrsum Legatus in Gallias destinatus B. Matthæus noster S.R.E. Card. ibidem Virdunensem Episcopum honore dejicit: Halberstadensem Episcopum à Canonicis suis accusatum pari rigore depositum Dodechinus noster memorat. *Baron.&c.*

Claret admiranda nominis celebritate B. Rupertus Tuitiensis Abbas, *cujus doctrinæ excellentiam, non solum multa volumina ab eo scripta indicant, sed etiam miraculum quo eam doctrinam accepit* (verba sunt Hieron. Plati) *Nam cum ingenio tardior esset, instaretque precibus apud Virginem Dei Matrem ut sibi à filio scripturarum intelligentiam impetraret, apparuit illi Mater illa gratiæ, denuncians ejus preces ab se auditas tantumque ei lumen impertitum iri, ut nullus ejus ætatis doctrina ei æquari posset: tantum videret ne id talentum in terra aefoderet, sed strenue exerceret; quod quidem ab illo perfectum constat, nunquam enim deinceps à legendo, & scribendo cessavit,* ita Platus. Ejus omnia opera divina (sic appellat Wionius) quibus Sacrosanctam Christi Ecclesiam ultra omnem humanum modum juvisse fertur, excusa sunt Coloniæ tribus tomis vid. Wion. citat.

A.C. 1130. S.P.N. 650.

OBiit Honorius Papa in nostro S. Andreæ Cænobio Romæ, cui sufficitur Innocentius II. noster, Gregorius ante vocatus, ex Abbate SS. Nicolai & Primitivi S.R.E. Cardinalis ab Vrbano II. creatus, contra quem à nonnullis electus Petrus Leonis, dictus Anacletus II. qui graves in Ecclesia turbas excitavit, defendente tandem Deo ipso causam Iñocentii, fortiterque agente pro eodem, Sanctissimo Bernardo nostro Claręvallensi.

Is cum Concilio Stampensi, quo de legitima sive Innocentii sive Anacleti actũ electione, ascitus à Rege Galliarum, nec non cælesti præcedente visione monitus interesset, in ejus iterum sententiam (ut non ita pridem de Trecensi dictum) Patres compromittunt. De quo Bernardus Bonævallis Abbas: *Celebrato prius jejunio,* inquit, *& precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo* (Electionis) *tractaturi, Rex, & Episcopi cum Principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei, Dei famulo* (Bernardo) *imponeretur, & ex ejus ore tota causa penderet,&c.* De agnito autem Innocentio, & legitimo pastore per Bernardum commendato, sic Theobaldus Episcopus: *Qui* (Bernardus) *diligenter persequutus electorum merita, & electi utriusque vitam, & famam, electionisq; ordinem, aperuit os suum, & Spiritus Patris sui implevit illud. Vnus ergo omnium ore loquutus, suscipiendum ab omnibus Innocentium nominavit, & ratum esse omnis pariter Ecclesia congregata, clamavit &c.* Ita Theobaldus. Moxque Ludovicus Rex primum per nuncios, fugienti Anacleti potentiam Innocentio, dein per seipsum occurrit. Vt videas quantum rursum uni Monacho delatum sit, quantumque debeatur.

Qua eadem felicitate, nec minore merito alterum quoq; Regem Regnumque à schismatico retrahens Anacleto, ad verum pastorem adjunxit, Henricum scilicet Angliæ Regem pertinacius schismaticis faventem, quem ipsum conveniens, gravissimisque rationibus convincens, cunctantem nihilominus, & dubitantem: *Quid times?* alloquitur Bernardus; *Times peccatum incurrere, si obedias Innocentio? Cogita, quomodo de aliis peccatis tuis respondeas Deo: istud mihi relinque, in me sit hoc peccatũ. Ad quod verbum persuasus Rex ille tam potens, extra terram suam Domino Papæ occurrit usq; Carno-*

*Carnotum, &c.* Ita sanctus scriptor Abbas Bonævall. cit.

Nec minus quam Bernardus potuit auctoritate sua Aniciensi in Synodo Sanctus Hugo noster Gratianopolitanus Episcopus, ad quem Innocentio se inclinantem, Pontifices quamprimum universi respicientes, legitimo Pastori se submisere. Quæ grandia sanè nostrorum merita nemo satis, & miretur, & deprædicet. *Ex Guigone Carth. Ang. Manriq. &c.*

*A. C.* 1131. *S. P. N.* 651.

INsigne omnino, quod hoc anno, Bernardo texit Elogium Angelus Manrique, & merito inserendum. Vt sol stellas, inquit, sic Bernardus Oriens, reliquos Sanctos obscurare visus est, ab ipsis etiam conversionis suæ initiis. Nunc cælum scandens, & humeris sustentans solem Christiani orbis, Innocentium nimirum Christi Vicarium. Solus ferè replet Historiam suorum temporum: nec Cistercienſem modo, sed Ecclesiasticam. Non quod Stephani, quantumvis jam fatiscente ætate prægravaretur, non quod Hugonis, Ioannis, utriusque Petri, atq; Amedei (hi inter Cistercienses nostros præ tot aliis clarius nunc exsplendescebant) gesta deficerent: non denique aliorum, quoscunque Annales illustratura, sed quod absorpta à majore claritate, lucem comprimerent potius, quam non haberent, &c. Ante, & post Bernardum radiantem, splenduerunt alii: ipso splendente lumen contraxere. Hinc est quod anno proximo, nihil aliud, hinc quod hoc ipso 1131. præter Bernardum, vix quidquam scribemus. Hucusq; de Bernardo Manrique; moxque eundem describit, cum Innocentio Leodium ad electum Romanorũ Imper. Lotharium occurrentem. Oportune admodum, cum pessimo Aulicorũ Consilio Lotharius, ab exule, suæq; nunc vel maximè indigente opis, Pontifice, Investituras Ecclesiæ olim usurpatas, nuper à Calixto nostro vendicatas, rursum extorquere satageret, Bernardo in re maximè ardua, Regi potentissimo, quam constantissimè se opponente, & auctoritate sua ejus animum evincente. De quo Bernardus Bonævallensis: *Siquidem importunè ipse Rex institit, tempus habere se reputans opportunum, Episcoporum sibi restitui Investituras, quas ab ejus prædecessore Imperatore Henrico, per maximos quidem labores, & multa pericula, Romana Ecclesia vendicaverat. Ad quod verbum expavere, & expallnere Romani, gravius se se apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quam declinaverint Romæ. Neque consilium suppetebat, donec murum se opposuit Abbas Sanctus.* (Bernardus) *Audacter enim resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit, &c.* Vt videas quantum apud tertium jam Regem, imo Regum Regem nempe Cęsarem, unus hic monachus potuerit, quantumq; demeruerit Roman. Pontif. & Ecclesiam Christi universam.

Quo quidem in negotio conciliati Innocentio Lotharij, cum longè aliter scripsisse Petrum Diaconum constet: Restituisse nimirum Lothario Investituras, ne hic scilicet Anacleto adhæreret, non propterea meruit mendacissimus à Baronio appellari, cui sufficiebat, falsum, & deceptum, fama id passim vulgante, potius excusari; cum multi viri etiam sancti potuerint in veneratione Anacleti decipi, quod & magno huic viro contigit, ab Anacleto inter Cardinales accenso, & Innocentii, quem subreptitiè electum putabat, proculdubio facta omnia, & celerem in Gallias fugam suspecta habenti, quæq; de illo spargebantur, firmiter credenti, adeoque prout senserat, non contra mentem, scribenti sive sentienti, ne nimirum plurima sanctè atque utiliter scripta, optimè meriti de omni posteritate viri, suspecta atque inutilia, adeo temere redderentur.

Eodem anno salutem in ordine nostro quæsiit atq; indubiè rara animi demissione meruit Balduinus Hierosolymorum Rex, de quo Bisciola: Balduinus Rex Christi verus confessor, post liberatam à Turcis irruentibus Antiochiam, ægritudine affectus, habitum religionis assumẽs, & vitam Regularem professus si viveret, Deo feliciter spiritum reddidit, &c. Addiq; quo etiam anno moriturus Stephanꝰ Rex Vngariæ, in signum pœnitentiæ, & ipse Monasticum induit habitum &c. *Videndi Yepes, VVion. Bonfinius, Bokscharii, &c.*

*A. C.* 1132. *S. P. N.* 652.

INnocentius noster summus Pontifex de Regno Galliæ meritissimus, cum illud lustrans, & reformans, ab omnibus sũma veneratione exceptus esset, Noviomensibus, qui ipsum verbis derisoriis contempsissent, prodigioso incendio punitis, Romam iter instituit, ex itinere verò apud Astam pascha celebrans, partium illarum Episcoporum synodum Placentiæ indixit, in Roncaliis dein cum Lothario

thario Rege generale colloquium de statu Ecclesiæ, atque Imperio habuit, Pisanum dein cum Ianuensibus bellum composuit. Adeoq; insigniter ubique meruit. *Leg. Baron. &c.*

*A. C. 1133.* *S. P. N. 653.*

HOc anno Lotharius Germaniæ Rex, ab Innocentio nostro Romæ coronatur. Vid. Otth. Frising. Vita S. Bernar. Baron. &c. Implet Gallias, imò orbem universum fama, egregiis de S. R. Eccles. meritis B. Hildebertus noster ex Monacho Cluniacensi Turonensis Archiepiscopus. *Eum appellat sacerdotem magnum, & magnam Ecclesiæ columnam* S. Bernardus Abbas Epist. 123. & 124. Quem pluribus alii commendant, & sua inprimis relicta ingenii monimenta, æternum posteritati deprædicant. Scripsit inter alia expositionem super SS. Missę officio lib. 1. de suo exilio l. 1. Epistolarum, Hymnorum, orationum, Epitaph. l. 1. De vita magistri sui S. Hugonis Abb. Cluniac. l. 1. De eo vid. Possevin. Bellarm. Chron. Antisiod. Willi. Gemmet. Picard. Trith. Claret & jam Hugo, ex Priore Cluniacensi Archiepiscopus Rothomagensis. Scripsit de Hæresibus in Armorica natis ad Albericum Ostiensem. De eo sic Chron. Cluniacense. Hugo Monachus, & Religiosus Cluniacensis *Vir magnus, inter magnos*, qui & ipse pro sui dignitate, & meritis promoveri meruit ad Archipræsulatum Rothomagensium. *Vid. Petrum ven. in Epl. VVestmonast. Quercet. Neubrigens. &c.*

Excellit item Hugo ex Abbate Pontiniaci Episcopus Redonensis, de quo apud Claud. Robertum: Vir in Sacra Religione strenuus, & juxta propositum Ordinis sui miræ patientiæ in Ecclesiæ tamen *Hostes districtus exequutor justitiæ*. Ex Chron. Luxovic. Vid. Henric. in fulo. Cister. &c. Archiepiscoporum, Episcoporum, Doctorum, Sanctorum, ingens in Ordine numerus. *Ex Yepes, VVion.*

De Bernardi ab Innocentio in Germaniam missi gravissima legatione, & admirandis in itinere gestis fuse alii. De effectu missionis, Historia Polonica apud Pistorium Nidanum, breviter multa complectitur, certè magna, imo maxima: *In Germania*, inquit, *& Italia Conradus Suevus cum fratre Friderico, contra Lotharium Regem arma sumpserant, donec victi ab eo, Bernardi Claravallensis Abbatis, doctrina, pietate, & sanctimonia vitæ clari, opera, ipsi reconciliati sunt.* Grandi sane merito, Germania, post octo annorum Schisma Paci reddita, & maximis calamitatibus liberata.

De beati viri Bennonis nostri primi Zwerinensis, tertii Mechelburgensis Episcopi Apostolatu maximisq; laboribus sic Cranzi9: *Bennonis*, inquit, *primi Zwermensis, sed Magnopolensis tertii Episcopi, cum & ille Apostolus fuerit præcipuus VVandalorũ, memoriam sine culpa in rebus VVandalicis præterire non possumus. Hic est ille, qui ingente duræ cervicis, multas contumelias accepit, & verbera expertus, non destitit ab opere pietatis.* Et paulo inferius; *Incredibile est memoratũ, quantos pro Christo pertulerit labores, quæ subjerit vitæ pericula, quoties ludibrio habitus, ad Sacrificia attractus est à barbaris. Ille tamen per Christum confortatus, culturas dæmonum eliminavit, lucos succidit, bonum certamen certavit, non solum fidem servavit, sed mirificè in populo barbaro ampliavit, &c.* Ecce quantum denuo tantus noster Apostolus meruit, ut reliqua ejus gesta prætereamus.

*A. C. 1134.* *S. P. N. 654.*

CEleberrimum iterum celebrat Concilium meritissimus de Ecclesia universa S. Innocentius noster II. in Vrbe Pisana adversus schismaticos, quo eodem anno. S. Bernardus Abbas de Mediolanensibus æternum mereretur, apud quos verbis, exemplis, miraculis plurimum profecit, eosdemque Romanæ Ecclesiæ reconcilians à Schismate liberavit. Cæterum quanta ipsis in Concilio Pisano veneratio, quanta apud Mediolanenses esset sic Bernardus Bonævallensis: *Adfuit per omnia, & consiliis,* (Pisis) *& judiciis, & diffinitionibus omnibus S. Bernardus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, & excubabant ante limina ejus Sacerdotes: non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum, & aliis egredientibus alii introibant; ita ut videretur Vir humilis, & nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte solicitudinis, sed in plenitudine potestatis, &c.* De Mediolanensibus autem: *Vbi audierunt Mediolanenses Abbatem desideratum suis finibus appropinquare, longè à civitate milliaribus septem, omnis ei populus obviat, nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, & distinctis agminibus incredibili reverentia virũ Dei suscipiunt. Deosculantur pedes ejus universi, & licet hoc ille molestè acciperet, nulla potuit pronos ac devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam*

pilos,

*pilos, quos poterant de vestimentis ejus, & ad morborum remedia, de pannorum laciniis aliquid detrahebant, &c.* Et de profectu negotij paulo post: *Et cum tractatum esset in publico de negotio, propter quod tam vir Dei, quā Cardinales advenerant, oblita fortitudinis suæ civitas, omni ferocitate deposita, ita se Abbati substravit, ut obedientiæ eorum non incongruè ille posset aptari Poetæ versiculus:*

*Iussa sequi tam velle mihi, quam posse necesse est.*

Tantum unus poterat Monachus, sua ab opinione, & exemplo sanctitatis auctoritate. *Vid. Brun. cit.*

Admirando sanè exemplo Ramirus Sanctii primi Aragonum filius, à prima juventute Monachismum in nostro S. Pontij Cænobio professus, deinde SS. Facundi, & primitivi Abbas, mox exigentibus tanti viri meritis Pompelonensis, tandem Rotæ ac Barbastri Episcopus, Petro, & Alphonso Fratribus, sine mascula prole mortuis periclitante Regno intestinis tumultibus, ita sollicitantibus apud Innocentium Arragoniis, atque urgentibus, Regnum sumere, & uxorē ducere compellitur. Hic Olcæ, regia hoc anno summens insignia, cum Pontificiis infulis Regni purpuram, & diademata junxit, idem Rex, conjunx, Sacerdos Pontifex, & Monachus salutatus. Is cucullum sub veste regia nunquam exuit, & multa vitæ sanctitate Regnum administrans, plurimis constructis Cænobiis, Regno se denuo, relicta hærede filia, abdicans, Monasterio se reddidit, uti suo loco dicemus. *Luc. Marin. Sic. Vasæus, Yepes, &c.*

*A. C. 1135.* *S. P. N. 655.*

Hoc anno potentissimum illum, sed impiissimum Rom. Ecclesiæ, & ejusdem sumi Præsidis hostem, Wilhelmum Aquitaniæ Ducem, terribili exemplo ad partes Innocentii trahit, celebratis sacris Misteriis eidem cum corpore Dominico occurrens S. Bernardus noster non supplicans sed minans, facie ignea, & flammeis oculis, verbis terribilibus eundem adjurans, ut Princeps instar epileptici terræ provolutus, salivis diffluerét, quem vir sanctus pede pulsans surgere jussit, & Pictaviensi Præsuli præsenti reconciliari: ipse autem facile Aquitaniam omnem ad obedientiam revocavit, & Ecclesiæ reconciliavit. Videndus Henriquezius, de Wilhelmo, exin Monachismum arripiente, & sanctitatis egregiæ exemplo, universis rebellibus prælucente, &c. *Baronius, &c.* Ita rursum unius Monachi opera, amplissima Aquitaniæ provincia Christo parta.

*A. C. 1136.* *S. P. N. 656.*

Meretur æternum de Galliarum Regno Magnus ille Abbas S. Dionysij Sugerius scriptorum monumentis celeberrimus, cujus non solum consiliis Gallia, sed & imperio regebatur, Rege absente, ipso tunc vices agente, seu, ut vocant, Vice Rege, & Regni administratore. Ab ipso ædificatum splendidissimum illud ingenti sumptu, mole, opere, Templum S. Dionysianum, Mausolæo Francorum Regum toto orbe notissimum: æternum sanè Sugerij monimentum. Ejus virtutē, famam, atq; merita, quamvis plurimi depingant, minimè tamen ne adumbrare quidem sibi videantur, inter alios dignè sanè celebrat Ioseelus Sarabensis Episcop. Epistola, quam profert Claud. Robert. Dilecto & merito diligendo Patri, & Domino Sugerio Abbati S. Dionysij Regni Francorum Regi, &c. Iosee, &c. Opinionis vestræ odor, qui circumquaq; diffunditur, nos de transmarinis partibus in amorem vestri currere fecit. Venimus ergo de finibus terræ, vestram scilicet, nostri temporis Salomonis, audire sapientiā, audivimus, &c. & merito in illius Australis Reginæ voces erumpimus, quia pars non fuerit nobis nunciata, & quoniam major est sapientia, & opera quam rumor fuerit in terra nostra, &c. Quis enim non miretur hominē unum tot, & tanta sustinere negotia, ut & Ecclesiarum pacem conservet, statum reformet, & Regnum Francorum armis tueatur, moribus ornet, legibus emendet? Merito itaque mare intrare debuimus, & vitam nostram vento, & velis committere, & longi itineris innumeras experiri difficultates, ut ad vestram possemus pervenire notitiā, &c. Similia Robertus Exfordiensis Episcopus. *Vid. & S. Bernard. Epist. 78. 122. 268. &c. in Codice Thuano, quem citat Rob.*

Eodem anno paulo ante mortem, non (quod frequentissimum multis, & singularis Monachismi comendatio fuit) vestē solum Monachicam induere, sed & profiteri ordinem voluit Ludovicus Rex Franciæ. Vnde Sugerius. Videant, inquit, qui Monasticæ paupertati derogant, quomodo non solum Archiepiscopi, sed & ipsi Reges, transitoriæ vitæ æternam præferentes, ad singularem Monastici Ordinis tutelam securissime confugiunt.

*Ex vita Lud. Baron.* Pari Religione, sub hæc eadem tempora; vocata militum cohorte (qui testes nimirum voti essent) palam Regno renunciat Ericus Rex Daniæ, & regiam vestem cucullo permutat. *Vid. Saxo Gramm. Yepes: VVion. &c.*

Ipso anno S. Bernardus graviter redarguit Ioannem Archiepiscopum Hispalensem urgente tyrannide Principis Arabum à fide Apostatam; ut videas nostros solicitudine sua etiam in remotissimis Regnis pro Ecclesia laborasse. *Vid. Baron. &c.*

*A.C.* 1137. *S.P.N.* 637.

HOc anno B. Innocentius noster summus Pontifex, æterno merito gravi Romam atq; Italiam metu, & Tyrannide liberat, advocato in auxilium Lothario Imper. & Guelphone Duce; victo Rogerio Siculo, & Anacleto Pseudo Pontifice rejecto. Eodem anno contemnens monita S. Bernardi Rogerius à Rainulpho Duce prodigiosè per preces S. Bernardi vincitur. Sed conscium totius rei Bonævallensem audiamus: *Sanctus Abbas* (Bernardus) *cum Regem in castris positum invenisset, per multas dies, vicinas acies ne prælium committerent impedivit. Denuncians Regi: Quia si conflictum inieris, victus & confusus abibis. Novissimè vero cum ejusdem Regis plurimum crevisset exercitus, ignorans quod non in multitudine eventus foret belli, virum sanctum quærentem ea quæ pacis sunt, ulterius audire contempsit. At ille Ducem Rainulphum, & Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut Regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est, & triumphum, &c. Cumque ad proximam villam declinasset* (S. Bernardus) *& instaret orationi, repente fugientium, & insequentium clamor auditur, siquidem per eundem locum fugientem Regis exercitum Rainulphus persequebatur. Egressus igitur Frater quidem ex his, qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, & quid accidisset interrogat? At ille, siquidem litteras noverat, Vidi, inquit, impium super exaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat. Nec mora, Dux ipse sequutus, ut Monachum vidit, sicut erat armatus, equo desiliit, & ejus pedibus advolutus: Gratias, inquit, ago Deo, & fideli servo ejus* (Bernardo) *quia non nostris viribus, sed ejus fidei collata est hæc victoria. Iterumque insiliens equo, hostes insequebatur, &c.* Ita plus nostri, ut sæpe alias, precibus, quam potentissimi Principes armis potuere. *Petr. Diaconus, Baron.*

Eodem anno S. Malachias noster Hiberniæ universæ Metropolita Romam venit, cui Pontifex de capite sublatam suo mitram, ipse imposuit, eidemque stolam cum manipulo dedit, quibus ipse inter offerendum uti consueverat. De disputatione ejusdem Malachiæ cum Sacramentario, atque inter Hibernos Apostolatu, *vid. Baron.*

*A.C.* 1138. *S.P.N.* 639.

INgens & imortale meritum de universa Ecclesia Sanct. Bernardi nostri nullis rite laudibus celebrandum, agente eodẽ, Pacem denique sublato schismate Ecclesiæ redditam; ipso Victore Antipontifice, qui Anacleto, lectione impiorum successerat, depositis Pontificalibus insignibus; se Innocentio subjiciente. *Baron. vita Bernardi.*

Moritur Imperator Lotharius, à Baronio pro meritis laudatus, à nostris æterno præconio extollendus; quorum affectu ac propensione totus fuit. Sanè ut de solis Casinatibus dicamus: cum iidem decepti Anacleto Pseudo Pontifici adhæsissent, adeo pertinax Lotharius in demerendo eodem, irato Innocentio fuit, ut in hæc tandem erumperet (ubi per proceres subornatos, ipsamq; Augustam ejus animũ flectere se non posse adverterat) Quoniam, inquit, ego tam multis incomodis, ac laboribus, pro salute Italiæ, pro defensione Sacrorum, pro comuni Christianæ Reip. bono, ac pace perfunctus, non sum apud vos tanti, ut religiosissimis viris, tam graviter severèque multatis piaculi moderationem, ac reditum in gratiam à vobis exorem: apertè edico, ac denuncio, me itidem cum Ecclesia Casinati post hac à vobis discessurum. Ad quam vocem, cum universus qui adstabat exercitus succlamasset: tum Pontifex vel periculi metu, vel postulati æquitate, vel acriore Cæsaris oratione permotus, ejusdem arbitrio Cassinensium causam humaniter transegit. Rainaldo vero Abbate Magistratum abdicante, Lotharius memorabili patientiæ exemplo à primo mane ad vesperam jejunus perduravit, donec Cassinates unanimi consensu Guibaldum sibi Antistitem delegissent. Idem Imper. quatuor Cænobii rempla (ita plures Imperatores ac Pontifices sanctitate loci concitabantur) nudis pedibus de nocte invisebat: quotidie mane ternis sacris intererat, singulas Monasterii officinas solus accurate perlustrans, sedulo ipse providebat ne sauctissimarum legum decreta, & diuturno usu firmatæ consuetudi-

nes temerè à quoquam violarentur, & sanctissimi Patriarchæ Benedicti disciplina quidquam detrimenti caperet. *M. Ant. Scip. Chron. Cass.*

*A. C.* 1139. *S. P. N.* 659.

CElebrat B. Innocentius Papa Concilium Rom. Generale, in quo Rogerius Siculus excommunicatur, & Arnaldina Hæresis damnatur. Verum paulo post, à Rogerio quem excommunicarat per insidias interceptus non sine prodigio ab eodem suppliciter colitur, cui Pontifex enixè veniam roganti, non ignoscit solum victori tanquam victo, verum Regio titulo exornat. De Rogerio asserit Petrus Venerabilis quod pace facta, cũ in Sicilia Cluniacenses jam Monachos haberet, magnopere optarit, & Cistertienses habere, quos à Bernardo acceperit. Profecisseque ex his adeo, ut magnopere ab eodem B. Petro meruerit comẽdari.

*A. C.* 1140. *S. P. N.* 660.

HOc anno exectandus ille Hæresiarcha Abailardus, ausus ad disputationem provocare ipsum S. Bernardum in Concilio Rhemensi, forte ex itinere divertens Cluniacum, retentus à Petro Venerabili ejus loci Abbate; cujus opera (verba Bisciolæ, & Baronii sunt,) non solum errores abjuravit: eosq; à suis libris abrasit, & cum S. Bernardo pacifica colloquia habuit, sed & Monachus effectus, permissus est à summo Pontifice ibi reliquum vitæ transigere. Denique, quod mirandum valde est, Abailardus pœnitens perseverans usq; ad finem in arctissima Monastica observantia demum sancto fine quievit. Ita Petrus ipse, & cit. Ingens sane Petri meritum, & rarum in Hęresiarcha tantæ mutationis exemplum.

*A. C.* 1141. *S. P. N.* 661.

INgenti labore in vinea Domini desudat S. Vicelinus Sigisbergensis primum Monachus dein Aldenburgensium Episcopus, Sclavos deniq; ac Vandalos, idolis, & Idolorum templis eversis, ad fidei sanitatem traducens. Vnde non solum eorundem Apostolus coli, sed & nominari meruit. *Helmold. Crantz. VVion.* Ita rursum amplissimæ provincię nostrorum sudoribus Regno Dei accrevere.

Totus hoc anno in componendis intestinis tumultibus Innocentius fuit. *Requir. Baron. &c.*

*A. C.* 1142. *S. P. N.* 662.

INnsignia hoc anno SS. Petri Cluniacensis, & Bernardi Claræ vallensis Abbatum merita, quorum ille offensum Summi Pontificis animum adversus Galliæ Regem placare solicitè curavit, iste Sugerio Abbati Dionysiano, & consiliariis sedulo institit, quoad denique Pontifex, & Ludovicus Rex in gratiam redirent. Meritum inter præcipua referendum. *Vid. Baron. Epist. Bern. Pet. Ven.*

*A. C.* 1143. *S. P. N.* 663.

HOc anno rursum de Rege Gallię meritus Bernardus, cum ille juvenili ferocia Theodosij Imp. crudelitatem imitatus crudelius in comitatus Theobaldi subditos animadvertisset eumdem graviter cōmonere minimè veritus, ne deinceps talè quid auderet effecit. Sed illius digna immortalitate verba audiamus, & adulari Regibus nescientis, zelum constantiamque admiremur. Ita proin datis litteris Regem, alia inter, affatur: *Scit Deus, quantum vos ex quo novi, dilexi, & vestrum honorem volui: scitis vos, quanto labore, quantaque sollicitudine toto anno præterito, quærendæ paci vestræ intendi, &c. Timeo autem, ne sine causa laboraverimus in vobis. Vos namque, ut manifestum est à bono, & sano consilio, quod acceperatis, nimium cito, nimiumq; leviter resilitis, &c. Vos nec verba pacis recipitis, nec pacta vestra tenetis, nec sanis consiliis acquiescitis. Sed nescio quo Dei judicio, omnia vobis ita vertitis in perversũ, ut pbra honorẽ, honorẽ probra ducatis, tuta timeatis, timenda contemnatis, & quod olim Sancto & glorioso Regi David Iacob legitur exprobrasse, diligitis eos qui vos oderunt, & odio habetis, qui vos diligere volunt. Neque enim, qui vos instigant priorem iterare malitiam* (Aulici) *quærunt in hoc honorem vestrum, sed suum commodum; imo nec suum commodum, sed Diaboli voluntatem, &c. At quidquid vobis de Regno vestro, de anima, & corona vestra facere placeat, nos Ecclesiæ filii, Matris injurias, contemptum, & conculcationẽ, omnino dissimulare non possumus, &c. Profecto stabimus, & possumus usq; ad mortem, si ita oportuerit, pro Matre nostra, armis quibus licet, non scutis, & gladiis, sed precibus fletibusque ad Deum. Et ego quidem, qui me memini, præter quotidianas preces, quas pro pace, & salute vestra atque Regno coram Domino supplex ipso teste fundebam, etiã apud sedem Apostolicam litteris, & nunciis causam vestram egisse (fatcor usque penè ad propriæ conscientiæ læsionem, & ipsius summi*

*Pontificis justam contra me indignationem. Ego inquam, assiduis vestris, quæ invocare quotidie non cessatis, excessibus provocatus, dico vobis, incipio pœnitere, super insipientia mea priori, qua plus justo, vestræ adolescentiæ huc usque favi, & de cætero, pro mea exiguitate, nõ deero veritati. Non tacebo, quod cum excommunicatis iterato fœdus, & societatem inire satagitis: quod in necem hominum, combustionem domorum, destructionem Ecclesiarum dispersionem pauperum raptoribus, & prædonibus, sicut dicitur, adhæretis, juxta illud Prophetæ: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Quasi non satis, per vos mala facere valeatis, &c.* Plura mala recenset, post quæ: *Dico vobis, non erit diu inultum, si hæc ita facere pergitis. Et ideo Domine mi Rex, amicabiliter moneo vos, & fideliter consulo vobis, ut citius ab hac malitia desistatis: si fortè ferire jam parantis manum, Ninivitæ Regis exemplo, pœnitentia, & humilitate prævenire possitis. Durè loquor, quia duriora vobis formido: sed mementote à sapiente dictum, meliora esse verbera Amici, quam fraudulenta oscula inimici, &c.* Huc usque imperterritus hic pugil Ecclesiæ, & alter Ambrosius, & si melle alias defluens, acetum tamen, ubi necesse, vulneri infundens, idem & Ecclesiæ defensor strenuus, & servator Regum, & Regni Galliarum.

Eodem anno Lusitanorum Regnum orbi percelebre (quippe Africam Asiamque, Americam deniq; ex Europa occupans) Melliflui Doctoris nostri auspiciis initium habuit, annuo censu, inquit Manrique, statuto Claravalli, qui beneficium à sancto viro acceptum, simul, & Regiam pietatem attestaretur, &c. Rege Alphonso, ut confirmaretur oblatus illi à subditis titulus Regis, per Bernardum à Rom. Pont. impetrantem; cujus extant litteræ apud Bernardum Brito, & Ang. Manriq. Idem aliis datis litteris, seipsum, & Regnũ Clarævalli feudatarium facit: *In Dei Nomine, quoniam decet quidem unumquemque fidelem de bonis sibi collatis à superno largitore &c. Ideo ego Alphonsus, miseratione Divina Portugallensiũ Rex, noviter Deo jubente creatus &c. de consensu vasallorum meorum, meipsum, Regnum meum, gentem meam & successores meos, sub Beatæ M. Mariæ de Claravalle Tutelam, protectionem, defensionem & Patrocinium constituo, & constituta fore decerno, ordinando & mandando omnibus & singulis successoribus meis in hæreditatem hujus Regni legitimè intrantibus, ut singulis annis eidem sanctæ Ecclesiæ S. M. de Claravalle, &c. tribuant in modum feudi & Vasallitii quinquaginta Marabitinos auri probati, boni & digni, quod recipiatur, &c. Fratribus vero in dicto Monasterio de Claravalle & in aliis sui Ordinis Domino famulantibus, cura erit, statũ Regni nostri Deo devote commẽdare &c.* ut videas, quantum sanctissimi atque illuminatissimi Reges, Alphonsus iste, Stephanus Vngariæ, Henricus Germaniæ, Robertus Galliæ (de quibus alias) Monachis detulerint, quibus Seipsos & Regna commendarunt, omnem Regni salutem iisdem post Deum & cælites assignantes. Ex litt. ipsius Alfonsi apud Manriq; &c. *Vid. Epist. Bern.*

Eo ipso anno moritur plenus immortalium meritorum B. Innocentius Summus Pontifex, reddita Ecclesiæ pace ęternum celebrandus. Vid Baronius, de ejus maxime ædificiis & Epitaph.

*A.C.* 1144. *S.P.N.* 644.

ROmanis hoc anno contra Pontificem insurgentibus, ac latè grassante Politicorum (Auctore Arnaldo de Brixia) Hæresi, eandem sequentibus, suo jam more Bernardus contra Romanos, ac Hæreticos omnes Ecclesiam propugnans in illos acerbissime invehitur, & ad subdendum se suo capiti exhortatur. *Ex Epist. Bernardi, Bisciola, &c.*

Ingens auctoritas Petri Cluniacensis, & ejus Cœnobij Monachorum, ad quos ex toto terrarum orbe causæ definiendæ deferuntur, & optimi quique eorum stare judicio cupiunt. Vt Romani Imp. imo Orbis curia, & cura iisdem incumbere videretur. *Vid. Petr. Vener. in Epist. &c.*

*A. C.* 1145. *S.P.N.* 645.

LVcio Papa mortuo eligitur Eugenius III. S. Bernardi discipulus, ex Abbate S. Anastasij, cujus initiis Pontificatus, Armenij se Christo & Ecclesiæ addiderunt. Is S. Bernardo, munus dignum tanto Abbate commisit, & fideles ad profectionem Palæstinæ, & crucem suscipiendam exhortari voluit. Rursum eodem añno idem Pontifex Romanos rebelles compescuit, & ipse ingenti omnium lætitia Vrbem intravit. Adeoq; Pontificatum multa statim Ecclesiæ beatitate Eugenius noster auspicatus est, *ex Baron. Henriq. &c.*

Sed candidissimum Canonicorũ Regularium Præmonstratensem Ordinem hæreditario à Bernardo patre affectu, religiosi9 adamans, ac volens demereri, eorumdem Superiores, Præpositorum nomine antea appellatos, imposterum Abbatiali

batiali gaudere titulo, ac dignitate fungi, datis desuper literis ad omnes Ecclesiarū Antistites decrevit: Eugenius Episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis, &c. Religiosi Fratres Præmonstratensis Ordinis, per Dei gratiam in Religione proficiunt, &c. Vnde dignum est, ut boni Ecclesiarum Prælati eos juvare, & in tam sancto proposito confovere studeant, &c. Datum Sutriæ 15. Cal. Ianuarij Pont. nostri anno 1. Vt hoc quoque amoris & reverentiæ à nostris symbolum habeant, inconcussum huc usque permansurum. *Vid. Ang. Manriq. &c.*

*A.C.* 1146. *S.P.N.* 666.

CElebratur Concilium Carnotense jussu Eugenij nostri, pro expeditione in terram sanctam, cui etiam adfuit Rex Galliarum. Quid vero actum in eo fuerit, docet ipse S. Bernardus scribens ad Eugenium: nempe (quod planè mireris) eundem ipsum S. Bernardum omnium consensu Ducem totius belli, & Principem militiæ electum esse. Verum satis Eugenio visum si ille tuba sacerdotali indiceret bellum, & sive verbis, sive scriptis Christianum populum excitaret, quod illum felicissime sequentibus innumeris signis atque immensis prodigiis præstitisse, liquet ex Epist. ejusdem, & vitæ act. Bisc. Baronio.

Libet autem super re tanta, & quæ absque exemplo esset, ipsum quoque Baronium audire: *Illud inprimis*, ait, *planè mirandum, quod obstupefaciet omnes audientes: dum videlicet ibidem totius belli Dux, ipse S. Bernardus, omnium consensu deligitur, qui Principem militiæ agat, cui milites omnes & Principes subjicerentur. Hoc decretum in Concilio, consensu omnium.* Ita Baronius, ut ex tanta omnium ęstimatione facilè Bernardum æstimes inæstimabilem plane virum, de quo tota sibi Ecclesia gratuletur.

Sanctissimę & meritissimæ familiæ atq; ordini Præmonstratensi rursum egregie consulit Eugenius noster Pontif. Maxim. & Episcopos, ejus progressus retardantes, compescit, atque illius quietem ac salutem promovet. *Ang. Manriq.*

Sequuti vocantem Bernardum Reges Germaniæ, & Galliæ, populi etiam Angliæ, Vngariæ &c. de quibus vid. cit.

Eodem anno suscepta alia rursum expeditio, mandato Eugenij adversus Boreales populos paganos, de qua leg. Saxo Grammat. Baron. Bisciola, &c.

*A.C.* 1147. *S.P.N.* 667.

EVgenij III. auspiciis ingens Catholicorum exercitus, Ducibus Conrado Imp. Aug. & Ludovico Galliarum Rege in Palæstinam proficiscitur, Galliæ interea Regno præesse jussu Sugerio nostro S. Dionysij Parisiis Abbate. Vt planè intelligas quantum semper Pontifices nostri, in promovenda re Christiana, & infidelium extirpatione laborarint, quantique habiti sint Monachi, quibus summa in Regnis potestas, nihil minus ambientib9 delata, & tam securè credita sit. Sicut Sugerium in tanta sublimitate humillimū, adeoque extra invidiam purpuratorum, imperasse Francorum Annalibus proditum legimus, & ex ipsomet cognoscimus.

Exortam sub hæc tempora Giliberti Porretani Hæresim, ut extingueret omnimodo desudavit Sanct. Bernardus Abbas, quippe ab Archidiaconis Giliberti de serpente, invalescente edoct9 labe, zelo quo æstuabat fidei Catholicæ, una cum eis n viter egit, ut promulgatæ à Giliberto Episcopo Hæreses damnarentur. *Vid. Baro.*

Invalescit eodem tempore per Tolosanam maximè provinciam Hæresis perniciosissima, Henriciana, quam egregie illico scriptis confutarunt SS. Petrus Venerab. Abbas Cluniacens. & Bernardus Clarævallensis, sed & Sugerius misso Alberico Card. opprimere ac exstinguere sollicitè curavit. Scribit vero Godefridus, comes Bernardi, adeo verbis, & miraculis à Bernardo Hæresim oppressam, ut ubi ea maximè vigeret, simplices in fide instructi fuerint, nutantes roborati, subversores autem & obstinati, ita repressi, ut ne apparere quidem præsumerent.

Sed & alia Hæresis ipso tempore Apostolicorum dicta exorta, ex Manichæorū erroribus dejurata in multis haud dissimilis ejus, qua hodie nostri delirant novatores, ab eodem Bernardo strenuè impugnata, confutata, & elusa est. *Vid. Bernardus ipse. Baron. Henriq. &c.*

Scalabim expugnaturus Alfonsus I. Rex Portugalliæ votum Christo vovit daturum se Ordini Cisterciensi cuncta quæ oculis cernere inde posset, decurrentibus aquis in mare, si meritis Divi Bernardi fretus, urbem cepisset. Cepit, & voti reus datis ad Bernardum litteris, qui Victoriam ipsi certam promiserat Monachorum

chorum

chorum petit coloniam pro condendo Alcobatiæ Cœnobio, cui rescribens Bernardus, cognovisse se in Spiritu victoriam scribit, & prophetice item de successoribus prædicit, quæ proximo sæculo impleta esse manifesto constat: *Illud condentes*, inquit, *Monasterium, in cujus duratione & integritate, indelebile habebitis elogium Regni vestri, & in divisione redditiuum, dividetur à vobis corona vestra, &c.* Quippe Cardinale Henrico, post Lusitaniæ Rege, redditus Alcobatiæ dividente, & partem Abbatiæ in comendam dante, partem aliam Conventui reservante, vix duo anni, inquit Manrique, aut ne vix elapsi sunt, cū morte ejusdem, ac defectu successorum Regnum, cui hactenus Lusiadę imperassent, Castellanis Principibus accessit hæreditario jure possidendum. Ita perniciosum semper Principibus fuit, bona semel Deo dicata contrectare, atque inprimis quando in suos, & filiorum usus convertere ausi sunt (quod Religiosissimus cæteroquin Princeps minimè præsumpsit,) pronunciata siquidem contra illos stat, & stabit Divini Spiritus sententia: *Pone Principes eorum, sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana; omnes Principes eorum qui dixerunt: Hæreditate possideamꝰ sanctuarium Dei, &c. erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant.*

*A.C.* 1148. *S.P.N.* 668.

IMmensitas meritorum explicanda foret, nisi compendio agendum esset. Ex innumeris pauca accipe. Summo Reip. Christianæ bono, concilium Rhemense Eugenius indicit: in eo multa summè necessaria atque utilia definita atque decreta; insana Eudonis de Stella Hęresis ejusque præstigiæ diabolicæ damnatæ. Ipse Eudo paulo post in custodia extinctus, discipuli concremati. Principum causæ cognitæ; incendia bellorum gravissimorum sopita. De Gilberti item erroribus pertractatum. Cumque soluto concilio Eugenius Papa Treveros accessisset, rogatus ab Archiepiscopo, quid de visionibus S. Hildegardis Virginis Monialis sentiendum esset missis qui ad eandem inviseret, audita eorundem relatione, lectisq; ejusdem Hildegardis scriptis, ac habito cum S.R.E. qui aderant Cardinalibus, aliisque viris piis (inter quos ipse Bernardus erat) concilio, litteris salutatoriis Beatam Virginem ipse Pontifex visitavit, quibus concessa licentia proferendi quæcunque per Spiritum S. cognovisset, eam ad scribendum animavit. Vid. Theodorus Abbas in rebus gestis ejusdem, & Baronius. Porro eam prædixisse Eugenio, ipsum non nisi extremis diebus in Vrbe Roma habitaturum, traditur à Ioanne Saresberiensi in Epist. S. Thomæ Cantuariensis. *Vid. Baron.* Moritur S. Malachias noster Magnus ille Hyberniæ reformator, singulare universi sydus, de quo vid. S. Bernardus in vita ejusdem, Ant. de Yepes.

Fundatur hoc ipso anno Monasterium B.M.V. Alcobacense ab Alphonso primo Portugalliæ Rege, ex voto: Si meritis S. Bernardi Scalabim expugnaret. Expugnavit, & voto se liberavit. Vid. Yep. cit. Sed de voto Regis satis anno superiore.

*A.C.* 1149. *S.P.N.* 669.

FEliciter in cælum emigrat S. Raymundus noster Toletanus Archiepiscopus, de quo legendus Yepes sæpe cit. t. 7. f. 214. & sequentibus. Meritis non annum hunc solum, sed sæcula omnia, orbemque universum implet S. Bernardus prædicatione infinitam multitudinem hominum ad meliorem frugem convertendo. Hoc ipso anno de Germania maximè universa meritissimus, Constantiæ, Basileæ, Spirę, & quacunque pergeret, innumeris prodigiis, ejꝰ prædicationi virtutem ex alto addente Deo. Ita universam Germaniam etiam inferiorem deambulans, & ex itinere ad dilectam Christi sponsam S. Hildegardem nostram invisens ab eadem multa perfusus consolatione discessit. *Vid. vita ejus. Trithem. &c.*

Ipso anno Henricus Ludovici Galliarum Regis frater, incredibili suorum luctu in Claravalle cucullum amplectitur, magno maximi Regni exemplo, quo nemo nō mirificè accensus est, præsertim quod quanto antea fastu regius Princeps, tanto deinceps profundiore animi demissione emineret, pro meritis deinceps etsi lugens reluctansque ad Episcopalem cathedram extractus, & de regno Galliarum multo nomine meritus. *Annal. Cisterc. &c.*

*A.C.* 1150. *S.P.N.* 670.

MEretur suo jam more irremisse de Ecclesia universa, Imperioque inprimis Romano Sanctus Petrus noster Cluniacensis Abbas, hoc anno Rogerium Siciliæ Regem inducens, ut pacem cōponeret cū Imperat. Conrado, contra

vero in Græcorum Augustum arma converteret, cujus proditione & scelere toti9 penè Germaniæ & Galliæ flos, in expeditione sacra periisset. Egit fortiter à tanto viro concitatus Rogerius, quippe spoliatas paulo post captasq; ab eodem Corinthum, & Corcyram, Robertus in Appendice ad Sigebertum comemorat, & multa deinceps præclare contra Græcos gesta.

Memorabili omnino exemplo, præter multos alios ex Ordine in purpura sacra eminentissimos Cardinales, tres ex uno eodemq; Cænobio, una eademq; hoc anno creatione, ad eumdem honorem ex Claravalle ab Eugenio Papa evocantur, Hugo, Henricus & Rolandus qui omnes, omnium de se expectationem, sanctè & præclarè gestis, insigniter compleverunt. *Gasp. Iongel. Manriq.*

*A.C.* 1151. *S.P.N.* 671.

SYdus illud, imo Sol ipse Canonistarum Clarissimus, Gratianus noster, *Opus* illud *Decretum* illustrissimum absolvit, de quo Baronius: Hoc item anno Gratianus Monachus Benedictinus, collegit ampliori studio librum Decretorum, & per distinctiones & quæstiones ritè disposuit. *Vid. hoc anno* Decretum autem Gratiani, sive ut ipse inscripsit: *Concordantia discordantium Canonum*, ab Eugenio III. approbatum est. De quo legendi Iepesius noster, Matth. Weiss. Arn. Duac. &c.

Ipso anno, etsi Ioan. Picardus pro sequenti contendat, obiit Idibus Ianuarij magn9 ille Abbas, & alter Galliarum Regni animus Sugerius, quem supremum decumbentem, cum ipse non posset, per litteras invisit Mellifluus Doctor, eique gloriam æternam repromittit, cui amorē suum usq; ad mortem non solum, sed etiam æternum contestatus: *Dilexit à Principio, diligam sine fine*, inquit, *fidenter dico, non possum perdere sic dilectum usque in finem. Non mihi perit, sed præit; cujus anima anima mea, adhæsit glutino, quod non dissipabitur, & vinculo quod non dirumpetur. Tantum memento nostri, cum perveneris, quo nos prævenis, ut & nobis detur venire post te, & ad te pervenire, &c.* Ejus sanctum obitum Picardus describit, atque exequiis Regem interfuisse cum sex Episcopis multisque Abbatibus, de quo subjungit: *Christianissimus Rex Ludovicus, & pietatis memor, & immemor Regiæ celsitudinis, dum sepeliretur amantissime flevit, &c.* certus nimirum, quantum & ipse, & Regnum, & Consultorem & Patrem perdidissent.

*A.C.* 1152. *S.P.N.* 672.

MEretur æterno merito de Romanis Pontificibus, orbisq; Episcopis universis S. Bernardus noster, scriptis quinq; illis admirandæ & profundissimæ sapientiæ libris: *De consideratione* ad Eugenium Papam; de quibus Baronius, postquam eosdem *aureos* appellavit, subdit: *Scripsit autem eos libros ipso petente Eugenio, quibus nō illum solum, sed Pontifices omnes, ad benè ministrandum Pontificatum informat, & multa ab ipso corrigenda deplorat, &c.* Vt videas quantum etiam sequuturis sæculis meruerit de sumis Orbis pastoribus, adeoq; de orbe Christiano universo, si libri illi pro dignitate æstimentur, & serio volvantur.

Conditur hoc ipso tempore celebre illud, ab inhabitantibus deinceps, miræ Sanctitatis Virginibus, Schonaugiense Cænobium, in quo exoritur sub prima ejusdem initia, magna illa Elisabeth, Spiritu Prophetico ventura prænuncians, & homines ad placandam justi Iudicis iram, scriptis suis admirandis, potenter provocans. *De qua legend. Trith. Iepes, Vita ejusd. & divers. rer. German. scriptor.*

*A. C.* 1153. *S.P.N.* 673.

MOritur S. Eugenius noster Pontif. Max. ingenti omnium luctu & mœrore, compositis deniq; intestinis tumultibus, sicut prædixerat B. Hildegardis, felicissimus, & grandibus meritis locupletissimus, miraculis etiam post mortem illustratus, cui Anastasius IV. ex Abbate S. Ruffi substituitur, ab egregiis meritis plurimum commendatus.

Ipso anno, festo & triumpho cælos implet S. Bernardus Abbas, corporis ergastulo solutus; *vir*, Baronio teste, *verè Apostolicus, imo verus Apostolus, missus à Deo, potens opere & sermone, illustrans ubique & in omnibus suū Apostolatū signis & prodigiis &c.*

De lactei Benedictæ Matris filii obitu multa narranda essent, ut & de variis ab obitu visionibus seu apparitionibus; ea tamen prætermitti non debet, quę in Claravalle, non uni alterive, sed cunctis visa, in Additis ad Exordium Magnum, integra fide descripta est, in hunc modum: *In ipso vero momento, quo ultimū exhalavit spiritum, visa est in eodem cubiculo, quo sanctus vir jacebat, piissima Dei Genitrix &c. innumeram Angelorum ac cælestium spirituum multitudinē, prout Reginā cæli, & Dominā Angelorū decebat, secum in comitatu habens; quæ cernētibus omnibus, qui ad funus venerāt sanctissimam*

*ſimam viri Dei animam, quaſi ab ore ejus rapiens, usque ad penetralia cæli, cum eodem comitatu lætantibus Angelis, hymnosque cæleſtes per aera cantantibus perduxit, quo pia ſui memorum immemor nequaquam exiſteret. Similiter & viſa eſt eadem cæli Regina, illam B. P. N. Bernardi animam in cæleſti beatitudine, ad latus ſuum collocaſſe.* Ita lib. cit. Vt quanto apud cęlorũ Auguſtã, loco ſit magnus hic ab Vbere tam felici Infans, ex Infante orator & Encomiaſtes Marianus facilè Princeps, univerſis appareat, è cujus lacteo ore & gutture perfecta laus tantæ Matris, toto orbe exaudita eſt, atque etiamnum pro perfectione tantæ vocis exauditur, juxta illud: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, nec ſonitu ſolum in aures, ſed lacte quoq; in ora redundante, quotquot Bernardi voces usque hodie excepere.

Ipſius ſcripta atque opera, quæ diſperſa & rara ipſius Deiparæ juſſu conquiſita collectaq; ante ducentos annos plus minusve, publico uſui Chriſtiani orbis prodiiſſe, Angelus Manrique comemorat, ipſis etiam Hæreticis & Luthero Hæreſiarchæ celebrata, ac veneranda.

*A. C. 1154.* *S. P. N. 674.*

NE mortuo Bernardo, alter ejus ſimilis afflictiſſimæ hoc tempore deeſſet Eccleſiæ, S. Petrum Tarentaſienſem Deus opt. Maxim. verbo non minus potentem atq; opere dedit, ſignis & prodigiis longè illuſtriſſimum tanto facto ad ipſum undique concurſu, ut vix ſervari à comprimente multitudine poſſet. De quo Gaufred. Altecumb. Abb: *Tantas per eũ præſtitas ſanitates Regio tota cognovit, ut incredibilis turba cõcurrẽs, ac ſi jurata foret in ejus necẽ, nõ modo comprimeret ſed opprimeret imbecillem. Vix tandem locus idoneus, locus tutus potuit inveniri, niſi turris baſilicæ S. Eugendi, per duas hinc inde cochleas aſcendenda: Illic poſita ſedes, lignis fortioribus circumſepta, ut ſolam manus impoſitionem, vel auditum, & reſponſa perciperent; qui per alteram ſeriatim cochleam aſcendentes, per alteram exinde deſcendebant, ut neque hi illis, nec ſibi invicem poſſent eſſe moleſti. Tam multis inibi cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, & incommodis variis laborantibus contulit deſiderata remedia, ut difficile quis dinumerare, nedum ſcribenda ſervare põtuerit &c.* Vt facilè appareat, quantum unus hic Monachus, & Pontifex verbo potuerit, quod tanta, & vitæ, & virtutum exempla comitarentur.

Ipſo anno B. Gummarus Sardiniæ Rex florentiſſimis ætate, & rebus cucullum apud Claramvallem amplectitur. Quo etiam anno S. Vicelinus, Holſatiæ, Wandaliæ pluriumque provinciarum Apoſtolus, ad Apoſtolica præmia evocatur; cum totos triginta annos, tanto in munere, ſtrenuè & magno cum fructu deſudaſſet. *Ex vita, Chron. Sclav. Baron. &c.*

*A. C. 1155.* *S. P. N. 675.*

UTi Petrus Tarentaſienſis per Galliã, & Sabaudiam, ita per Angliam & Scotiam, maximis, & imortalibus ſe meritis comendat S. Wallenus noſter Meilroſenſis Abbas; vir omnino mirificus ad quem cum ſub hoc ipſum tempus magna ingruente fame ingens quotidie pauperum multitudo conflueret, & ad quatuor mortalium millia prope Cænobium conſiderent, & circa illud per duo circiter milliaria caſas ſibi, & tuguria conſtruerent, omnes aliosque confluentes toto famis tempore mirificè ſuſtentavit. Cæterum, ut alia ſileam magna ejus merita, & prodigia, cum eſſet animo promptiſſimo juvandi proximos, perſuaderi tamen non potuit, ut Metropolitanum honorem admitteret, Santandrenus Archiepiſcopus, & Primas totius Regni electus; tanto indigniores ſe ſemper reputabant, qui ab aliis digniſſimi habebantur. *Ex Vita per Ioſſelinum, &c.*

Quanti Monachos faceret noſtros, quantumque Imperio atq; orbi univerſo prodeſſe agnoſceret, datis hoc anno ad congregatos Ciſtercii Abbates litteris Fridericus I. Imperator manifeſtè declarat, quæ quia longiores, partem tranſcribere placuit.

Venerabilibus in Chriſto Patribus, & amicis dilectiſſimis, &c.

Fridericus D. G. Rom. Rex ſemper Auguſtus, &c.

*Si juxta veritatis vocem, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine Domini Ieſu Chriſti, ipſe in medio eorum eſt: Quid credendum eſt, ubi non ſolummodo duo vel tres, ſed tot nobiles athletæ Chriſti, tot excelſæ columnæ* (inſigne elogium) *Eccleſiæ ſuæ, in nomine ſuo, imo ad honorem nominis ſui, de diverſis mundi partibus coadunati ſunt & congregati, niſi quod ipſe in medio veſtrum habitat, & ſpiritus ſuus, quem in vos ipſe transfudit, & ſanctiſſima pectora veſtra ſeipſo inflammavit. De qua igitur re ſuccenſi flamma charitatis conſenſeritis, certiſſimè obtinebitis & fiet vobis, &c.*

Credimus

*Credimus enim, imo vero scimus, quod tanta est sanctitas hujus reverendi Ordinis, tamq; est placens, tamq; suave & acceptabile holocaustum orationum vestrarum, quod ei quotidie offertis, sub carnis vestræ maceratione ac mortificatione: quod omne id quod à Creatore nostro duxeritis petendum, cum pius ipse sit, & promptus ad benefaciendum, obtinebitis à multitudine miserationum suarum. Est enim fides nostra, utique non parva quod hic mundus, qui lubricus, & immundus est, & in maligno positus, orationibus vestris* (NB.) *sustentatur, & à facie furoris, illius tremendi Iudicis, defensatur, &c.*

*Cum igitur hoc firmissimè credamus, &c. nos qui peccati pondere oppressos nos esse recognoscimus, omni humilitate, omni devotione ab universis vobis, & singulis petimus, & obsecramus omnium precum instantia, quatenus in fraternitatem vestram nos recipientes, & in consortium sanctissimarum orationum vestrarum nos colligentes, speciales creatori nostro preces effundere dignemini, ut gratia sua in nobis misericorditer deleat, & emendet, quidquid hactenus commisimus, &c. & in his quæ sibi placita sunt, nos conformare dignetur: Det ipse nobis, vestro pio interventu, spiritum Iudicii & veritatis, ut sic sub nobis regatur Imperium, & disponatur, ut ad laudem & gloriam nominis sui, sancta sua Ecclesia, quam in ara Crucis sanguine suo redemit, pacis gaudeat optata tranquillitate; & nos, post decursum temporalis hujus Imperii, una vobiscum, ad Imperium sine fine mansurum pervenire possimus, &c.* Ita Fridericus Imp. Confrater factꝰ; id deniq; assequutus, ut reconciliatus Roman. Ecclesiæ, & in apparatu & procinctu Expeditionis sanctissimæ & gloriosissimæ moreretur. *Ex Angelo Manrique, Aquila nost. Benedict. &c.*

*A. C. 1156. S.P.N. 676.*

INstitutus celeberrimus ille Ordo equitum de Alcantara, per Gometium Fernandum, sub Regula S.P.N. BENEDICTI insigni non solum addito Ecclesiæ ornamento, sed & munimento, plurima Principum ac nobilium multitudine, ad infidelium eversionem, & Catholicæ fidei dilatationem, huic sacro Ordini se suaque omnia devoventibus. Ita ingens, & inexplicabile nostrorum studio meritum Ordinem & Regulam nostram Ecclesiæ, & universo orbi commendavit. *Legendus Yepes.*

Ingens sanctorum nostri Ordinis copia, in Gallia, Italia Germania, Hispania, ut in solis D. Galli, Hirsaugiæ, omnium SS. Schathusæ, Casinensi, Cluniacensi, Camaldulensi, Classcensi, Cavensi, paucisq; aliis, brevissimum intra tempus aliquot millia numeremus, ne quis tantum numerum hoc loco recensendum arbitretur, sed de his, cum bono DEO, alibi aliquando.

*A. C. 1157. S.P.N. 677.*

ITerum alterius Ordinis Militaris Illustrissimi, Summo Reip. Christianæ bono, initium hoc anno, Equitum de Calatrava B. Raymundo nostro Fiterij Abbate, æterno cũ merito primum instituente, qui non sine afflatu Numinis, non precibus solum, sed & instituta Religiosorum militum amplissima congregatione, confirmato mox à Rom. Pont. Ordine, etiam armis, contra infideles defendendum, desertum ab omnibus Calatravæ oppidum suscepit. Quo ipso anno moritur S. Petrus noster cogn. Venerabilis, invictissimum S.R.E. propugnaculum æternus Hæreticorum malleus: Regum ac Principum exerrantium reductor, conciliator Pacis, cujus gloriosissimo, tanti solis occasu (ut & Abailardi paulo ante ipsum extincti, cui ipse Epitaphium posuit, &: *Gallorum Socratem Platonem maximum Hesperiarum Aristotelem suum* appellavit;) partem priorem Annalium claudimus, quod huc usque fere Historiam quoq; suam produxerit doctissimus Iepesius, cujus compendiũ subjicere placuit, ut de utriusq; nostrum instituto omnibus innotescat; & quæ consulto prætermisimus, ex altero compensetur.

*FINIS Partis Prioris.*



# ANNALIUM BENEDICTI-NORUM,

## PARS SECUNDA.





# ANNALES BENEDICTINI,

Quibus potiora Monachorum ejusdem Ordinis facta & merita ad compendium referuntur.

# PARS SECUNDA.

*Authore R. P. F. GABRIELE BVCELINO. ejusdem Ord. Monacho, Theologo. &c.*

PUlcherrimum partis secundæ faciunt initium, gloriosissimæ nec non prodigiosissimæ Admirabilis Archiducis nostri & Archistrategi exercituum Domini BENEDICTI hoc tempore expeditiones. Postquã enim tanto iam decursu sæculorum, cum per se, tum per suos, idem sanctissimus Pater & Patriarcha, non in Occidente solum, sed & Oriente innumerabiles planè gentes & populos, assidua prædicatione, crebrisque miraculis, Zelo ac merito Apostolicis Christi Ecclesiæ ac Regno felicissimè adjecisset, innumera item Monasteria, Xenodochia, Scholas Basilicas, diversis toto orbe provinciis exegisset, triumphatæ gentilitatis Trophæa excitasset; invalescente jam nimium, per Christianorum Principum dissensionem Saracenorum Secta, in eam quoque, si visum Numini, evertendam, certè à Fidelium Christi cervicibus avertendam, per lectissimos suæ militiæ Duces totus incubuit, & ut fine partis prioris vidimus duos jam Ordines de Alcantara, & Calatrava, tanquam duos diversis itineribus exercitus, ad circumveniendos felicius hostes direxit, ex hoc vero tempore longe plures, ut videbimus, sub Regulæ suæ auspiciis, Sacræ militiæ Ordines instituit, & immortali prorsus merito Nobilitatem orbis universam mirifice excitans, generosissimos quosuis ad arripienda pro Christi honore arma, exponendas liberalissimè facultates, objicienda hosti generosissimè pectora & capita concitavit, redundante incomparabili plane in Ecclesiam Christianam fructu, cũ & innumerabiles deinceps tanto decursu, ad hæc usque tempora, sæculorũ, iidemque juratissimi ac potentissimi dejicerentur hostes, & qui per turpe otium eousque in omne vitiorum se immerserant cœnum Principes & magnates, non solum emergerent, sed & absque numero triumphis Martyrum sempiternis accenserentur, postquam sæpius in terris de cælitum hostibus triumphassent. Cui quidem tam laudabili sacrorum Militum nostrorum studio, ne etiam mulieres deessent, armillas manibus, collo torques, monilia auribus detraxere, & pro suo quisque Christianus Zelo in medium contulit, unde novæ Benedictinæ militiæ Tyrones non solum pro necessitate, sed & pro splendore deinceps alerentur, ita ut potentissimi deinceps Reg. & Principes iisdẽ se adderent & in nomen ac Regulã Magni Archiducis nostri jurarent, navarentq; insignem prorsus operam Reip. Christianæ, donec in hoc sæculorum fine ab imbellibus nonnullis, nec tam militiam quam opes consectantibus, pretium Christiani Sanguinis in luxum verius verteretur, quam ex primæno instituto, in eversionem converteretur tam immanium usque hodie latissimè grassantium, nobisque & ignaviæ nostræ insultantium adversariorum. Sed

cum hæc, tum alia deinceps nostrorum merita, breviter, uti initio operis promisimus, & obiter prosequamur.

*Annus Christi* 1158. *S. P. N.* 678.

MEmorabili prorsus felicitate desperatissimis Hispaniarum Regnis & rebus consulunt duæ novæ Militum nostrorum de Alcantara & Calatrava familiæ, & modico licet sub initia numero, Monachorum tamen sanctissimorum cum exhortationibus animati, tum precibus freti, non jam restitutas nuper, quas Christiani deseruerant munitiones, propugnant solum, sed in magnos etiam hostium movent exercitus, ultro ad pugnam provocant, & felicissimis successibus multoties hostem in turpem cogunt fugam, spoliisque divites ad suos revertuntur. Quod quia loci hujus non est prolixius prosequi, suo tempore prolixius dabimus & designabimus sua quæque año, in Historia nostra Universali. *Ex divers. rer. Hisp. scriptor. Hist. Sacræ milit. & Annal. nost. &c.*

Neque segnius viri ex nostris Apostolici, gladio sacro, quod est Verbum Dei, eo ipso tempore usi, in propagando longè lateque Christi Regno strenue desudarunt. Quos inter, hoc ipso tempore, præ aliis mirifice se exercuit, & admirabili felicitate per amplissima Seciæ Gotthiæque Regna inanium Deorum cultum, & sacrilegas superstitiones longè lateque sustulit B. Stephanus noster Alvastrensis Cænobii Monachus, creatus demũ pro meritis Upsalensium primus Archiepiscopus, totiusque Seciæ Primas; ut illa quoque tã insignis olim Cathedra & Sedes Regni amplissimi metropolitana, præter iñumera alia merita, nostris primum Pontificem debeat, & Apostolum quidẽ suum, summaque præditum vitæ sanctitate potentissimum à morte Tutelarẽ. Fuit Upsola sive Upsalum à præcipuo Regnorum Aquilonarium fano inprimis celebrata, quod totum ex auro fulgidissimum, exterius etiam aurea catena longe splendidissima cinctum, quæ ad mœnia domusque fastigia suspensa late rutilabat, ad impiissimum dæmonũ sub trium larvarum seu statuarum forma cultum, longe etiam positas gentes, vel suo quidem splendore provocabat. Thor, fulmini, ventis, imbribus, serenitati, cælo præsidere; VVodan victoriæ; Fricconem paci voluptatique præesse autumabant; adeo quidem pertinaci errore, ut Reges etiam suos, Christi jam pridem sacris initiatos, ad templum illud munera mittere, sive Regno cedere cogerent; è quibus aliqui diadema projicere, quam Sacrilegio fidem polluere maluerunt. Laboravit plurimum Stephanus, ut quod nec Christiani & potentissimi Reges poterant, ipse denique evinceret dejiceretque. Nec adire mille pericula reformidans, cum alias passim Idololatriæ fœditates sustulisset, & plurimos mortalium Ecclesiæ aggregasset, hoc denique etiam fanum, ut suo loco dicemus, execrabile iis qui tantopere coluerant reddidit, mille coronas in cælo meritus, qui quotidie in mille neces generosũ devoverat pro Christo pectus, tot captivos Christo adducens in felicissimam libertatem. *Ex vita, & Chron. Suec. &c.*

Sed neque minus scriptis alii, cum hic verbo prædicationis, rem fortiter gerebant, quorum unus, Rudolphus nomine S. Trudonis in Belgio Abbas, insigne septem librorum opus, contra Simoniacos Hæreticos strenuè decertavit. Sed & Franco Affligemiensis Abbas, non tam adversum suæ ætatis, quã nostræ Sectarios potens fuit, & de Gratia DEI pessimè sentientes, potenter convicit, & multa alia edidit. Vt nemo satis tantos ex ordine pugiles, imo Heroas admiretur. *Ex rer. Belgicarum diversis Chronologis & script. &c.*

*A. C.* 1159. *S. P. N.* 679.

MErentur immortaliter de Sacratissimo atque amabilissimo Canonicorum Regularium Ordine, (quẽ hoc ipso sæculo immortalibus adjuncti B. B. Iuo Carnotensis & Norbertus Magdeburgensis, sub nomine & Patrocinio Augustissimi Ecclesiæ Doct. Augustini Regulam Vitæ, ex Ejusdem magni Patris Epistola quadam sumentes, præcipuè fundaverant ac promoverant) diversissimi ex nostris cum in Gallia atq; Italia, tum in Germania Sancti Pontifices, quorum alii in Cathedrales aliquot Ecclesias laudatissimum illud vitæ Institutum introduxerunt, alii diversa iisdem Monasteria condiderunt, eoque nomine, de Clericorum maxime & Canonicorum in nimiam defluentium licentiam statu præclarè meriti, novam

quasi

quasi faciem Clero induxerunt. Sanè ut plurimos alios taceam, solus Beatus Ottho noster, ex Morimundi Monacho Frisingensium Pontifex, duo sacræ Canonicorum Præmonstratensium familiæ Monasteria, Scheffstlariense & Novæ Cellæ liberalissimè fundavit & condidit, sed & tertium Schlierense Canonicis Regularibus à se restauratum tradidit, iisque haud aliter atque pater filiis consuluit. Decessit hoc ipso anno idẽ Sanctissimus Pontifex, mortis, Divina revelatione, non ignarus, cum de Ecclesia sua ita meruisset, ut non tam *Instaurator* quam *Fundator* prædicetur. Tantum iterum, uti de plerisque per Germaniam, Galliam, Hispaniam &c. Episcopatibus parte I. meminimus, de sede sua unus noster Pontifex meruit, atque insuper eamdem Sanctitatis titulo gloriosiorem reddidit. Fuit Ottho Illustrissimi generis dignissimus surculus: S. Leopoldi Austriæ Marchionis & Magni Tutelaris præstantissimus filius; Henrici IV. Imp. ex Agnete filia nepos, Hẽrici V sororius, Conradi Regis Rom. frater uterinus, Friderici I. patruus; Henrici I. Ducis Austriæ, Leopoldi Ducis Bavariæ, Conradi Salisburgensis Episcopi, Sophiæ Vngarorum, Gertrudis Boëmorum Reginæ &c. frater germanus, vera tamen humilitatis & perfectionis Monachicæ exemplar; ut non tam Frisingensis solummodo Cathedræ, quam Germaniæ uniuersæ, perinsigne omnino, & merito celebretur ornamentum, meritus insuper, Chronico quod scripserat, quodque Doctorum omnium teritur manibus de omni sæculorum posteritate. *Ex mõim. Frising. Ioann, Cuspin. Rob. Bellarm. Radero, Montalbo, Manrique, Henriq. &c.*

Obligant seram sæculorum posteritatem, relictis ingenii præstantissimis monimentis, magnì è nostris Doctores & scriptores, B. Rupertus Abbas Limburgensis, Hugo Corbeiensis, Adelph[9] Abbas, Conradus Hirsaugiensis, Eckardus Abbas S. Laurentii, Guilielmus Abbas S. Theodorici, innumeri alii, singuli singulis illustrandis sæculis sufficientes. Legendi *Iepes, Trithem. VVion, Possevin. &c.*

*A. C.* 1160. *S. P. N.* 680.

GRavissimũ rursus in Ecclesia Schisma, fovente id ipsum nõ solum sed & suscitante Friderico Imp. Germaniæ vero Episcopis plerisque Cæsarem sequentibus, S. Ebethardus noster ex Abbate Biburgensi Archiepiscopus Salisburgensis, pro Ecclesia strenuè se opponit, Apostolicaque constantia, frementе licet Imp. Alexandro Papæ fidelissimè adhærens, tam Fridericum, quam idolum ejusdem Octavianũ Antipapam ad obitum usque constantissimè execratur. Meruit non hac solum fidelitate de Ecclesia universa B. Eberhardus, sed & multis aliis beneficiis Cathedræ suæ consulens, omnem provinciam æternum sibi obstrinxit ver[9] *Pauperum pater, & solatium afflictorum* celebratus, idem sempiternum Nobilitatis Germanicæ (fuit Comes de Hipolstein) egregia vitæ sanctitate decus & ornamentum. *Raderus, Iepes, Stengel. Baron. VVig. Hund. &c.*

Extinguitur hoc ipso anno B. VVallenus noster Meilrosensis Abbas, Malcolmi & Guilhelmi Scotiæ Regum avunculus, & ipse de toto Regno, cum aliis meritis, tum admirabili vitæ exemplo meritissimus, qui alia inter beneficia in occurentes collata, famis tempore, modicum frumentum benedicens, ut non Fratribus solum sed & pauperum quatuor millibus, & quidem per tres menses abũdaret, impetravit. Fuit promotor Cultus Mariani præcipu[9], cumque hora remunerationis appeteret, memorabili prorsus nuncio edoceri meruit, cum Angelus Fratri cuidam Meilrosensi Converso apparens, involucrum quoddam traderet, juberetque VValleno Abbati suo, directum à DEO & DEIpara porrigere. Accepit Wallenus, & explicans, lachrymis infusus, & genuflexus legit hoc tenore: *IESVS Christus, & Maria Mater ejus dilectum suum VVallenum salutant: Scias, quod exaudita est oratio tua; & inter duas festivitates Ioan. Baptistæ venies ad nos perpetuo victurus. Præpara te. Vale.* Ita rei eventus probavit; obiitque 3. Augusti 1160 &c. *Ex Vita & Menol. nostro &c.* Idem post mortem apparens, omnibus suis, se salutem impetrasse affirmavit, *citati.*

*A. C.* 1161. *S. P. N.* 681.

IMmortale hoc anno meritum Beati Petri nostri, ex Monacho Bonævallis Tarentasiensis Archiepiscopi Sedis Apostolicæ Legati, qui gravissimam dissensionem

ſenſionem, in funeſtiſſimum bellum exarſuram, duos inter potentiſſimos Reges, Henricum Angliæ, & Ludovicum Galliæ, feliciſſimè compoſuit, eoque nomine ampliſſima illa Regna æternum obligavit, tum impendentia nō ſolum mala clademque & extremas calamitates avertit, ſed intolerandas ad bellum exactiones ſuſtulit, pacemque optatiſſimam reddidit. Idem in Regna eadem ſumme beneficus, quacunque pertranſiit, omnes eorum ad ſe delatos infirmos, in oculis omnium mirificè ſanavit, & quod ad cumulum ingentium meritorum, ſummum omnino & maximum eſt: Reges ac provincias illas omnes à Schiſmate vindicavit, & ab Octaviano avertit, cum non poſſent non Alexandrum revereri, cujus Legatum intuerentur tantopere ab ipſomet Numine honoratum & commendatum. *Ang. Manriq. Ant. de Iepes. Baron. Henriq. Annal. noſt. Germ. &c.*

Ingens tota Germania concurſus ad ſepulchrum Beat. Bertholdi Garſtenſis Abbatis, innumeris prodigiis DEO ipſius ſauctitatem & merita conteſtante, afflictos iuvante, ut merito inter maximos Auſtriæ Tutelares idem celebretur. *Ex vita & Menol. noſt.*

*A. C.* 1162. *S. P. N* 682.

ITerum ſtrenuè paſſim agunt noſtri, & indefeſſam Sanct. Matri Eccleſiæ navant operam, nunc in Schiſmaticos, nūc in Saracenos, nunc in Gentiles, ſumma Romani Pontificis auctoritate glorioſiſſimas ſuſcipiendo expeditiones, atq; in omnes exerēdo utrumque gladium: nunc per Sacras militias, rebelles atque obſtinatos in ſcelere occidendo, nunc per Apoſtolatū & miracula, animas dudum mortuas vivificando. Evincit hoc ipſo denique anno obſtinatos tamdiu in errore Suecorum animos B. Stephanus noſter Vpſalenſium Archiepiſcopus, & aureum illud fanum, Septentrionalium omnium Regnorum ac gentium, unicum Oraculum, abolitis impiis ſacris, everſis ac protritis Idolis, vero Numini templum conſecrat, incredibili mox fructu prædicationem ejus per illa Regna conſequente. *Ex vita & Annal. noſt. &c.*

Ingentia prorſus & admiranda ſanè merita ſub hunc ipſum annum S. Hildegardis noſtræ, quibus ſeſe Eccleſiæ univerſæ commendavit: nam prætorquā, quod ad ipſam in difficillimis quibuſq; maximi Principes & Pontifices pro cōſilio occurrerent, mulier una prælia Domini præliari plus quam virili magnanimitate aggreſſa, in Catharorū evertendam Hæreſim tota inſurrexit, eoſdem ſcriptis doctiſſimis triumphavit & profligavit. Sororem imitatus Egkbertus, frater ejuſdem germanus, Abbas Schonaugiæ, præter alia præclari ingenii monimenta, inſignem contra eoſdem librum edidit. Sed & Berengarianum errorem repullulaſcentem, feliciſſimè opprimens, Cardenſem quendam ſubtilitate ingenii, & linguæ volubilitate doctiſſimis quibusque formidandum, de Sacramento Euchariſtiæ peſſimè ſētientem, & errores ſuos latè ſpargentē, apud Confluentiam in publico Doctorum Conventu, diſputatione non ſolū convicit, ſed & ab errore ad veritatis profeſſionē revocavit. *Ex Trith. Chron. Hirſ. Iepes. Annal. noſt. Germ.*

Eligitur hoc anno Cantuarienſium Archipræſul B. Thomas Becket, multum reluctans deprecatuſque, quin & comminatus ac proteſtatus: fore ſe adverſarium Regis, pro libertate Eccleſiæ, cum Rex ſummopere promotionem ejus urgeret. Coactus denique à Rom. Pont. Legato, prius admittere noluit, quam ſe Monachum faceret, quod nemo niſi Monachus impunè ſedem illā occupaſſet. Mox cum cucullo & Regula, noſtrorum morem amplexus, Regē adulari neſcius, murum pro domo DEI eidem ſe oppoſuit, & prælia Domini, inſuperabili conſtantia, contra ambitionem, amantiſſimi cæteroquin Principis, fortiter geſſit. *Ex Vita & Angl. Scrip. Baron. Iepes. &c.*

*A. C.* 1163. *S. P. N.* 683.

SUpremus hic annus B. Raymundo noſtro Abbati Fiterienſi, Calatravēſis Ordinis magno Inſtitutori, & multorum deinceps Ordinum Militarium primo Auctori, cum is inſtitutæ à ſe Militiæ annos ſex admirabili cum fructu præſtitiſſet, & fugientes primū noſtros revocaſſet, confirmaſſet, & Calatravæ oppidum communiens contra hoſtes fortiter propugnaſſet. Is plurimis deinceps & admirandis Victoriis à DEO donatus, alter Iudas Machabeus, rem Chriſtianam pcæclare reſtituit, ob ingentia

gentia

gentia merita *Pater Patriæ* & Liberator salutatus; quem etiam à morte insignibus & frequentissimis miraculis Numē honoravit, & militarem etiam tuendi honoris Christiani & nominis Zelum commendavit. *Ex Vita, Manriq. Menol. nost. &c.*

Eodem anno feliciter extinguitur B. Fastratus, totius sacræ familiæ nostræ Cisterciensis Prior Generalis, toto spectatus in orbe ob vitæ eximiam sanctitatem, quem, honorem illum refugientem, ipsa DEI para persuasit, occurrensque spectabili forma, velut Simeoni Seni, infans Verbum, cum his verbis in ulnas credidit: *Accipe*, ait, *filium meum & serva mihi illum*; cumque dicto disparuit. Adfuere morienti Alexander III. Papa, cum tota Romana Curia, qui & supremum inunxit, ejusque mortem, præsens item Rex Galliarum lugubriter deflevit. Vt quantum de tanto viro Ecclesia & Regnum Galliarum polliceretur facile advertas. *Ex Menol. nostr. Cl. Rob. Manriq. &c.*

Sed & tertium non minus illustre Ordinis sydus extinguitur, cælis inseritur B. Iossio Cælitum Imperatricis cultor præcipuus, & cultus mirificus promotor, monachus S. Bertini, cuius inventione habemus usum illum quinq; Psalmorum, quorum initiales litteræ nomen MARIAE exprimunt, insigni miraculo post mortem ejusdem sancti viri approbatum & commendatum, cū ex capite illius quinque purpureæ rosæ erumperent, una ex ore, duæ ex oculis, totidem ex auribus, in quarum prima aureis inscriptum litteris nomen apparuit. Ita 7. dies inhumatus, mirificum populo concurrenti spectaculum Iossio præbuit, atque etiam à morte cultum B. M. V. felicissimè promovit, magnis deinceps miraculis illustratus. *Ex Vita, Menol. nost. Menardo, VVione &c.*

Memorabili Sumæ Sedis reverentia, & honorum despectu S. Thomas Cantuariensis, honorem Archiepiscopalē, quod sæcularis Principis intercessisset auctoritas, à se abdicat, cui Romam venienti omnes Cardinales in occursum Alexander III. misit, & vel nolentem in Pontificatu confirmavit. *Ex Vita, Baronio, Maiheu, Harpsf. &c.*

*A. C.* 1164. *S. P. N.* 684.

MOritur, ille Virtute, doctrina, & ab his fama & gloria immortalis Gratianus noster Cavonistarum Phœbus. Cui postero ævo hoc illi ab Aldobrando Bononiensi positum Epitaphium:

*Gratiani Clusini, Cæsarii Iuris & Pontificii Enucleatoris propè Divini, qui Monachus in Martyrum Felicis & Naboris æde, absolutissimum ibidem opus Decretorum, anno Gratiæ* 1151. *compilavit, monumentum, quod illic carie ruderibusque obsurduerat, hic magnificentius renovatum Ioan. Eranciscus Aldobrandus Bononiensis 2. Dict. ære publico instauravit anno Sal. M. CCCC. IX. XC. Id. Iun. Ioanne Bentivolo 2. Patriæ Patre, Remp. feliciter gubernante.*

De ejus laudibus legendus Iepes tomo 7. cent. 7. 1151. Trith. Matt. Weiss. &c.

Approbatus hoc anno Ordo Militū nostrorum Calatravensiū à Rom. Pont. qui quantum deinceps multis sæculis pro Ecclesia præstiterit, quot ejusdem hostes subegerit, quantum sanguinis, purpuræ illius addiderit, volumine integro dignius esset celebrari, quam hic obiter tangi atque observari. *Ex Hist. Mil. Ord. & rer. Hispan. diversis script.*

Cælos triumpho implet, magnus ille & mirificus Ordinis per Gallæciā Reformator S. Ioannes Cyrita Abbas de Tarouca; idem immortaliter de Ecclesia & Regnis Hispaniarum meritus, instituto novo Militum nostrorum de Avis Ordine, quem optimis Legibus instruens, terribilem ac penè insuperabilem Christianæ fidei hostibus reddidit, & cum in vita, tum à morte patrocinio suo mirificè juvit; Ipse etiā, manu siquis ullus alius, & longe gloriosius Mutio illo Romano fortis, cum à Venere tentatus, dextram gloriosissimè exureret, & mirè triumpharet. Decessit 23. Dec. in Triumphale illud: *Te DEVM laudamus* erumpens, simulque ad triumphos æternos evolans. *Ex Vita & Menol. nost.*

Iterum meretur grandi merito, de amplissimis Sueciæ ac Septentrionis Regnis S. Stephanus noster Vpsalensium Archiepiscopus, Primas Regniatq; Apost. & gliscentia in grave exitiū provinciarū bella feliciter consopit incredibili populorū plausu, pacem ac quietem reddens. *Ex Vita, Ang. Manriq. &c.*

Depugnat inæstimabili merito, spectante cælo & orbe universo, paratissimus pro Ecclesia ejusq; libertate mortem oppetere S. Thomas noster Cantuariensis, de cujus laboribus & perpessis injuriis atque contumeliis fusè Baronius; verum in hoc plurimum aberrans, dum commendans Thomam, in Cistercienses nostros culpam rejicit non exacti denarii S. Petri, à Papa commendato illis negotio, sed timore Regis neglecto; cum contrarium constet ex ipsis Petri Blesensis verbis, dissertissimè Ordinem prodentis: *Rex Henricus*, inquit, *adversus duos Priores Ordinis tui inexorabiliter incanduerat &c.* ad quem eundem: *Tu vero Regularis Canonicus & spiritualis homo, quod in Canonum Epistola legitur, evolvere debuisses &c.* De quo consulendus fusior Ang Manrique. &c.

*A. C.* 1165. *S. P. N.* 685.

MOritur felicissimè Prophetissa nostra admirabilis, S. Elisabeth Abbatissa Schonaugiensis, postquam Delphici oraculi vice, maximis quibusque viris & Pontificibus, una hæc Virgo patuisset. Sed neque sæculo solum suo consuluit magna hæc Abbatissa, sed & seræ sæculorum omniũ posteritati, scripsitq; Latino sermone, eundem divinitus edocta, ad Ecclesiæ universæ ornamentum atque utilitatem.

Viarum DEI, opus subtilissimum atq; utilissimum, Libris 4.
Revelationum diversarum, Libros 2.
De undecim millibus Virginibus, S. Vrsulæ sociabus, lib. 1.
Ad S. Hildegardam Abbatissam, lib. 1.
Ad fratrem suum Egkbertum Abbatem, lib. 1.
Contra Hæresin Catharorum, lib. 1.
Epistolarum ad diversos, lib. 1.

Quam à morte etiam gravissimis miraculis Numen commendavit & illustravit. *Ex Vita &c.*

Extingvitur eodem anno B. Godefridus, ex Lingonensi Pontifice Claræ-vallensis humilis Monachus, *alter Bernardus* dictus, quo ipso ex nomine, de merito ejusdem omineris. Manrique Henriq. &c.

Hunc ipso item anno ad cælos consequitur B. Petrus Alcobaziæ monachus, Alphonsi I. Lusitaniæ Regis frater, qui postquam magnis meritis patriam demeruisset, & bello felicissimus, multas de Christiani nominis hostibus victorias retulisset, de seipso triumphãs, tantus Princeps Fratrum Conversorũ numero adscribi voluit, DEIparæ in Monasterio adeo devotus, ut dum Angelicam salutationem recitaret, vel solam B. M. V. intueretur, illico in extasim raperetur. *Ex Vita & Menol. nostr. nec non Ephemer. nost. Marianobened. &c.*

Libet tanto Principi fæminam quoq; jungere, Sibyllam Fulconis Regis Hierusalem filiam, Theodorici Flandriæ longe Illustrissimi Comitis lectissimam conjugem, quæ dolente plurimum marito, & ægrè admodum annuente Ordinem nostrum in Sanct. Lazari Hierosolymitano Cœnobio professa, memorabili celebrata sanctitate, septimo religiosæ professionis anno in cælos evolavit. *Ex Claud. Parad. Iac. Meyero &c.*

*A. C.* 1166. *S. P. N.* 686.

MAgnum denuo terris ex Ordine nostro terris subducitur, cælo infertur B. Ailredus Rievallensis Abbas, vir sanctissimus, idemq; eruditissimus, Theologiam grandi miraculo, suoque ac suorum fructu, uti Doctor Angelicus, divinitus edoctus, & cum penè illiteratus est, scribere jussus, librosque edere, tanti & ipse habitus ut alter Mellifluus Bernardus celebraretur; à scientia infusa planè mirificus. *Ex Vita & Manriq.*

Admiranda constantia, non in Regẽ solum usus S. Thomas noster Cantuar. nec Episcoporum quidẽ, ubi deliquissent, tanti auctoritatem & amorem fecit, quin magnanimiter in eosdem pro æquitate animadverteret. Hoc autem anno Legatione functus Apostolica, Henrici Regis Legatos, jurantes Regis nomine in Conciliabulo Herbipolensi, inhærere Guidoni Schismatico, excõmunicavit. *Ex Vita & rer Angl. script.*

In Augiensi, Sangallensi, Einsidlensi, Weingartensi, Schaffhusano, S. Blasii, aliisque Germaniæ superioris Cænobiis, ingens Principum, Comitum & Germaniæ Magnatum numerus, è sæculi intumescentis fructibus, in Religionis portum emergit, & vilissimis, ultro seaddicens servitiis, mundum admiratione rapit, cælum recreat universum iidemque efficiuntur usque hodiè præcipua diversarum familiarum ornamenta, ita ut vix illustris aliqua etiam hoc in

præ-

præcipitio ætatum & sæculi superſit, quæ non aliquem, & plurimos ſæpe in ordine noſtro ſanctitatis opinione celebres enituiſſe glorietur, ſibique ac poſteris de æterno ejuſdem patrocinio gratuletur. *Ex Annal. noſt. Germ. Menolog. & Conſt. Benedict. &c.*

*A. C.* 1167. *S. P. N.* 687.

ITerum feliciſſimi militum Ordinis ſub Regula S. P. N. BENEDICTI, & inſtituentibus noſtris initia: S. Michaëlis Archangeli ſub Auſpiciis & Patrocinio, vulgo *de Ala* cognominati, quod præſentiſſimũ ſæpius Magni Michaëlis auxiliũ experti, miras de Mauris Victorias retuliſſent, cum in oculis frequenter totius exercitus pennatum in aëre brachium, acies noſtras præcederet, & potenti gladio atque invincibili hoſtes cum profligaret, tum in fugam cogeret; Numine ſummopere conatus noſtrorum in inſtituendis ejuſmodi militaribus Ordinibus probante, juvante ac remunerante. Vt iterum ſervatorum Regnorum decus, poſt DEVM præcipuè ad Monachos pertinere videamus. *Ex rer. Hiſp. ſcript.*

Florent, orbique afflictiſſimo conſulunt plurimi Epiſcopi noſtri, eoſque inter Theodoſius Abbas Caſin. S. R. E. Cardinalis Ludovicus de Lierheim ex mon. S. Vdalrici Auguſtanus Pontifex, Bernardus ex monacho Montis Thabor in Palęſthina Liddenſis Epiſcopus, Bernardus ex mon. Sanbloncellenſi, Sanctonenſis, aliique plurimi. In terra Sancta ii noſtrorum ſucceſſus & incrementa, totque Cænobia Cluniacenſibus noſtris condita, ut etiam ſub hæc tempora, digniſſimam terra promiſſionis Congregationem *Montis Thabor* dictam inſtituerent, extendente ſe Cluniacenſium jure uſque in Vallem Ioſaphat, & Sepulchrum Dominæ noſtræ, cui inſigne Ordinis noſtri Cænobium adjectum, ita ut eodem tempore etiam Domini Sepulchro noſtri præeſſent. *Leg. Epiſt. Petri. Venerab. Chron. Cluniac. Arn. Duac. &c.* Singulare prorſus Numinis in noſtros argumentum benevolentiæ & dilectionis, quibus quod optimum & præſtantiſſimum in terris eſſet crederetur.

Iterum legatus Apoſtolicus S. Thomas noſter Cantuarienſis, eo munere in Anglia præclare fungitur, ut ridenda ſanè impudentia Rex, eludens antea omnem Pontificiam Majeſtatem jam denique ipſe, juſto DEI judicio, contra Thomam, ad Romanum Pontificem appellaret. *Ex Vita, ſcript. Angl. Symbolis noſtr. Eccl. Hiſt. &c.*

*A. C.* 1168. *S. P. N.* 688.

OCcidit ingenti bonorum dolore, ſydus Eccleſiæ & Germaniæ maximè noſtræ lucidiſſimum, B. Conradus Salisburgenſis Archiepiſcopus, robuſtiſſimis Reipubl. Chriſtianæ, afflictiſſimo tempore, columnis merito adnumerandus. De quo ita Biſciola: *Vir fuit Conradus undecunque præſtantiſſimus, genereque nobiliſſimus. Quippe natus patre Liupoldo Marchione Auſtriæ, matre Agnete, filia Henrici IV. Imp. germanus fuit Conradi Regis Rom. Fridcrici vero Imp. patruus, & ſororius Henrici V. itidem Imperatoris &c. Idem vero ſcientia & morum probitate longe clariſſimus, poſtquam ad Saltzburgenſem ſedem translatus eſt, cum penè Germaniæ & Italiæ Prælati, in gratiam Imp. adhærerent Guidoni Antipapæ, & ſacramento, ne ab eo recederent, ſponte vel coactè ſe obligarent; ipſe palam firmiuſque adhærens Alexandro legitimo Pontifici & Catholicis, immobilis extitit columna Veritatis* &c. Vid. cit.

Innovatum hoc ipſo tempore, priſcum in Rege Galliæ miraculum, qui ſe *mediatorem*, ut vocant, inter Regem Angliæ & S. Thomam noſtrum conſtituens, cum Thomas nihil minus quam de conſtantia remitteret, victus ante ipſum qui impetebatur, Rex Mediator, in Thomam denique ipſus incanduit, & vitæ quoq; congruam ſuſtentationẽ eidẽ ſubtraxit. Thoma vero nihilominus, invicto permanente, facti pœnitens Rex Chriſt. eũ rurſum ad ſe vocavit, & corã omnibus ad pedes ejus cũ lachrymis ſe projiciens, veniam ab eo poſtulavit, & peccati abſolutionẽ, quod dediſſet ei conſiliũ, ut ad nutum hominis, honorem DEI remitteret. *Vid. Baron.*

Non minore animo ſe oppoſuit ipſi Friderico Imp. Conradus noſter Lubecenſis Epiſc. frater Geroldi I. Aldeburgenſis Epiſcopi, mon. Reddageshuſanus, qui quantumuis alii Epiſcopi Guidonem ſequerentur, conſtantiſſimè Alexandro adhærens, nunquam admiſit, ut Epiſcopatum per Virgam ab Henrico Duce reciperet. *Vid. Helmoldus, Crantz. Annal. noſt. Arn. Duac. &c.*

A. C.

*A. C.* 1169. *S. P. N.* 689.

ADmirandis prorsus Zelo ac fervore, nostri de Calatrava, Alcantara, Avis, & Ala Ordines Militiam suam prosequntur, quibus maximi quique adjuncti Principes ac proceres arma contra hostes fidei animose sumunt, generose gerunt; fuitque videre stupẽda sanè generositatis exempla, qualia vix vidit antea orbis Christianus, cum præter viros sacros, soli Domino, in maximo vitæ rigore contra invisibiles hostes & potestates, rem fortiter gerentes, sæculares quivis homines nostrorum opera, religiosam planè vitam sub armis sæculi gererent, & præparati animo ad pugnam, innumeri sanguinem suum Domino consecrarent, sive memorabiles de hostibus Ecclesiæ triumphos referrent. *Ex cit. rer. Hisp. script. &c.*

S. Thomas Cantuariensis, ad miraculum constans atque invictus, pertinacissimo Regi obnititur, & prodigiosa sanè constantia & patientia pergit rriumphare, de quo mira leges hoc anno apud Baronium.

In Cluniacensi Archisterio, mira Sãctorum copia, & ii successus, quibus orbis universus, & remotissimæ provinciæ ditarentur. *Ex Chron. Cluniac. Ant. de Iepes &c.*

Moritur Guntherus ab Andlow, S. Blasii in Hercinia egregia virtute & prudentia Antistes, tanta apud Romanum etiam Pontificem existimatione, ut Pontificatu Lugdunensi dignissimus haberetur, & ab eodem donaretur, etsi intrusi, an ambitiosi alii facilè illi præciperent, qui pridem omnia cucullo posthabuisset. *Ex monim. Cœn. S. Blasii, Constant. nost. Bened. &c.*

*A. C.* 1170. *S. P. N.* 690.

OCcumbit hoc denique anno, si quis titulo dignus, de credita sibi Ecclesia, deque libertate Ecclesiastica meritissimi, magnus ille Angliæ Primas, S. Thomas noster Cantuariensium Archiepiscopus; de cujus morte & causa ejusdẽ cognitissima supersedemus scribere, quod de his fuse Baronius omnesque rerum Britannicarum scriptores egerint, qui consulendi. Quo ipso anno natum S. Dominicum, magnum illum Ordinis Patrum Prædicatorum Institutorem scribens idem Baronius insigne DEI beneficium commemorat, quod tanto sydere occumbente, singulari DEI providentia, aliud oriretur. Tantum vero virum Ordini quoque nostro, post DEVM ipsum, maximè deberi, uti palam est, sic vel maximè facit ad Sancti Dominici nostri de Silos Abbatis commendationem. Ad hunc cum Felicis Guzmanni uxor, Ioanna fæmina ut nobilissima sic religiosissima plurimum afficeretur, ejusque Cœnobium ac sepulchrum frequentaret sæpius, & devotissimè coleret, magna magis magisque de tanto Tutelari suo spe cõcepta, cum sterilis esset, multis & assiduis precibus, conceptoque Voto filium sibi donari rogavit atque impetravit; quem beneficii memor à Dominico cognominari Dominicum voluit, atque etiam deinceps eodem in Monasterio educari. Meruit & alium deinceps Ioanna B. Mammertum nostrum, dignum Dominico fratrem, qui S. P. N. BENEDICTO se devovens, S. Petri prope Gumialem Abbas effectus, magnus & ipse evasit. Sed de nostrorum in S. Dominicum ejusque candidissimum Ordinem beneficiis, Dominicique ad nostros propensione, alias sæpius, ipsa cælorum Augusta, ut suo dicemus loco beneficia illa in nostris agnoscẽte, probante, & celebrante. *Ex Ephem. nost. & Chronol. Benedict-Marianis. &c.*

Radiis & splendoribus Sanctorum illuminat percellitque Rhætiam universam, vicinamque Helvetiam, atque egregiè demeretur B. Algottus noster Curiensis Pontifex, plurium Cœnobiorum cum Fundator, tum Restitutor, qui & Cathedram suam æternum sibi obligans, Ecclesiam Cathedralem restauravit, tamque Clericos quam Monachos, felicissimè reformavit, ut non tam cælo proxima montium verticibus Rhætia esset, quam pietate ac Religione. *Ex vita, & Annal. nost. Germ. &c.*

*A. C.* 1171. *S. P. N.* 691.

MAgno cælitum applausu ad eosdẽ concedit, S. Petrus noster ex Monacho Bonævallis Tarantasiensis Archiepiscopus, de Ecclesia sua non solũ meritissimus, quam pessime afflictam reperit, sed & de orbe Vniverso. De quo Gaufridus, & in annotationibus Haræus, eum solum, vel prope solum ex Metropolitanis palam restitisse sui temporis

temporis Schismaticis. Nihilominus tamen ab Imperatore cultum devotis officiis, non minori reverentia eidem obsequente, quam gravissimo scelere Catholicos persequente. *Ex vita Yepes. Clem. Robert. &c.*

*A. C.* 1172. *S. P. N.* 692.

DE pænitentia Regis Angliæ, & ex hac fructu (sanè etiam ipso D. Thomæ assignando) ob occisum sanctissimũ Cantuariæ Præsulem, de ejusdem item familiaribus, & exilii sociis, ad summos Ecclesiæ honores promotis, (quorum plerique, si non omnes, nostri professione fuere) fusè Baronius: de his postremis subjungens. *Talis erat familia præclarissimi Viri, non ad oculos serviens, sed planè ea, quæ eorum dominus constantia prædita in perpessione laborum, Viri Apostolici, Viribus Apostolicis decori, digni habiti, qui præ cunctis, ad Ecclesiasticos promoverentur honores.* Institutus sub hæc tempora Ordo Humiliatorum sub Regula Sanctissimi P. N. Benedicti, multis annis exemplari Vita, & ingentibus meritis Ecclesiam Dei ornans adjuvansque *Vit. VVion. l.* 1. *c.* 59. *&c.*

*A. C.* 1173. *S. P. N.* 693.

INgenti Ordinis nostri gloria, bonorum omnium applausu S. R. E. Cardinalium unanimi consensu, auditis quæ Deus in manu potenti & brachio excelso operaretur ingentia & frequentissima miracula, ad Sacrum corpus, novi Martyris Thomæ Cantuariensis, retulit eum solemni ritu in numerum Sanctorum Martyrum Alexander Papa III. *Vid. Rer. Angl. script. & Baron.*

Constantiæ Benedictinæ aliud exemplum, & Speculum Henricus ex Monacho & Abbate Sanct. Ægidii Brunsvvicensis Episcopus Lubecensis, sed & doctrinæ & meriti ingentis: Is præsente Imperatore Constantinopolitano grandem sustinuit disputationem, super processione Spiritus Sanct. in Controversia Latinæ & Græcæ Ecclesiæ, & Græcorum erroribus gloriosissimè restitit, plura insuper ingenii monimenta posteris reliquit. *Vid. Suppl. Helmoldi, Crantz. Trithemium VVion &c.*

*A. C.* 1174. *S. P. N.* 694.

HOC anno immensis ob rebellionem suorum, Rex Angliæ Henricus Senior, coangustatus ærumnis, ob necem Doct. Thomæ illatam, non dubitans fieri, ad ejus sepulchrum invisit. Antequam autem Cantuariam intraret, ut ipsam vidit Metropolitanam Ecclesiam, in qua Martyr requiescebat, mox incredibiliter humiliatus, pauperis servi formã induit, nudibus pedibus, totoque nudato corpore, præterquam vili quadam tunica super nudo amictus, & pedes, & nudus sic palam in omnium conspectu civitatem intravit, & per vicos & plateas luteas cum suspiriis, & gemitibus incedens, Martyris adiit sepulturam; & ad illam tota ea adventus sui die; & nocte sequenti, jejunus & pervigil in oratione perstitit, convocatoque Monachorum Cathedralium cætu, à singulis virgæ disciplinalis percussiones singulas accepit. Ex Hereberto. Addit de admiranda Victoria ejusdem Regis, tantam pænitentiam consequuta, eâ ipsa hora, quâ nec dum refocillatus, pedibus cæno lutosis erat, Rege Scotorum Hostium juratissimo, à militibus intercepto, cismarinis ac transmarinis paulo post in potestatem ejusdem venientibus, ut videas quantum nostrorum preces, & suffragia etiam post mortem possint. *Vid. Herebert. Roger. Neubrig. Petrus Bles. &c.*

*A. C.* 1175. *S. P. N.* 695.

PRodest consilio, auctoritate, ac Sanctissimæ vitæ exemplis universo Orbi, Sãctissima Hildegardis nostra, cujus consilium summi Orbis Principes, familiarissimis, & demisissimis litteris exquisierunt; quorum multos recenset Trithemius, nempe: Eugenium III. Anastasium IV. Adrianum IV. Alexandrum III. Romanos Pontifices; Conradum III. Fridericum I. Imperatores. Archiepiscopos Moguntinos, Henricum, Arnoldum, Christianum, Treverenses, Colonienses, Bremensem, Salisburgensem, Magdeburgensem, plures per Italiam imò & Hierosolymitanum ipsum. Episcopos Spirensem, Constantiensem, Bambergensem, VVormatiensem, Virdunensem, Lugdunensem, &c. ut nihil de Abbatibus dicamus, ipsoque Divo, dum viveret, Bernardo Clarævallensi, aliisque, qui ad Hildegardem, non aliter quam Lydium lapidem, se ipsos suaque examinantes ab eadem velut Delphico olim gentiles oraculo, Dei Voluntatem cognoscere satagebant. *Videndus Chronico Hiersaug. noster. Trithem. ex Vita &c.*

*A.C.* 1176. *S.P.N.* 696.

ORitur pestilentissima Albigensium Hæresis, contra quam illico nostri se strenue obarmant, & multorum annorũ assiduis laboribus, scribendo, disputando, convincendo miraculis, alios ad pugnam excitando, contra eosdem æternum operam suam & merita Ecclesiæ commendant, nonnulli etiam vitam cum sanguine profundentes, quos inter Cistercienses inprimis nostri Constantiam suam probavere, ex Gest. Sim. Montf. bello Albig. &c. Henriq. &c.

Strenue sentientes & stantes pro Rom. Pont. Alexandro Hirsaugienses nostri cũ suo Ab. Ruperto, plurima ab Imperatore, & ejus fautoribus perferunt, Rupert⁹ maximè Ab. qui ne quid gravius suis eveniret Abbatia sua abdicat. Ita honori omni, nostris semper potior æquitas fuit. *Trithē. Chron. Hirsaug.*

*A.C.* 1177. *S.P.N.* 697.

CLarent sub hæc tempora Viri in ordine doctissimi, Arnoldus Abbas Bonævallis Cistert. Richardus Cluniacensis, cujus insigne opus Historia temporum inscriptum. Rupertus Mon. S. Remigii inter multa, quibus nomen posteritati transmisit, sunt libri decem de gestis Vrbani II. contra infideles. Granfredus Antisiodorensis, cujus præter Comment. in Apocalypsin liber insignis celebratur cõtra Hæresim Abailardi. Ita semper à nostris contra insurgentes undique Hæreses laboratum & pugnatum. De aliis requirendus *Trith. Gauller. Bellarm. &c.*

Beatus Eskilus Lundensis Archiepiscopus, sedis Apostolicæ Legatus post superatas in causa fidei plurimas calamitates, plurimis ab Idolorum servitute vindicatis in libertatem filiorum Dei, pontificatu se abdicans, cucullum induit in Claravalle. *Vid. Henrique &c. Baronius &c.*

*A.C.* 1178. *S.P.N.* 698.

SEbastianus Ziamus Magnus ille Venetorum, celebratissimus meritis & fama Princeps, postquam Rempublicam annis sex summa cum laude gubernasset, inter Papam Alexandrum III. & Fridericum Barborossam Imperatorem Pontificis iussa detrectantem, pacem composuisset, Antipontifici abdicationem suasisset, Reipublicæ suæ multa à Romano Pontifice privilegia, aliaque inter celeberrimam illam maris desponsationem, reliqua Ducalia (quibus hodieque utuntur Duces Veneti) Ornamenta, immunitates item Imperiales plurimas sibi ac successoribus impetrasset; tandem fastum hujus Sæculi relinquens, jam senio & infirmitate gravis ad Monasterium Sanct. Georgii majoris, ut quietius Deus viveret se recepit, & habitu Religionis indutus singulari Numinis bonitate, optimi Principis Vota recipiente, altera post eam, quà cucullum induit, die feliciter extinctus, ad immortalitatem felicissimam translatus est. Andreas Bendulus. Hier Henning. Wion. &c.

Eodem anno fit S. R. E. Cardinalis ob eximiam Virtutem Petrus Monachus *Sanct.* BENEDICTI de Padolyrone, quo eodem tempore ex eodem Cœnobio claret Theoclinus *S. R. E.* Card. Tit. sanct. Vitalis ipso hoc anno creatus Episcopus Card. Portuensis, Sedis Apostolicæ Legationibus meritissimus. *VVion Ciacon.*

*A.C.* 1179. *S.P.N.* 699.

COntra Hæreticos Albigensis fortiter decertat, & æterno merito Ecclesiam Dei propugnat Henricus Abbas Claræ-vallensis, de cujus admiranda planè constantia summè memorabilia tradit Chrysost. Henriquez in fascic.

Ipso anno, qui vivus de Ecclesia universa, inprimis Vero Angliæ Regno meruerat sanct. Thomas Cantuariensis, jam mortuus de Regno Galliarum mereri voluit, Philippo Ludovici Francorum Regis filio ad mortem ægrotante, per prodigium restituto, ad cujus sanctissimi Martyris tumulum per noctem invisere jussus, si salvum filium vellet Rex pater, petita securitate ab Angliæ Rege, Cantuariam supplex abiit, reversusque cum filium incolumem reperisset, alterum post mensem Rhemis coronari in Regem fecit. *Rogerius in annal. fuse, Vid. & Baronius.*

*A.C.* 1180. *S.P.N.* 700.

ITerum provincia nostrorum sanguine nobilitanda erat, Livonia nimirum, in cujus conversionem B. Bertholdus ex Monacho Cisterciensi Episcopus, sedulo incubuit. Is Apostoli nomen non solum, sed novi quoque, ac utilissimi Ordinis parentis, & propagatoris nomen meruit, ejusdem ipse, Cruciferorum nimirum militum, aliquamdiu Generalis. *Vid. Henriquez l. 2. dist.* 35.

Eo

Eo ipso anno moritur 8. Mainardus noster, Livoniensis item Episcopus, qui eam invectus provinciam cũ mercatoribus, ut populis illis fidem Christi annunciaret, post multos pro Christi perpessos labores, tam in prædicando, quã in baptizando, vir Apostolicus, cum magna Sanctitatis Opinione ad Apostolicam laureolam percipiendam vocatus est. *Belforestius. Wion.*

*A. C.* 1181. *S. P. N.* 701.

MOritur circa hæc tempora (quamvis nonulli ceu indubitanter priorem annum assignant) Sanctissima Hildegardis nostra, Abbatissa Bingensis de Summis Orbis Principibus, atque Ecclesia Universa longè meritissima, quã in rebus difficillimis, viri doctissimi, & Sanctissimi consuluere, eiusdemque Orationibus Romanam Ecclesiam, scriptis eam crebrius Visitantes, diversi Pontifices Rom. sollicitè commendavere. Reliquit admiranda scientiæ divinitus infusę, omni posteritati, plurima monimenta, inter quæ ista etiam recensentur. Scivias; id est, de scientia viarum Dei, & hominis, grande volumen, & mirabile opus. l. 1.

De Sacramento Altaris, contra Catharos. l. 1.
In Evangelia Dominical. Homilias. l. 1.
Divinorum Operum. l. 1.
Vitæ meritorum. l. 3.
Triginta quæstionum. l. 1.
In Regulam S. P. N. BENED. l. 1.
Exhortatorium sæcularium. l. 1.
De Vita S. Ruperti Ducis. l. 1.
De Vita S. Disiboti Episcopi. l. 1.
Ad sorores suas O filiæ quæ Vestigia. l. 1.
Ad Monachos Erbacenses Paregoricon. l. 1.
Carminum diversorum. l. 1.
Epistolarum 135. ad diversos. l. 1.
Compositæ Medicinæ. l. 1.
Ad Clerum Coloniensem de futuris periculis. l. 1.
Ad Treverenses de eâdem re. l. 1.

De Pinguia Physicorum, id est de Elementorum, fluminum aliquot Germaniæ, metallorum, leguminum, fructuum, herbarum, arborum, arbustorum, piscium, volatilium, & animantium, terræ naturis & operationibus.

Et quis non intentis unius Virginis meritis, & laboribus, Dei manum miretur, & Virginum Sacrarum ceu immeritarum, & Ecclesiæ inutilium contubernia sacra damnet, seu rideat? *Vid. Trid. Wion. &c.*

*A. C.* 1182. *S. P. N.* 702.

CLaret egregia Sanctitate B. Bartholdus Montis Angelorum Abbas in Helvetia: cuius extat liber doctissim⁹, insigne ingenii ac pietatis monimentũ, meriti maximi æternum signum, contra Abbatem S. Ioannis in Thuræ, sive Durii Germ. Valle. Is gravem, & perniciosum S. Ecclesiæ, errorem cum acriter defenderet, constantissimè à Bartholdo impugnatus, & ammonitus, rationibus denique convictus, manus dedit, & resipuit. Ita sexcenti sępe errores à nostris impugnati, & Hæreses oppressæ, antequam in apertum erumperent, & gravi peste ac strage in integra Regna ac provincias bacharentur tanto maiore nostrorum merito, quanto minore Reip. Christianæ damno sopitæ sunt. Vide de Bartholdo mon. Montis Anglor. de quo nos multis t. 3. Constant. Bened. & Hartm. in Annal. Einsidl.

Claret admiranda sanctitate S. Waltherus noster Abbas Melrosensis ex Regibus Scotiæ, filius Davidis Regis, qui Episcopatu S. Andreæ repudiato, cucullo plus detulit. Vid. Leslæus. &c.

Celebrantur plurimi Ordinis nostri Episcopi, interque alios B. Alanus Altisiod. & Eskil. Lundinensis.

*A. C.* 1183. *S. P. N.* 703.

ÆTerno nostri ordinis cum honore Guilhelmus Monachus S. Trinitatis Cavæ, & secundus Abbas S. Mariæ Novæ in monte Regali à Lucio III. sum. Pont. petente Guilielmo Bono Siciliæ Rege creatur primus Archiepiscopus Montis Regalis. Ita rursum celeberrimi Archipontificatus initia nostrorũ primitiis commendanda. Ludovicus Lellus. Wion. &c. De eiusdem Cathedralis templi collegio, à Monachis possesso vid. Yepes tomo 6. aliiq; quos ipse citat.

*A. C.* 1184. *S. P. N.* 704.

INexplicabili labore contra Albigenses Hæreticos contumacissimos non solum, sed & superbissimos decertant

nostri, maximè Claræuallenses. vid. Henriq.l.1.Fasc.SS. Cistertiens.

Celebratur admiranda sanctitate B. Petrus Abbas, ex Galliæ Regum Sanguine procreatus, singulariter à B. Matre Virgine honoratus & amatus. De cuius insignibus meritis legendus idem Henriq.l.2.

*A.C.* 1185. *S.P.N.* 705.

CLaret insigni nominis & Virtutis fama Petrus de Insula Abbas Cassinensis, qui non in Cænobio solum, sed & Ecclesiæ Universæ non semel operam suam strenuè navavit in Lateranensi inprimis concilio, ad quod singulari tunc sanè cum honore vocatus, ut eius consilio Summus Pontifex Alexander in re longe gravissima uteretur. Ex diversis. & M. Anto. Scip. &c.

Fridericus Imperator, quantumvis nec ipso Pontifici Romano semper æquus, etiam ipsi quidquam concedere indignum duceret, admirando sane exemplo, ceu dignius putaret Monachis parem currere, eorum & dici, & esse frater exambiit, & quidem ne quis semi fraternitatem seu appellaret, seu veritatem dimidiaret, plenum Cænobii Ysnensis Fratrem, appellatum, & ex eo titulo, haud parum sibi gratulatum fuisse, ex certis monumentis in tomo 3. nostræ Constantiæ Benedictæ asserimus.

Ingens ad nostrum ordinem ex omni statu confluxus, ut saluté hoc ipso tempore, innumera quasi multitudo, cucullo post Deum debeat. Vid. Trith. wion. Const. Bened. &c.

*A.C.* 1186. *S.P.N.* 706.

EX splendescit præclarissimum Ordinis nostri Ornamentum B. Henricus Altæcumbæ, dein Claræuallis Abbas. S. R. E. Cardinalis Albanus, cuius infinita penè merita, si numerare conaremur: inter tanta paucissima referimus: Episcopus Tolosanus, ubi maxime Hæresis Albigensium sedem habuit, electus, omni modo contranititur, bellum aliàs funestissimum Hæreticis iisdem illaturus, contra eosdem proin mittitur, contra quos Fideles, provocat, & ad prælium accendit, sed & pari industria crucem contra Mahometanos prædicat; Legatus à latere in Galliam, mox & in Germaniam missus, multa præclare agit. Urbano, qui Lucio successerat, mortuo, cum sanior pars Cardinalium ipsum eligere, Pontificem vellent, ipse totis viribus renuens, signoque crucis se muniens affirmavit: se nullum aliud officium assumere, nisi iter Hierosolymorum promovere, & crucem ubique prædicare, ac proin consecrato Gregorio id insigniter pręstitit, ut suo loco dicemus. Sicq; de aliis alibi. Henriq. &c.

*A.C.* 1187. *S.P.N.* 707.

ITerum ex Ordine nostro summus Pontifex deligitur S. Gregorius VIII. qui paucis diebus, quibus præfuit, æterno merito profuit, & Ordini ingens decus, ut Orbi commodum addidit: cum inprimis pro subsidio terrę sanctę ad universos Christi fideles litteras dedit. Dein alias adiecit, quibus ieiuniũ quinquennalis Vniversis indixit, ita ut toto eo tempore cuncti fideles saltem per omnes sextas ferias ieiunium quadragesimale observarent, feria autem quarta à carnibns abstinerent, ipse verò Pontifex & Cardinales secunda quoque feria similiter cum suis familiis ab esu carnium cessarent &c. ab eodem firmissima pax inter omnes Principes ad septennium instituta. Hęc ipsa & plura sane admiratione digna, narrat de Gregorio Baronius: Verum is multo bonorum omnium dolore altero statim mẽse extinguitur.

*A.C.* 1188. *S.P.N.* 708.

LAborat fructu ingenti in Ecclesia, Henricus S. R. E. Card. Episcopus Albanus, in cruce inprimis contra infideles prędicanda, adeo ut hoc anno eandem suscipiendam permoverit, summos plane Orbis Principes, Fridericum Barborossam ipsum Imp. Reges dein Francorum atque Anglorum, Principes, Magnatesque innumerabiles ex Germania inprimis atque Gallia Lepidum, quod eidem in itinere accidit; cũ exin in Comitatu semper Monachos haberet, & forte ab eorum aliquo sciscitaretur, quisnam ex ipsis foret, qui dignius in medium, de re aliqua sacra quidpiam proferret, & ipse in simplicem fratrem laicum digitum intenderet, jussus is ab Cardinale illico verbum ędificationis proponere, cum excusando nihil proficeret, denique eloquitur. Quando mortui fuerimus, & deducti ad Paradysum, occurret nobis S. BENEDI-

NEDICTVS, visis nobis Monachis cucullatis cum gaudio introducet. Viso vero Henrico Episcopo & Cardinali, mirabitur infulatũ eum, & dicet. Quis enim es tu? Et ille: Pater, ego sum Monachus Cisterciensis Respondebit Sanctus: nequaquam, Monachus non est corniculatus. Tunc Henrico satis pro se allegante, tandem huiusmodi data sententia dicet Ostiariis Sanctus BENEDICTVS: ponite eum supinum, & Stomachum eius scindentes aperite, si inveneritis olera incondita, faba, pisa, lentem, pultes, cibosque regulares cum Monachis intromittatur: Sin autem, scilicet pisces grossos, & cibos sæculares atque delicatos, foris maneat: dein cõversus ad Cardinalem subiicit. Quid illa hora dicturus es pauper Henrice? Commendavit exhortationem Henricus, ne irrisisse putes, & cordi habuit: unde si nulla alia supperet laudis materia, nunquam satis ipse commendand⁹. Cæsar. Henriq. &c.

*A. C.* 1189. *S. P. N.* 709.

RVrsus commendandum ingens meritum eiusdem, de quo iam primum Henrici. Eius nimirum prædicatione, ex contumacissimo, Obedientissimum Romanæ Ecclesiæ filium factum Fridericum Imp. & quos angue peius prius oderat, Monachos nostros, eisdẽ scelera exprobrantes, eisdem denique propensione addictissimum, inter fratres Cistercienses adscribi voluisse. Supremo verò meruit hoc ipso quoque anno, dum gravi licet morbo afflictissimus, in partes Belgicas deveniens ibidem pacem inter Comitem Flandriæ, & Episcopum Atrebatensium composuit, longa prius & pernitiosissima inter se dissensione dissidentes. Vid. Cæsarius. Henriq. &c.

Clarent plurimi Ordinis nostri S.R.E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Viri docti, atque genere illustrissimi, Req. Wion. Trith. &c.

*A. C.* 1190. *S. P. N.* 710.

CLaret admirandus omni posteritati, durante in hodiernam diem merito, B. Joachim Abbas Monasterii Coratii, Congregationis Florensis, à quo ipsa illa congregatio initium & Originem, dignissimo sane & utilissimo instituto, habuit, quem imprudenter nonnulli tanquam Hæreticum damnant. Extant hodieque eius prædictiones, planè admirandæ, & posteris quoque teris profuturæ. Vid. Baronius. Leand. Bonon. Trithe. Wion.

*A. C.* 1191. *S. P. N.* 711.

IN extinguenda Hæresi Albigensium indefessa nostrorum vigilantia & cura, quod singulis ferè annis exin referendum & laudandum foret. Ex Hist. Albig. Henriq.

Plures ex ordine S.R.E. Cardinales, Ecclesiæ auctoritate, consilio & navata strenuè opera, plurimum prosunt; quos inter eminet Gandulphus ex Monacho Placentino S. Sixti Congregationis Cluniacensis. S.R.E. Cardinalis, Tit. SS. Cosmæ & Damiani: cuius studium insigne fuit, in reperiendo corpore S. Sixti, Divina revelatione de hoc habita. Ut proin ipsi plurimum debeant pro tanto thesauro Placentini; Roffredus etiam ex Monacho Cassinensi S.R.E. Card. Presbyter Tit. SS. Marcelli & Petri: cuius laus non minima, cucullũ semper rubeo galero antetulisse, neque inter delicias & pompam morte prævẽtum, sed pro voto in Cænobio suo Cassinensi mortuum, & conditum fuisse; ex monum. Cass. Panvino, Ciaconio. &c. Eodem anno moritur Joannes Episcopus Lugdunensis ex Abbate Eligiano ob præclaras dotes ab ipso summo Pontifice ex Cænobio extractus, quo ipso tempore, antecessor eius in Episcopatu ibidem Joannes, egregia claret nominis, & honoris fama Monachus Cluniacensis, cum meritis ingentibus, tres successivè Pontificatus, Pictaviensem, Narbonensem, & Lugdunensem administrasset. Ex Ferr. Locrio partim Cl. Roberto, cui distinguendum fuisset inter duos Joannes, quorum primum illum ob brevitatem forte regiminis non recensuit. Ex diversis. &c.

*A. C.* 1192. *S. P. N.* 712.

POst partam toto orbe vulgatissimam summi nominis, & gloriæ ac Virtutis rarissimæ famam, stupentibus universis, felicitatem veram, & salutem in cucullo Benedictino quærit Aureus Malipetra, sive Mastropetrus, Dux Venetorum potentissimus; cuius admiranda iam Principatum modestia fuit: quando Dux summa omnium gratulatione electus,

honorem reiecit, & in Sebastianum Ziamum transtulit. Verum abdicante Ziamo, & cucullum exambiente, denuo electus, primus quidem à 40. viris æterna cum gestorum fama Magistratum gessit, & ex innumeris quibus demeruit Remp. meritis, summa industria Pisanos ab Anconitarum amicitia disiunctos in Societatem Venetorum pertraxit, Jaderam, quæ ad Pannoniæ Regem defecerat, exercitu classeque in Dalmatiam misso obsidione cinxit ac expugnavit. Insulas & loca urbi circumiecta, eidem subdidit. Induciis cum Hungarorum Rege factis, classem in Syriam misit, Saladini classem auxilio reliquorum Principum fudit fugavitque, Ptolemaidem recepit. Christianam religionem in Syria fortiter defendit, alia multa præclarè egit. Deniq; cælesti afflatu tactus, in S. Crucis de Luprio, Monachum professus, eo in Cænobio bonis operibus plenus diem obiit. Eius in Ducali Palatio imagini hæc addita subscriptio.

*Ducatum desero, Monachus fio, Morioque.*

Bandulus, Marcellus, Henningius, Wion. &c.

*A. C. 1193.* *P. P. M. 713.*

ITerum celeberrimi Episcopatus initia in nostro Savanarico, Monacho & Abbate Glasconiensi celebranda, qui Bathoniensis ex Monacho Episcopus, primus hoc anno præesse iubetur Glasconiensis Episcopus, ut quamvis Anglia universa, omnium omnino suorum Episcopatuum initia à monachis numeret, postero etiam tempore, non solum in nostris miretur propagata, sed et nocio aliquarum urbius ornamento, instituta. Chronograph. Britan. Matthæus. &c.

Moritur S. Amatus ex familia Forma, ex Monacho Montis Virginis, Nulcensis Episcopus, præfuit in omni Sanctitate annis triginta tribus, miraculis clarus; ut videas, quantum tantus Pontifex in confutandis Hæreticis vivus potuerit, cum etiam mortuus contra eosdem miraculis pugnaverit. Vid. Henriquez. Felix Reuda. Thomas Costa. Wion. &c.

Moritur S. Balduinus Devonius, Archiepiscopus Cantuariensis, Vir Sanctissimus, qui ita acuratè à prima adolescentia, liberales artes omnes cum Philosophia imbibit, ut adhuc iuvenis iuventutem docendam, & instituendam susciperet, & publicas Scholas aperiret: Ex Fordensi Monacho & Abbate electus est Cantuariensis Archiepiscopus, eius adhuc Abbatis ingenii pactus.

De corpore & Sanguine Domini. l. 1.
De Sacramento altaris alius. l 1.
De Sacramentis Ecclesiæ. l. 1.
De commendatione fidei. l. 1.
De Orthodoxis dogmatibus. l. 1.
De Sectis Hæreticorum. l. 2.
De vanitate Charitatis. l. 1.
De amore. l. 1.
De Sacerdotio Joannis Hircani. l. 1.
De eruditione Giraldi. l. 1.
Sermonum triginta trium. l. 1.
Super Hist. Regum. l. 1.
Contra Henricum Wintoniensem. l. 1.
De commendatione Virginitatis. l. 1.
De Angeli nuncio. l. 1.
De Cruce. l. 1.
De Mythologia. l. 1.
Carmen Devotionis. l. 1.
Epistolarum ad diversos. l. 1.

Tantum unus rursum è nostris præstitit, ut colligas inde, quantum plurimi alii hoc ipso tempore doctrina, & Sanctitate florentissimi. vid. Henriquez.

*A. C. 1194.* *S. P. N. 714.*

CAvensis Cænobii & Congregationis ingens gloria, constat que ex uno illo Cænobio totus Sanctorum cohortes cælo adscriptas, cuius quidem hoc ipso anno Abbas Benincasa ingentibus prodigiis, Ecclesiæ ornamentum insigne addens ad superos abiit. vid. Yepes. Wion. &c. Cuius Monasterii eodemque ipso tempore, aliarum nostri ordinis Congregationum si fructus computetur; ut Cluniacensis, Vallumbrosanæ, Camaldulensis, & recentes etiamnum Cisterciensis; in infinitum merita advertes crescere. Leg. Div. Cong. script.

*A. C.*

A. C. 1195. S. P. N. 715.

INgentia merita, & relicta posteritati, meritorum momenta & monimenta, B. Ioachimi Abbatis Coratii, de cuius admiranda vita, & vitæ gestis *vid. Wion.* Eius insigne illud, si Græci agnoscere voluissent meritum, eventura iisdem mala omnia, & Turcorum Imperium prædixisse, sed & Præcursoris velut vicem obiisse Sanctissimorum Dominici & Francisci, uti ad gloriam eorundem ordinum est, ita & nostri non postremas omnium utrinque, summa obligatio est, & quidem non ore solum prædixisse, sed etiam pictura, illud in hodiernam usque diem, inter rarissima & illustrissima Venetorum decora cernitur, & refertur. Eius admirandum æternitati omni opus, pavimētum Ecclesiæ Sancti Marci, parietes, fornices, vermiculato opere insolenti plane prodigio, sequuturis etiam sæculis, eventura quælibet prænunciantia. vid. pl. rer. Ben. script. Tantum unus iterum decus è nostris, Venetiarum Serenissimæ Reipub. contulit.

A. C. 1196. S. P. N. 716.

MOntis pessulana, seu Mompeliensis universitas erigitur, quæ nostris inprimis plurimum debet, Vrbano ante omnes, posteris temporibus, eius nominis V. Summo Pontifici, qui collegium ibidem, quod Papæ dicitur, condidit & fundavit. vid. Gaulter. Cattin. Middentorp. &c. Illustre exemplum maximæ, ex summa simplicitate, utilitatis, & singularis in Dei Ecclesia fructus, S. Homobonus noster, de quo in vita: maximè summa vitæ puritate, tantam non inter populares solum, atque finitimos, sed eos etiam omnes acquisivit fidem, ad quos longè lateque celeberrima eius fama pervaserat; ut Hæreticorum etiam plerique ad sanitatem redirent: & qui nullo prudentum Consilio, aut doctissimorum hominum disceptationibus victi, in depravata iam dudum fide obduraverant, eos Homobonus sanctissimis verbis & moribus, miraculorumque frequentia, ab omni errore abductos, ad bene, beateque vivendi rationem traduceret. Ex vitæ gestis & Tab. Humil. &c.

A. C. 1197. S. P. N. 717.

INstitutus magna afflictorum consolatione, & insigni pietatis exemplo Ordo Beatissimæ Trinitatis, de Redemptione Captivorum, dein S. Mariæ dictus, cuius est: pro redemptione captivorum qui apud infideles in Terra sancta detinentur, substantiam suam, hilariter impendere, ac eis totis viribus ministrando subvenire. *Vid. Trith. & alii de origine Ord.*

De restitutis hoc anno Monachis, ad Cathedralem Ecclesiam Conventrensem, seu Cestrensem, pulsis qui per vim introducti, Canonicis, *Vid. Paris. Baron.* Vnde colligas, hoc etiam tempore Monachos Cathedrales viguisse, de quorum in Ecclesia utilitate alibi dignius.

A. C. 1198. S. P. N. 718.

ORiginem sumit à B. Dominico, Sanctissimus ille ordo Patrum Prædicatorum, cuius tanti Ordinis fructus, magna ex parte ad nostros referendus, qui Dominico non solum fautores, & promotores, sed pene authores extitere. De quo fusè in multis sanctorum nostrorum vitis, Henriquez. fasc. Cistert. Sed & illud singulare, à nostris S. Dominicum, non solum præsignatum, prædictum, & depictum, (ut in Ioachimo Abbate superius diximus) sed etiam, dum in matris lateret utero præcognitum, in prima verò iuventute educatum, institutum, imo à nostris etiam Dominici nomen sortitum, à S. Dominico nimirum nostro de Silos, in cuius Cænobio, adolescens, rudimenta posuit admirandæ sanctitatis. *vid. Antonius de Yepes. &c. Mir. &c.*

A. C. 1199. S. P. N. 719.

MOritur celebris ille & meritissimus de omni posteritate Dodechinus, sive Dudechinus noster, Monachus, & Abbas Cænobii S. Dissibodi, vir divinis, humanisque litteris excercitatissimus: cuius est Historia, sive Chronologia, post Marianum nostrum continuata. Liber item suæ peregrinationis Hierosolymitanæ: ad diversos in super Epistolarum Liber. *Mir. VVion. &c.*

De copia aliorum è nostris, doctrina celebrium, consulendi *Trith. Gault. VVion. Bell.*

*A. C.* 1200. *S P. N.* 720.

CONfirmatum hoc anno ordinem Humiliatorum, Gaulterius, aliique tradunt, de quorum sanctissimo vitæ instituto, multis agit Wion. l. 1. aliique.

Creatur Archiepiscopus Bitunicensis S. Wilhelmus noster: Monachus primum Grandimontensis, dein Pontiniacensis, Karoliloci denique Abbas, invitus ad celeberrimam illam Cathedram extractus, qui illico mereri de omnibus omnimodo, totumque se Ecclesiæ impendere cœpit, pro libertate Ecclesiastica Regi Galliæ instanter restitit. Hæreticis undecunque opposuit, multos prædigiosè restituit, incarceratos liberavit, fama atque auctoritate plurimum Ecclesiam exornavit. *vid. Henriquez. in fasc. l. 1. dicti.* 20. *Clem. Rob. &c.*

Moritur hoc ipso anno cælo natus B. Balduinus de Bocla, Monachus Cœnobii nostri S. Petri Gardavensis, Angelorum consuetudine familiari usus, spiritu Prophetico clarus, & admiranda vitæ sanctitate celeberrimus. vid. id. cit.

*A. C.* 1201. *S. P. N.* 721.

EX hac vita ad immortalem pergit B. Ioachim Abbas Coratii, prophetiæ Spiritu inclytus, & Florensi institutâ congregatione, Ecclesiæ utilissimus. Ea autem quæ ad æternam posterorum utilitatem composuit, hæc sunt.

De concordia Veteris & Novi Testamenti, libros quinque scripsit iussu Lucii, Vrbani, & Clementis Rom. Pontificum hoc nomine Tertiorum, in quibus de S. Sigillis agens, eximia & arcana Mysteria enodavit, ostenditq; ita utriusque Testamenti tempora concordare, ut nihil in veteri actum sit, quod in novo non pariter geratur, aut gestum, aut futurum sit in novissimis diebus.

In Isaiam Prophetam. l. 1.

In Hieremiam Prophetam Liber unus, plurimis refertus vaticiniis, quorum non nulla, iam eventu comprobata, certam de reliquis in posterum fidem faciunt.

In Danielem Prophetam. l. 1.

In Evangelium Ioannis. l. 1.

In Apocalypsim eiusdem. l. 8.

Psalterium decem chordarum. l. 3.

De septem sigillis contra Iudæos. l. 1.

De Nahum, Abacuc, Zachariam, & Malachiam. l. 1.

De futuris temporibus. l. 1.

De quindecim Pontificibus. l. 1.

Sententiarum. l. 1.

De consolatione. l. 1.

Epistolarum ad diversos. l. 1.

Plura alia, de quibus consulendi Ioseph Scaliger. Henriq. Wion. aliique.

Claret ex mille aliis, eodem anno, Helinandus Gallus, Monachus Frigidi montis Congregationis Cluniacensis, cuius inter præcipua merita commendatur opus insigne Historicum à principio Mundi, libris Octo supra quadraginta absolutum, liber item de reparatione lapsi, Sermones plures, & liber Epistolarum. *vid. Trith. Wion. &c.*

*A. C.* 1202. *S. P. N.* 722.

PRincipum plurimorum ac procerum in Religionis portum ingressu, felix annus; quæ felicitas debiliori sexui insigniter opportuna, è Regis etiam liberis haud paucos servavit; hoc anno principum ferè sibi locum vendicant. Constantia Alphonsi IX. Castellæ & Legionis in Hispania filia, & Berengaria Sancii Portugalliæ Regis illa in Cœnobio de las Huelgas, ista in Lovarniensi, ordinem nostrum professa, regio sanè exemplo, toti omnino orbi præfulsere, Didacus Valera, Campan. Wion. &c. Verum ante omnes, pene orbis universi familias, ipsa hâc Deo devotorum felicitate, felicissima Austrasiæ Ducum Lotharingica progenies, suas quasi generationis cuiusque decimas Deo consecravit, hoc ipso tempore unus Princeps, Simon Lotharingiæ Dux, quatuor filias Numini devovit, omnes omnino legibus nostris devinctas. Albidem Coloniensi, CatharinamIoriensi, Agnetem Treverensi, Bertham Fontisvallensi in Cœnobio Ordinem professas. *vid. Geneal. Ducum Austras. VVion. &c.*

Celebrantur à meritis & doctrinæ præstantia Adam, Dorensis Abbas cuius insignis fuit liber contra Giraldum Monachum ritus ac consuetudines scripto proscindentem. Rudimenta item Musices libro uno, aliaque: & B. Gilbertus de Hoilandia. Abbas Suinsetensis, cuius opera recensentur.

In

In Cantica Canticorum. l. 1.
Super Psalterium. l. 1.
Super Matthæi Evangelium.
Super Epistolas D. Pauli. l. 1.
In Apocalypsim S. Ioannis. l. 14.
Theologicarum Sententiarum. l. 1.
De statu animæ. l. 1.
De vita S. Bernardi. l. 1.
Homiliarum diversarum. l. 1.
De casu Diaboli. l. 1.
Epistolarum ad diversos. l. 1.
Videndus Henriq. l. 2. fasci. SS. distinctione vigesima.

*A.C.* 1203. *S.P.N.* 723.

CLaret Brunvvardus, post Bernonem, sive Brunonem, Primum Suerinensem Episcopum, (cuius Pontificatus initia incertiora certo anno assignare non potuimus) secundus eius loci Pontifex, uterque noster, ut rursum præstantissimi Episcopatus initia, nostro ex fonte derivanda. Vid. Crantzius.

*A.C.* 1204. *S.P.N.* 724.

CReatur Archiepiscopus Tolosanus, B. Fulco noster, ex Abbate Grandis sylvæ, qui illico gregi pessimè seducto, prodesse satagens, nervos omnes, ut eos ab Albigensium erroribus revocaret, intendit, verum nequidquam se laborare conspiciens, admiranda sane magnanimitate, in Tolosanos animadvertens, eosdem sacris interdixit. Mox Legatus Apostolicus contra Albigenses destinatus, incredibile auditu est, quanta pro Ecclesia Dei, quamque invictus semper, hilarisque pertulit; quem proin merito Iacobus de Vitriaco, viventem etiamnum, ipse Cardinalis, totius Ecclesiæ Christi, fortem columnam salutavit. vid. Henriq. &c.

*A.C.* 1205. *S.P.N.* 725.

MOritur mira sanctitate, & prodigiis celebratissimus S. Benedictus Abbas de Ripolis, de quo legendi auctores Monast. Vallumbros. Obiit & B. Stephanus, ex Abbate Iustinæ, Eremita Sanctissimus in mõte Veneris. *vid. Scardeon. in Hist. Patav.*

Immortale meritum B. Guilielmi nostri, Bituricensium Archipræsulis, qui plurimos Deo animos lucratur, quantumvis innumeris penè insidiis, & adversis appetatur, Albigensium verò Hęresi, pestilentissima lue Aquitaniam universam vastante, ipse, & cruce ipsa signatus, & alios signans, integrum contra eosdem fidelium exercitum colligit. Legendus Auctor vitæ eiusdem, & Henriq.

*A.C.* 1206. *S.P.N.* 726.

MOritur eximium ordinis nostri decus, Roffredus Abbas Cassinensis, & S. R. E. Cardinalis, ipsa electus die qua Romam venerat, ut Abbas confirmaretur. Meritus de Cænobio non solum, sed de Italia universa, & Romana præcipuè Ecclesia, traducto nimirum in Italiam Henrici Imperatoris (cui erat charissimus) contra Tancredum exercitu, Legatione in Siciliam, Pontificis voluntate perfunctus, urbe Sorâ, aliisque Romanę ditionis oppidis, armorum, animique robore, Innocentio Tertio recuperatis; Vir rarissima iuxta vitæ integritate, & Zelo perfectionis Monachicæ commendatissimus. *Leg. M. Ant. Scipio.*

Ipso anno promeritis quoque extollitur Pelagius noster, ad pacem Cardinalitiam dignitatem Tit. S. Luciæ in septisolio, non multo post Episcopus Cardinalis Albanus renunciatus ab Innocentio III. *Wion. &c.*

*A.C.* 1207. *S.P.N.* 727.

VItæ temporalis iactura, æternam emit, B. Didacus noster Oxomensis Episcopus, singularis spiritus fortitudine, verbo & exemplo, pro Dei Ecclesia militando, laudem æternam meritus, cuius insigne illud ad Abbates & præsules nonnullos dictum: mihi impossibilem, inquit, rem moliri videtur, qui solis verbis putat homines istos (Albigenses Hæreticos) reduci posse in viam, operibus & exemplis potius revincendi sunt, qui vitæ suæ merita iactant impudenter. *Ex vita.* Qualiter verò quantaque cum patientia, ac Constantia, pedes conficiens longa itinera, se ipsum pro reducendis errantibus, expenderit, & confecerit, legendum ibid. vid. & Abraham Bzovius.

Eidem Didaco nostro, quantum debeat, præstantissimus ille Patrum Prædicatorum Ordo, quantumque orbis universus, pro tanti ordinis institutione promota, quis satis explicet? Cum ipse Theodoricus de Apoldia, Dominicanus

nus attestetur, B. Dominicum, à B. Didaco Constitutiones sui ordinis accepisse: Equidem, inquit felicem dixerim electum Dei Dominicum, qui tanti Pontificis, & viri Apostolici, meruerit societate, & amicitia decorari, quo dubium non sit, illum sanctitatis exempla & Religionis institutiones hausisse. vid. idem. & Henriq.

*A. C.* 1208. *S. P. N.* 728.

FElici rursum in Gallia successu plurimi fidelium, contra Albigensium pestilentissimam Hæresin, Crucem suscipiunt, accendentibus, ac signantibus nostris; Sacra Cisterciensium congregatione, æterno sanè merito, laborem suum Ecclesiæ egregia opera probante. De quibus legendus Petrus Vallissarnensis, editus latinè per Camuzatium Tricassinum. Gault. &c.

Moritur insigni sanctitate, & meritis S. Petrus, eius nominis secundus Abbas Sanct Trinitatis Cavæ Leg. Bell. in spec.

*A. C.* 1209. *S. P. N.* 729.

EXtinguitur felici morte B. Guilielmus noster Archiepiscopus Bituricensis, Galliarum Primas; cuius inæstimabilia sane merita nemo unquam satis explicarit, nedum tantillo compendiolo compræhenderit. Verum in expugnandis Hæreticis felicissimo successu usus, pestem illam ante omnia, omni industria, sed & armata manu, extirpandam atque evertendam censuit, iisque contritis atque eiectis, magno omnium bonorum applausu, Ecclesias passim restituit, Clericos revocavit, cultum Divinum propagavit. Illud Zeli Religionisque perpetuum argumentum, quo iam Læthali morbo morti proximus, ab exhortando tamen populo non destitit, sed frigidissimo tempore de tecto capite, loco ventis obnoxio, summo ipse fervore, licet ęgerrimus declamavit, Mortuus paulo post in cinere & cilicio, quod nunquam vivens deposuit, plurimis à Deo prodigiis honoratus. Ex vita per Petrum Abbatem Caroliloci. Joan. Molano. Galesino. Maurolico, Calzolano. &c.

Habetur & colitur Patronus Nationis Franciæ, in Academia Parisiensi (ut videas, nostros in Tutelares etiam Academiarum adoptatos) celebraturque Biturigibus, festum eius ritu solemni sub Officio Cantoris, duplici etiam officio, in Ecclesia Lingonensi, semiduplicis vero honore in Parisiensi & Rotomagensi. *vid. Claud. Robertus, Vincent. Cæsar & supra citati.*

Hoc ipso anno, B. Conradus noster, S. R. E. Cardinalis, Henrici Magni Ducis Bavariæ; Saxoniæ inferioris, Hetruriæ &c. Filius, sedis Apostolicæ Legatus, quem non semel mirabili Zelo, ordinem Prædicatorum defenderat, Apostolica auctoritate confirmat & approbat; Agnovit ipsa cæli Imperatrix Virgo Virginum, hoc Conradi studium, & obsequium, quod in filiis Dominicanis receperat, etiam in hac vita rependendum sibi existimavit; ac proin, cum S. Præsul meditationi insisteret, ac orationi vacaret, Angelicis stipata cohortibus, ei se videndam, non solum exhibuit, sed &, quod ordinem sibi dilectum defendendum suscepisset, ipsi gratulata est. vid. Vita apud Henriquez. l. 1. dist. 26.

Ipso anno Gallias nostri suo sanguine feliciter irrigant, B. Stephanus Abbas Alvensis & Ildebrandus conversus. *vid. Henriq.*

*A. C.* 1210. *S. P. N.* 730.

MOritur admirandæ Sanctitatis, & meritorum ingentium vir Sanctissimus Martinus ex Abbate Hortensi Episcopus, Seguntinus, ex Episcopo rursum Monachus, cuius exemplari vita invitati potentissimi Reges, & Principes, Fratrum Cænobii Hortensis numero adscribi, impensissime exambierunt, & flagitarunt. Valuere inprimis preces eius contra Saracenos, & infideles, ita ut omnes militiæ Duces, & ipse Rex Alphonsus, ac cæteri Principes prælium cum iisdem commissuri, ad Beatum virum confluerent, ut eius benedictione muniti, facilius inimicorum tela superarent; de cuius manu omnes milites, SS. Eucharistiæ Sacramentum sumebant, & si forte occumberent, apud eum sepeliri in claustro capituli eligebant. Eius à morte sanctissimum caput, ex sepulchro auferens Angelus, ne Segūtina Ecclesia, prorsus tanti Præsulis & Patroni fraudaretur reliquiis, Seguntinis tradens,

tradens, illico evanuit, vid. Mariana, Morales, Ricardus in vita &c. plur.

Moritur hoc ipso anno Comes Campanus, Monachus Casinensis S. R. E. Cardinalis, ob vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam ab Innocentio III. creatus. *Wion. Trith. &c.*

*A. C.* 1211. *S. P. N.* 731.

CLaret multo nomine, à sacrorum inprimis ac prophanarum litterarum scientia celebratissimus, Joannes Fordonus, sive de Forda, Abbas Fordensis ob eminentem virtutum perfectionem, ab Joanne Rege, summa in veneratione habitus, & in iis, quæ animum inprimis spectant, ut esset ab intimis electus. Eius ingenii Lucubrationes non paucas periisse, insigniter lamẽtatur Ioannes Lelandus: reliqua magno posteritatis bono.

In cantica Canticorum Commentarius. l. 1.
Homiliarum centum & Viginti. l. 1.
Introductorium Threnorum. l. 1.
In Hieremiæ Threnos. l. 1.
Expositionẽ in Hieremiam Prophetam. l. 1.
De Triplici Cruce. l. 1.
Sermonum duodecim. l. 1.
Vita S. Wolfrici Presbyteri. l. 1.
De contemptoribus Mundi. l. 1.
Acta seu gesta Ioannis Regis. l. 1.
Opusculorum. l. 1.

Joannes Lelandus supra cit. *Chrysost. Henriquez.*

Ipso anno, ob eximia merita Episcopus Cardinalis Albanus creatur Pelagius noster, de quo superius.

*A. C.* 1212. *S. P. N.* 732.

HOc anno B. Arnaldus noster, Cisterciensis Abbas, Generalis Inquisitionis Hæreticæ pravitatis, invitus licet ac renitens, ab ipso summo Pontifice, creatur Archiepiscopus Narbonensis. De cuius felicissimis successibus, in subigendis & evertendis Hæreticis legendi Ab. Bzovius, Petrus Vallis Sernaij, Cæsarius, Surius. Triumphavit sanè, de innumera hostium Christi multitudine, & felici omine, de pluribus oppidis urbibusque debellatis, Christo victoriam referens, cum metu gladii, Hæreticorum nonnulli Catholicis se aggregarent. Timens ipse, ne ad perfidiam redirent, *Cædite* inquit, *eos, novit enim Dominus, qui sunt eius.* Leg. cit.

*A. C.* 1213. *S. P. N.* 735.

PErtulit hoc anno illustre Martyrium, sanè sub hoc tempore B. Petrus de Castro novo, Abbas Fontis frigidi, Primus Hæreticæ labis corrector, & ante Arnaldum Inquisitor: ut meritò æternum sibi Ordo noster, & congregatio Cisterciensium gratuletur, utilissimum, & summe necessarium Christianæ Rei publicę munus, à suis incæpisse, imo & Sanguine, inter purparatorum decora delatum, insigne ornamentum Ecclesiæ addidisse. *Bern. de Montalbo, Aub. Miræus, Bellovac.*

*A. C.* 1214. *S. P. N.* 734.

ILlustrem sub huncannum de Hęreticis reportat Oratione Victoriam, S. Fulco noster Arehiepiscopus Tolosanus, de qua in vita, & Hist. Albig. De Orationis eius efficacia, legendus Henriq. Ita nostri, simplices etiam, & nulla in dignitate constituti, ingentes hostium exercitus precibus fudere. Ex diversis.

*A. C.* 1215. *S. P. N.* 735.

DEbet ęternum ordini nostro illustrissimus Patrum Dominicanorum ordo, munus Inquisitionis dignissimum, & universo utilissimum, quod primus in primum ordinis Prędicatorii Institutorem, Sanctissimum Dominicum derivavit, beatissimus Arnoldus noster, ex Abbate Grandis sylvę Archiepiscopus Narbonensis, & Apostolicus Legatus, ita testante ipso Dominico in formula absolutionis, qua ipse est usus, quamque recitant Ludov. Paramus lib. 2. de origine Inquis. Ferdin. de Castillo. Abrah. Bzovius, aliique, sed & Miræus, paucis idem exprimit: Fuit autem, inquit, totius adversus Albigenses sacrę expeditionis, ac Legationis Caput, Abbas Cisterciensis, cognomento Arnaldus, ut tradit idem Paramus. Adeo quidem, ut ipse etiam S. Dominicus, à dicto Abbate, suam acceperit, tunc temporis, comissionem.

*A. C.* 1216. *S. P. N.* 736.

SEd & Fulconi Tolosano ArchiPontifici, plurimum debet Ordo Sanctissimus,

ſimus, Patrum Dominicanorum, iſto inprimis anno, quo S. Dominicus, accepta ab eodem Fulcone, Eccleſia S. Romani, Religionem primum ibidem Prædicatorum inſtituit, ſed & priore, quo B. Fulco, pro approbatione eiusdem pretioſiſſimi Ordinis, admirando ſanè Zelo, apud Innocentium Papam inſtitit, ipſo etiam Bzovio atteſtante; eodem anno (inquit ad annum 1215.) cum celebraretur concilium, Fulconi Toloſano Antiſtiti eò contendenti, S. Dominicus ordinis Prędicatorum conditor, ſe Comitem adhibuit, ut eius & auctoritate, & gratia nixus, Ordinis recens inſtituti Confirmationem ab Innocentio obtineret. Sic & in vita S. Dominici, Theodericus de Apoldia, eos aſſerit, ſimul coram Pontifice comparuiſſe, *cumque*, ait, *ea qua poterat, humilitate & reverentia, ſua vota expoſuiſſent &c.* Porro & poſſeſſione ditaſſe, conditum à ſe Cænobium Dominicanum, Fulconem, ipſe Honorius III. teſtatur in diplomate, quo ordinem Prædicatorum approbavit. *Legend. Henriq.*

*A. C.* 1217. *S. P. N.* 737.

SUb hoc fere tempus, Legati à Latere poteſtate, directus in Germaniam S. Conradus noſter, S. R. E. Cardinalis, ea inſigniter utitur, & multa præclarè in utilitatem & honorem Eccleſiæ operatur; digniſſimus omnino, qui ſummo, Maximi Pontificatus honore inſigniretur, niſi pulchriore ipſe exemplo, & omni fortaſſis poſteritati, utiliore, eum à ſe honorem avertiſſet: quando (incertum an priore anno ante electionem nimirum Honorii, an proxime antecedente, ſeu conſequente electione) delata per compromiſſum, ſumma poteſtate Conrado, dignitatem omnino admittere recuſavit. Videndi Henriquez. Bernhard. Britus, Panvinus, Ganfrid. Villar. &c.

Duravit etiamnum propagatus olim à noſtris toto orbe, cum in Anglia hoc tempore, tum in Germania Pſalterii Mariani uſus; & magno quidem apud Germanos fructu, magno quodam & Regii generis ſervato ab interitu æterno Principe, quod ipſe pater Mendacii cacodæmon fateri virtute Divina coactus eſt, & veritatis Mater ſuo à ſecretis Alano Dominicano, viro Sanctiſſimo ſuismet dictavit verbis, digniſſimum quod referatur. *Chariſſimus Sponſus meus* (Magna Mater & virgo loquitur) *S. Dominicus, ex urbe per Germaniam iter Pariſios inſtituerat, Fratribus ſex aliis eiusdem ſecum Inſtituti, ipſum comitantibus. &c.* Pergit dein prolixam narrare ipſa Hiſtoriam, de Principe Regii generis viro, è munitiſſimo quodam caſtro hoſtilia omnia in vicinas provincias exercente, à cuius ſatellitibus capiendum ligandumque Dominicum prædicit, magno capientium emolumento, quorum principes quindecim peſſimè ab inferis eluſos, eousque ſuccubis dæmonibus (auditu horrendum) formam indutis muliebrem cohabitaſſe, recitat. Monet proin craſtina poſtquam celebraſſet corpus Dominicum ſecum deferre, Principi aliisque rem detegere, larvam dæmonibus detrahere, quod ad amuſſim Dominæ ſuæ Dominicus complevit, coactosque verum fateri cacodæmones, cum ex iisdem intellexiſſet, deſtinatum ipſa die Principi & complicibus interitum, cum paratis iam omnibus in hoſtem movere ſtatuiſſent, cum ſciſcitaretur Dominicus: Eccur non expectata hâc die pridem meritos è medio ſuſtuliſſent, in hæc inviti, eiulantesque prorupere: *Heu, heu, falſa illa cantilena Mariæ mulieris Iudaicæ ſemper hoc impedivit. Hi enim omnes iuſſu Principis, omni die ſalutabant illam.* Interrogat Dominicus: Et quantum orabant? *Quantum tu prædicas, Pſalterium inimicæ noſtræ.* Tum ille: Vnde iſtud didicerant? *Noſti; quid quæritas? heu! Per id antiquum eſt oraculum* (NB.) *Orbe toto receptum olim, at arte noſtra penè ſopitum. Tu nunc in perniciem id noſtram inſtauras. Portant id quidem, hodieque ex antiquo geſtant, & demuſſitant multi, verum quid faciant ignorant. Pater iſtius Principis, inimicus noſter, eum à puero garrire id coëgit; unde illi inſuevit, quantisvis facinoribus ſe obſtringeret; nec ullum voluit commilitonem, qui non idem portaret ſecum & oraret.* Pergit dein de profligatis à Dominico nequiſſimis ſpiritibus, converſis Principe & ſatellitibus, quorum converſio & mira liberatio, magnum merito affert momentũ, ad Pſalterium idẽ novo ſtudio poſt tot ſæcula reaſſumendum, ipſa cælorum Auguſta, exemplum adeo

dignum

dignum æternitate nobis prodente, & per Sanctum Alanum, Novellum Sponsum suum nobis ingerente. *Ex Eiusdem Alani Psalterio, parte 3. cap. 20. apud Coppensteinium. & Michaelem de Torres, &c.*

*A. C.* 1218. *S. P. N.* 738.

CLaret meritis locuples, Thoraldus, Monachus Rievallensis, Abbas Fontanēsis, quę Lelandus celebrat. Vir omni politiore doctrina apprimè eruditus, in iis, quæ ad Deum sunt, pius, ijs vero quæ ad sæculum cautus; prudens in consultandis, felix in gerendis, dexter in expediendis difficilioribus quibusque negotiis.

Clarent & Sanctorum virorum ac mulierum totæ phalanges, in diversis toto orbe Ordinis nostri Congregationibus, Cluniacensi, Cavensi, Cassinensi, Cistertiensi, Grandimontensi, Humiliatorum, Camaldulensium, Valleumbrosana, Montis Virginis. &c. De quibus legenda earundem familiarum Chronica &c. Miraberis unum quandoque Cænobium, integros cælo manipulos transmisisse, primis quam maximè nascentium harum Congregationum sæculis, ac deinceps, pia & assidua sui concitatione reflorescentium.

*A. C.* 1219. *S. P. N.* 739.

B. Conradus noster S. R. E. Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus, in id totus incumbit, ut Hæreticorum colluvies tota extirpetur, proin militū Christi Cruce signatorum, verbo & exemplo, ad tam Sanctum opus perficiendum, animos iugiter concitabat, & impellebat. Huic enim, inquit Bzovius, ut omnes cruci signati morem gererēt, Honorius imperarat. Nec minori merito, eodem affirmante Bzovio Hispanias quoque, ac Germania abiens Conradus, pro subsidio terræ sanctæ laborabat; nam ait, ei summus Pontifex iniunxit, ut cruce signatos, ad sacram militiam excitaret, & prædicatores, qui ad sacrū bellum omnes hortarentur institueret. Ita in diversis Regnis pro re Christiana, proq; oriente etiam ipso, unus hic sanctissimus præsul laborat. Ex vita.

Claret eximia conversatione, inter innumeros proceres, legibus nostris devotos, Malfada Saucii Portugalliæ Regis filia, Henrici primi Castellæ & Legionis, in Hispania uxor, ab ipso iussu Pontificis Maximi ob consanguinitatis propinquitatem separata; ipsa primum nobiliori Sponso semet Christo Domino consecrante, in Cænobio Ruthę, à se condita. Ita cucullum denuo mœrorem solari non solum potuit tantę Reginę, sed & beatam fecit. Mariana. aliique.

*A. C.* 1220. *S. P. N.* 740.

CElebrantur B. B. Ethelredus Wardensis, & Gualterus Morgaviensis Abbates, uterque à vitæ non solum integritate laudatissimus, sed & meritissimus ab relictis posteritati peregregiis ingenii monimentis illius memorantur præcipuè.

Expositiones in quędam Sacrę scripturę loca. l. 1.
De vinculo perfectionis. l. 1.
Homiliarum in S. Lucam. l. 1.
Concionum notabilium. l. 1.
De tribus hominibus. l. 1.
Epistolarum ad diversos. l. 1.

Gualteri vero sequentia.

De animalibus terrestribus. l. 1.
De volucribus. l. 1.
Carminum de diversis. l. 1.

Videndi Trithem. Waldensis, Lelandus. Henriquez &c.

Illustris etiam ipso tempore, meritis pręclaris, Cęsarius Heisterbacensis Monachus, cuius tritissimi omniū manib⁹.

Illustrium miraculorū. Libri duodecim.
In Evangelia Dominicalia. l. 2.
In Evangelia de Sanctis. l. 1.
Sermonum ad Novitios. l. 1.
In Ecclesiasticum Comment. Lib. novem.
De vita S. Engelberti Episcopi Coloniensis. l. 2.

Horum ex innumeris meminisse libuit, de cęteris diversarum Congregationum script. consulendi.

*A. C.* 1221. *S. P. N.* 741.

MOritur insigne Ordinis nostri decus, B. Walterno de Traiecto, Abbas celeberrimi Cęnobii Villariensis congregationis Cistercensis, dono lachrymarum felicissimus, qui plurimis Monialium Cęnobiis exædificatis, fragilem sexum mirificè iuvit, & deprecatores pro Mundo in cælum pluri-

plurimos præmisit. Illa admiranda etiam, à Numine gratia, ita referente Valcellensi Abbate Roberto, qui ab ore eiusdem exceperat: quod dum meditaretur, aut oraret; per dimidiam, vel integram aliquando diem, in tanta mentis sinceritate, & tranquillitate erat, ut nec una saltem tenuissima cogitatione, eius animus pulsaretur. Illud etiam mirum, ocultas aliorum cogitationes depræhendisse. De qua singulari in ipsa DEI gratia, ut & felici eius morte legend. Cæsarius Heisterb. Tho. Cantip. Henriq. &c.

Apud Sublacum claret B. Laurentius de Fanello, inclusorum nostrorum Institutum Sectatus, miraculum rigoris Sacri, Martyr perpetuus, cuius vitam admirandam potius quam imitandam, Cherubinus Mirtius noster acurate descripsit, magnis à Numine miraculis commendatam.

*A. C.* 1222. *S P. N.* 742.

MIrandum sui sæculi & Italiæ hoc tempore Episcoporum S. Ranaldus Episcopus Nucerinus moritur ex illustrissimo Vmbriæ Comite, familia de Vicco, Fontis Avellanæ Monachus, à teneris annis voto facto, ad mortem usque custos Virginitatis Solertissimus, ob egregiam vitæ Sanctitatem ad Pontificalem Cathedram evectus, vir Apostolicus verbo & exemplo potentissimus, familiarissimus Seraphico Francisco, & meritissimus de novello eius Sanctissimo Ordine, quem ipsomet præsente Francisco primum Gualdum introduxit. Idem superiore anno memorabili beneficio creditam sibi Nuceriam, ab imminenti clade mirè eripuit, & iam incumbentem agro Nucerino Friderici II. Imp. exercitum, Solâ verbi Divini prædicatione avertit, ob hoc & maxima alia merita, decreto publico, perpetuus Nuceriæ Protector & Patronus consalutatus, cuius Festum magna celebritate, cùm Octava, ut Sacri vocant peragitur, & Sacrum eius corpus confluenti populo ostenditur. Fuit vir per omnia mirabilis, & in multis quam simillimus magno Turonensium Pontifici Martino, mira inprimis in pauperes charitate, quorum uni cùm præter vestem nihil habens, istam illico dedisset, & commodato aliam à diacono accipens, breviorem quam ut brachia tegeret, visi inter sacrificandum, dum sacram elevaret hostiam, Angeli, manicis, aureis & argenteis in oculis populi sacra eius brachia cooperire. Super cuius etiam caput, uti Martini, globus igneus apparuit; quem multis & maximis aliis miraculis DEVS honoravit: Pontifex, adeo sui semper similis, ut nunquam ridere, à quoquam sit visus, ut nec contristari. *Lud. Iacobill. Phil. Ferrar. Hist. Nucer.*

Ipso anno labores suos illustri coronat Martyrio B. Adam ex Monacho Meilrosensi Cathanesii Episcopus, à suismet, quos pro gravi scelere excommunicaverat, subditis immaniter flagris concisus & in ædibus ac culina propriis, flammis exustus, cuius mortem, digna Principe æquitate, severissimè ultus est Alexander Rex Scotiæ, quadringentis complicum, lata sententia, interemptis, quorum etiam liberos, ne adeo sceleratorum posteritas, superesset, testiculis privari iussit, & loci Comitem, quod in reos minus inquisivisset & animadvertisset, Comitatu exuit, ipso nihilominus Numine, etiam in exulem gravi vindicta incumbente, cum à suismet famulis interremptus, incensis etiam ædibus crematus fuisset. *Hector Boet. Barn. de Mont. Chrysost. Henr. Gasp. Iongel. &c.*

Moriuntur eodem anno Beati Waltherus Baro de Bierbact, Henrici Lovaniensis Principis consanguineus, cultor DEIparæ mirificus, & ab ipsa gratiosissimè redamatus, Hemmenrodensis Monachus & Jacobus S. Galgani in Tuscia Monachus, de familia B. M. V. Dominicanâ præclarissimè meritus, quem cum Patres Ord. Prædicatorum, pro eximia vitæ Sanctitate enixius rogarent, ut pro novello illo, & scelere nonnullorum gravius afflicto Instituto DEUM precari dignaretur, rem magna charitate aggressus, & à DEO ipso ad id ipsum delectus, dictatas divinitus tres Orationes accepit, quibus in Missa uteretur, easdem deinceps à summo Pontifice approbatas. Quæ, aliæque multæ Sanctioris necessitudinis causæ, dilectissimam illam Magnæ Matri Patrum Dominicorum familiam, Benedictinæ perpetuo amicissimam reddidit. Humbertus de Vitis PP. Prædic. Abrah. Bzovius, Barn. de Mont. Henr. &c.

*A. C.*

*A.C. 1223.* *S.P.N. 743.*

PRopagantibus longè lateque Patribus Dominicanis immortali cum merito, Psalterii Mariani usum, accenditur mirificè fidelium Studium, & juxta illud *Coronæ* quoque ut vocant *Marianæ*, ætatem Virginis Matris Sexaginta tribus Angelicis Salutationibus designantis, ex Petri nostri Ambianensis inventione, gratissimum Deiparæ obsequiũ, usu fit frequentissimum, adeo multis deinceps etiam vulgo usurpatum, ut plurimis etiam hodie in ꝓvinciis Europæ, maximè ubi hæreses invaluere, Catholicus esse non censeatur, qui non secum, quacunque pergat, in sacco seu manica Coronam circumferat, nonnullis pro torque, collo gestantibus, magna, quia tam publica, Mariani cultus & observantiæ professione. *Chron. Bened. Mariana. Trith. Abb. Stadens. Pontacus in Chronol. Polyd. Virg. Ioann. de Pineda, Arn. Duac. &c.*

Claruit eodem tempore magnum Ordinis nostri sydus B. Mammertus Guzman, Sanct. Petri prope Gumielem Abbas lectissimus, Magni Prædicatorum Institutoris Sanct. Dominici, carne & Spiritu frater germanus, qui, uti in aliis virtutibus Sanctissimi fratris piè & strenuè egit æmulum, ita procul dubio, restitutum tanto cæli & terrę plausu Marianum Psalterium, præ omnibus aliis complexus, familiare sibi, Commendatisque faciens, & fraternis & propriis meritis DEO ac Deiparæ se plurimum commendavit. *Chrysost. Henr. Barn. de Mont. Chron. Mar. Ben. Menol. nost. &c.*

Insigni Sacræ familiæ nostræ Cisterciensis commendatione, ut huic insereretur Archiepiscopatu Casselensi in Hibernia se abdicat Donatus ô Lanargan, & novem, quibus supererat annis, in omni se humilitate & patientia, non tam Cænobitis quam Cælitibus egregie probat & commendat. In ejus vero locum, ex eodem Ordine & familia nostra assumitur Marianus ô Brien, cujus in gratiam Henricus Rex Angliæ Casseliam eidem & successoribus ab omni jure Regio liberam fecit, ut multum Mariano à posteris debeatur.

*A.C. 1224.* *S.P.N. 744.*

MOritur B. Christina, vulgo mirabilis, (ut agnoscas etiam his temporibus, vivis admirandum nostrum ordinē fuisse) Monialis ord. nostri, in Sanct. Catharinæ, juxta D. Trudonis, Cænobio: de qua Martyrologium Benedictinum: In Hasbania Cænobio Sanct. Trudonis, Sanct. Christinæ Virginis, quæ semel, ac secunda mortua, talia stupenda perpetravit, quæ hominis sensum plane exsuperant. *Vid. Petrus Cratipol. Felici. &c.*

Hoc denique anno, cum in Sardinia amos ferè ducentos, Ticini quingentos propè, septem omnino sæculis Magni Ecclesiæ Doctoris Augustini, Sacras Corporis exuvias, Summa reverentia, & perpetuis ad tantum thesaurum excubiis, Monachi nostri religiosissimè custodiissent & coluissent, Sacræ & ferventi tunc maximè sub nomine ejusdem Canonicorum Regularium cesserunt familiæ æterna sanè mutuæ necessitudinis, & contestatissimæ tanta donatione Charitatis, obligatione; de quo ipso etiamnum tantorum Amicorum religiosissimo affectu, non minus quam cum thesauro illo eousque dives esset, ordo sibi noster plurimum gratulatur.

*A.C. 1225.* *S.P.N. 745.*

INcredibili meritorum multitudine exuberans, hic añus, duo, tria ne quin adnotemur, non possumus. Primum, B. Arnaldi nostri Narbonensis Episcopi, qui paulo ante mortem, parva militum manu, ingentes hostium exercitus, miraculosè profligavit, vocata in auxilium, magna illa Hæreticorum calcatrice Beatissima Matre Virgine, quæ cælo visa, ipsa descendere, & hostium ingentem stragem edere, inter quos ipse Aragonum Rex, etsi Catholicus, sui tamen juris causa Hæreticorum auxiliarius occubuit; alii ignitis globis (dum preces & lachrymas Monachi nostri miscerent) cælo cadentibus interiere. Ex vita & gestis B. Arnaldi, &c. Secundum B. Conradi S.R.E. Cardinalis est, qui hoc eodem año Concilium Apostolica auctoritate, Moguntiæ celebravit, nec multo post Leodiense, in quibus contra concubinarios clericos dignè processit (sic loquuntur) & in S. Engelberti Coloniensis Archiepiscopi occisores, pro sceleris gravitate animadvertit aliaque multa, Cleri reformationem spectantia decernit. Henriquez. Tertium Caducani Britanni est, Episcopi Banchorensis, qui Episcopatus dignissimo honore, à se abdicato, cucullum tiaræ præferens, egregio exemplo, omni posteritati non

ſolum ita præfuit, ſed & Monachus, ſcriptis egregiis voluminibus conſuluit, celebrantur alia inter, liber Homiliarum, & alius liber, quem inſcripſit ſpeculũ Chriſtianorum. Claret Sanctiſſima illa & Admirabilis Iucta Recluſa, potentiſſima mundi apud Deum Advocata, marcumæ inprimis peccatorum Advocatæ cælorum Auguſtæ, auguſtiſſimo ſubnixa favore, adjuta Suffragio, cui Iuetta à proprio filio, ſingulariſſimè, illis ipſis, quibus Ioannes ille feliciſſimus, verbis: *Mater*, inquiens, *ecce filia tua*, commendata eſt; *Ipſam, ô Mater, tibi committo, tuo nomini tuoque eam ſpecialiter aſſignans amori & obſequio, &c. Ex Vita Menol. noſtr. & Chron. Mar. Bened.*

*A.C.1226.* *S.P.N.746.*

FEliciter ad ſupera evolat B. Beatrix Atestina, filia Azonis Marchionis Atteſtini Principis potentiſſimi, & Leonoræ Sabaudæ, Monialis primum Salariolæ, dein Gemmulæ, de qua ita Martyrologium Benedictinum: Gemmulæ Monaſterio, depoſitio B. Beatricis Ateſtinæ, filiæ Actii Marchionis, humilitate & paupertate celebris. Cum enim aliquando nummus argenteus ſuper altare repertus fuiſſet, & nullus alius, in toto Monaſterio fuiſſet reliquus, præcepit eum egenis dari, ne quæſo, dicens, nummus iſte, ſplendidum nomen, perfectiſſimæ paupertatis obnubilet, quam Deo promiſimus, & is avaritię principium, & malum propagandæ cupiditatis ſemen, apportet nobis. Poſt ejus mortem, per longum temporis ſpatium obſervatum eſt, quod quoties, aliquid novi Eſtenſi familiæ, ex qua orta fuerat, immineret, toties multis ante diebus, in ſacello ejus, exaudiebatur ſtrepitus prægrandis, & corpus ejus, quod de more ſupinum, in ſepulchro jacebat, in alterum revolutum latus reperiebatur. *Vid. Scardeon. Molan. Baptiſta Pigna.* Moritur eodem anno Seraphicus Pater, S. Franciſc9, ordine ipſius Sanctiſſimo; noſtrorum etiam opera, mirifice propagato, ſed &, de quo non minimum gratulamur, primo ipſius Conventu in Eccleſia de Portiuncula, quam D. Franciſco, Abbas & Monachi Caſſinenſes obtulêre inſtituto, in quo, & Magnus ille Pater ſepeliri voluit. Iuvêre poſteris etiam temporibus, & fovêre, Sanctiſſimum hoc Patrum Franciſcanorum Inſtitutum, perpetuo affectu, noſtri, hodieque eoſdem ſumma veneratione, pro eximiis meritis de Eccleſia, amplectuntur, Sanctus vero Franciſcus, Sanctiſſimo P. N. BENEDICTO ſingulariter addictus, ad ejusdem etiam Sacratiſsimum ſpecum, iter ſuſcepit, illicque dumetum ſacratiſsimum, in quo ſe olim glorioſiſsimè circumvolvens, toto corpore vulnerârat, veneratus & exoſculatus, inſigni prodigio vidit, illico & arido ſenticeto roſas prodigioſiſsimas erumpere & effloreſcere. *Vid. Lucas VValdingus & Caſin.* De illuſtri admodum Victoria Boëmorum de Saxonibus & Moravis, ope SS. noſtrorum Wenceslai, & Adelberti parta his verbis Bartholdus lib. 1. Bohemiæ ſuæ narrat. Cum Sobieslaus Dux Bohemiæ animadverteret, Otthonem Moraviæ Lotharii Ducis Saxoniæ auxilio, qui opes ſperabat à Bohæmia ingentes, hoſtilem irruptionem moliri prope chlumetium, Sobieslaus collecto exercitu Bohæmiæ, Deo ſe commendans contra inimicos progreſſus eſt. Sub illo tempore in ſomnis vidit S. Adelbertum aſtantem ſibi pręcipientemque, ut vexillum patris ſui Slamiconis, quod in foramine quodam templi Wrbzianenſis abſconditum in prælio explicarent: quod tandem haſtæ Sanct. Wenceslai affixum in medio agmine à Sacellano Dobrowiz geſtatum eſt, & adhibitum S. Adelberti canticum. Poſtea ſilentio facto, audiverunt in aëre ſonitum, quaſi magnarum campanarũ, videruntq; aquilam magnam è Bohemorum phalange, clamore magno contra hoſtes volitantem; atque ſub ipſo congreſſu conſpexerunt S. Wenceslaum in aëre ſuper ſe, equo albo inſidentem, vexillumque geſtantem ubi unanimi voce ad eum clamarunt: adeſto nobis hoc die S. Wenceslae Dux noſter & Martyr Dei. In hac confidentia quaſi planè enervatos occiderunt obtenta Victoria glorioſa, gratiisque Deo peractis, & Sobieslaus ruinoſum templum S. Georgii in monte Gezio ex toto reſtaurari fecit, qui & ipſe alias ab hoſtibus mirabiliter liberatus eſt. Hucusq; Bartholdus, merita noſtrorum de Boëmis æterna commendans. Bohæmiæ ſuę libro 1.

*A.C.1227.* *S.P.N.747.*

MOrtuo Honorio tertio ſufficitur Gregorius IX. ex ordine noſtro, vir longè digniſsimus, & mille meritis de Eccleſia meritiſsimus, de quo legendus Bzovius, Ciaconius, aliique. Ipſo anno ſupremum edit Spiritum, cæloque commendat, B. Conradus noſter S.R.E. Cardinalis

dinalis sæpe laudatus, neque unquam satis laudandus, verus, & juratissimus Hæreticorum hostis & profligator; de quo illud rarissimum celebratur: quod digiti ejus, quibus Dominici corpus & Sanguinis hostiam offerre solitus erat, tanta luminis claritate, frequenter effulgere visi sunt, ut noctis tenebras, tanquam meridiem illustrarent. *Guillern. Abb. in Vita, &c.*

*A.C.* 1228. *S.P.N.* 748.

ILlustrissimus famæ & virtutis fulgore, Radulphus Abbas Coggeshalensis, vir præter prudentiæ & doctrinæ rarissimam laudem, incredibilis frugalitatis, & parsimoniæ. Inter opera relicta memorantur. Additiones ad Rudulphum Nigrum lib. 1. Chronicon. terræ Sanctæ liber 1. Super quibusdam visionibus lib. 1. Sermonum lib. 1. Henriquez. Hoc denique anno, S. Fulconis maximè nostri Tolosani Archiepiscopi, indefesso studio, laboribus, & orationibus, Albigensium scelestissima Hæresis oppressa, captus Raymundus Tolosanus Comes, Albigensium antesignanus, Parisiosque venire compulsus, ibidem, quam tuebatur Hæresim ejuravit. *Ex vita.*

Felici morte immortalibus jungitur Stephanus Langtonus Archiepiscopus Cantuariensis Monachus Pontiniacensis, de Angliæ Regno præclarè meritus, quod in Clero æquè ac populo strenuè reformavit, cui universus etiam orbis, & sera debet posteritas, Sacræ Scripturæ in capita distributionem: *Namque*, ait Henriquezius, *cum Novi, tum Veteris Testamenti libros, primus omnium in capita, uti nunc habemus, ad eorum, qui sacris litteris student utilitatem, multo cum judicio distribuit & distinxit. Quod ante illum, vix quisquam forte unquam cogitavit, & in iis post illum, nemo mutandum aliquid censuit. Quo suo laudabili facto, quantum judicium ipse ostenderit, quantum lumen attulerit, quantum sacrarum litterarum studiosis adjumentum suppeditaverit, doctorum hominum judicium esto, &c.*

Idem in omnes & singulos Veteris Testamenti libros inque Epistolas S. Pauli dignissimos ingenio tanto Commentarios edidit, ut nemo satis tantum Archipræsulem admiretur. *Ioann. Pits. Nicol. Harpsf. Phœnix Henriq. Phil. Sequin.*

*A.C.* 1229. *S.P.N.* 749.

DIctum superius, quantum Sanctissimus Dominicanorum ordo, nostris debeat, ordinem, ipsorum opera Pontifici commendatum, contra adversantes protectum, ac defensum; sed & primum Galliis Cænobium, seu conventum, &c. Hoc anno debent, illum Theologiæ solem, S. Thomam Aquinatem, à nostris primum (ut & Sanctum ipsum Dominicum) susceptum, & educatum, & in ipso quidem Principe, orbis ac ordinis Cænobio Cassinensi, cui tum præerat, egregia virtute Abbas, Pandulph9, S. Thomæ patruus, cui hoc ipso anno puer Thomas, uti S. Placidus Patriarchæ Nostro BENEDICTO septennis, iste etiam quinquennis, oblat9 est, de cujus in studiis, & virtutibus profectu, consulendus Marc. Ant. Scipio aliiq;. Ipso año, peregregio fastiditi Principatus exemplo, cucullo se vestit, & servitio Christi, se sub Regula nostra addicit, Petrus Zianus Sebastiani Ducis filius, Arbæ Comes, de Repub. bene meritus; regiminis anno 22. cum Cretam Insulam celeberrimam, Venetorum Imperio adjecisset. Abdicavit se Magistratu vivente & consentiente charissima & nobilissima conjuge, Constantia Tancredi Siciliæ Regis filia, & in Cænobio nostro D. Georgii habitu assumpto, non multò post, feliciter obiit. In Ducali Palatio, ita ejus Imagini subscriptum habetur: Belli potens tota mihi subditur Insula Cretæ. *Marcellus & Monarch. Eccl. l.* 25. *cap.* 8. §. 4.

*A.C.* 1230. *S.P.N.* 750.

INsigni & dignissimo honore, ordinem nostrum exornat, hoc anno creatus Patriarcha Hierosolymitanus Gerardus noster Abbas Cluniacensis, non tam vita & honore beatus, quam ipsa etiam morte & sepultura, apud sepulchrum nimirum gloriosissimum, Domini sui mortuus & conditus, quæ ferè felicitas nostrorum, dum Christiani Palæstina potirentur, semper fuit, ut Sanctissimus ille locus, ipsis commendaretur, ut in Gerardo item Schaffhusano diximus, & plures passim commemorare potuissemus, & Amalricum, Wilhelmum, Fulcherium, Stephanum, &c. nostros, omnes item Hierosolymorum Patriarchas, nisi compendio consuluissemus, Biblioth. Cluniac. Martyrio illustri hoc anno, Scotiam illustrat, B. Adamus Episcopus Cathanesij, post gravissima verbera, in propria Culina concrematus. Passus cum eodem Monachus alius, quorum Martyrium, ultio Divina, in necis autores, illico sequuta est.

*Vid. Barnab. de Montalbo, Hector Boëtius, Bzovius, Henriq. &c.*

*A.C.* 1231. *S.P.N.* 751.

SAnctissimus Tolosanorum Archiepiscopus Fulco, pace apud Tolosates, & finitimos stabilita, & rebus fidei, ad optatum finem, feliciter perductis, omnium virtutum genere illustris, imensis meritis dives, ad cælestem fælicitatem suma cum exultatione evolat, ipsa die Natalis Domini. *Vid. Bzovius, Anton. Henriq. Clem. Robert. &c.*

Maximo cæli plausu excipitur hoc año carne soluta Beatissima Ida nostra de Nivella, Monialis Deo & Deiparæ charissima, à Numine mirificè illuminata, & admirabili quadam Divinitatis & Sacrosanctæ Trinitatis, quantum fas homini, cognitione eminentissima, quam Deipara familiarius adamans, miro aliquando dignata favore est, cum filium Deum spectabili infantis elegantissimi forma, eidem in amplexus & oscula offerret: *Accipe eum*, inquit, *& collocans in gremio tuo, desideratis amplexibus & osculis, diem festum age cum eo.* Accepit Ida, & inæstimabili stringens affectu, osculari non desiit, assidente Deipara, & cum gratulatione ludum illum spectante, donec exsatiatam, an exhaustam, recepto filio sublevaret, simulque dispareret. *Ex vita per Chrysost. Henriq. edita, &c. Menol. nost. & Chron. Ben. Mar.*

*A.C.* 1232. *S.P.N.* 752.

MAgno rursum Orbis bono, Ecclesiæ ornamento, alius rursum, sub Regula nostra ordo, sive ordinis nostri Congregatio Sylvestinorum instituitur, cujus quidem, etiam alii initia, ad sequentem annum referunt. Institutor fuit. D. Sylvester Gozolinius, Civis Auximensis, Doctor & Canonicus Religiosissimus, qui Spiritu Divino tactus, apud montem Fanum, prope Fabrianum, Religionis primordia, Christo Domino sacravit. Quis vero inde, quantusque fructus consequutus, expendendum lectori relinquimus, Gaulterius, Azorius, Wion. Moritur eodem anno, B. Balsamus noster Abbas Cavensis, cui succedit Sanct. Leonardus, ut facile inde æstimes, dignissimi illius, & celeberrimæ juxta Cavensis congregationis, fructus & merita, cujus perpetua, ad hæc usq; tempora, seriè, omnes omnino Abbates, iidem congregationis Præsides, eximia sanctitate resplenduerunt. Et quale inde de subjectis judicium, juxta: Regis ad exemplum, &c.

*A.C.* 1233. *S.P.N.* 753.

ORdinis Montesiæ initia celebrant, Genebrardus noster, Onuphrius & & Gualterius, hoc anno, de cujus utilitate, dignitate, & celebritate, integrum potius esset volumen concinnandum, verum sequenti primum sæculo, nova quasi Origine restitutus, exin multo magis exsplenduit. Ita rursum insigni merito, surculus ordinis nostri, fructum orbi, & Ecclesiæ ingentem parturiit & edidit.

*A.C.* 1234. *S.P.N.* 754.

ILlustrat mirifica vitæ sanctitate Hispanias B. Tharasia nostra, sive Theresa Legionis Regina Alphonsi Regis conjux lectissima, Sancii primi Lusitaniæ Regis filia, quæ post trium susceptionem liberorum, ob propinquitatem sanguinis à marito disjuncta, in Monasterio Lorvaniensi cucullum pro purpura amplexa est, in omni virtutum genere, regia effulsit, supra omnem majestatem, venerabilis summa animi demissione. Claruit magna miraculorum gratia, quæ inter duos morti jam proximos, solo complexu suo, incolumes reddidit. De anno mortis variant scriptores: quam ipsa instare sibi præcognoscens, ad templum deduci voluit, & in conspectu Ven. Sacramenti Eucharistici Sacro Virginum valedicens cętui, flexis genibus, suavissimum semper sibi Cælorum Augustæ Deo prægnantis canticum *Magnificat* cantari rogans, ad versum illum: *Suscepit Israel, &c.* caput super manus inclinans suaviter expiravit. Cujus sacrum corpus, post trecentos & plures à morte annos, repertum est adeo incorruptum, quasi tunc primum terræ fuisset commendatum. *Chrysost. Henri. Ant. Vasconcell. div. rer. Hisp. Script.*

Ipso anno, insigni Ecclesiæ & Pontificatus ornamento ac fructu Geruntinus in Calabria Pontifex eligitur, Matthæus Monachus & Abbas Florensis, Beati & illuminatissimi illius Ioachimi Abbatis & Prophetæ celeberrimi discipulus. *Iacob. Syllaneus, Gasp. Iongabinus, &c.*

A. C.

*A.C.* 1235. *S.P.N.* 755.

PLurimi ex ordine viri illustres, summis in Ecclesia honoribus perfunguntur; inter alios eminent, Petrus Cameracensis Archiepiscopus, in S. R. E. Cardinalium numero cooptatus ab Honorio III. Ioannes Algrinus, Monachus Cluniacensis, Priorque Abbatis Villæ, ex Magistro Scholæ Theologicæ Parisiis (viden etiam hoc tempore nostros publice in Academiis litteras professos) Archiepiscopus Vesuntiensis, postea Cardinalis Sabinensis à Gregorio nostro IX. assumptus (de cujus scriptis Reg. Wion. &c. Sixtus Senensis, &c. aliique.) Sinibald9 item de Flisco, Comes Lavaniæ, Monachus Sanct. Benigni Fructuariæ S.R.Eccl. Vicecancellarius, dein Card. Tit. S. Laurentii in Lucina. Rainaldus insuper Comes Signiæ S. R. E. Cardinalis Tit. S. Eustachii, dein Card. Episcopus Ostiensis & Veliternus, ut ingentem Archiepiscoporum, Episcoporumque, hoc ipso tempore numerum prætereamus. *Leg. Ciacon. Panvinus, aliiq; cit.*

*A.C.* 1236. *S.P.N.* 756.

MOritur hoc anno B. Benignus, Abbas Vallis-umbrosæ, & ordinis sive congregationis ejusdem Generalis, quē Martyrologium Benedictinum appellat doctrina & sanctitate admirabilem, ut rursum ex capite, de corporis universi in tegritate judices. Cujus ingenii monimentum celebratur tractatus de claustro animæ & Corporis, aliaq; vid. script. Vallumb. Iterum potentissimi Episcopatus initia tam sero tempore, & primitiæ, expulsis à Ferdinando Rege Mauris, per nostros, Deo consecrandæ, instituto primo ex ira Cordubensium Episcopo, B. Lupo Fortenensis Cænobii ad Pisoricam Monacho. *Leg. Ioan. Mariana. &c.*

*A.C.* 1237. *S.P.N.* 757.

DEo virginum, utilissimum orbi universo in Prædicatori ordinis lumine B. Iordano Iterum novum novi Pontificatus, à nostris (è veteri sorte, & destinatione Numinis singulari) initium, recepta ejectis Mauris Corduba à Ferdinando III. Castellæ Rege, cum de erigenda statim sede, & Pontifice deligendo ageretur. Extractus è celebri & feracissimo sanctorum Cænobio Fiteriensi Monach9 & Abbas dignissimus Ven. Lupus, cui nomen, etsi vel maxime volenti, patrocinari non poterat, quo minus pastor eligeretur, magno oviculatum Christi gaudio prim9 Cordubæ tanto post restitutæ Pontifex consalutatus, dignissimę sane urbis, & doctorum non solum virorum, Senecæ utriusque, Lucani Poetæ, Avicennæ & Averrois Medicorum &c. Sed & sanctissimorum virorum parente, quorum præcipui, uti alias meminimus, ex ordine nostro, plurimi Martyrum donati laurea effulsére. *Marian. Iongelin.*

Gallias modo, qui nuper Britanniam insigniter illustrat Ven. Caducanus ex Abbate Landefidensi Bangorensis Episcopus, Superiore anno impetrata Gregorii IX. authoritate, dimittendi Pontificatum licentia Cisterciensis Monachus, Veterum Anglię Regum sanguine oriundus, frater Ottreoli Galveiorum Principis, qui in Dorensi demum Monasterio vitam religiosissimè exegit, & ut de orbe Christiano & posteritate omni mereretur, insigne ingenii & zeli Apostolici monimentum reliquit; librum, quem appellavit Speculum Christianorum. *Monim. Eccl. Bangor. Phil. Seguin. Gasp. Iongelin.*

*A.C.* 1238. *S.P.N.* 758.

MEmorabile omnino, & plurimum faciens ad commendandum orbi universo utilissimum omni tempore sacrarum Deo virginum Institutum; quod hoc anno, cælestibus adjuncto, magno illo ordinis Prædicatorum sydere B. Iordano, contigit. Is vivens etiamnum, suscepta jam amplissimæ & gratiosissimæ illius familiæ, post Dominicum tanti ordinis Principē & Authorē cura, secundus ejusdem Generalis, cum in id toto pectore incumberet, ut Parentis Sanctissimi Spiritū & fervorem, in diffusissima jam familia conservaret, suis autem, qua erat animi demissione viribus diffideret; certus, quantum magna illa & Sanctissima Lutgardis nostra Aquiriensis Abbatissa apud Deum posset, enixissimis ab ea precibus contendit, atque obtestationibus deniq; tantum apud eam potuit, ut tametsi multum obnixa, cum Matrem ordinis spiritualem, & Patronam apud Deum agere rogaretur, religioni denique sibi duceret adversari, promittens quidquid tantilla posset, infimarum precum pro religiosissimo ordine contentione. Eo quantum effecerit, illico à morte prodidit Iordanus ipse, visusq; spectabili forma S. Matri, promissi adeo ordini salutaris ipsam commonefaciens:

faciens: pergeret deinceps ordinis esse Mater, potenti prece atque exhortatione institit; ut dubitare non posset Lutgardis, Numinis eam esse voluntatem, de qua adeo disertè à Cælite Iordano edocebatur; tanto deinceps ferventius, in procuranda apud optumum Numen creditorum sibi salute, elaborans, quanto Deū Deiparamq; potentius demereri sibi videbatur. *Ex Thoma Cantiprat. & div. vitæ script. Menol. nostr. Cult. Marian. Chron. Ben. Mar. &c.*

Moritur Felix Tuamensis in Hibernia Archiepiscopus, è sacra familia nostra Cisterciensi ad id honoris assumptus, de sede illa & provincia benè meritus. Clarent multi Pontifices ex ordine & viri illustres, quos inter Galganus ex Monacho Sanct. Galgani Episcopus Volaterranus, Ven. Siboto Baro de Gundelfingen ex Monacho Cæsareensi Episcopus Augustanus, Ægidius ex monacho Columbæ Pontifex Placentinus, aliique. *Petrus Maria Campus, Vbertus Locatus, Iongelin. &c.*

*A.C.* 1239. *S.P.N.* 759.

ILlustrissimo sanè exemplo, sumę fortunæ cucullum præfert, & in eodem reperit, compendium veræ felicitatis, sanctitatem ipsam Sancta Beatrix Atestina, Andreæ secundi, cognomento Hierosolymitani, Hungarorum in Pañonia Regis Vxor, insignis formæ & pudicitiæ fæmina, quæ uti erat animo sublimi, cum nollet post mortem viri, ulli alii inferiori tanto Rege nubere, Regum Regi nupsit Christo Domino, ingressaque Monasterium Sanct. Ioannis Baptistæ Gemmulæ, magna illic in vitæ sanctitate Christo Domino servivit. *Scardeonius VVion. &c.* Claret etiam cucullo, quam diademate felicior, in Cænobio ad Harisam, Eleonora Theobaldi II. Navarræ Regis Vxor, de qua legendus Mariana.

*A.C.* 1240. *S.P.N.* 760.

EXsplendescit raro fulgore, ex congregatione Cisterciensi, B. Ioannes Mithelenensis Archiepiscopus, Abbas Claravallensis, de quo requir. Cisterc. script. Inter iñumeram nobilitatis sobolem memorantur, exemplo contempti fastus præcipuo, præcipuè Isabella Ludovici VIII. Franciæ Regis filia, S. Ludovici Regis Soror, Monialis S. Clodoaldi, & Berengaria filia Ferdinandi III. Castellæ & Legionis, in Hispania Regis, ordinem nostrum in Monasterio Olgis professa. Ita fragile hominum genus, potentiam calcare didicit, & nostro armata cucullo, de sæculi principe triumphare. *Mariana, VVion aliiq.*

*A.C.* 1241. *S.P.N.* 761.

MOritur, multis in Pontificatu amplissimè gestis, imortaliter de universo meritissimus, B. Gregorius IX. Pontifex Max. cujus primum jussu (& quantum id bonum) campanæ sonitus, cum ad consecrationem, tum ad salutationem Angelicam institutus est, dein per nostros maximè propagatus, ut suo loco dicemus. Idem Fridericum Imp. & sacrum bellum accendit. Perusinos inter se dissidentes composuit. Hannibalinam Hæresim oppressit. Vrbem ad obsequium reduxit, Sanctos Dominicum & Franciscū (tantum rursus Pontifici nostro debent Religiosissimi Patres Dominicani & Franciscani) B. Antonium item, & B. Elisabetham, inter sanctos retulit. Fridericum Imperat. Imperio spoliavit. Genuenses & Venetos inter se digladiantes composuit; factionibus item Guelphophorum & Gibellinorum exortis, pessumeunti Romæ occurrens, gravissima oratione, rebelles ad sacrum potius bellum accendit. *Vid. Bzovius, Franc. Rosiers. Panvinus, Ciacon. &c.* Quæ singula singulis annis referre placuisset, nisi excrescens compendium supra compendium, prohibuisset. Tantum, tantus quidem, sed unꝰ rursum è nostris Pontifex potuit, &c.

*A.C.* 1242. *S.P.N.* 762.

MIraculum feminei sexus, perditissimo tempore, moritur hoc anno S. Verdiana reclusa nostra, miraculorum gloria & Spiritu prophetico celebratissima, eo nomine, ut ex eo Ecclesiam mereretur, in qua dignissimo sanè, suo nimirū titulo sepulta est. Vnde rursum supputes velim, quot Basilicarum, & templorum millia, nostri ord. sanctis dedicata, & ob eorundem honorem exstructa, ut ea sileamus, de quibus alibi dictum, à nostris ipsis exædificata, summo universo, & tot provinciarum, totq; mortalium millium bono. Moritur ipso anno ut Verdiana fragili è sexu, sic iste simplici è hominum genere, orbi universo admirandus, & venerandus. Beatus Orlandus Frater Conversus Vallumbrosanus, magnæ in Energumenos virtutis & potestatis. Ita simplicissimi

cissimi ex Monachis, in ipsos inferos prævaluêre. *Leg. script. Vallumb. VVion. &c.*

*A. C.* 1243. *S.P.N.* 763.

SVmmo rursum Ecclesiæ universæ bono, eligitur ex ordine nostro Pontifex Maximus, Sinibaldus, ex Monacho S. Benigni Fructuariæ S.R.E. Cardinalis; unanimi omniũ Cardinalium consensu Anagniæ electus, & Innocentius eo nomine Quartus appellatus, de cujus im̃ortalibus meritis suo loco. Videndi Platina. Vincentius. Sixtus Senensis, Volaterranus, Panvinus, Pingonius, &c. Claret Angelo similior, quam homini, S. Laurentius Sublacensis, ea apud omnes probatissima existimatione, ut Iñocentius hic idem, de quo jam primum Pontifex Maximus, sub quo Laurentius vixerat, obieratq; illum à morte quam primũ Canonizare disponeret, nisi & ipse morte præreptus fuisset, ex Wione, & Iulij Mantuani litteris à Wione citatis. Moritur hoc ipso anno, prodigiosissimæ sanctitatis vir, & meritis inæstimabilibus, Pontifex, S. Bernardus Calvonius, ex Monacho SS. Crucium Episcopus Vicensis, & Celsonensis, cujus inter alia rarissima celebratur, insolens planè miraculũ, quo ejus sanctissimis ausis, com̃endatione rarissima, favit Deus, cum collectis fidelium copiis, ex Regno Valentino, Mahometanos omnes ejecisset, & profligasset, ab expeditione ipso revertente, omnes undiq; campanæ, se ipsis, longissimo temporis spatio pulsarentur. *Mariq. Ant. Vincent. Henriq.* Sic iterum Regnum integrum æterna gratitudine nostris obligatum.

*A.C.* 1244. *S.P.N.* 764.

HIc an sequenti añõ, dissentientibus Chronologis, sumo Ecclesiæ bono celebravit Concilium XIII. Generale Lugdunense I. S. Iñocentius noster IV. sum̃us Pontifex contra Imperatorem Fridericum II. & pro terra sancta, cui ipse interfuit, cumq; Fridericus interesse renueret, dignissima tanto Pontifice magnanimitate, ipsum Regno exuit, & excom̃unicavit. Expeditionis vero caput, constituit S. Ludovicum Regem Galliarum. Quo ipso concilio, instituente Iñocentio nostro, galerum suum rubeum, debent posteri omnes S. R. E. Cardinales, insigne tanti honoris decus, quo commonitos eos voluit, paratos esse debere, ad sanguinem pro Ecclesia fundendum. Idem Innocentius, S. Ludovico titulum Christianissimi concessit, isque exin Regibus perpetuo mansit, quem alias à nostris item pridem iisdem Regibus datum superius prædicavimus. *Leg. Platina, Onuphr. Beller. Iac. Servitius, Bullar. Gualter. &c.*

*A. C.* 1245. *S.P.N.* 765.

FAma ludis Equestribus per Gallias, inter Illustriores prodigiosè (& quidem dum etiam abesset Reginæ Cælorum, ope cælesti) comparata celeberrimus, Beatus Theobaldus Baro de Marly, admiratione nunc Regnum implet, mira in cucullo animi demissione, & admirabili vitæ sanctitate, Abbas, etsi diu renitẽs deprecansque Vallium Cernay electus, in quo cum procerum maximorum defixi pro admiratione oculi essent, haud levis inde, apud plurimos est fructus consequutus, accedente insigni miraculorum gratia, quo servum suum & amicum Numen honoravit.

Constantia & zelo Pontificali clarissimus enitet Ven. Odoardus noster Calmensis in Italia, sub Archiepiscopo Capuano, Pontifex, qui hoc ipso anno in Concilio Lugdunensi, contra Imperatorem Fridericum, pro Ecclesia se opponere, ejusque conatus infringere non veritus, dum ad Ecclesiam suam revertitur, à satellitibus ejusdem Imperatoris interceptus, in carceres detrusus, atque illic ut ejus Ecclesiæ referunt tabulæ, pro Ecclesiæ im̃unitate interemptus est. *Vir,* ut ait Iongelinus, *tam sanctioribus, quam doctioribus, sui sæculi viris merito associandus,* minime nomine solo Episcopus, sed opere atque sermone prædicator strenuus, cujus inter dicendum *tanta vis animi, tantus impetus in oculis, vultu, gestu; ut non solum incendere auditores, sed ipse ardere videretur, &c. Abrah. Bzovius, Gasp. Iong. &c.*

*A.C.* 1246. *S.P.N.* 766.

MOritur Princeps ordinis nostri, hoc sæculo decus, sanctissimus Cantuariæ Archiepiscopus Edmundus, à puero sanctus ex matris utero mundo mortuus, & infantiam vix excedens à Christo Domino apparente, his verbis salutatus: Salve dilecte mi. Ingens gratia! & favor prorsum inauditus. Litteras & Theologiam, summa omnium admiratione, professus Parisiis est, ea verborum efficacia, ut sæpe auditores, viri summa auctoritate, lachrymas cohibere non valentes, codices complicarent,

Cantuarienſem ad Cathedram dum raperetur perſuaderi non poterat, ut honorem admitteret, quoad audiret, absque reatu peccati mortalis renuere non poſſe; confeſtimque admiſit. Crucem contra infideles prædicando, verbo plurimum potuit. Propter Eccleſiaſticam libertatem, antiquo noſtrorum more, & inſita animo conſtantia, plurima pertulit, plura & vivus, & à morte prodigiosè geſſit. *Vid. Laurent. Surius, Abrah. Bzovius Petrus Equilinus. &c.*

*A.C.* 1247. *S.P.N.* 767.

SVpremus hic añus Beatæ Iulianæ Cornelienſi moniali, Chriſti ſponſæ lectiſſimæ, quæ multis præcedentibus revelationibus Feſtum illud feſtiviſſimum & generoſiſſimum *SS. Corporis Chriſti*, prima omnium inſtitui impetravit, ad id ipſum potentiſſimè ab omnipotẽte concitata, quem cũ rogaret illa, ut per alium potius hominem, authoritate majorem, tantam rem dignaretur promovere, indignitatemque ſuam atque abjectionem obtenderet, voce de cælo lapſa: *Confiteor tibi Pater cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*, parere denique coacta eſt, plurimas ob id ipſum vexationes, injurias & contumelias perpeſſa, quorum tamen malorum omnium initia finemque prædixit. Digniſſima ſane, quæ maximis magnarum rerum Authoribus atque promotoribus accenſeatur, cujus merita poſt mortem magnis prodigiis & miraculis Deus commendavit. *Barthol. Fiſen. Guz. de Silva, Franc. de Bivar. Gileman. Henriq. Bern. Brito, Henriq. &c.*

Illuſtre meritis noſtrorum teſtimoniũ dat hoc anno magnus ille & ſanctiſſimæ memoriæ Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Rodericus Ximenius, qui Hortenſibus, florentiſſima diſciplina Monachis Bibliothecam ſuam ſpectatiſſimam legans, ſeipſum quoque donat, eligens inter eoſdem ſepeliri, quibus potiore ſui parte, animo ſemper convixerat, æmulus per omnia religioſiſſimi vitæ inſtituti. *Ex Vita, Ang. Manriq. &c.* Ipſo anno moritur inſignis ille Aulæ Marianæ in terris Palatinus B. Theobaldus Baro de Marly vallium Cernay Abbas: de quo prolixius *in Menologio noſtro*, *Ephæmer. Mar. & Chronol. Bened. Mar. &c.*

*A.C.* 1248. *S.P.N.* 768.

EXſplendeſcit, ex integro ſanctorum noſtri ordinis firmamento, admirando ſanè fulgore Beatus Martinus eo nomine Tertius Prior Generalis Sanctiſſimę Congregationis Camaldulenſis, ut nemo ſanè miretur hoc ipſo, & aliis temporibus, ex Camaldulenſibus tot Eccleſiæ luminaria colluxiſſe, quando luminare majus, ipſorum nimirum Generales plerique, eximia enituêre ſanctitate, à qua fieri vix poteſt, quin radius ſaltem aliquis, cæteris cõmunicetur. Vid. Camaldulenſium rerum ſcriptores omnes.

*A.C.* 1249. *S.P.N.* 769.

GAllias & Germanias ſplendoribus ſanctorum percellit, & in admirationem rapit admirabilis ille eruditione, ſanctitate & meritis B. Bonifacius Lauſanenſis ex Monacho Cameræ B. M. Virg. Epiſcopus Deiparæ dilectiſſimus, uti ejus cultus promotor ferventiſſimus, cui nimio quando Dominę contuendæ deſiderio laboranti, ipſa magna circumfuſa luce apparuit, ad cujus cum pedes ille quamprimum advolutus, in hęc verba prorumperet: *Sancta Maria ſanctifica me.* Mox illa: *Et ſanctificavi*, inquit. *& iterum ſanctificabo te.* De quo plura alias & mox anno ſequente. Ipſo anno moritur Marianus Thuamenſis in Hibernia Archiepiſcop9, magnum patriæ ſuæ & Eccleſię columen, è ſacra familia noſtra Ciſtercienſi ad id honoris aſſumptus, vir Iuris Pontificii peritiſſimus, multo nomine bene meritus. Clarent item Petrus de Garces ex Monacho Cœnobii de Petra Albarracinenſis in Aragonia; Dominicus de Azagra, ex eodem Monaſterio Segobricenſis in Regno Valentiæ, aliique præſtantiſſimi Epiſcopi ex ordine noſtro, diverſas provincias ſtrenue demerentur. Sed ante omnes Apoſtolico ſe zelo cõmendat B. Odo, ex Monacho Vrſocampenſi Sanct. Rom. Eccleſ. Cardinalis Episc. Tuſculanus, Innocentij IV. nuper ad Sanct. Ludovicum Galliarum Regem ad prædicandam Crucem contra Infideles Legatus, qui eumdem Sanctiſſimum Regem ad Crucem item ſuſpiciendam animavit, cui & Pontifex legationem tranſmare commiſit, dignum qui tanto Regi tantus ipſe, in re tanti momenti jungeretur, tanti à Rege factus, *Virum ſecundum cor ſuum, morum honeſtate decorum*,

*decorum, litterarum scientia praeditum, consilii maturitate praeclarum*, insigni sane elogio honoraret. Scripsit ad ipsum in orientem profectum multas litteras Pontifex, ubi ipse Apostolico labori totum se dedit, & qua corpore non poterat, sese animo exporrexit, aliaq; inter Orientalem Tartarorum Regem, ad fidem Christi scriptis convertere satagens, tres Monachos, & duos Clericos ad ipsum destinavit; ipse autem in conversione infidelium, praedicando catechizando, disputando, scribendo, multis modis laborando, dignum per omnia, eminentissimo Cardinalium honore & munere se exhibuit, aeternum speculum & exemplar, Eminentissimae dignitatis. *Salimbene in Chron. Praedic. S. Antonin. Bzovius, Seguin. Iongelin. &c.*

*A. C.* 1250. *S.P.N.* 770.

ADmirando fulgore Gallias illuminat, Beatus Bonifacius noster Episcopus Lausanensis, acerrimus Ecclesiae & Ecclesiasticae libertatis defensor, nihil Imperatoris minas, ac insidias reveritus, à quo captus, prodigiosè liberatur. De eo, ejusque in Ecclesia utilitate, dum adhuc maternis conditus lateret visceribus, per Angelum edocta Mater his Verbis: Concepisti Partum gloriosum, qui acceptus erit Deo, & Sanctis, & hominibus. Hic erit doctrina magnus, & honoratus. Vt frustra eum nos laudare, ejusque merita commendare satagamus. *Vol. Molan. Rusca*, *Manrique*, *VVion. Henriquez. &c.*

Ipso anno Fridericus II. Imper. plures è nostris sacra inprimis Cisterciensi familia adversarios nactus, cum erga eosdem hostiliter se habuisset, aliquos è praecipuis etiam Cardinales duos, & B. Bonifacium Cistercii Abbatem in carceres misisset, reatum denique & errorem suum agnoscens, serio poenitens, ab excommunicatione absolutus, cucullum quod oderat, summe veneratus, summae gratiae loco petiit, cum supremum decumberet, eodem vestiri, in eodem mori atque sepeliri, uti & meruit. *Ang. Manriq. Mon. Cist. &c.*

Eodem anno B. Aleydis nostra de Scarenbeca Monialis Camerae B. M. Virg. à planta pedis usque ad verticem capitis, instar Iob multis flagellata annis, patientia miraculum è terris rapitur, ipso Angelorum Rege cum Regina Matre ad ejus transitum occurrente; eamque his verbis compellante: *Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, propter quod nuuc venio, ut duplici corona, tam Martyris quam Virginis decorata, in aeternam requiem introducaris.* Cujus virtutes & merita, visitationes & miracula, ait doctissimus Molanus, non posse ad plenum explicari. *Arn. de Raisse. Ioan. Gileman. de Assygni, Manriq. &c.*

*A. C.* 1251. *S.P.N.* 771.

MOritur meritissimus Cassinensium Abbas Stephanus eo nomine II. Imperatori Friderico acceptissim9, quod idem Imperio deturbatus; ubi Stephanum Summo Pontifici addictum, sibique ideo adversum animadvertit, imani furore in Casinum delaeviit, occupatis Caenobii ditionibus, Monachis (octo exceptis) è loco profligatis; thesauro tum sacro, tum profano (qui tot annis, tot Principum liberalitate, ac Monachorum parcimonia coaluerat) funditus averso. Ecce quantam, pro Ecclesia jacturam passi nostri, nihil tamen minus, quam adulari Principes, in animum induxêre, imo glorioso potius contemptu, favorem, & amicitiam, propensissimi alioquin in se Principis, aversati sunt. Richardum exin Hannibaldum Romanum genere, Casinates Monachi Abbatiae magistratu, Innocentius Pontifex delata Cardinalatus dignitate, certatim cohonestarunt, quo ille utroq; gradu licet amplissimo dignissimum se praestitit, insigni pietate atq; industria Caenobium moderatus. *Leg. Marc Ant. Scip. VVion. &c.*

Ipso anno claret Stephanus, natione Anglicus, sed moribus, Claudio Roberto affirmante, vere Angelicus, Abbas Claraevallis, S. Edmundi Cantuariensis dein Episcopi auditor Parisiis. *Vid. mon. Claraevall. & Cisterc.*

*A. C.* 1252. *S.P.N.* 772.

INnumera quasi Innocentii nostri, eo nomine IV. Sumi Pontificis merita. Inter potiora, insigne sane & ad dignitatem Pontificiam convenientissimum, quod Regnum Neapolitanum Pontificii Solii Imperio adjecerit. Nec minus ad gloriam tanti Pontificis, quod Natae Virginis Octavam sic vocant, solemni ritu per Ecclesiam universam celebrari praeceperit: proximum est: quod Tartaros ad Christianismum, per Asceli-

Ascelinum Ord. Prædicatorum Religiosum, & Socios ejusdem vocârit. Idem Cruciferorum Ordinem approbavit, Edmundum Cantuariensem, Wilhelmum Briocensem, Stanislaum Cracoviensem Pontifices, & Petrum Martyrem, Sanctorum albo adscripsit; mille modis immortaliter meruit. *Leg. Vbertus Fosceta, Panvinus, Vincent. Volaterr. Platina, Gualter. Rosiens, &c. Bzovius. &c.*

*A.C.* 1253. *S.P.N.* 773.

VIx extincta, ut supra diximus Aleyde nostra, alterum orbi patientiæ exemplum, imo miraculum proponit, & in ipso multis consulit optimum Numen, Sanct. Finam nostram rigidissimum Inclusorum professam institutum, in cujus, ut in Regis Martyrum, sponsi virginum & sanguinum corpore, à vertice item capitis, usque plantam pedis, *non erat sanitas*, cujus carnem non vermes solum, sed & mures impunè devorabant, ipsa à sponsi laudibus nunquam desinente, donec à Magno Gregorio nostro de hora remunerationis edocta, à tantis laboribus & doloribus feliciter conquiesceret, cujus sacrum corpus adeo asseri, cui incumbebat repertum est, defluentium ulcerum tabo, ipsisque carnibus agglutinatum, ut vix inde posset separari, cælesti tamen fragrantia Odoriferum, cum antea intolerabilis ejusdem fœtor fuisset; campanis sponte consonantibus, visa ipsa cum ad tumulum deferretur, benedicentis in morem manum attollere, ad cujus invocationem, ferunt grandia patrata miracula, & puerum mortuum revixisse. Ipsa usque hodie grande habetur Hetruriæ & subsidium, & ornamentum, magnoque populi concursu frequentatur. *Ex Vita, Razio, Ferrario, Monim. Geminianis, Menol. nost. &c.*

Meretur immortaliter de Aragoniæ Regno Ven. Andreas Populetanus Abbas, Iacobo Rege ad meliorem frugem revocato, à cujus insanis amoribus, Tarasiam Ægidiam Vidauram, Illustrem cæteroquin fæminam, sed Regis pellicem factam, non solum potenter & generosè abstraxit, sed & eamdem serio pœnitentem, in Monasterio Gratiæ Dei, ab eodem condito Rege, inclusit & cucullo induit, adeo magnis deinceps virtutibus illustrem, ut magnis Hispaniarum posset Syderibus accenseri, quam à morte, magnis prodigiis, & corporis usque hodie per annos quadringentos incorruptione Numen honoravit; & quanti faceret pœnitentiam, pœnitentibus & peccantibus universis, monialem hanc speculum proposuit. *Annal. Cisterc. Ang. Manriq.*

*A.C.* 1254. *S.P.N.* 774.

MOritur magnum Regni Anglicani, imo Ecclesiæ universæ decus sanctissimus Hugo Eliensis Episcopus, cujus transitum his verbis describit Matthæus Westmonasteriensis ad hunc annum: *Quinto idus Augusti obiit Episcopus Eliensis Hugo, quandoque Abbas Sanct. Edmundi, qui in utraque Ecclesia circiter* 40. *annos laudabiliter DEO militaverat: cujus corpus cum magna veneratione sepultum est in Eliensi Ecclesia, in presbyterio nono, quod à fundamentis, sumptis propriis magnifice contraxerat. In cujus obitu, flos nigrorũ obiit Monachorum qui scilicet Abbas Abbatũ in Anglia extiterat, & Episcopus Episcoporum coruscavit, &c.* Nec minori encomio eum honorans Matth. Paris, post alia subdit: *Hic quoque sicut in mensa spiritali scilicet altari, devotus extitit, & exitus aquarum deducebant oculi ejus, ita in mensa corporalis refectionis, dapsilis fuit, jucundus & serenus.* In cujus obitu flos Nigrorum obiit Monachorum, quia sicut Abbas Abbatum in Anglia extiterat, ita & Episcopus Episcoporum coruscavit, &c.

Moritur eodem anno, nunquam satis laudandus Innocentius noster summus Pontifex, præter cõmemorata merita, & alia innumera, bene inprimis meritus de ordinibus aliis RR.PP. Dominicanorum & Franciscanorum quibus impensissime favit. Delatus à morte Innocentij rursum honos, è nostris meritissimo Raynaldo, Signiæ Comiti, S.R.E. Cardinali. *Leg. Paulus Langius Panvin. Platina. &c.*

*A.C.* 1255. *S.P.N.* 775.

DE Ezelino imanissimo Italiæ Tyrañо, triumphans è carceribus ad Cælos evolat Beatæ memorię Arnaldus S. Iustinæ Patavij Abbas, è nobili stirpe Cathanea, & Regio Comitum Limine oriundus sanguine, corpore & animo Virgo, cujus cum sacrum corpus quinquaginta post obitum dieb9, Fratres Minores apud quos conditus erat, transferre vellent incorruptum reperere. *Ex monim. S. Iust. Cavac. Arnoldo Duac. Fortun. Vincent. Menol. nostr. &c.*

Ipso anno fit Abbas Cistertij Beat. Guido, qui Beati Arnulphi Conversi Villatiensis,

riensis, viri admirabilis sanctitatis, & miraculorum gloria illustrissimi, Canonizationem solemnem, nulla alia de causa deprecatus est atque impediit; *quam, ne ipsa multitudine* Sancti *quasi vilescerent*, ipse suũ & ordinis honorem, communi Ecclesiæ posthabens utilitati. *Ex moniment. Cisterciens.*

Moritur eodem anno Ven. Garzias Iacobi Aragonum Regis, fortunatissimus quondam exercituum Imperator, Saracenorum gloriosissimus domitor; eruditione non minus, quam genere, & militari, omnique virtute illustrissimus, qui mortua conjuge cucullum pro sago militari amplexus, de seipso generosissimè & gloriosissime triumphans, ex Imperatore militum, miles Christi & servus, stupente militia, omnes calcans honores, spolia & trophæa, Trophæum ipse suæ virtutis extitit, non sine opinione Sanctitatis Triumpho æterno sociatus. *Ex monim. Hortens. Henriq. &c.*

*A.C.* 1256. *S.P.N.* 776.

SIngulare ornamentum ordinis nostri emicat, Sanctissimus Bonifacius ex Episcopo Lausanensi, Monachus Cameræ B. Virginis in quo prodigiis & visionibus admirandis honoratus est à Deo, ipsa etiam Cælitum Regina, ei non semel apparente, & familiariter colloquente, sed & Angelis, eidem in SS. Missæ Sacrificio ministrantibus, & coram ipso inclinantibus: ut inde æstimes, quanti meriti fuerit is, quem ipsi etiam cælestes Spiritus venerati sunt. *Ex Vita.*

*A.C.* 1257. *S.P.N.* 777.

INter maxima sanè, ob admirabilem vitæ sanctitatem, Ordinis Sydera, suspicitur haud immerito B. Beatrix nostra, Monasterii Nazarethani prope Liram Brabantiæ, Priorissa, quæ Octuennis Virginum Sponso in Cænobio oblata, adeo à teneris annis, Virgineo corpusculo rigidam hostilitatem indixit, ut jam tunc, & in omni vita, jugi probatam Martyrio dixeris. Eam quanti faceret sponsus, stupendis omnino gratiæ argumentis non semel prodidit, affatus quandoque ipsam his verbis: *Fædus ineamus, ac de cætero haud dividamur; sed veraciter uniamur*, cui illa: *En paratum cor meum, paratum est cor meum Domine, uniri tibi fœdere indissolubili ardentissimè desidero*, corde ejusdem mirificè, ut fassa est Spirituali Patri suo, se aperiente, & mox recludente, quod alio tempore sponsus ejusdem virginis filius, jaculo igneo transfigere visus est, & subsequuta vox, quę diceret: *Ipsā inter omnes mundi* (eo tempore) *creaturas à Domino specialiter delectam, nomenque ejus in libro vitæ designatũ.* Vt facile appareat, quantum pro ordine, pro patria, pro Ecclesia, pro orbe universo potuerint congeminati toties Singultꝰ, preces & lachrymæ, unius Beatricis, cui tamen tot millia lectissimarum eodem tempore virginum nostrarum, tam strenuè apud sponsum suum & Regem, pro salute universi dies noctesque collaborârunt. Sed de Beatrice plura alias, & in *Menol. nostr. Benedict. Vid. Ioann. de Assygn. Arn. de Raisse, Ioan. Gilem. Aub. Mir. Henriq. &c.*

Fuit eadem tota in Rosariis Deiparæ dies noctesque contexendis, & offerendis, puellula etiamnum clanculum crebris & molestis, de nocte consurgens, genuflexionibus, genibus tenerrimis nunc in nive mersis nunc alio incommodo situ afflictis, dum *Ave Maria* sibi longe gratiosissimum, alterum ex altero, nunquam satiata, congeminaret. Magna deinceps, cum Priorissam ageret, & exemplar Sanctitatis longè lateque innotesceret, promotrix cultus Mariani Singularis. *Ex Vita, & Chron. Ben. Mar. nec non Ephemerid. & Cult. Bened. &c.*

Moritur hoc anno, alterum illustrissimarum fæminarum exemplar lectissimũ, B. Mafalda Castellæ quondam felicissima Regina, inde cælorum Reginæ in Cænobio, quod ejus condiderat honori, Araucæ emancupatissima famula, ut purpuræ olim, ita æternum cuculli ornamentum facta, cujus Sacrum corpusculum, quadringentis ferè post obitum annis, nostra primum ætate, pauculis exceptis partibus, repertum est incorruptum, facie ita florida, ac si recenter expirasset, cælestem odoris spirans fragrantiam, Angelorum Musica à nonnullis exaudita, multisque concurrentium ægrotorum, prodigiosè curatis. Quam, etsi relicto Regno imperare desiisset, certum tamen est, neque usq; hodie desinere, pro suo in Regnum jure, potenter in cælis patrocinari. *Ang. Manriq. Ant. Vasc. Chrys. Henriq. &c.*

Apud Russos, Pontifex An. Ch. 1254. electus, Gerardus ex Abbate Oppatoviensi, præclarè modo meretur sed & apud diversas gentes, multi ex ordine nostro Episcopi, Apostolico zelo labores suos Ecclesiæ comendant, de quibus alias. *Ex libro de Provis. Prælat. Iongelin. & Marches.*

*A.C.* 1258. *S.P.N.* 778.

B. Thesaurus, ex Abbate, & Generali Vallumbrosano, priore anno S. R. E. Cardinalis electus, hoc anno sedis Apostolicæ legatus, contra Guelphorum & Gebellinorum factionem destinatus, insigni merito vitam suam pro Ecclesia in supremum discrimen conjicit, Florentiamque ad componendas partes profectus, ab iisdem Martyrio coronatus, capitis abscissione, merita sua immortalitati consecrat. *VVion. Yepes, &c. t. 6.*

*A.C.* 1259. *S.P.N.* 779.

MOritur æternum de Ecclesia, confirmata hoc anno Sylvestrianorum nostrorum ordine suæ Congregatione, Alexander noster quartus eo nomine Pontifex Maximus, de cujus in rebus præclarissimis conatibus, legendus Abrahamus Bzovius. *Plat. Panvin. Rosiers. &c.*

Moritur eodem año, B. Martinus Generalis Camaldulensium, ea vir sanctitate, ut multos languidos, solo attactu curaret, indeq; æstimes velim, quantum is ordo sanctissimus, sub hoc capite profecerit, orbiq; profuerit. *Ex Camald. script.*

*A.C.* 1260. *S.P.N.* 780.

ILlustri Martyrio, sanguine suo, agro Dominico ubertatem emunt & Poloniam maximè illustrant. Caprunicensis Cænobij Monachi omnes, hoc anno à Barbaris Tartarorũ populis cæsi, de quib9 consulendus Cromerus, Miræus aliiq;. Ita ut jugiter nostri pulchritudinem Ecclesię purpura insuper sua condecorarent.

*A.C.* 1261. *S.P.N.* 781.

ALexandro nostro, Papæ ejus nominis IV. añus hic supremus fuit, egregiè constanterque gestis imortali. Inter alia Manfredum Siciliæ Regem paterne admonens, nequid contra Ecclesiæ præsumeret libertatem, negligentem sacris interdixit; magnis ab eodem cladibus attrito exercitu Pontificio, nihil tamen de magnanimitate Alexander remisit, verũ pro libertate Ecclesiæ, Tyrannis sese ubiq; opposuit, & persequi eosdem nunquam destitit. Sedatis nonnihil Guelphorum ac Gibellinorum turbis, bellum Asiacrium, magnis animo impensisque paravit, prohibitus tamen est Ligurum Venetorumq; nova dissensione, ad quam componendam Viterbium ipse profect9, cum parum proficeret. (Ecce quam cordi, pacem Christianorum, & bellum infidelibus inferendũ, habuerit) animi mærore expiravit. Verus pauperum pater, de quibus & maxime Religione ipsa meritissimus, viros etiam doctos, summo in precio habuit, & sacrum purpuratorum Collegium iisdem egregiè exornavit: B. Claram Sanctis accensuit, & alia multa, pro dignitate & more nostrorum gessit. *Leg. Bzovius, Ciacon. Nat. Rosiers. &c.*

*A.C.* 1262. *S.P.N.* 782.

CVcullũ rejecto diademate amplexa, claret hoc anno ac prælucet contemptus dignissimi pulcherrimo exemplo Blanca Alphonsi III. Portugalliæ Regis filia, Sanctimonialis & denique pro meritis Abbatissa Monasterij algis effecta, in quo denique religiosis operibus plena, obdormivit & condita est. Vide Mariana & alij.

Nec leviori exemplo, sibi aliisque profuit Beata Beatrix Estensis Ferrariæ in Monasterio S. Antonii ordinem nostrum professa, quæ cum Azonis Ferrariæ, Veronæ ac Verandini D. conjugio copulata, eo mortuo, ad Religionis Asylum confugiens, in filiam S.P.N. Benedicti adoptata, in eximiam paulo post sanctitatem profecit, ita ut vivens atque mortua miraculis effulserit. *Ioan. Bapt. Girald. Ioan. Bapt. Pigna, &c.* obiit hoc anno.

Implet hoc ipso etiam anno, cælum gaudio gratulationeq;, ob felicem transitum suum B. Iuliana Collaltina, ex perillustri Comitum de Collalto familia, prima Abbatissa S. Blasij de Catoldo Venetiis, quod ipsa Cænobium, congregato ibidem virginum Collegio, mirabiliter instauravit, auxit & ornavit: hujus sanctissimum corpus (verba Martyrologij Benedictini sunt) adhuc ibidem visitur, ita integrum ut nihil desit, non secus, quam si his proxime diebus, & vita migrasset; dictu certe mirabile, visu tamen mirabilius. *Vid. Bernard. Scardeonius, & Ioan. Bonifacius, &c.*

*A.C.* 1263. *S.P.N.* 783.

MAgno Fidelium Solatio, fructuque & comodo cultum Deiparæ solerter promovet, peculiarius eidem sacra & devota Camaldulensium nostrorum lectissima familia, in quibus revera ipsa, sese habitare, juxta illud, *In plenitudine Sanctorum detentio mea, Eccles. 24.* multis prodigiosis

giosis signis declaravit. *Ex Chronic. Marian. Benedict. & diversis Eccles. Camald. monim.*

Patribus Purpuratis, S. R. E. Cardinibus accensetur hoc anno Beatæ memoriæ Guido noster Cisterciensis Archisterii Abbas, Candidissimæ illius familiæ nostræ Generalis: qui vir quantus fuerit, Urbani IV. declarat Epistola, de eius promotione scripta Capitulo Generali, in qua præter eminentes eius animi dotes, quas ibi connumerat: *Virum* appellat, *Angelicum, Virtutum ac scientiæ splendoribus illustratum, odoriferum florem, & olivam fructiferam, è venustissimo horto Religionis, in Paradyso, Universalis Ecclesiæ plantatam &c.* Cui quidem elogio, haud video, quid à Romano Pontifice, dum viveret addendum, nisi viventem, quod nequit fieri, Canonizare, ut loquimur, statuisset. *Ferdin. Vghellus in vita Vrban. Iongelinus, Ciacon. &c.*

*A. C.* 1264. *S. P. N.* 784.

CLaret multo nomine & immortalibus meritis, Sanctissima Camaldulensium nostrorum familia, quæ viris hoc ipso tempore sanctissimis locupletissima, totas deprecatorum, & Patronorum pro mundo cohortes cælo misit: inter alios, legationem eandem obiit B. Compagnus Prior qui quanti sit meriti, quantumq; ex eiusdem precibus, ac interventu sperandum, testatur insigni prodigio DEVS ipse, corpore ipsius in hodiernam usque diem penitus incorrupto. Vid. Scardeonius.

Ipso anno claret Henricus Stero Monachus Altahensis, Chronologia sua de sequuturis sæculis omnibus æternum meritis. *vid. Hen. Canis.*

*A. C.* 1265. *S. P. N.* 785.

MAgnis se meritis Ecclesiæ commendat, *vir*, non solum, ut ipsum appellavit Vrbanus IV. *Angelicus*, sed revera Zelo fidei & integritatis Apostolicus, B. Guido S. R. E. Cardinalis Sanct Laurentij in Lucina, labore atque industria indefessus, qui sub hunc annum à Clemente IV. in Daniam, Sueciam, Norvvegiam, Saxoniam, & universam etiam Germaniam, Legatus à Latere designatus hoc & sequenti anno, plurimos pro Ecclesia labores exantlavit; & provincias & regna amplissima immortaliter demeruit; neque efferatos scelere Reges veritus, Regem Daniæ & Reginam, Anathematis fulmine percussit, magnis vitæ exemplis, sed & à verbi, & facundi oris potentia commendatus. *Angel. Manriq. Lib. de Orig. Danorum, Iongelin. &c.*

Admiranda vitæ sanctitate, mirè exsplendescit B. Haseka reclusa prope Monasterium Sichemense, DEIparæ cultrix egregia, magnis à Numine gratiis honorata, favoribus illustrata, cuius speciali etiam designatione, patriæ Tutelaris ipsa concessa est, & commendata, ad quam iure merito, magnâ concives & conterranei confidentia usque hodie, pro potente apud DEVM suffragio recurrunt. *Ex vita, Polando, divers. rer. Belg. Script. & Menologio nostro.*

*A. C.* 1266. *S. P. N.* 786.

CLaret præcellentissima fama, insignis Ecclesiæ columna Ioannes de Toleto S. R. E. Cardinalis Episcopus Portuensis, propter magnam vitæ sanctitatem, singularem doctrinam, & eminentem in rebus gerendis prudentiam ad tantum honorem ab Innocentio PP. presbyter, Cardin. ab Vrbano exin IV. Episcopus ordinatus. Leg. Henriquez. Westmonast. Paris. &c.

Nec minori fama celebratus Bernardus Cassinensium Abbas, sacra ipse etiam purpura ab Vrbano decoratus, at Carolo I. Neapolis ac Siciliæ Regi charissimus, quem & itineris comitem voluit, cum Regnum Neapolitanum adiret & suorum participem nō solum sed & moderatorem consiliorum. De cuius laudibus nos plura inferius. *ex. M. Ant. Scipione.*

Nobilitat Ecclesiam sibi creditam proprio sanguine Guido noster Sarsinatensis in Umbria (Plauti Natalibus Illustris urbs est) lectissimus Pontifex, pro immunitate Ecclesiastica impiis sese strenuè opponens, donec in proprio Episcopio, à sceleratis parricidis minutatim concisus ad cælos Martyr evolaret. Extat Clementis IV. Pont. Max. ad Philippum Archiepiscopum Ravennatem gravis ac luculenta Epistola, de tam immani facinore perpetrato, quam refert Marinus de Ebulo in Epistol. Volumin. Vid. Abrah. Bzovius Hieronym.

nymus, Rubeus, Jongel. &c.

*A.C.* 1267. *S. P.N.* 787.

Militarium sub sanctissima Regula nostra militantium, haud modica celebrantur incrementa, & meritum ingens de Ecclesia barbarorum libidine fortiter oppressâ, & fastu humiliato, populisque diversarum nationum, & Regnorum, ingenti metu & periculo liberatis. Tantum rursus ordini nostro debent, tot gentes gratissimam, quam vitâ priorem æstimant, patriæ libertatem. *vid. Henr. Hisp. & Ord. Equest. Script.*

Gamaldulensium nostrorum perpetua memoria recurreret, nisi sponte excuteremus, de compedio sollicitis quod promisimus. Inter alios excellunt hoc anno defuncti BB. Parisius, Tarvisius, & Ausonius, Peregrinus ideo sic appellatus, quod B. Alexii exemplo duabus sororibus suis monialibus serviens incognitus ad mortem usque permanserit. *vid. Scardeon. Molen. Augustin. Florent. &c.*

Iterum præclarissimè meretur de Rom. & Universali Ecclesia Ven. Guido noster S. R. E. Cardinalis, Legatus à Latere ad Galliarum & Poloniæ Reges & Regna, Vniversæ iam Europæ præclarè gestis commendatissimus, celebratque hoc anno Viennæ Conciliũ, Leges constitutionesque dignissimas pro reformatione cleri populique sanciens, quas reperies apud Henricum Canisium *tomo.* I. *Antiq. Lect.* Sed & Synodum apud Uratislaviam convocans, pro subsidio terræ Sanctæ strenuè laborat, & Jubilæi gratiam, Crucemque contra Saracenos prædicat. *Ciacon. Iongelin. Monim. Cist. Manriq. &c.*

*A.C.* 1268. *S.P.N.* 788.

PErpetua Cavensium à prima origine Cænobii & Congregationis merita celebranda, adeo Viris omni Sanctitate & meritorum copia locupletibus abundabat. Hoc anno rariore etiam inter Viros sanctissimos exsplenduit Sanctus Leo II. in tanto numero Sanctorum meritus ob præclarè gesta, ut principe in Basilica loco ante Principem aram eius à morte Sanctissimum corpus conderetur. Quantum vero sub hoc Abbate & Generali profecerint Cænobitæ, & omnis Cavensium Congregatio, ex comparatione aliorum intelligas licet, quatuordecim nimirum antecessorum, ex quibus non nisi tres, ijdemque eximia virtute nomen æternum meriti, inter Sanctos relati sunt, cæteri excellentissimo nomine præstantissimæ sanctitatis, perpetuo successu, magis magisque in grege Monachorum, imitationis studium accendere, ut quintusdecimus hic Generalis, repertos iam antea animos omnium præparatissimos, ad summam virtutum amplissimarum perfectionem eosdem provexerit. Et quantum à tot perfectorum Monachorum laboribus, oportet Mundo universo fructum accrevisse? *vid. Ant. de Yepes t.6. cent. 6. & Arn. Wion. &c. 19. Aug.*

Hoc ipso anno moritur Magna illa & Sanctissima Virgo Beatrix nostra, Nazarethana prope Lyram Priorissa, insigne Brabantiæ, imo ordinis & orbis universi decus, inter Seraphin olim dum viveret evecta, eumdemque quemtunc obtinuerat locum, sibi reservari edocta, admirabili DEI favore & imcomparabili beneficio, voluntate sua adeo in Divinam transfusa, ut illa ex toto spoliatam se adverteret. Vidit eadem aliquando, mundum universum, ipsa in excessu mentis posita, quasi rotam sub pedibus suis subiectam, se vero quasi totaliter in Domini spiritu transfusam, totamque cælestem effectam; cuius, stupendo sane eventu, cor naturalem situm deserens, cum nimio sponsi amore ac desiderio effervesceret, ad guttur usque, præter omnem naturæ ordinem ac facultatem, ascendit, per multum temporis spatium illic tremens & palpitans, maxima cum eiusdem exinde debilitate, donec suo loco restitueretur. Nec se continuit ignis ille, qua intus deflagravit, quin ex oculis eiusdem prorumperet, & Sacras DEO Virgines universas mirè percelleret, salubriter autem accenderet atque excitaret, qua quidem nimia claritate impedita Beatrix, cum præsentia nõ posset visu discernere, *visibilia tamen & invisibilia, corporalia & spiritualia mirè penetrabat.* Cuius sacrum corpus initio mortuum Belgicorum creditur Angelicis manibus translatũ. *Ioan. de Asygniesin vita, Arnoldus de Raysse Aub. Miraus, Chrysostom. Henriquez. &c.*

*A. C-*

*A.C.* 1269. *S.P.N.* 789.

MEmorabilis hic annus, solemnissima Sanctorum atque Beatorum celeberrimi Monasterii in Clarę-Valle Abbatum, Monachorum, Novitiorum & Conversorum translatione, quorum supra nongenta sacra corpora tunc elevata sunt, & magno cum Religiosorum plausu, non sine maximo sensu & motu animorum, in novum ad idipsum, apparatum sacellum transportata. *Ex Menol. Henriq. & monim. Clar. Vall.* Clarent multi præstanti eruditione, & magnis meritis ex ordine nostro Episcopi: David Maccarvillius Casseliensis in Hibernia Archiepiscopus, qui hoc ipso anno, in suo quod ipse fundaverat Rupe Cashelensi Cænobio Monasticen complexus est. *Ex lib. de Provisione Præl. Iongel. &c.*

*A.C.* 1270. *S.P.N.* 790.

INgens ex ordine nostro, Episcoporum & Archipræsulum copia, quorum omnium, multis, singillatim essent merita recensenda & explicanda. Inter alios qui sponte occurrerunt, excelluere: Odo Archiepiscopus Rotomagensis ex Abbate S. Dionysij Parisiensis, vir doctus & eruditus & Ecclesiæ negotiis aptissimus, nisi gaudium, quod de eius creatione omnes conceperant, paulo post morte abrupisset: Robertus ex Monacho Dunelmensi Archiepiscopus Lindisfarnen. Pręsul longe meritissimus; Gulielmus de Ponteise ex Abbate Cluniacensi, Episcopus Agennensis, Ioan. Episcopus Tornacensis, dein Leodiensis, ex Monacho Stabulensi, Ioannes alius Episcopus Wintoniensis & plurimi alii, summis honoribus dignissimi, suis non solum Ecclesiis, verum Regnis & Provinciis utilissimi, de quibus legendi Episcopatuum Chron. Cl. Rob. Ioan. Buzelinus, Chenu, Chron. Cluniac. Wion. Demochares &c. Minime prætereundus Fennandus Lippiæ Dynasta; is relicto sæculo primum factus est Monachus Mariæfeldensis, dein Abbas, postremo cum desiderio pro Christo peregrinandi tangeretur creatus Episcopus Lealhensis, à proprio filio Othone Traiectensium Pontifice consecratus est, qui inde factus est parentis sui parens. Et paulo post ipse pater, cum eodem filio, alium filium Gerardum Archiepiscopum Bremensem consecrarunt. Ita Religiosus pater, religiosos filios in Christo enutriens, familiæ suæ pro testamento, religionem reliquit, non sanguinem. vid. *Reuserus, Henning, Cranzius.*

*A.C.* 1271. *S.P.N.* 791.

INæstimabile pene est, quantus in sola Cisterciensium amplissima congregatione, virorum genere, doctrinâ, sanctitate illustrium numerus, & quantum ij ipsi, hoc ipso quoque tempore, Ornamentum Ecclesiæ addiderint, bonumque universi promoverint. Unus omnium vice sit, venerabilis Arnulphus Sanctissimi illius Cænobii Villariensis Abbas in quo uno, monachis quadringentis, eximio vitæ rigore, se pro peccatis Mundi affligentibus, quantum inde accreverit meriti Ecclesiæ thesauro, æquo bonorum judicio relinquimus. *Ex Henriq. l. 2. d. 25.* Claret Iuo de Poiseu Abbas, Cluniaci quem Girardus de Arvernia vocat Angelum incarnatum, plenum misericordiæ liberatissimum & in consiliis prudentem.

Moritur hoc anno Philippus Abbas Claræ-Vallis, pertinacissimus disciplinæ Monachicæ assertor, qui à Roman. Pont. renunciatus Macloviensium Episcopus, nullo modo ut admitteret eum honorem persuaderi potuit, id unum rogans, ut in licentiam, quandam declinans Ordo reformaretur. *Ang. Manriq. &c.*

*A.C.* 1272. *S.P.N.* 792.

MOritur Bernardus, Primus hoc nomine Abbas Cassinensis, & S.R.E. Cardinalis, Ecclesiæ Universæ bono & commodis se totum impendens duabus gravissimi momenti, ac difficultatis Legationibus in Gallias una, altera Constantinopolim, perfunctus, & mittentis summi Pontificis desiderio, & rerum quas tractandas susceperat magnitudini, abunde satisfecit. Xenedochium peramplum, assignatis facultatibus & ampla munerum largitione construxit Ecclesiam item, in D. Germani oppido, Patribus Dominicanis concessit (ut nihil dicamus quam liberales toto passim orbe nostri; in Patres Domin. & Francisc. fuerint, plurimos iisdē convētus erigēdo, ope & facultatib⁹ perpetuo juvando &c.) ingenii etiam non pauca monimenta reliquit & ordinis Univer-

ſi bono maximo, Caſſinenſium antiquum ſplendorem & Religionem, feliciſſimo ſucceſſu ſuſcitavit. M. Anton. Scipio. &c.

Mortalitatem exuit magnus revera atque Eminentiſſimus meritis & vitæ integritate Beatæ memoriæ Guido Cardinalis, poſtquam Roman. Eccleſię novem annos, perpetuis ferè in Legationibus, absque ulla pompa atque oſtentatione, ſed laboribus & induſtria maximis, in paupertate ſpiritus, Sancto vitæ exemplo, ſeſe mirificè commendaſſet, Germaniam, Galliam, Daniam, Sueciam, Norvegiam, Poloniam immortaliter demeruiſſet; immortuus denique tam glorioſis functionibus, cum iuſſu Gregorii X. Concilio Generali Lugdunenſi intereſſet. *Alphonſ. Ciacon. Ericus de Origin. Daniel. Iongelinus. &c.*

*A. C.* 1273. *S. P. N.* 793.

ALterum Eminentiſſimi Purpuratorum Eccleſiæ Patrum lumen hoc anno, non minus, illo de quo ſuperiore anno diximus, illuſtre extinguitur Ottho de Caſtro Rudolphi, ſive Odo Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, Apoſtolico Zelo & ſpiritu vir, totus, neglecta corporis & ſæculi cura, in lucra animarum effuſus, Sanct. Ludovici Galliarum Regis amiciſſimus, & ut ipſe eſt faſſus: *Secundum cor eius.* Expeditionis ſacræ concitator religioſiſſimus, in quam ſe etiam ipſum totum expendit, cum eodem Rege in Palæſtinam profectus, ſolatium ingens Regis, & exercitus Chriſtiani. *De cuius meritis, vide Salimb. S. Antonin. Iongel. Manriq. Henriq. &c.*

*A. C.* 1274. *S. P. N.* 794.

INexplicabile rurſum de Eccleſia Vniverſa meritum, Sanctiſſimi Petri de Morono, Monachi & Abbatis S. Petri Maiellenſis; qui hoc ipſo anno, augendæ Religionis cupidus, cum ipſius S. P. N. BENEDICTI familiam, novo aliquo inſtituto exornare cogitaret, novam Congregationem inſtituit, quæ exin ab ipſomet, Romano demum Pontifice confirmata Cæleſtina appellata admirandis incrementis, & fructu atq; utilitate in Eccleſia effloruit. Genebrardus, Azonius, Gualter Walſingham, Weſtmonaſt. &c.

Moritur eodem anno Ioannes de Toleto, Sacræ Roman. Eccleſ. Cardinalis de quo ſuperius, fitque Archiepiſcopus Lugdunenſis Aymarius de Roſſyllon, Monachus Cluniacenſis, ipſoque anno creatur ab ipſo ſummo Pontifice, & Concilii Lugdunenſis Patribus Epiſcopus Leodienſis Ioannes de Enghien, ex Monacho Stabulenſi Tornacenſis Epiſcopus, ut videas quanti meriti fuerit, quem ipſe per Concilii Patres Spiritus Sanctus tanto culmini aptiſſimum judicavit. Democh. Claud. Adbertus, Wion. &c.

*A. C.* 1275. *S. P. N.* 795.

LUctum ex morte tantorum Principum, Ordinis & Eccleſiæ ſolatur Gregorius Papa, promoto ad honorem eundem Theobaldo de Ceccano Tarracinenſi Comite, Foſſæ Novæ in Galliis Abbate, cuius Benedictina Hoſpitalitas, magnum nuper hoſpitem meruerat, illum Candidiſſimi atque Illuſtriſſimi P P. Prædicatorum ſolem S. Thomam Aquinatem, qui uti apud Caſinates noſtros & Landulphum Abbatem patruum ſuum, primùm educatus eſt, ita & apud noſtros in Cænobio Foſſæ Novæ mortuus, in Theobaldi noſtri, feſſum magnis pro Dei Eccleſia laboribus caput & ſpiritum depoſuit; ut minime dubites, de eodem Spiritu, hoſpitii mercedem Theobaldum meruiſſe. *Marc. Ant. Scipio, Caiet. &c.*

Moritur eodem anno B. Margaritha Comitiſſa Brienii, Theodorici de Bevere coniux, regio Cypri Regum genere oriunda monialis Flinenſis. Clarent & illuſtrant Eccleſiam multi ex ordine eximia vitæ Sanctitate, de quibus fuſius in Menol. noſt. Bened.

*A. C.* 1276. *S. P. N.* 796.

ILluſtri contempti faſtus, & Regni exemplo, prodeſt Principibus & nobilibus ſequuturæ ætatis, Iacobus Arragonum Rex, cucullo hoc anno diadema & purpura permutans. Ita glorioſi in Imperio geſta, multo feliciore fine coronans. De reliqua Principum ac magnatum multitudine, hoc ipſo anno & tempore, ſub cucullo ſecurè degente, ſupervacaneum recenſere, cū in ſola Germania ex Augiēſi, Sangallenſi, Fuldenſi,

densi, Einsidlensi Cœnobiis, totę cohortes, produci possent, quibus omnibus, cucullum salutis quasi tessera fuit; certe fuisse debuit, vid. Marinęus, Mariana &c.

Iacobus Aragonum Rex à felici rerum contra Saracenos successu, cognomento *Expugnator*, quanti nostros faceret, insigni hoc anno argumento prodidit. Cum enim diu Regno quam utilissime, virorum ex ordine Sanctorum usus consilio, & precibus suffultus, prę-stitisset, & trigesies cum hostibus Crucis felicissime conflixisset, templa autem & Cœnobia (res admiratione dignissima!) ad duo millia struxisset, Ordinem de Mercede B. M. V. instituisset, regna integra Ecclesię adiunxisset, nulli toto orbe Regum Secundus habitus, ultimam de seipso reportans victoriam, Petro filio sponte Regnum cedens, & seipsum Populetano Abbati tradens, Monachum professus, cucullum amplexus, certus ad Populetum deinceps vitam omnem exigere, dum eo fertur, aggravata ex itinere febri moritur; assistentibus Monachis, quos dudum sibi in fratres cooptaverat. Corpus Populetum delatum, duplici titulo, & Regis & Monachi, inter utrosque accepit sepulturam &c. *Ang. Manriq. Barn. de Mont. &c.*

Moritur eodem anno insigne illud Abbatum speculum B. Arnulphus Villariensis, cuius præter vitæ sanctioris dignissima exempla, vox illa digna æternitate, cum oeconomi subinde iuratæ paupertatis in affluentia redituum minus meminissent: *Scitote*, inquit, *Fratres; meipsum, à quo dependet potissime dispensatio rerum temporalium, non posse conferre panem unum, nisi pro utilitate Monasterii, vel pro indigentia pauperum, quorum bona sunt &c.* Ut ostenderet, non minus ad curatam teneri paupertatem, locupletissimorum Cœnobiorum Ascetas, quam Religiosos Mendicantes, ut quibus tanti reditus non alio sint fine assignati & permissi, quam, prosola inde sumptâ necessitate, ad augmentum ordinis, pro susceptione Hospitum, pauperum, & peregrinorum; quod egregie Sanctissimus iste Abbas suis inculcavit. *Ex vita per Mon. Villar. Henriq. &c.*

Neque minus Episcopus exemplo, quam Arnulphus Abbatibus & Monachis, sub hoc ipsum tempus Beatæ memoriæ Adam ex Abbate Carolilocensi Silvanectensium Pontifex, insigniter enituit; Divi Guilhelmi, Bituricensium ex Abbate Archiepiscopi, suæ demum Sedis Tutelaris, lectissimus discipulus, qui talentum minime abscondens, irrequieto studio totus in lucra animarum se expendit, digno elogio à Seguino honoratus: *Vitam, prædicando, docendo, scribendo exegisse.*

*A. C. 1277.* *S. P. N. 797.*

MAgna Sanctitatis opinione, non tam populis, quam Galliæ Episcopis, mirè prælucet Robertus ex Monacho Chalisiensi, Sylvanectensis hoc ipso anno post Adamum electus Episcopus, Ecclesia illa, simile Adami exemplar à nostris repetente, qualem se revera Robertus exhibuit, *vir*, ut ait Seguinus, *maximæ humilitatis, & Conversationis Sanctissimæ, qui Pontificium munus, quam diu vixit, moribus & scientia, magnificè legitur adornasse &c. Claud. Rob. Iongel. Ioan. Chenu. &c.*

Familias Italiæ Illustres, egregia vitæ Sanctitate plurimum ornat B. Paulinus noster, è familia Comitum Bigazzini di Chiomesi de Collalto, Sanct. Sylvestri nostri illustrissimus discipulus Monachum in Cœnobio SS. Marci & Luciæ à Comite Vgolino cognato condito professus, magnis in vita & post mortem miraculis clarus, de quo fusius in Menologio nostro Bened. & apud Lud. Iacobillum. &c.

Ipso anno super candelabrum exponitur Ven. memoriæ Ioannes noster Bitectensis in Regno Neapolitano sub Archiepiscopo Barensi, renunciatus Pontifex Monachus Sacræ nostræ familiæ Cisterciensis. &c. *Iongelinus, & tabulæ eiusdem Eccles.*

*A. C. 1278.* *S. P. N. 798.*

NEc minore orbis utilitate Ecclesiæ ornamento, fœmineum etiam fragiliorem sexum fovit & protexit cucullum, quo ornatæ etiam Heroibus fortissimis feliciores, inferos in pugnam provocare ausæ felicissime debellarunt. Solum Gandusheimense Cęnobium, quot Principes è potestate sæculi vindicarit incredibile prorsum est, ut de sexcentis hoc ipso tempore sileamus

mus. Sane eodem hoc anno Euphemia Rudolphi I. Imp. filia in Tulnensi Cænobio, institutum nostrum quondam complexa, servitio Christi nobilior multò quam summo Imperio, post longos labores, ad præmia æternitatis fœliciter evolavit. *vid. Panvinus Rom. Prin. l. 3. Genealog. Rom. &c.*

*A. C.* 1279. *S. P. N.* 799.

ILlustre Mariani nominis & amoris Monimentum condit B. Magarita à Regibus Cypri oriunda, Flandriæ comitissa, Monasterium B. M. V. Flinense, in quo generoso pomparum sæculi contemptu cucullum amplectitur, & cælorum Augustæ emancupatissimam se famulam devovet, magna opinione Sanctitatis, familiæ Regiæ, & Flandriæ universæ, ingens facta ornamentum. *Ex div. rer. Belg. script.*

In Hybernia nostri se plurimum commendant, & strenuè laborant, è quibus hoc anno Derensis sive Derriensis, in Comitatu Tyrconnelliæ sub Archiepiscopatu Armachano Pontifex eligitur. Nicolaus Cusack, de quo Annal. Hib. consulantur. In Italia claret Theobaldus noster Cerviensis sub Archiepiscopo Ravennate Episcopus, in Anglia Wilhelmus Eboracensis Archipræsul, & Ioannes Abbas Buriensis, qui egregia Annalium Regni scriptione, omnem demeritus est posteritatem. *Ex lib. de provis. Prælat. Edoardo Maihevu, Iongelino &c.*

*A. C.* 1280. *S. P. N.* 800.

CLaret admiranda sane æternis sæculis sanctitate Divinissima Virgo Gertrudis nostra, generosa Baronum stirpe propagata à prima ætate Rodarfesdorffensis Cænobii Monialis, ac denique Abbatissa, quæ eximiæ Sanctitatis perfectione, Deo & Cælitibus familiarissime coniuncta, & cælestibus revelationibus assueta, ex instinctu spiritus Sancti, à quo fuerat edocta magno Ecclesiæ fructu, piarumque mentium salute, & consolatione, composuit nonnullos libros, qui Latinitate donati sunt à F. Ioanne Landspergio, simul exercitijs spiritualibus eiusdem. Sunt vero Insinuationum spiritualium Libri quinque, & liber exercitiorum spiritualium eiusdem unus. *Sed de Gertrude sæpius vid. Gualt. VVion. Stengel. Blosius. &c.*

*A. C.* 1281. *S. P. N.* 801.

CArolum primnm Siciliæ & Neapolis Regem, grandi & inaudita plane ultione DEVS, & Sanctissimus Patriarcha noster Benedictus persequuntur, cum Cassinates, propagandæ potestatis Regiæ insana ambitione, rerum Capitalium foro, grandi cum iniuria exuisset: meritas quippe sanctissimi Patris BENEDICTI contemptus tam insignis pœnas quam primum defendit (mirum) nam quo die, Cassinates suis exuit juribus, ac privilegiis: eodem ipse (sceleris supplicium exposcente Numine) Siciliæ Regno spoliatus est; Gallorum quotquot tota Sicilia degebant, condicto inter Sculos Vesperarũ signo (inde vulgato illi Sculorum Vesperæ, origo) omnibus misertimè contrucidatis. Cuius atrocissimæ cladis causam, illatæ potissimum Cassinatibus Monachis à Carolo iniuriæ, diserte attribuit Vrbanus V. summus Pontifex, datis hac super re Neapolin ad Ioannam Reginam codicillis. Tam severè ulciscitur DEVS in nostrum ordinem contumeliosos, benigne annuens Benedicto suorum causam ac defensionem studiosissimè commendanti. *Ex Marco Antonio Scipione. &c.*

*A. C.* 1282. *S. P. N.* 802.

MOritur eximium nostri ordinis decus B. Torellus, quem nequidquam de nostrorum numero detractum nonnullos velle, aliquando demonstrabimus atq; iuxta ostendemus, quam minimè vanum sit nostros subinde, pro unius de congregatione subtractione tam strenue se opponere. *Phill. Ferrar. VVion. Aliique. &c.*

*A. C.* 1283. *S. P. N.* 803.

ILlustrissima Vitæ Sanctitate Romæ illucescit Beatus Ioannes, cognomento Raynutius Tudertinus S. Pauli ad urbem Monachus, magnum, ob egregiam in pauperes charitatem, *Ioannes Eleemosynarii alterius* nomen consequutus, qui, ut patria quoque illuceret, Tudertum missus, Tudertinos multo nomine demeruit, cum illic Sacris Deo Virginibus in Monasterio S. Margaritæ præesset, quo multas Sanctorum Reliquias intulit, & Tudertum beavit, ipse magnus

& dum

&dum viveret, & post mortem thesaurus, tanto habitus in pretio, ut supra maius altare conderetur. *Lud. Iacobillus, Monim. Eccl. Tudert.*

Biturigibus strenuè consulit, ex Monacho Cænobii Charitatis, plenus charitate Archiepiscopus, Simon de Bello-Loco, reapse, uti nomine Primas Galliarum; quem magnus & dignissimus Encomiastes Martinus Papa, in Chartulario Bituricensi, vocat: *Virum, magnis Scientiarū dotibus præditum, conversatione laudabilem, honestate decorum, morum elegantia redimitum, variisque gratiis & virtutibus insignitum. vid. Claudest. Rob. Gall. Christ. Ioan. Chenu. Iongel. Henriq. &c.*

*A. C.* 1284. *S. P. N.* 804.

IN cęlum evolat *B.* Torphinus noster Hamariensis Episcopus, qui eum Ecclesiastica iura, Zelo Domini inflammatus nullam Principum formidans potentiam, contra infractores & contemptores (verba Henriquezij sunt) Sacræ & Ecclesiasticę libertatis defenderet, multas hac de causa tribulationes perpessus, tandem Ecclesiam, & Patriam deserere compulsus, in Cęnobio Dunstano, vitę reliquum sanctissimè transigens, ostendit posteritati omni, quam constanter se nostri pro iuribus Ecclesię opponerent, quamque ęquo animo, honoribus summis carerent & renunciarent. *vid. Henriq. l. 2. Dist. 10. cap. 5.*

Ipso anno è nostris rursum expetit, accipitque Archipręsulem Ecclesia Lugdunensis Rodulphum de Torreta, de quo consule. *Lugdunens. Episcoporum & gest. Chronol. &c.*

*A. C.* 1285. *S. P. N.* 805.

ARchipręsulatu Eboracensi sponte se abdicans Guilielmus Wickvvane Pontiniaci Monachum induit, factus spectaculum & miraculum sui sęculi Pontificum, magnis à Numine miraculis illustratus. *Polyd. Virg. Harpsfeld. Pitseus &c. Iongel. &c.*

Ipso anno, illa olim privatim, religiosissimo cultu adamata, in Cęnobio S. Lamberti illustrissimo, DEIparentis Cellensis imago, dum magnis illustrata miraculis, Austriam non minus & Moravias atque Styriam percellit, insigni condita basilica ab Henrico Marchione Moravię eiusque coniuge Agnete honoratur, cum uterque ex desperato morbo, eadēmet quæ Cellæ colitur matrefamilias, invitante & sanante, prodigiosè convaluisset. Ostendit deinceps usque hodie inter nostros sese (ut plurimis tota Europa Cænobiis nostris) signis & beneficiis admirabilem, magno undique confluentium concursu & fructu; pœnitentium inprimis, quorum in hanc usque diem tot millia, expositi illic, in amplexus occurrentium, Patres nostri, offenso Numini per Sacramentum pœnitentiæ, & sacra monita, reconciliarunt. Tantum thesaurum Monacho uni debet, allatum, & conservatum sibi Styria atque Austria, quo non habet, post DEVM ipsum pretiosiorem, ut dolendum maximè sit, Ascetæ tam benè de Divâ ejusque cultoribus meriti, de industria procul dubio eiusdem, non reperiri; etsi in sinu ipse Dominæ suæ requiescat. *Ex Histor. Cellens. &c.*

Immortalibus iungitur eodem anno B. Philippus ex Illustrissimo Antignani Comite, Monachus humillimus Fontis Avellanæ, egregium Illustrissimorū Italiæ virorum exemplar, & Nobilitatis in tanto sui contemptu ornamentum, qui pro insigni vitæ dignitate è Cænobio extractus, ad Nuceriensem Cathedram Episcopali maiestati, magnum pondus Sanctitatis exemplo addidit.

Sepultus in sua quam condidit S. Agnetis Ecclesia, quę deinceps, magna meritorum eius commendatione, ab ipso etiam BB. Philippi & Agnetis, appellata est. *Ex Monim. Nucer. Ludovic. Iacobillo. &c.*

*A. C.* 1286. *P. P. N.* 806.

QVanto potius regno & gloria omni sęculi huius, Religiosum sub Regula S. P. N. BENEDICTI institutum esset, pulcherrimo exemplo ostendit, hoc ipso anno Heleonora Henrici III. Angliæ Regis uxor, quæ aliquot à morte mariti annis, cum esset regis uxor, & Regis Mater, tamquam generosa virago, spreta sæculi pompa, apud Ambresburiam die translationis S. Thomæ, habitum Religionis diu desideratum suscepit, & ibidem aliquot ad mortem usque annis vitam religiosissime traduxit, *Thom. VValsing. Matt. VVestmon.*

*A.C.* 1287. *S.P.N.*807.

MEretur etiam à morte, immortali beneficio, de patria sua B. Ioanna nostra Monialis S. Luciæ in suburbio Balnei sanctissimæ familiæ nostræ Camaldulensis gemma pretiosissima, ad cuius potens apud Numen patrocinium, cum Balneenses, invalescente nimium pestilenti lue, magna confidentia confugissent, & Tutelarem, propitiam experti essent, insigni hoc anno solemnitate, sacri eius corporis Elevationem curârunt, factam per Iacobum Castellanum, & Guglielmum Aretinum, Episcopos, & grati animi illustre condentes monimentum, splendido Ioannam Sacello & Sarcophago intulerunt, hâc notato inscriptione.

*Divæ Ioannæ, ob patriam à peste vendicatam*
*Oppidani, urnam hanc erexerunt, & huc translata iacet.*

Cuius sepulchro Petrus Delphinus Generalis Camaldulensium perpetuus ultimus, & ipse celeber opinione Sanctitatis, carmen hoc apposuit:

*Virga beata iacet tumulo hoc præstansq; Ioanna.*

In corona vero Sacelli legitur.

*Pro gratitudine beneficii, Beatæ Ioannæ dicata.*

Quo beneficio, vicinos quoque mirificè accendit virgo lectissima, & in spem magnam erexit, auxilii in tempore oportuno. *Augustin. Florent. Arn. Duac. &c.*

E viris Illustribus ordinis effulget Bonaventura Ceensis Episcopus, qui pro libertate Ecclesiæ impijs se opponens, Sede & patria pulsus, benè usus exilio in Claravalle complexus cucullum, cœlestem in terris vitam egit, cuius laudes inculto quidem, attamen digno relatione Epitaphio, viri eiusdem loci religiosissimi, sic celebrarunt:

*Hic Bonaventura fama nunquam moritura*
*Dignus commoritur, subque hoc tumulo sepelitur.*
*Lombardus genere, cæli fuit incola verè*
*Et pura mente vixit DEItate favente*
*Nam se nostrorum rexit norma Monachorum,*
*Ceensis Præsul, propria de sede fit exul*
*Ob fidei scutum &c.*

Sed de viris Illustribus eruditione consulendus Trith. Ed. Maihevv; Placidus Rom. Caiet. &c.

*A.C.* 1288. *S.P.N.*808.

SOla sufficiens ordini nostro, non unius, sed sæculorum omnium decus, Beatissima virgo Gertrudis nostra, eâ hoc ipso tempore, excelluit sanctitate, ut Christus ipse Dominus testaretur, chariorem in mundo animam se non habere, quamvis hoc ipso tempore sanctitate complures etiam in ordine nostro, & ipsa inprimis admirabilis illa Mechtildis, huius ipsius Gertrudis soror mirandum in modum excellerent, ita Beatæ memoriæ egregius ille Abbas Blosius: Dominus præclara quinque vulnerum suorum stigmata cordi eius sensibiliter impressit, & tam amœnam habitationem sibi in ea pręparavit, tamque suaviter cor suum erga eam apposuit, ut nisi homines scirent, potentiam & bonitatem eiusdem esse interminam, vix credere possent illum, tantam amicitiæ familiaritatem præcellentissimæ Matri suę demonstrasse in terris, quantam isti demonstravit. Hinc ipse Dominus IESUS, de ea adhuc vivente loquens cuidam Sanctę personæ dixit. Quum nemo hodie vivat, qui per puram intentionem, bonamque voluntatem, & veram fidelitatem, mihi vicinior, atque coniunctior sit, quam illa, ego quoque ad nullam animam in carne degentem, maiori fervore inclinor, quam ad animam illius, unde & nusquam (ô gratiam) convenientius invenire me potes, quam in Sacramento altaris, ac deinde in corde & anima huius sponsæ meæ. Rursum alteri cuidam Dominus: Ego totus sum illius, & eam per amorem, inseparabiliter mihi univi, sicut argentum & aurum per ignem in unum metallum conflantur. Et iterum: Ipsa, inquit, est cunctis cæli civibus dulcisona Harmonia &c: Vt videas quàm de ipsis etiam cęli civibus, in mortali etiamnum degentes corpore, & Sanctimonialium etiam, minimè otiosum otium mererentur. *vid. Ludov. Blosius. & Insinuat Div. piet.*

*A.C.* 1289. *S.P.N.*809.


HOc anno jubente Deo ipso libros Insinuationum Divinę pietatis orditur eadem magna Gertrudis nostra,

bono

bono æterno ſeculorum omnium & pio affectu legentium, & evolventium; De quorum utilitate ita Dominus ipſe ad Gertrudem, ſi quis inquit devotus deſiderio ſpiritualis profectus in hoc legere voluerit libro, hunc adeo mihi attraham, adeoque me illi coniungam, ut nō aliter quam inter manus meas hanc ſibi legere videatur, addiditque ubi duo in eadem ſimul paginâ legerint libri, alter alterius flatum ſentiat neceſſe eſt, hoc modo, & ego devotionis ſtudio, ex hoc libro legentis, ſpiritum, deſideriaque traham in me; quo fiat, ut pietatis meę viſcera moveantur ſuper illum: atque rurſus divinitatis meæ tantum eidem inſpirabo afflatum, ut interior eius homo, ſpiritu meo renovetur. Quo verò ex hoc libro, pari ſtudio animoque, quædam exſcripſerit, & quoties id fecerit, totidem illi immittam amoris ſagittas, quæ caſtiſſimas ſuaviſſimasque in anima eius divinitatis meæ pariant delectationes. Audi & fructum lectionis alium, quem æternum Gertrudi noſtræ debet, ſibi relictum, poſterorum ætas, & poſteritas omnis: Divinitatis meæ virtute, ait Dominus hac largior, ut quisquis in hoc libro, ad laudem meam, recta intentione, devotione humili, atque gratitudine piâ, propterea quod incipiat ædificari, legerit & venialium obtineat peccatorum remiſſionem & ſpiritualis conſolationis aſſequatur gratiam, & ad gratiam meam idoneus reddatur uberiorem. *vid. lib. Inſin. Div. piet.*

*A. C.* 1290. *S. P. N.* 810.

GRandibus incrementis proficit Sanctiſſimus Ordo, à S. Petro noſtro de Morono inſtitutus ipſo Petro intra breviſſimum tempus ſex & triginta Monaſteria exædificante. Quot vero exemplo ſane æternis ſæculis admirando, rigoris & perfectionis Monaſticæ, toto orbe cognitiſſimus, à via pravitatis, ad rectam virtutis ſemitam reduxerit, vitæ eiusdem ſcriptor ait nullis verbis explicari poſſe, ut ſuo modo Petrū, dein Cæleſtinum inter præcipuos orbis & ordinis Apoſtolos, merito numeremus. videat. vitę Auctor. apud Surium Lippelonum &c.



*A. C.* 1291. *S. P. N.* 811.

DUm Sanctus Petrus noſter de Morono familiam à ſe recens conditam ſtrenue curat & dilatat, eidem accenſetur S. Robertus Salentinus, qui mox è cucullo, *pietate & miraculis tanquam cæleſte iubar enituit*, multos exemplo ſuo Chriſto lucratus, de patria pręclare meruit, fama miraculorum eius, omnes attonitos reddente, è quibus inſigne illud, cum quendam ſine confeſſione mortuum vitę reſtituit, donec illa ritè expiatus denuo moreretur. Is à puero, ob Sanctitatem, vulgo *Sanctutius*, neque aliter deinceps ab ipſo Sancto Fundatore appellatus eſt. *Ioan. à Boſco, Bibl. Floriacens. Hugo Menardus &c.*

*A. C.* 1292. *S. P. N.* 812.

COruſcat divini plane fulgoris radiis Sanctiſſima Mechtildis noſtra admirabilis Gertrudis noſtrę ſoror, non carne tantum ſed & ſpiritu & in eodem Cęnobio, profeſſione & convictu, quę ab infantia Domino conſecrata, & ſpiritus, qui ſororem ſuam repleverat particeps effecta, à quo edocta & familiari amicitia Sponſo ſuo cęleſti unita, divinisque revelationibus clara, librum edidit ſuarum revelationum, ſpiritualis gratię divinę dulcedinis muſto abunde plenum. vid. Landſpergius & Bloſius. &c.

*A. C.* 1293. *S. P. N.* 813.

DEmeretur inſigniter Seraphici Patris ſacratiſſimum Ordinem Beata Sancia noſtra ſancij Portugallię Regis filia, ſoror Alphonſi, Monialis poſtea Cellenſis, Sacrę Ciſtercienſis familię noſtrę, vere regium exemplar ſanctitatis, quę prima illum Regno introduxit, Regibus & populo commendavit, materna ſollicitudine fovit, & religioſiſſime coluit, & promovit, quos deinceps alij quoque noſtri Religioſiſſimi quivis Abbates, amantiſſime complexi, cum inſtruendis Cęnobijs, tum eleemoſynis & vitę neceſſariis ſubminiſtrandis, liberaliſſime juverunt, & recrearunt, eo ipſo de Eccleſia bene meriti, in cuius adeo Sanctis, & nunquam ſatis celebrandis & colendis, laboratoribus, bonum publicum ſtrenue promoverunt, immortalesque non minus, quam mortales,

les, beneficentiam hanc comprobantes, sibi obstrinxerunt. *Ang. Manr. Barn. de Mont. Ant. Vasc. Menol. nost. &c.*

Moritur hoc anno, non sine opinione Sanctitatis Ven. Theobaldus Cistercij Abbas, totius amplissimæ illius cælo familiæ Generalis, cui succedit Robertus sequenti mox anno, ob insignia merita, è candidatorum nostrorũ albo, inter Purpuratos Patres adscriptus. sub quo floruit magnus ille Alanus, Doctor Universalis, pro admirabili eruditione apellatus, cuius laudes & merita, quia referre ad annos certos non licuit, hic obiter placuit delibare: Fuit is cognominatus de Insulis, vir omnium scientiarum genere clarus, humanis sacrisque litteris, nulli suo tempore secundus, Theologus insignis, Philosophus & Poëta celeberrimus. Præfuit longo tempore summa cum omnium admiratione Scholis Parisiensibus, repente ex Magistro & Doctore factus humillimus omnium discipulus, ita se ipsum annihilans, ut nuspiam deinceps, Tantus ille Alanus appareret. Propositurus discipulis difficillimam ac profundissimam de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis quæstionem, cum die indicta, magna animos omnium expectatione suspendisset, pridie ad ripam fluminis deambulans, pari prodigio, quo magnus Aurelius Augustinus olim, nequid nimis auderet, admonitus est, puerum cælitus oblatum contuitus, qui fluvium scrobi ad id factæ inferre non tam laboraret, quam doctior Alano, simularet. Quem cum, affatus per humaniter Alanus: *Et quando speraret exhaurire fluvium?* sciscitaretur; *Citius fecero*, respondit puer, *quam tu tuum de Trinitate propositum expleveris.* Obstupuit dicto hoc Alanus, & sequenti mane in frequentia Universitatis conscensa Cathedra, in hoc unum prorumpens: *Sufficiat Alanum conspexisse*, cum dicto inde se proripiens, quanta poterat dissimulatione, clanculum se se Cisterci um subduxit, nec tam simulans simplicitatem, quam simplicissimus, nec tam in alienis oculis, quam suismet factus, fratribus Conversis accenseri rogavit & impetravit, pastorque ovium factus, oves Cænobij multo tempore ad pascua duxit, donec in servitio semel Abbatis Romam ad Concilium Generale pergentis, ipsum comitatus, mira Numinis voluntate, universis innotuit, & Sanctæ Matri Ecclesiæ insigni merito se commendavit. Digna res, quæ etsi simplici descripta stylo ex Matthiæ Bonhomio audiatur: *Tunc Abbas*, (Cistercij) *pergens Romam, duxit secum Alanum. Adveniente die disputationis* (quo cum versutissimi ingenii Hæresiarcha in pleno Patrum consessu disputandum erat) *Abbas voluit intrare locum disputationis, cum quo Alanus voluit intrare. Cui Abbas dixit: Vade ad hospitium, & pensa de equis, quia locum istum non posses intrare, propter Custodes & Clientes hic existentes. qui non sinunt intrare nisi Prælatos, & magnos Clericos, & posses verberari. Cui Alanus dixit; volo verberari ut intrem, & supponens se cappæ seu chlamydi sui Magistri, intravit dictum locum, & ipse sedens ad pedes sui Magistri, audivit disputationem, Hæretici vero proponentes quæstionem superaverunt & vicerunt. Quod videns Alanus, exivit latebras, dicens Magistro suo: Iube domne benedicere. Et Abbas stupefactus, dixit Alano: Sile miser; quid vis facere? Tunc Alanus, iteravit dicens, ut prius; Iube Domne benedicere, usque ad tertiam vicem. Quod videns Papa, permisit eum arguere. Et Alanus recitans quæstiones, per dictos Hereticos, motas, arguit, & confudit illos. Quod videns Hæreticus, confusus dixit: Tu es Diabolus, aut Alanus. Cui Alanus: Non sum Diabolus, sed Alanus &c.* Ita Bonhomius. Quanto autem hoc plausu, quanto fructu factum, ipse æstimes velim. Neque hoc solo contentus deinceps tantus Doctor, Scriptis, magnis magni ingenii monimentis, plurimis contra eosdem, & posteræ etiam ætatis, Hæreticos libris, Atheorum, Sacramentariorum, Albigensium, Waldensium, aliorumque plurium dogmata, felicissime confutavit. Sed & Iudæorum errores & deliria confudit & protrivit, & pro variis sibi oblatis dignitatibus, quas constantissimè respuit, id unum petivit gratiæ, ut bini sibi Clerici amanuenses adiungerentur, quibus profunda animi sensa dictaret, sententias Alano dignas, de Hæresibus & inferis, perpetuo triumphaturas.

Ipsi à morte, quæ sequenti anno immortalitatem eidem conduxit, dignum Alano positum est Epitaphium.

*Ala-*

*Alanum brevis hora, brevi tumulo sepelivit*
*Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit &c.*

Ang. Manrique Hartman. Schedelius, Ioannes Trithemius, Barnabas de Montalbo, Aubertus Miræus. Chrysostomus Henriquz. Menologium & Brev. nostr. Histor.

*A.C. 1294.* *P.P.N. 814.*

OB eximia vitæ merita, & admirandam vitæ Sanctitatem S. Petrus de Morone Abbas Maiellanus Pontifex Maximus renunciatur cum Cardinalibus in electione gravi discordia laborantibus, Latinus denique Ostiensis Episcopus, Petrum de Morone nominasset cæteri stupefacti illico omnes consensissent. Cumque populus universus (verba sunt Petri de Aliaco) de hoc eius honore lætus prosiliret ille incredibili mœrore repletus, indignum se tanti honoris titulo clamabat. Et quia multis obtestationibus ac lachrymis frustra eum à se repellere nitebatur, spem omnem in salutari fuga, quam una cum socio clam meditabatur, constituit. Verum subita populi multitudine circumventus, cum iam evadendi spes non esset, summum illud honoris fastigium vi magis adactus quàm voluntate adscendit &c.

Interfuisse huius Pontificis coronationi plus quam ducenta hominum millia Platina ex Ptolomæo, qui tanti novitati se interfuisse fatetur, auctor est: Divinamque præsentiam non defuisse testatur Matth. Westmonasteriensis in florib. Histor. ad annum 1294. Statim enim ut contractus quidam asello, quem Pontifex humilitatis causa, in solemni inaugurationis pompa ascenderat, impositus fuit, illico pedibus ipse suis institit & incessit. Quia vero in cælis potius quam in terris versaretur Cælestini nomine appellatus, in ipso Pontificatu, nihil à solitis studiis remisit, & ne quid inter quotidianos aulæ strepitus de percepta DEI gratia dependeret, in Augusto Palatio cellam ligneam, augustumque sibi habitaculum construxit; ut inter turbas solitarius, & inter divitias pauper liberius orationi ac contemplationi vacaret, quoad denique vixit in pontificatu exactis quinque mensibus, nequidquam reclaman e Carolo Rege, & Neapolitanis, exemplo ad eam diem inaudito, stupentibus Vniversis Pontificatu Romano se abdicans adque cellulæ suæ quietem se recipiens, manifeste probavit, quam extra ambitionem nostri viverent, quantoque cucullum summis honoribus, in summorum honorum apici anteferrent. Bzovius, Westmon. Platina. &c.

*A.C. 1295.* *S.P.N. 815.*

VIrorum ex ordine illustrium & de Ecclesia meritissimorum ingens numerus, ex summis post Pontificem maximum orbis & Ecclesiæ Principibus (ut alios sine numero prætereamus) excelluere Ioannes de Cressij ex Episcopo Meldensi Sanct. Roman. Eccl. Cardinalis Tit. Sanct. Marcellini & Petri, Vicecancellarius, cuius inter alia præclarè gestorum in hodiernum diem extat monimentum, Collegium Parisiis ab eo structum, & denominatum. Monachi: le Moine talia nostrorum innumera penè recenseri possent præstita posteritati beneficia. Nec minori claret fama F. Petrus de Aquila ex Monacho Cassinensi & Archiepiscopo Beneventano Sanct. Rom. Eccles. presbyter Cardin. Tit. Sanct. Marcelli. Sanct. Sabinæ: F. Thomas Aprutius, cum alio eiusdem congregationis novæ Cęlestinæ, omnes quidem isti una creatione à Cælestino Papa ad Cardinalitiam dignitatem assumpti, unde æstimes, quot aliis creationibus ad eundem ordinem cooptati, ex cænobijs nostris bono publico extracti sint; adeo nostrorum laboribus, & industria frui Ecclesia solebat perpetuo, & amabat. vid. Ciacon. Wion. &c.

*A.C. 1296.* *S.P.N. 816.*

MOritur ex fuga retractus cum ad Sacram eremum suam repeteret Sanctissimus Petrus de Morono noster, Bonifacio successori carceri emancipatus, quod vereretur, Pontificem denuo succlamandum. Dum Romam interceptus duceretur, tantus per omnes urbes vicosque ad viri Sanctissimi miraculum concursus hominum erat, ut cogeretur media solum nocte iter

iter suscipere, ne denuò ab omnibus Pontifex salutaretur: à quo tamen nomine & honore ipse nimium quantum abhorruit. Suadentibus etiam imo vi rationum quasi adigentibus Pontificatum nimirum ab ipso abdicari non potuisse, constanter respondit, etsi non abdicasset, de cætero abdicaturum certo fuisse. Ita in carceris teterrimi angustiis, quas ferre non poterant absq; nausea non solum sed infirmitate, duo ipsius comites Monachi, libêtius quam augustissimo palatio agens, post decimum in eo squalore mensem, duplici carcere, lapideo & carneo, sive potius osseo solutus ad triumphos æternos evolavit, & à morte prodigiosissimis miraculis claruit. *Ex vita.*

*A.C.* 1297. *S.P.N.* 817.

INter viros religiosa vitæ perfectione, & reconditiore eruditione illustres, enitet, hoc ipso anno, pastorali pro meritis donatus lituo, Venerab. Engelbertus Abbas Admontensis, illustri Dynastarum de Volckerstorff familia, qui præclarissima multa posteritati recondidit sublimis ingenii monimenta, quæ inter, sui in DEIparam studii argumenta admodum illustria reliquit, è quibus Hymnus ille, Casimiro Principi Poloniæ tempore suavis & familiaris, ut præter usum quotidianum, secum consepeliri vellet, à viris doctis & religiosis celebratur.

*Omni die, dic MARIAE,*
*Mea laudes anima &c.*

Extat aliquod, pauculis ab Admontensi illustri Cænobio milliaribus, spelæum inter arduos montium recessus, quo sese vir tantus, post impensos aliis pro munere suo labores, ut DEO sibique vacaret frequentius recepit, supra omnem montium thesaurum, auro cælesti dives, dum Engelberto suo intra viscera potiretur. *Ex moniment. eiusdem Cænobii, Ephem. nostr. Marinis. &c.*

Clarent & alij viri illustres ven. Malachias Elphinensis in Hibernia Episcopus, ex Abbate Buelliensi, Benvenutus Astensis in provincia Pedemontana Pontifex ex Monacho Morimundensi, pluresque, qui sive verbo, sive scriptis & Sancto vitę exemplo multas provincias, omnemque posteritatem, salubriter accenderent. *Monim. dict. Eccl, Gasp. Iong. lib. de provis. Prælat, &c.*

*A. C.* 1298. *S.P.N.* 878.

NE virorum solum opera & prædicatione fructum universi metiamur, rursum magnæ Gertrudis nostræ in excomia prorumpendum. Ita in ipsis Insinuationum libris DEI ipsius iussu scriptis: Ipsa namque fortis validissimaque fuit Columna Religionis, ipsa constantissima justitiæ & Sanctitatis propugnatrix. Quare de ea non absurde quoque dici potest, quod in diebus eius emanaverint putei aquarum. Nam revera quo tempore ea vixit, nemo est inventus, à quo Sanctæ eruditionis flumina, profusius, fructuosius, & efficacius manarent quam ab illa. Receperat enim à Domino linguam disertam, acceptam hominibus omnique consolatione, & virtutis efficacia plenam, quæ ad intima cordium usque penetraret, quod in seipsis experti multi sæpenumero testati sunt, affirmantes sanctum in ea habitare & loqui spiritum, unde & corda, & voluntates audientium ad meliora converterentur. Et quid referri dignius etiam dignissimo Apostolo nostro potuisset? Tantum verbo, scriptis & exemplo etiam virgines possunt & potuere *Ex Insin. Div. pret. l.* 1.

*A. C.* 1299. *S. P. N.* 819.

INnumera virorum doctissimorum ex ordine nostro, singulis penè annis exhibenda hoc sæculo copia fuisset, qui in diversis nostris Congregationibus Cassinensi, Cavensi, Cluniacensi, Cisterciensi, Camaldulensi, Conchensi, Vallumbrosiana, Montis Virginis, Cælestinaque aliisque effloruêre, sed crescente in volumen Compendio, vice omnium, quos è præcipuis Nigrorum delegit, selegitque Hieronymus Platus lib. 2. referamus: Octavo inquit, sæculo ab Anno M. CC. ad M. CCC. floruisse accepimus Helmandum Monachum Belvacensem in Divinis scripturis eruditissimum, & in sæcularibus etiam litteris ac multis quoque libris scriptis nobilitatum, eodemque tempore Gulielmum Abbatem Pictaviensem, non solum Theologiæ sed Iuris etiam Civilis scientissimũ; deinde *P*hilippum *P*ergamũ in Cænobio *P*atavino egregium virũ tam doctrina quam eloquẽtia; tum etiã *P*etrum Bertoriũ Monachũ *P*arisienſẽ, cuiꝰ librorũ grandis extat catal. *Ita Plat.*

Claret

Claret contemptu pomparum sæculi dignissimo celebratissima Mariâ Eduardi IV. Anglorum Regis filia, purpuram cucullo permutans in nostro Ambordensi Cænobio, de qua leg. Pol. Virg. Th. Walsingh. &c.

*A. C.* 1300. *S.P.N.* 820.

HÆresum diversarum in Galliarum Regno seminibus ac scintillis gliscentibus sed & in grave quam primum incendium erumpentibus, nostri pro virili, & veteri maiorum consuetudine, se undique pro Ecclesia opponunt, & admiranda constantia, contra Hæreticos insurgunt. Inchoatum hoc sæculum, sive potius finitum hoc ipso anno, illustri plurimorum è nostris Martyrio; ita hæc etiam tempora suo ditare, & inpinguare sanguine, nũquam destinare, parati semper pro Regnis ac Fidelibus vitam, cum Cænobiorum omnium bonis, profundere. In solo B. Mariæ de Firmitate congregationis Cænobio, quinquaginta Monachi cum suo Abbate Martyrio coronam adepti, æternum apud Galliæ fideles nomen & memoriam meruerunt. Nec minor in Bohemiæ quoque Regno Hæreseon scelere invalescente, nostrorum gloria, Cænobiis plerisque ex spoliatis, ac Monachis contrucidatis; laurum cum applausu cælitum omnium cælo inferentibus. Legendi Montalvus, Manrique, Henriquez, Aen. Silvius Paulus Langius &c.

*A. C.* 1301. *S.P.N.* 822.

SÆculi huius initia illustrat magnis magnæ Sanctitatis fulgoribus B. Ioannes de Monte-Mirabili, ex Regum Galliæ descendens sanguine, mundus in ipso mundo à mundi sceleribus, æternum aulæ miraculum, Principum sæculi sydus & ornamentum. Is cum DEI parentis studio totus, inter aulæ etiamnum splendorem, deflagraret; fortè cum aulicis, dum alio intenderet, imaginem quandam Magnæ Matris, equo prætervectus, & respiciens à tergo, recordatus Dominam non salutasse, illico exsiliens sella, reversusque ac in genua provolutus, errati veniam rogavit, adeo facili ad veniam Misericordiæ Matre, ut in imagine etiam sua Ioannem honoraret, averso cæteroquin vultu, prodigiosè ad Principem converso, qui ut totus deinceps virginis esset, in Longi Pontis structo eius nomini Cænobio purpuram cucullo mutans, admirabili vitæ sanctitate enituit. Tantis etiam à morte miraculis illuster, ut quotquot ad sepulchrum ægri convenirent, à quacunque infirmitate sanarentur. *Ex vita, Chrysost. Henriq. &c. Et si aliqui longè ante vixisse contendant, de quo nihil definimus.*

Dum Hæreticis nostri pro virili se opponunt, haud pauci diversis in Cænobiis oppressi Martyrio coronantur, quorum sub hoc ipsum tempus in solo Firmitatis Burgundiæ Cænobio, quinquaginta trucidati, ad capessendam æternitatis & Martyrum lauream, ad triumphos æternos evecti sunt. *Chrys. Henriq. Ang. Manriq. &c.*

*A. C.* 1302. *S.P.N.* 822.

MEretur merito immortali de Orbe universo Guielmus de Nangiaco Monachus S. Dionysij Parisiis qui suam duxit Chronologiam, ab initio mundi usque ad hunc præsentem annum, scriptor quod in Historico inprimis commendandum, & posteritati utilissimum à fidelitate commendatissimus. Nec minori laude dignus Abbas eiusdem Guido de Castris, qui grandia satis volumina sequuturis transmisit, de gestis sanctorum, quorum ipse vitas quam diligentissimè conscripsit. Vt plane nostrorum labori & industriæ debeat orbis terrarum universus, tot Sanctorum millium res gestas tanto cum fructu posteris commendatas, ut ij ipsi qui scripsere etiam præter nomen quod plerique pro annata Monachis animi submissione subticuere Apostolatum suum ad sæculorum usque finem felicissime continuaverint. Vid. Clar. Rob. Gault. &c.

*A. C.* 1303. *S.P.N.* 823.

MAgno merito, contempto & suo, & totius Ordinis periculo, pro Sanct. Rom. Eccles. & summi Pontificis Bonifacii VIII. auctoritate, reformidantibus & cõticescentibus reliquis Philippo Galliarum Regi, in Concilio Parisiensi se opponit Ioannes II. eo nomine, Sacræ nostræ Cistercienis familiæ Generalis, & solus tanto Regi resistit, ob quod Parisiis detinetur, qui, nequid sua causa detrimenti Ordo paterer-


tur, qua dignissimus erat, dignitate sponte se abdicat, nullis artibus vinci se passus, ut malè sentienti Principi adularetur.

Ipso anno moritur Bonifacius Papa, maxima sua in nostros beneficentia verè noster cuius, assertæ à nostris integritatis, post trecentos ab obitu annis, illustre quoque Numen ipsum argumentum dedit, tam diuturnæ in tumulo, miraculo incorruptionis, cum, incertum quâ de causa, Sarcophagus aperiretur.

*A.C.* 1304. *S. P.N.* 824.

TIrolensem nobilem provinciam, illustriorem Sanguinis purpura reddit B. Hermannus de Schœnstein, equestri ad superas Rheni partes familia editus, ex Monacho Fabariensi Mariamontani in Valle venusta Cænobij Antistes, venustissimus ipse flosculus, ab Athesis ripa in hortum regium & superum veri Salomonis transplantatus. Visus vir Sanctus à morte vivere, & excubitorum pro suis per vigilem agere, pro quibus etiam, & immunitate Ecclesiæ, vitam cum sanguine profuderat, affirmavitque ipse æternum de cætero fore protectorem. Ut tanto post, juxta prisca illa Apostolorum nostrorum merita & Hermannum, & plures alios, Tirolis pro se excubitores è nostris habeat, sæpe nulla montium altitudine satis tuta, nisi tutelares tanti pro ipsa excubarent, qui & fulmina ipsa irati Numinis, in montium potius, quam capita hominum amolirentur. *Ex Annal. Fabar. auth. Illustrissimo Principe Iudoco Loci Abb. mon. Mariamont, Menol. nost. &c.*

Floret plurimum Robertus ex Abbate Cistercij Sanct. Roman. Eccles. Cardinalis, eruditione nō minus quam pietate commendatus, Philippo Francorum & Carolo Neapolitanorum Regibus præcipuè charus, variis ad diversos Principes fructus Legationibus, quibus denique gloriose est immortuus, cum pro Philippo Rege sedi Apostolicæ conciliando, in Galliam missus, magnam omnium expectationem morte immatura præverteret. *Ann. Cist. Iongelinus. &c. Ciacon. &c.*



*A.C.* 1305. *S. P. N.* 825.

CÆlestinorum Congregationis novellæ, admiranda felicitas & felicissimæ ubertatis, jugis proventus, confluentibus ad novum tam admiranda sanctitate Pontificis Cælestini Institutum, remotissimis ex provinciis, novæ militiæ candidatis, adeoque ex profundissimo peccatorum luto multis mortalium millibus emergentibus, prę-sertim quod præter inauditum æternis sæculis exemplum, abdicati Pontificatus maximi apicem & neglectam summę per orbem famæ celebritatem corpus Sanctissimi Institutoris, prodigiosissimis à DEO miraculis honoratum Cælestini, & Cęlestinorum nomen toto orbe summa omnium admiratione, commendaret. *Ex diversis.*

*A.C.* 1306. *S. P. N.* 826.

MAtris dolorosę, viva in terris imago, certè imitatrix, quam fieri à se ulla ratione posset, admodum strenua, B. Elisabeth de Spalbeck nostra, Monialis Herckenrodensis, Christum patientem perpetua meditatione, in vestigijs Matris Virginis prosequuta (contemplativorum exemplar mirificum) doloris gladium quotidie animam suam pertranseuntis, adeo sensibiliter & acerbè sensit, ut nisi divinitus confirmata tanto in Martyrio, vivere non posse videretur. Septenis quippe quotidie horis, cum Christo suo passa, totum passionis diem cum ipso inter immania tormenta decurrebat, cum alioquin ęgra perpetuo movere se non posset, velut à lictoribus per cellam rapta. Eadem sacris stigmatibus, instar Seraphici Francisci insignita, è quibus vulneribus frequenter, & feriis maxime sextis, sanguinis irriguum defluebat. Eius vitam quę omnem humanam virtutem superare visa est, multi magnę authoritatis viri litteris consignarunt. *Ex ven. Lud. Blosio, Arn. de Raysse, Franc. de Bivar. Ioan. Gileman. Philippo Claræval. Menol. &c.*

Iterum egregium de Roman. Ecclesia meritum, & memorabile constantię exemplum Religiosissimorum Patrum nostrorum Cistercensium, & eorum superiore primum anno electi Abbatis Henrici: quos cum miro amore ac

ac benevolentia Philippus Rex demereri satageret, & Henricum Fidelem suum sibique dilectum appellans insigni privilegio donaret, ipsi tamen defuncti etiam Bonifacii Papæ honori, contra Regem consulere non prętermiserunt, & Henricus quidem eleganti postea Epistola à Clemente Papa ad Concilium Viennense vocatus, nullo modo territus, quod Sanctæ memoriæ suæ Antecessori evenerat, in ipso Regno contra Regem male sentientem inque publico Concilio asserere defuncti Pontificis honorem non dubitavit. *Ex monim. Cist. & Annalibus Angeli Manriq. Catal. Abb. Cist. &c.*

*A. C.* 1307. *S. P. N.* 827.

MAgna illa Magnæ Gertrudis soror S. Mechtildis Baronissa de Hackeborn, Monialis Elpediana, Divino illuminatissima Spiritu, non ætatem solum suam, Sanctissimo vitæ exemplo, sed sequuturas omnes scriptis reconditissimi sensus plenissimis, mirifice illuminat, excitat, accenditque. *Ex vita eiusdem & scriptor. Menol. nostr. Blosio. &c.*

Demeretur insigni opere Historico Angliam, Ioannes Castorius, qui & Bevet, Monachus Westmonasteriensis, plurimum à Lelando & Pitsio laudatur, & à veritate ac synceritate, iuxta eruditionem commendatus. Scripsit autem: Historiam Britannorum & Anglorum, ab adventu Briti, à quo genti nomen, usque ad sua tempora, sed & librum de rebus sui Cænobij; quod optimos quosque Sanctissimosque Monachos, nulla vana jactantia fecisse, mille exemplis comprobatur, è quibus, tanta posteritati commendata habemus, virtutum exempla, valitura æternum, ad eorum qui successuri in vestigia nostra sunt, utilem excitationem.

*A. C.* 1308. *S. P. N.* 828.

SUb hæc fere tempora morte absumitur Beata Mechtildis nostra Monialis Helftensis, genere & virtute nobilissima de cuius admirandis visionibus & revelationibus, videndus liber ab ipsa conscriptus, & sæpius typis vulgatus, sub titulo: De spirituali gratia & consolatione, ex quo abunde licebit colligere, Mechtildem, non quod prædicatores & Professores diversarum artium, uni duntaxat provinciæ & sæculo, sed orbi & omni ætati æternum profuisse; & divinæ gratiæ fluenta summo cum divini nominis honore in legentes, lecturos, & audituros longe lateque & æternitati ipsi commendasse. *videnda etiam Insin. Div. piet.*

*A. C.* 1309. *S. P. N.* 829.

INcredibilis procerum & nobilium multitudo convolat ad Cænobia nostra, diversis per Germaniam factionibus turbato Imperio, & in partes, Regesque diversos incolis inclinantibus. Proin qui in tutum recipi, & consultum saltem animis vellent cucullum, amplexi, in eo salutem, & requiem optatam invenêre. Tantum rursum Cęnobijs etiam posteri debent, maiores suos extremo in discrimine, receptos & servatos cum vix illustrem reperias in Germania familiam, cuius non aliqui si non plurimi Cænobiis recepti, illic vitam feliciorem, quam in serico atque auro exegerint, adeoq; grata memoria seris nepotibus cænobia, vestigia, & cineres suos commendarint. *Ex Const. Ben. & diversis.*

*A. C.* 1310. *S. P. N.* 830.

EXsplendescit rarissimum sæculi huius Ornamentum & Sydus, Beatissima Aldobrandescha nostra, Congregationis Humiliatorum, virgo Deo sacra, & unice dilecta. De qua in Martyrologio Benedictino 26. Aprilis his verbis agitur Senis depositio B. Aldobrandescę Sanctimonialis tertii ordinis Humiliatorum, admirandæ Sanctitatis & patientiæ feminæ. Hæc ex nobili Ponziorum genere nata & Bindoni Bellanti juveni nobilissimo Matrimonio copulata, exemplo Annæ prophetissę, in perpetua virginitate cum viro suo permansit; quo mortuo, habitum Sanctę Religionis assumens de manibus R. P. F. Accursij Tolomei tanta Religione vixit, ut & in vita & post mortem multis miraculis claruerit. Silvan. Razzi &c.

Fuit Aldobrandesca Illustrium familiarum Italię, estque usq; hodie & ęternum decus, filia Petri Francisci de Pontijs & Agnetis Bogherinæ nobilissimorum genere ac virtute parentum. Et vere longe sublimiorem humana revereri in prægnante Agnete visi cælestis aulę ephębi, ipsi magno numero inservierũt, cęle-

cælesti lumine illustratâ cellâ, in quâ parturiens morabatur. Enixa puellam Agnes absque dolore est, paulo antequam ederet, his verbis nocte in somnis compellata: *Tene bonam curam, Agnes, istius creaturæ, quia DEVS eam elegit suam.* Refulsit inter Humiliatorum nostrorum stellas obscurissimo sæculo lunæ instar, mirabiles à Numine gratias consequuta, quas inter, mirabili visione, quantum fas homini DEI gratia illuminato SS. Trinitatem, & novem choros Angelorum, quin & orbem terrarum universum & secreta ac longe posita, meruit intueri. Mortua est stans, velut in extasi sæpe visa, sic reperta, in cella solis instar resplendente, inter cælestem odoris fragrantiam, junctis manibus, aperto ore, velut si Crucifixum alloqueretur. *Ex vita, & Menol. nost. Bened. &c.*

Moritur eodem anno S. Humilitas Faventina, de omni item posteritate, & ipsa Ecclesia universa meritissima, quod prima ipsa instituerit Sanctimonialium Vallisumbrosæ ordinem, qui exin plurimum amplificatus, totas Sanctarum Virginum cohortes, ad nuptias illas agni immaculati transmisit, cælo ornamentum terra auxilium opportunè attulit. *Ex tab. Vallum. Wion. &c.*

*A. C.* 1311. *S. P. N.* 831.

INgens in cælo triumphus ob exspectatissimum adventum Divinissimæ Gertrudis nostræ, de universo meritissimæ. Ita exspectasse Gertrudem cælites omnes, Christus ipse testatus referente Blasio: aliquando Gertrudis, inquit ille, iter faciens præ nimia sui abiectione dixit ad Dominum: ah Domine mi inter præcipua miracula quæ facis istud valde eximium esse arbitror, quod permittis, ut me vilissimam peccatricem terra ferat. Ad quæ verba Dominus benigne respondit: merito se terra tibi calcandam præbet, quandoquidem omnis cęlorum dignitatis ineffabili desiderio illam jucundissimam horam exspectat, qua te excipiat & portet.

De mortis genere quis satis explicet? Acceperat quippe, ait Blosius in promissis à Divina & nunquam fallente veritate quod sicut in morte Christi virtus amoris nobilissima separavit animam ipsius Domini IESU à corpore, ita in morte ipsius Virginis Divinus amor deberet omnes vires eius consumere sed & virgini præostensum quanta cum gratia morti proxima suscipienda à Numine ipso & cælitibus esset. Insinu nimirum Domini brachio ipsius sustentata, & caput ipsius Admirabili Matre Virgine cælitum Regina elevante; infinita Angelorum multitudine, dein Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum ac Viduarum occurrentibus choris, singulis Apostolorum singulos annulos aureos, singulari vero ac familiarissimo sibi Ioanne Evangelista, binos offerentibus & aptantibus. &c. Sed de his vid. lib. 9. Insin. Meritum vero superioribus longe excellentius, & æternum ipsius est: quod quisque ante vel post obitum ipsius, considerans aut intelligens quam benigne & familiariter DEVS se illi accinaverit devotè fideliterque laudaret DEVM, vel ei gratias ageret pro beneficiis eidem Gertrudi collatis non migraret de hoc sæculo, nisi prius DEVS alicuius specialis familiaritatis delectationem in anima eius haberet. &c. Tantum DEVs sæculorum omnium posteritati propter unam hanc Virginem, & longe plura reliquit; ut merito inter Principes benefactores Gertrudem orbis habeat, numerare quæ tanta abdicatione sui meruerit, quanta neque per æternitatem omnem rependere sufficiat idem universus. *Ex lib. Insin. &c.*

*A. C.* 1312. *S. P. N.* 832.

MOritur sub hoc tempus illuminatissima illa virgo S. Mechtilda nostra Cantrix Cænobij Elpediani, DEIparenti addictissima & dilectissima, quâ docente ipsa didicit, & posteritatem omnem docuit, fructuosissimum, & efficacissimum modum *Ave Maria* recitandi, in memoriam Salutationis ab ipsamet SS. Trinitate transmissæ: *Ave* à Patre æterno, *MARIA* à Filio. *Gratia plena* à spiritu Sancto, *Dominus tecum* à SS. Trinitate, quo quidem orandi modo, & religiosa tanti à SS. Trinitate beneficij commemoratione, mirifice affici se cælorum Augusta Mechtildi patefecit, & per hanc merito accendit usq; hodie studia universorum.

Ad fuit supremo in agone Mechtildi suæ Magna Mater, & ut collega quędam sanctissima intueri meruit moni-

le quod.

le quoddam illustrissimum eiusdem pectori imposuit virginis filius virginum Sponsus, qui ex meritis Matris suæ, hoc eam privilegio specialius donavit, ut ad similitudinem quandam Matris suæ, Mater diceretur & virgo: eo quod casto Zelo, memoriam sui, in multorum cordibus genuisset. *Ex Insin. Div. Piet. S. Gertrud. Landsperg. Menol. & Chron. Ben. Mar. &c.*

Mirabili exemplo, extinctus superiore anno B. Adalbertus noster Altaichensis in Bavaria Monachus, Confessarij, Magistri Novitiorum & Prioris exemplar mirabile, terris quasi redditus, cum pro eximia, qua totus fervebat, proximi charitate, pro fugitivo Monacho prædem se fore dum viveret promisisset, etiam à morte se stitit, & quod promisit præstitit. Sed & patriæ consulens, Bavariam plurimum demeruit, multis, claudis, epilepticis, captivis prodigiosissimè liberatis. *Ex vita, mon. Altaich. Matth. Radero. &c.*

*A.C. 1313.* *S. P. N. 833.*

MEmorabilis hic annus, S. Petri nostri de Morono olim Cælestini Papæ dignissimi vereq; Sanctissimi solemni Canonizatione, tantopere paucissimis post obitum annis à Sede Apostolica honorati, quem paulo ante orbis universus viderat, certe audierat, Romani Pontificis jussu, clausum carceribus, in ijsdem expirasse, virum per omnia, sed super omnia, animi demissione, & honorum omnium atque deliciarum horrore admirandum, in vita & post mortem mirificum, de innumeris, ut officium eius habet approbatum, grandi miraculorum beneficentia meritum, cum variis & insanabilibus morbis, prodigiosum remedium sæpe attulisset & mortuos ad vitam revocasset, usq; hodie promptus ac facilis, ad miseros quoscunque efficaciter exaudiendos, quidquid desurditate Sanctorum, nostræ ætatis hæretici, & Pontificum maximè Romanorum osores, impiè comminiscantur. *Ex vita, & Breviario Monast. &c.*

Inter viros Ord. Illustres, emicant meritis Henricus ex Abbate Villariensi, ac dein Henrici VII. Imp. Cancellario Tridentinus Episcopus; Philippus à Razenhausen Eystettensis, ex Abbate Perisiensi Pontifex de Episcopatu præclare meritus; Gulielmus Rishangerus S. Albani Monachus, Regius sub Henrico III. & Eduardo primo atque secundo Regibus Anglorum Chronographus, qui multa præstantis ingenij posteritati reliquit monimenta. *Pitsius, Ed. Maih. &c. & div. rer. Germ. & Angl. script.*

*A. C. 1214.* *S. P. N. 834.*

INter purpuratos Patres S. R. Ecclesiæ insignem hoc anno operam, præter superius memoratos pluresque alios eo ex ordine navant: Petrus Arnaldi Burdegalensis Vasco ex Abbate Monasterij S. Crucis Burdegalis Congregationis Cluniac. Sanct. Rom. Eccles. Presbyter Card. Tit. Sanct. Stephani in Cæliomonte, dein ob eximia merita, Vicecancellarius; & Petrus alius Gallus item ex Monacho & Abbate S. R. E. Presbyter Card. Arnaidus item ex Monacho & Abbate Montis frigidi Congreg. Cist. Presbyter Card. Tit. S. Priscæ, ut Archiepiscopos, Episcopos, aliosque sine numero Ecclesiæ Prælatos prætereamus, singulos cæteroquin singulari merito commendandos. Et sane vix deprehendas è nostris paucissimos qui ad Episcopales Cathedras Cænobijs extracti, non immortale reliquerint suæ industriæ Religionisque monimentum. *Ex Panvino Westmonast. &c.*

*A. C. 1315.* *S. P. N. 835.*

MOritur insignis ille honoris Pontificij assertor contra Regem Galliarum Henricus Cistercij, de quo superius, Abbas, ob navatam Ecclesiæ tam strenuam operam, merito insignibus privilegijs à Clemente Papa honoratus. Inter illa relatum in corpus Iuris, quod habetur in Clement. *Ad nostrum 2. de censibus, exactionib. & procurat.* Vocatur in Chronico pervetusto Cister. Henricus:

*Mundi contemptor verus Deitatis amator. &c.*

Ipsi succedit Guilielmus de Valcellis, multo & ipse nomine, sed à promoto DEIparæ cultu præcipuè celebrandus. *Ang. Manrique, Catal. Abb. Cist. Claud. Robertus. &c.*

*A. C. 1316.* *P. P. N. 836.*

INsignis ille & antiquus DEIparæ cultor, S. DEOcarus Abbas Hasenriedanus,

nus, eo ipso, quo Dominam suam tantopere honoraverat loco, & ipse nunc honoratur, & solemniter hoc anno elevatur, pro magnis deinceps meritis, alter à Domina, Ecclesiæ, oppidi, & provinciæ Tutelaris Consalutatus. Ita tanto post deletam beneficiorum memoriam, consulendo Amicis suis, Numen revocat, & novis argumentis vocat incitatque, ad sacra Tutelarium hyspana veneranda. *Ex vita, & docum. Hasenried.*

Florent in ordine viri eruditione & meritis gravissimis spectati plurimi, è quibus Iacobus Richardi Populeti Monachus plurimum effulsit, & celebrari meruit, qui in expugnandis Arnaldi Villa-novani dogmatibus, & libris expurgandis, cum aliis viris doctis, præfectus legitur: *Apud Eymericum in director. Inquisit. quæst.* 11. *l.* 1. *c*-13.

*A. C.* 1317. *S. P. N.* 837.

HOc denique anno Ordo illustrissimus de Montesia Equitum, sub sanctissima Regula nostra DEO & Ecclesiæ militantium nova quasi origine enascitur & summo Christianorum bono, impios infidelium Maurorum exercitus ab Hispaniæ imprimis Regnis atterit avertitque. Inter Magistros autem merito laudatur Iacobus Iacobi Aragonum Regis filius, cui Eleonora Alphonsi Castellæ Regis filia, cum esset desponsata, ea intactâ relictâ militiæ huic nomen dedit, laudatissimeq; præfuit. *Ex Miræo,* Wione, *Henriquez. &c.*

*A. C.* 1318. *S. P. N.* 838.

DEmeretur insigniter Cælorum Augustam, omnesque tantæ Augustæ honori & Nomini applaudentes, Ven. Guilielmus Cistercij Abbas, totius sacræ familiæ Generalis, *Commemorationes*, ut vocant, de Beatissima Matre & Virgine, in singulis horis, tam Maioris quam Minoris officij instituens, magno sanè Divinæ benedictionis inter nostros incremento, dum nunquam desierunt, cultum Dominæ suæ, cum inter se, toto diffusos orbe, tum apud exteros etiam promovere. *Ang. Manriq. Catal. Abb. Cist. &c.*

Ipso eodem anno illustrissimam prodigiosamq; victoriam, & servati Regni honorem debent Bohemi, Sanctissimis Tutelaribus suis, Adalberto & Wenceslao nostris, contra Saxones sub Ioanne Rege mirabiliter defensi. Cum enim illi propè Ciatecium, magno cum exercitu irruerent, terroremq; Bohemis maximum incuterent, eo quod decuplo majores, quam pro defensione Regni aderant, copias adduxissent, Wilhelmus à Waldere, Bohemici exercitus Imperator, in genua procubuus, Deumque pro Victoria contra hostes invocans, missum confestim cælo subsidium expertus est, visusque S. wenceslaus noster, panoplia aurea, equo candido præcedens, & argenteam vibrans hastam. Alacres proin Bohemi, invocato juxta in subsidium S. Adalberto, cum hostibus congressi, ab hora diei tertia ad Vesperum usq; felicissimè pugnavere, hostibus maxima ex parte trucidatis, cum è suis non nisi duodecim desiderassent. *Ex rer. Boem. Script. &c.*

*A. C.* 1319. *S. P. N.* 839.

NEc multo post; hoc ipso nimirum anno celeberrimus, nomine, meritis opibusque Ordo Militum IESU Christi, æterno Reip. Christianæ commodo institutus; hodieque in Portugalliæ imprimis Regno florentissimus, de quo Henriquez libro 10. fasciculo Sanctorum dist. 18. Ordo hic inquit, Regnũ Lusitaniæ maxime illustrat. Miror tamen quod provincia tam augusto limite conclusa, ordinem & equites tam opulentos contineat, ut nullus ibi quantumvis magnus & potentissimus princeps sit, qui se esse aliquid credat, nisi militiæ hujus nobilitetur, insigni, nullusq; sit Prorex in Indiam destinandus, qui non summo sibi ducat honori, si hoc Ordine à Principe suo donetur. Præcipuum ordinis Monasterium & Domicilium in Castro Marino olim conditum, Tomarium translatum, opulentissimum inter totius orbis numeratur; tanto sumptu, magnificentiaq; extructum, ut nulli omnino, nisi S. Laurentij in Escuriali Ecclesijs merito æquiparetur. Habet Monasterium idem trecentas & octoginta novem præfecturas, quas commendas vocant, ferturque in censu numerare sexcenta millia ducatorum. *vid. Hier. Rom. Wion, &c.*

Unde colligas, quanti semper fecerint, quantumque ex ordine hoc sperarint, maiores nostri, qui tam profuse omnia sua in eundem congessêre.

*A. C.*

*A. C.* 1320. *S. P. N.* 840.

MEretur de posteritate omni Martinus Polonus noster (quem Dominicanum nonnulli fuisse contendunt) Cisterciens. Cong. Monachus, summi Pontificis Pœnitentiarius & Archiepiscopus Cosentinus, scripto peregregio Chronico à Mundi origine ad sua usque tempora, edente Plantino cum annotationibus Suffridi Petri Anno 1574. Ex Bugrano, Wione &c. Ita perpetua nostris circa, Veterum res summâ cum diligentia, ac fide ad posteros transmittendi.

Ipso anno admirandus ille sequuturis sæculis omnibus Petrus Boerius Monachus & Abbas Cœnobii S. Aniani, vir suo tempore doctissimus ob eximiam doctrinam, sacrorumque Canonum peritiam, fit Episcopus Vrbeventanus, qui omne tempus vitæ suæ dictando & scribendo consumpisse ex operibus relictis comprobatur *vid. Trith. Boerius ipse, VVion. &c.*

*A. C.* 1321. *S. P. N.* 841.

VIvere desinit insigne illud Styriç superioris decus, Engelbertus Abbas Admontensis, præco Matris Misericordiæ singularis, qui plura inter ingenij sui & pietatis præstantissima monimenta, ut præ aliis suis, illustrius aliquod Benedictini spiritus, sui nimirum erga DEIparam, Benedictam ordinis Matrem argumentum ederet, insignem de gratia & virtutibus B. M. V. librum scripsit; in quo, alia inter, *Regni Misericordiæ indivisum cum Filio Imperium*, ipsi tribuit, aitque, *Misericordiæ Filii velut thesauri sibi commissi. Dispensatricem. &c.* Vt nemo non amans tantæ Virginis, possit non amare manum Encomiastis tanti, & à montibus æternis, derivata ad illa Styriæ deserta rivos gratiarum demirari, venerari. *Ex monim. celeberrimi Cœnobij Admont.*

Extinguitur & magnum Cisterciensis familiæ lumen Ven. Iacobus Pontigniaci Abbas, ea vir Innocentiæ & vitæ puritate, ut ignara fuci & vanitatis ætas, tantum virum, solemni inscriptione comparare Sanct. Edmundo non veretur.

*Sanctus ut Edmundus, fuit absq; libidine mundus.*
*Istius Ecclesiæ pater, & fons Theologiæ.*
*Vitæ norma piæ, fervens in amore MARIAE.*

Ex monim. Pontigniaci & Catalogo Abbatum apud Angelum Manrique &c.

*A. C.* 1322. *S. P. N.* 842.

SIngulis pene annis Episcoporum & Doctorum è nostris Syllabus pertexendus, quod ne faciamus revera cogimur, ita promisso conscientiam perurgente, ne huic contraveniamus, inter præcipuos excellunt Henricus Fialtrerius ex Monacho Cluniacensi, ac in curia Romana procuratore Abbas Cluniacens. dein Episcopus Sanct. Flori in Avernia secundus post Raymundum itidem ordinis nostri Monachum (ut intelligas singulari Numinis providentia singulos pene Episcopatus per nostros inchoatos, seu restitutos, etiam his temporibus quasi ex more nostris assignatos, cæpisse efflorescere) quem exin plures è nostris consequuti, ceu à nostris ornandus honor ipse esset, priusquam in aliorum manus deveniret. Henricus ita meritus, ut hodiernam, usque in diem posteris omnibus in statua ęnea virtus eiusdem, & imago commendetur. Cl. Rob.

Clarent & Iacobus Episcopus Marsicanus, Guilielmus Episcopus Tornacēsis, Philippus Eistettensis. &c.

*A. C.* 1323. *S. P. N.* 843.

IOannem Pontificem huius nominis XXII. eximia Religio in Sanctissimum Patriarcham BENEDICTVM, & in eos alumnos singularis benevolentia promovit, ut Casinati Cœnobio Rectorem daret Episcopi officio, & dignitate conspicuum: tum quia sacro sodalitio idipsum videbatur longe honorificentius, tum quod spirituali iurisdictioni (quæ latissimè patebat) minus abundè prospectum rebatur, nisi pastorem haberet tantæ authoritatis, & dignitatis, quantam in suis præsulibus angustiores diœceses, & inferioris notæ cognoscunt, ac venerantur. Igitur Oddonem ex Archiepiscopo Pisano Patriarcham Alexandrinum Casinalem Abbatem renunciat; quo defuncto maioribus adhuc honorum titulis

locum illum insignire percupiens anno sui Pontificatus sexto, humanæ salutis millesimo trecentesimo vicesimo tertio Casinatem Ecclesiam in Cathedralem Regularium erexit. Episcopi duntaxat dignitatè Abbatis officio, ac præfecturæ superaddita: ita ut ab ipso Patrum Conventu (quem Capituli nomine appellari placuerat) ex sacrorum Canonum formula electus Antistes, utroque munere Abbatis scilicet, & Episcopi fungeretur. *vid. Marc. Ant. Scipio ex quo ista descripsimus.*

*A. C.* 1324. *S. P. N.* 844.

INgens per Imperium universum Germaniam maximè nostrum, nomen & gloria ex virtute & rerum gerendarum dexteritate Matthiæ nostri Comitis à Bucheckt, ex Murbacensi Monacho Archiepiscopi & Sacri Rom. Imperij Electoris Moguntini. Is ea virtute, nec non potentia inter Archipræsules Moguntinos excelluit, ut omnes ferè hos antecessores superaverit. Vitam inter omnia duxit castissimam: dum enim quadam vice, eo ignorante, à Camerarijs suis pulcherrima quædam Virgo in cubiculum suum fuisset intromissa, ut eius sanitati, consilio, ut aiebant, medicorum, continentiam ei obesse affirmantium, consulerent; Virginem quidem blandè à se intactam dimisit, sed Camerariis ne talem rem amplius intentarent, sub interminatione præcepit. vid. Alb. Argent. in Chron. & in gestis Bertholdi à Buchegg Germani eiusdem Arg. Epis. Democh. Brusch. Wion. &c.

*A. C.* 1325. *S. P. N.* 854.

MOritur hoc anno Beatus Angelus de Gualdo, Conversus Benedictinus, ea Sanctitate vir, ut ex primævo ordinis flore, reservatum posteris pro exemplo censeas, nec posse Annalibus, & censu meritissimorum virorum, fratrē conversum excludi, qui clerum æquè ac populum, supra omnem Oratorum facundiam, exemplo rapiebat, idem, non minus quam illo, etiam verbo potens, sine litteris illuminatus, & doctus scientia infusa, cuius divinitus concessæ sapientiæ, omnibus mira dabat documenta. Eum in vita & post, magnis miraculis Numen commendavit, quæ inter, aquam prodigio in vinum vertit, & rarius illud: cum pro captivo eiusque vita Iudicem rogaret, & hic, prius arentem hyeme arborem cerasa prolaturū diceret, quam reus ille dimitteretur, exorato Numine Angelus, illico effecit, ut recentissimis cerasis arbor fœcundaretur. Eo mortuo, cum prodigiose, apparente qui moveret nemine, campanæ diutissime consonarent; illico clero populoque in mentem venit, Angelum sibi suum ereptum & in cælos translatum esse; uti, concursu ad cellam facto, non sine magno luctu suo experti sunt. DEO tamen hunc non levi gaudio attemperante, dum quacunque funus deducerent, Ianuario mense illico spinæ & dumeta in flores erumperent, baiulorum aliquo, qui sacro funeri cervicem submiserat & humeros, gravi qua laborabat ruptura liberato.

Meruit ut vivus, sic longe magis mortuus de patria Angelus, & quidem de ipsis etiam mortuis, apparente quam primum à morte eius, animâ viri cuiusdam Nobilis, & se cum multis animabus, in gratiam Angeli è purgatricibus eductum flammis prædicante. Cæterum deinceps Angelus patriam demereri nunquam desiit, magno & immortali beneficio, sæpius illam, à bello, peste, & incendiis liberando, magno ob hæc ipsa, & merito in honore habitus, tanquam Patronus patriæ singularis, & alter à proprio illo loci custode, Angelus Tutelaris. *Ex monim. Eccles. & Monasterii S. P. N. Benedicti, Ludov. Iacobillo, &c.*

*A. C.* 1326. *S. P. N.* 846.

MAgis se magni exempli meritis commendant, & magnum Regno ac Regum Portugalliæ Sanguini decus addit B. Maria Monasterii B. M. V. de Odivelas Monialis, Dionysij Portugalliæ & Algarbiorum Regis filia, Alfonsi IV. Regis, & Constantiæ Castellæ Reginæ soror, quæ in mortali etiamnum corpore Angelico donata animo, anima quasi sub hoc tempus Regni extitit, miraculo parentibus, & germanis facta, in qua nemo non ludentem in omni virtutum genere DEI manum venerabatur. De qua consulendus *Barn. de Montalbo, Chrysost. Henriq. & div. rer. Port. script.*

Inter

Inter viros ordinis eruditione & meritis illustres celebrantur: Thomas S. Marci in citeriore Calabria Episcopus, Robertus Grimus Bardeneiensis, & Richardus Walingfordus Albanensis, in Anglia Monachi, ille Commentariis in quatuor Evangelia scriptis, pie variis ingenii editis monimentis, de omni posteritate meritus; de quo ita ex Pitsio Edoardus noster Maihevv: Richardus Walingfordus, ad Sanct. Albanum primum Monachus, deinde eiusdem Monasterij Abbas, vir in omnibus artibus liberalibus insigniter eruditus, & Mathematicarum scientiarum, teste Pitsio, ad miraculum peritus extitit. Addit, ipsum in Arithmetica, Geometria, & Astronomia, summam peritiam consequutum, subditque plura, in laudem admirabilis Horologij ab ipso fabricati, *quod mirabilis ingenij portentosum inventum, & stupendum artificium* vocat, *cui simile, aut secundum Europa vix, aut ne vix quidem unquam habuisse existimetur*. Reliquit autem posteritati:

- Canones in Albion (sive Horologium suum) librum unum.
- De judiciis Astronomicis librum unum.
- De finibus demonstrativis librum unum.
- De diametris librum unum.
- De chorda & arcu librum unum.
- De rebus Astronomicis librum unum.
- De Ecclypsibus solis & Lunæ librum unum.
- De Rectangulo librum unum.
- De rebus Arithmeticis librum unum.
- Exafrenon librum unum.
- De computo librum unum.

Ut de multis alijs multa de industria prætereamus.

*A. C.* 1327. *S. P. N.* 847.

EFFulget admirandæ vitæ Sanctitate Beatus Sagalus Clarimaresci in Artesia Abbas, & provinciam illam accendit exemplo Sanctitatis Benedictinæ hospitalitatis & charitatis exemplar singulare. *Videat. rer. Cister. script.*

Sed & B. Thomas seu Thomasius noster Camaldulensis, qui à nonnullis, alter Onuphrius & Paulus, ab aliis alter in deserto Ioannes prædicatur, cultor DEIparentis studiosissimus, & maximis à Numine prodigijs honoratus, cuius sacrum corpus, magno concursu populi colitur, præterque aliam miraculorum multitudinem, gratia singularis in curanda hernia & ruptura celebratur, qui usque hodie mereri non desinit, & patriæ atque afflictis potenter patrocinari. *Ex vita.*

Ipso anno Patrum Purpuratorum sacro Collegio Romę adlegitur Ioannes Vicecomes, Monachus Sanct. Ambrosij Mediolanensis, & multi alij ex ordine diversas cathedras ornant, demerentur Diœcesis &c.

*A. C.* 1328. *S. P. N.* 848.

PEtri Vrbenati Episcopi ingens gloria, & gloria ac nomine omni maius meritum. Inter eius admiranda prorsus ingenij monimenta: In Regulam Sanctissimi Patris nostri explicatio duplex:

- In prima, invento planè novo, confert sententias ipsius Sanctissimæ Regulæ cum sententiis SS. Patrũ.
- Altera novo item quodam, & inusitato expositionis genere omnia Regulę non solum capitula, sentẽtias, & dogmata, sed etiam, quod amplioris industriæ est, verba, consilia & præcepta iuri Pontificio conferens, mirabili subtilitate Decretalibus, & Canonibus summorum Pontificum & Patrum approbat. Quorum exemplaria explicationum extare apud se Wion. affirmabat.
- In Benedictinam item Benedicti Papæ XII. Commentarij.
- De signis locutionum l. 1.
- In speculum Monachorum liber. 1. &c.

*A. C.* 1329. *S. P. N.* 849.

MAgnus virorum in ordine eruditorum, numerus, cum vel maxime literarum amor elanguisse in orbe videretur. In sola sanè Anglia, ne quid de Hispaniis dicam & Gallia, celebrari non sua solum ętate plurimi, sed & ad posteram omnem meruere. Ex quibus, vivũt etiamnum in scriptis suis, & plausum merẽtur: Thomas Pontius sive Pontin⁹, Cęnobii S. Aug. nostri Anglorũ Apost.

juxta

juxta Cantuaria Monachus, dein Abbas Romæ etiam pro virtute atque eruditione magno in pretio habitus, & benè etiam de Ecclesia meritus, in profligando gravi quorundam errore latius serpente, asserentium Beatas animas DEI visione frui ante Iudicium extremum non posse, contra quos librum egregium: *De Visione DEI* Thomas hic noster scripsit, inter eruditiores sui sæculi ab Harbsfeldio celebratus, & à Gulielmo Thorneo, & Ioanne Lelando, nec non Pitsio plurimum laudatus.

Dein Ioannes duo, Thanatensis alter Cœnobij Salvatoris apud Cantuariam Monachus, alter Evcrisdenus S. Edmundi Cellerarius; ille Mathematicus, Musicus & Historicus insignis, qui librum unum scripsit de officiis Cantuariensis Ecclesiæ, alterum de Vitis quorumdam Sanctorum; posterior autem, *omni humanioris Litteraturæ*, ut ait Pitsius, *scientia* instructus, & Iuris prudentia excultus scripsit:

Concordantiæ Historiæ Divinæ librum unum.

Concordiam Decretorum librum unum.

Legum medullam, carmine descriptam librum unum.

De Regibus & Episcopis Angliæ librum unnm.

Seriem temporum librum unum.

Sed & Rogerius Hardenus Cestrensis Monachus, vir omni politioris Litteraturæ genere eleganter doctus, Historiam ab origine mundi ad sua usq; tempora, puro, terso, & nitido stylo conscripsit, & hoc titulo insignivit: *Polycratica temporum.* Libris septem distinctum opus, ab Hugone Virleio, in Historiarum figuris, non semel honoris causa citatum. *Ex Edvardo Mahevv, Harpsfeld. Pitsio, Lelando &c.*

*A.C.* 1330. *S.P.N.* 850.

INter præcipua ordinis universi sydera emicat, eminetque Petrus Rogerij de Malomonte Abbas Fiscanensis, ex Abbate Episcopus Atrabacensis, hoc ipso anno electus Archiepiscopus Rotomagensis, vir in Divinis scripturis eruditus, & in prophanis versatus. Iuris vero Canonici Doctor insignis, Trithemio teste, non minus conversatione quam scientia venerandus; suffragente etiam Hieron. Plato, innumerisque aliis, ingenio acerrimo, eâ dicendi excellens facultate, ut populum quo vellet, concionando impelleret, cuius scripta Trith. libro de script. Eccles, enumerat.

Infinitus penè numerus è diversis Regnis procerum, qui familiæ suæ insignia cucullo post habuere. Inter fœminas non defuere, quæ virili proposito de tribus hostibus, mundo, carne, & dæmone triumpharent: quas inter præcipuo nomine hoc ipso elucescit anno Isabella Caroli Valesij Aragonum & Valentinorum Regis designati, & Margaritæ Caroli II. Regis Neapolitani filiæ, nata, institutum nostrum in Monasterio Fonteveralliorum professa: ibidem denique in Abbatissam electa. Vid. Wion.

*A.C.* 1331. *S. P.N.* 851.

MIrabile iterum speculum orbi exhibet sacra familia nostra Camaldulensis, B. Paulam Florentinam, totius Hetruriæ rarum, & illustrissimum sanè ornamentum, quæ à Deo ac DEIpara favorem & gratiam meruit incomparabilem, & vere inæstimabilem, cum Magna Mater ipsi cum lactente suo illo virginum Sponso appareret, cuius osculo puerili, lactis Virginei rorem (ô dulcedinem!) Paula degustavit. *Ex vita. Ant. Balingh. &c.*

Clarent viri illustres plurimi, è quibus ad Pontificales evecti Cathedras Fridericus ex Abbate Lanckheimensi Episcopus Aichstadensis in Germania, familia Illustrissimus, ut meritis, ex Landgravijs Sanct. Rom. Imp. Leuchtenbergensibus ortus, Dithmarus ex Monacho Portensi Episcopus Generalensis, multique alii. *De quibus Lib. de Provis. Prælat. &c. Iongelinus, Arnold. Duac. &c.*

*A.C.* 1332. *S.P.N.* 852.

CLaret meritis ingentibus tertius Floriensis, Floropolensis sive S. Flori Episcopus Archimbaldus, Monachus S. Flori Cathedralis (ne nescias hoc etiam sæculo, nostros non in Anglia solum, sed & Gallia Cathedrales Ecclesias obtinuisse, sed & hanc Sanct. Flori etiam propter, & per nostros conditam) cui in acceptis referant necesse

est

est urbis honorem egregiè promotum cives Floropolitani, & victum etiam opesque suas Canonici Collegialis Ecclesiæ Sanct. Mariæ, ab eodem conditæ. Vid. Clem. Rob. Wion. Democh. Belfort.

Inter purpuratos cum dignitate & merito è nostris eminent Iacobus Fornerii Ioannes XXII. ex sorore nepos ex Abbate Fontis frigidi Sanct. Rom. Eccles. presbyter Card. Tit. S. Priscæ. Ioannes item Vicecomes Mediolanensis ex Monacho S. Ambrosij Mediolani Sanct. Roman. Eccles. presbyter Card. alius insuper, quem non nominat Genebrardus, congregationis Cisterciensis, qui bibliothecam Parisiensem egregie exornans, æterno merito, operam Theologiæ dantes sedecim alumnos perpetuos instituit. Vnde cognoscas alumnorum à nostris primum institutorum, seu potius adoptatorum perpetuam erga Monachos obligationem, de quorum collegiis victuque à nostris exstructis & cęptis alibi fusius. Vid. Genebrardus, Panvinus. Clemens Robertus &c.

*A. C.* 1333. *S. P. N.* 853.

SUb hæc tempora Ordo Montis Oliveti in agro Senensi, ingenti Ecclesię Ornamento, fructuque restitutus, sed & ordo seu Congregatio Grandimontensium, opera maximè ac studio Ioannis summi Pontificis, ad primum non solum fervorem revocatus, verum etiam mirifice auctus, propagatus atque exornatus. Ita nostri ubertati domus D E I, graves & multiplices iugiter manipulos adiecère. Ex Ciaconio.

Claret eximia nominis fama Guerricus Abbas noster Igniarensis ab relictis ingenii monimentis celebratissimus. De quo Hieron. Platus, Ciaconius, Trithemius, &c.

*A. C.* 1334. *S. P. N.* 854.

MIrabili Dei providentia, nec sine miraculo, rursum ex ordine nostro Summus Orbis Pontifex eligitur, F. Iacobus Furnerius, quem ex Abbate Montis frigidi Ioannes XXII. Episcopum Appamiarum primum, dein Mirapicensem, & demum presbyterum Cardinalem Tit. S. Priscæ creaverat. Præsignatus per visum Pontificatus Iacobi, Episcopo quodam Gallo, qui Furnerio ipsi admiranti, nec expectanti ante electionem significans: pater, inquit, ille qui mihi monstravit faciem vestram, introduxit me in stabulum immundissimum, stercoribus plenum; ubi vidi arcam marmoream, altissimam sed vacuam. Vos estis ille arca, quam debetis in officio vestro virtutibus implere, & signis. Et ô Pastor & stabularie, pergit, Curiam & Sedem Apostolatus, iam immundissimum Stabulum, ab avaritiis, & Simoniacis Stercoribus expurgate, vobisque sanctam Romanam Ecclesiam, & Vrbem commissas habete. Hæc ex Alberto Argentinensi. Sic occulto Dei consilio electus Iacobus noster, mirantibus ipsis qui eum elegerant, quomodo ipsum præter expectationem nominassent, sed multo magis illo obstupescente, & pro sancta animi submissione exclamavit: asinum elegistis. Verum virum sanctissimum & Reip. Christianæ utilissimum elegisse paulo post patuit, cum statim ac diadema Pontificium accepit, Benedictus eo nomine XII. appellatus, se iuxta visionem memoratam ad iuvandam Ecclesiam totum convertit: sed & eidem exornandæ intentus, quinquaginta aureorum millia, ad reparandas S. Petri, Salvatoris, Lateranensem, aliasque Basilicas Romam misit. Pacem quoque totius Ecclesiæ, atque orbis Christiani sibi in animo esse cum dixisset, nuncios ad Ludovicum Bavarum Ecclesiæ hostem (sic vitæ auctor eum appellat) aliquos destinavit, qui obstinatum sententiæ ad pœnitentiam emollirent. Die Nativitatis Dominicę, & reliquis sequentibus profusione indulgentiarum omnes Christi fideles ad orationes pro felici administratione invitavit, inque sumptus Cardinalium centena millia florenorum dedit. Eâ liberalitate, turpem avaritię luem ex aula nonnihil movit, Patrum animos sibi maiorem in modum devinxit. Tantis beneficiis, & pręclare gestis Pontificatum cępit Benedictus, , unde progressus metiaris. Videantur Albert. Argent. Oldradus in vita. Panvinus, Ciaconius, Bzovius, Dithmarus, Platus. Trithem.

*A. C.* 1335. *S. P. N.* 855.

ADmiranda rerum mutatio, sed & ex ea mutatione omnium maxima gra-

gratulatio, diversis Germaniæ, Galliæ, Italiæ &c. Pontificibus, metu Benedicti Pontificis ad sedes suas se recipientibus, qui pro libertate atque animi voluptate, antea cura omni liberi, nihil de ovibus anxij vagabantur, statim quippe atque diadema Pontificium Benedictus accepit, 4. Idus Ianuarij in Consistorio, sic vocant, publico omnes Prælatos & Pastores Ecclesiarum, Avinione ex Curia, ad suas reverti Ecclesias à festo Purificationis Deiparentis jussit: cum omnibus & singulis renunciasset, se velle uti juris remediis, contra eos, qui nulla causa legitima, ab ovibus Christi, suæ curæ commissis abessent, neque divino de residentia Prælatorum præcepto satisfacere curarent. Ingens planè meritum, & Ecclesiæ Vniversæ per quam necessarium, ut nescio, quid dignius tantus agere Pontifex potuisset.

*A.C.* 1336. *S.P.N.* 856.

ADmirandus sanè in omnibus Pontificum non solum Romanorum, sed orbis universi Præsulum, speculum Benedictus noster XII. cuius inter alia, dignissimum sanè æterna memoria & imitatione ęquitatis & Religionis exemplum: quandoquidem insolenti planè, & nunquam satis laudando decreto, Ecclesiastica beneficia, à prædecessoribus suis per inopportunitatem harpyarum Palatinarum, ad concedendum, se devorandum Titulo Commendarum omnibus collata, in publico consistorio revocavit, neque ullis unquam, exceptis Patribus purpuratis, ea concedere voluit, hoc Titulo. De eodem Benedicto hæc in vita ipsius habet Oldradus. In beneficiis Ecclesiasticis conferendis id potissimum cavit ne indignis darentur, sæpe dicens, nolle se lutum exornare. Indignos enim illis honoribus homines luto comparabat. Sed ante omnia ad utilitatem posteritatis æterno exemplo commendanda Victoria tanti Pontificis de Carne & Sanguine; ita ut neque ex obliquo quidem, Sanguine junctissimis quidquam concederet, sive annueret: agnatos quippe ac consanguineos fingebat sibi ignotos: dignissima & convenientissima Pontificis Maiestati voce asserens: Pontifices Romanos, Consanguineos non habere; Cumque instarent quotidie multi, urgerentque, ut eos promoveret, subintulit illud Davidicum, quod pro insigni argumento gerebat. Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Victus tamen precibus piorum hominum, sororis, an fratris, filium Archiepiscopum Arelatensem esse iussit, eoque excepto, consanguineum vel agnatum neminem agnovit. Mercator quidem Tolosanus dives, Avinionem cum uxore, nepte Pontificis profectus, ad colloquium quidem admissus, magnaque indulgentia ac facilitate tractatus fuit. Cæterum nihil nisi sumptus in itinere factos, & qui domum reversuris necessarij essent obtinuit, atque à Pontifice istud audivit: se quidem, ut Iacobum Furnerium illos agnoscere, at Pontificem renunciatum, consanguineos, & affines non habere. *Ex vita.*

*A. C.* 1337. *S. P. N.* 857.

EFflorescit toto terrarum orbe, incredibili & inæstimabili Ecclesiæ universæ ornamento fructuque, immortalique cum merito Beatissimi Pontificis Benedicti XII. Ordo noster, Monachorum nigrorum; quem hoc ipso anno de consilio Sanct. Roman. Eccles. Cardinalium, & multorum doctissimorum Abbatum, felicissimè reformavit, ut ex ipsis Pontificis verbis liquet: Nos tamen, inquit, ob Zelum amplioris Salutis, & maioris prosperitatis eiusdem, intra nostra præcordia, & cum nonnullis ex Fratribus nostris Sanct. Roman. Eccles. Cardinalibus, & dilectis filiis, Petro Cluniacensi, Ioanne Casæ DEI, Gilberto Masiliensi, Raymundo Psalmodiensi, Gulielmo Montis Olivi, & Gregorio Ysidonensi Monasteriorum Abbatibus eiusdem Religionis, Decretorum Doctoribus, diligenti tractatu præhabito, & super eo digestâ deliberatione sequuta, ut eadem Religio in Divini cultus obsequio floreat. &c. Reformatus autem sic Monasticus Nigrorum Ordo, divisus est in Provincias sex & triginta, quam divisionem subiungendam omnino censuimus, unde ordinis, etiam tempore, amplitudinem, indeque merita, tot diversissimis provinciis, DEO servientium metiaris.

1. Rhemensis, & Senonensis pro una provincia.
2. Rothomagensis, & Turonensis cum Monasterio S. Florentii, & membris ipsius, quod nulli Episcopo subest.
3. Bituricensis & Burdegalensis cum Episcopatu Aniciensi.
4. Narbonensis & Tolosana & Auxicana.
5. Cantuariensis & Eboracensis in Anglia.
6. Hispalensis, Campistellæ, & Andaluziæ in Hispaniis.
7. Toletana in Hispania.
8. Bracarensis in Lusitania.
9. Tarraconensis, Cæsaraugustæ, cum Episcopatu Majoricæ in Regno Aragoniæ.
10. Lugdunensis, Bisuntinensis, & Tarantasiensis in Burgundia.
11. Viennensis, Arelatensis, Aquensis, & Ebredunensis in Delphinatu.
12. Romana Provincia, cum septem Episcopis sibi subjectis, & Monasteriis sibi subditis, Sublacensi, & Farfensi, nullius Dioeceseos.
13. Rhegiensis, Cosentiæ, Sanctæ Severinæ, Rossanus, Mileti, & Bisignani Episcopatus.
14. Barensis, Sipontinus, Beneventanus, Trojanus, Melphitanus, & Epoli Episcopatus.
15. Consanensis, Acherontinus, Tarentinus, Brundisinus, Otrunti Episcopatus.
16. Neapolitanus, Campuanus, Malphitanus, Salernitanus, Surrentinus, Casinensis, Ravellinus, Aversanus, Episcopatus, simul cum Monasterio S. Vincentii de Vulturno, ab Episcopali potestate exempto.
17. Panormitanus, Messanensis, Montis Regalis, Melitanus Episcopatus, sive Regnum Siciliæ cum Insula Melitensi.
18. Regnum Cypri.
19. Regnum Sardiniæ & Corsicæ.
20. Patriarchatus Aquilegiæ, Grandensis, cum provinciis Iudræ & Ragusij.
21. Provincia Mediolanensis, Genuensis, & Pisana.
22. Ravenna, Ferraria, & Placentia Civitates.
23. Strigoniensis, & Collocensis, sive Regnum Vngariæ.
24. Gneznensis, sive Regnum Poloniæ.
25. Ardinacensis, Dublinensis, Cassalensis, Duaciensis in Hibernia.
26. Regnum Scotiæ.
27. Regnum Bohemiæ.
28. Regnum Daciæ.
29. Regnum Norvegiæ.
30. Regnum Suetiæ.
31. Archiepiscopatus Moguntinus cũ Episcopatu Bambergensi.
32. Archiepiscopatus Coloniensis, & Treverensis.
33. Archiepiscopatus Bremensis, Magburgensis cum Episcopatu Caminensis.
34. Archiepiscopatus Salisburgensis in Bavaria.
35. Archiepiscopatus Rigensis.
36. Provincia item Thebana, Atheniensis, Patras sive Corinthi cũ Patriarchatu Constantinopolitano.

Tam diversis Provinciis, repente lux nova affulsit; & singulari Dei gratia id ordini nostro perpetuum fuit, ut singulis omnino sæculis, velut juventute aquilæ, renovaretur, adeoque sanctitatem, merita, exempla in hodiernam usque diem propagaret, ad finem usque mundi, prædicente ipso Numine, propagaturus, & pro Ecclesia Dei, strenue laboraturus.

Ipso año creatus S.R.E. Cardinalis Petrus Rogerij noster; ex Monacho Fiscanensi & Iuris Canonici eximio professore, Archiepiscopus Rotomagensis. *Vid. Ciaconius.*

*A. C.* 1338. *S.P.N.* 858.

PRohibet rursus compendium, tantæ materiei amplitudinem, cui imẽsa voluminã minimè sufficerent. Benedictꝰ Pontifex, bono Reipublicæ Christianæ natus, hoc año nervos omnes intendit, & admirabiliſſ industria, in eo totus est, ut Ludovicum Bavarum Ex-Imperatorem ad saniora consilia revocet, pacem toto orbe componat, sed & gravissimum Schisma eliminet. Inter Philippum etiam Franciæ, & Eduardum Angliæ Reges, gravissimè dissidentes, quamvis apud pertinaces odio Principes, nihil efficeret, Pontificio tamen oneri & honori cumulatè respondit. Tantæ verò ipse Constantiæ fuit, ut dimoveri à recto vel vi, vel pretio,

vel pollicitationibus nunquam potuerit, bonis omnibus amicꝰ malos aperto odio prosecutus. Insigne etiam meritum fuit: quo Pontificiam antecessoris dignitatem à calumnia Hæresis vindicavit, ejusque opinionem de mortuorum animis, tam dilucidè exposuit, ut nullus superesset dubitandi locus, decretumque ejus opinionis gratia fecit, & eos qui aliter sentirent Hæreticos pronunciavit. Incredibili dein magnanimitate misso in Italiam Legato, Senatui Populoque Romano persuasit, ut Senatoriam dignitatem, quam diu Regio nomine gesserant, suis tandem & Ecclesiæ auspiciis administrarent. *Ex Vita & Ciacon.*

Protulit hic idem annus, insignes Christi Martyres, Ioannem Messiam Abbatem Alnensem, cum socio Monacho, de quorum Martyrio consulendus, *Henriq. l.2. dist. 3. q.*

*A. C.* 1339. *S.P.N.* 859.

BEnedictus Papa peregregio rursꝰ merito, de Ecclesia, & Hispaniæ inprimis Regnis meritissimus, bullam cruciatam, contra Reges Marrochionem & Granatæ, Agarenos, scribens, qui cruce signarentur contra eosdem, maximis gratiis donat: Vnde plurimis conscriptis, quamvis impare numero nostri pugnarent, ingens hostium fidei clades consequuta, quippe miraculosa sanè victoria, cum Alphonsi Castellæ & Legionis Regis copiæ, quatuordecim millibus equitum, peditum quinque & triginta millibus constarent; Saracenorum tamen exercitum, octaginta quinque minimum equitum, ac sexcenta peditum millia devicère, tanta illata barbaris clade, ut tanto ex exercitu supra quadringenta mortalium millia partim cęderentur, partim caperentur, ex Christianor. copiis, nō nisi quindecim seu viginti desideratis. *Ex Ciacon. & Hisp. script.*

Claret egregia fama, & contempti Regii fastus immortali exemplo Ioannua, Caroli Valesij Aragonum Regis filia, quæ à morte mariti Guilielmi III. Holandiæ & Hannoniæ Comitis Cænobium Fontanellense ingressa, nec multo post meritis suis exposcentibus Abbatiali honore insignita, benè de Religione & Patria sua merita, cum incredibili sanctimonialium suarum mœrore è vivis sublata est. *Vid. Iacobus Meyerus, &c.*

*A.C.* 1340. *S.P.N.* 860.

RIchardus Stradleius Abbas Herefordiensis celebratur, præter egregiam virtutem à scriptis tanto ingenio dignissimis commendatus. Potiora sunt.

- Commentariorum in Evangelia, lib. 4.
- In quosdam Sacrę Scripturę textus, lib. 1.
- In Orationem Dominicam, lib. 1.
- Homiliarum, lib. 1.

Videndus Henriquezius aliique de pluribus nostri ordinis hoc tempore viris genere, doctrina, & sanctitate illustrissimus. Sed Benedicti ante omnia Pontificis maximi merita fuêre Hęresin quippe Fratricellorum, auctoritate Apostolica damnans, contra Simoniacos exin miranda constantia consurrexit. Sed neque Catholicis parcens, aut adulatus Principibus in delinquentes acerrimè animadvertit, Ioannem Bohemiæ Regem, libertatis Ecclesiasticæ contemptorem, diris percussit. Et Eduardum Angliæ Regem excommunicavit, quod præter decimationem omnium proventuum Ecclesiasticorum, in triennium omnibus Ecclesiis impositam, etiam confiscatione bonorum quorundam Ord. Cistert. Monasteriorum, aliarumque ditiorum Religionum, graviter excessisset. Alios item plures pro meritis, sacrorum participatione interdixit. Vt videas, quam constantes, invictique Pontifices nostri, nihil ab homine metuerent, solum Deum reverentur. *Ex Vita & Ciaconio, &c.*

*A.C.* 1341. *S.P.N.* 861.

OBiter paucissima, ex innumeris Benedicti Pontificis, præclarè gesta numeramus, ita ut obruente illo manum & calamum, cæterorum è nostris cætera omnia sileamus. Quantum verò ad immortalitatem famę fuerit tanti Pontificis, Armeniam, Apostolica planè functione, ad communionem Ecclesiæ excitasse, Legatos & Apostolos ad Tartaros misisse, Ecclesiarum per Italiam, omnium Antistitum electionem sibi reservasse, hocque modo, Ecclesiarum dignitatem, pacemque per Italiam stabiliisse, vicarios urbiū per Italiam, & citeriorem Galliam instituisse: Palatium denique Pontificium Avenione, sumptu atque opere magnificentissimum construxisse, hæc atque alia plura, ponderanda lectori relinquimus. *Ex Ciacon.*

*A.C.* 1342. *S.P.N.* 862.

SVstulit hic annus, tantum Pontificem, incredibili omnium dolore deploratum:

tum: Ejus ante mortem, ingens meritũ; instituto ordine, qui hodieque observatur, in expeditionibus pœnitentiariæ Apostolicæ, & pretio taxato Bullarum Apostolicarum & Brevium. Restitutoris Ecclesiarum Titulum meritus, & longiore vita dignus, nisi digniorem meliore Deus judicasset, à quo etiam post mortem est miraculis honoratus. *Vid. Ciacon. Henriquez aliique.* Mœrorem comunem, ex tanti Pontificis morte, solata quamprimum Petri Rogerii nostri Fiscanensi Abbate Arelatensis, mox Senonensis, dein Rothomagensis, sacræ denique R. Eccles. Cardinalis, ad sumum honorem electio; viri literatissimi, & de Ecclesia meritissimi, quem Ioañes XXII. invito quantumvis Rege Galliarum (qui ejus consiliis carere noluerat) pridem cardinalem creare paraverat. Cui quam primum Clementis VI. nomen impositum. Ciaconius.

Ipso anno Helftense Cænobium, eo in prælio, quod Brunswicensis Dux cum Mansfeldensibus Comitibus gerebat, eversum, singulari miraculo, necquidquam efferato milite, contra sacras Deo Virgines, earumque Castitatem moliente; precibus utique Magnæ Gertrudis, cujus Dux, eâ vastitate sacras exuvias texit, utique, quod speramus, majori aliquando cum fructu, ac solatio fidelium eruendas, & proponendas. *Ex Lib. Insin. & Tilman.*

*A. C. 1343.* *S.P.N. 863.*

FRigidissimas illas Septentrionis Regiones, & Regnum inprimis Succiæ, Divinis excitat, accendit & inflammat ignibus Beatus Gerekinus, Monasterii B. M. V. de Alvastra Monachus, qui quantum orationibus posset & proficeret pro Regnis illis & orbe universo, facile inde patuit, quod paucis legitur sanctorum contigisse: ut sub orationis studio, *novem Angelorum choros, quasi continenter intueretur.* Sed & apud Reginam cæli, orbis Dominam quantum posset, inauditum hujus dignationis exemplum est; cum forte pro exercitio humilitatis & obedientiæ jussus in pistrino, artis ignarus, laborare, ad imaginem in pariete quodam depictam, sibique cultu familiarem, Dominæ suæ recurreret, & infantili simplicitate sic ipsam alloqueretur: *Domina mea Charisma, Dominus Abbas præcepit, ut cum pistoribus laborem, tu autem scis, me prorsus in ea arte rudem esse. Veruntamen juxta voluntatem tuam facere sum paratus, quod mihi suggesseris.* Stupenda res! Respondit ex imagine virgo: *Fac, quod hucusque feceras* (orationi intentus erat) *& ego pro te serviã in pristino.* Abiit proin ille, ad locum consuetum & orare perrexit, cum interim visa est alia persona pro Gerekino in pistrino, ejus personam vultu referens ministrasse, cum ipse interim defixus in oratione, in Ecclesia deprehenderetur. Sed postquam Gerekini similes Suecia habere desiit, & ipsa refrixit, & multas deinceps provincias perdidit, in quas tanquam pruina & grando incubuit, scaturigo maximarum, quas cominatus non semel Deus est, tempestatum Europæ & calamitatum. *Ioan. Tastov. Revel. S. Gertr. Abr. Bzovius, &c.*

*A. C. 1344.* *S.P.N. 864.*

APud Tartaros & Armenios missi non ita pridem à Benedicto nostro duodecimo Apostolici zeli & spiritus viri insignes strenuè laborant, & sudores suos Ecclesiæ & cælo consecrant, dispari apud illos & posteriores fructu, cum sanguinarii illi & inhospitales populi, exterorum (quod proprium est barbarorum) osores, & quasi ex condicto hostes, eo ipso incapaces disciplinæ se redderent, in Armenia autem multa adhuc priscæ pietatis insignia se proderent, nec ita difficulter, plantata pridem cum primævo ordinis flore pietas, erroneis nonnullis depravata dogmatibus, ad rectam rationem revocaretur. *Ex Arachielis Armeni relatione & scriptis divers. Communicatis à R.P.D. Mauro Marchesio, Benedicto nostro Redivivo, &c.* Alia plura in Regno Sueciæ clarent luminaria, & tria sub hoc ipsum tempus cælis sydera inferuntur: Beati Petrus, Olaus, & Tordo Alvastrenses Monachi, quorum nomina, aureis scripta characteribus in libro vitæ legit B. Gerekinus, iminentemque felicem eorum transitum prædixit.

*A. C. 1345.* *S.P.N. 865.*

SVmma Clementis nostri in Ecclesia Majestas, nomen ipsum consequuta, quod ab ingenii, doctrinæ, morumq; excellentia decantatissimus, tanto magis in summo Pontificatu susp iceretur, quanto honore illo se digniorem ipse fecisset. Absolutum ante omnia Pontificale Palatium Avenionense, ipsi successores Pontifices debuêre: Rothomagensis vero Ecclesia,

cui ante Pontificatum summum præsederat, eidem æternum obligata, in quam ipse seu Matrem propensior, dignitatem ejus inprimis auxit, & Privilegiis plurimis exornavit, sexdecim insuper presbyteros, Collegii Cathedralis numero addidit, æternis redditibus assignatis, quibus alerentur. Vt intelligas quantum Gallia nostris debeat, cujus pleræque Vrbes & Episcopatus, à nostris tanta liberalitate aucti, quanta Religione primum conditi. *Ex Ciacon. Cl. Rob. Gall. diverſ. ſcript.*

Moritur eodem anno B. Iacobus Gerius Camaldulensis Congregationis Monachus, ipso felicissimo transitu, Angelorum vocibus exceptus. *Aug. Florent.*

*A.C.* 1346. *S.P.N.* 866.

MIra magnimitate in obstinatum Ludovicum, vulgo Bavarum, Eximperatorem animadvertens Clemens noster summus Pontifex, denuo eundem sacris interdicit, sed & pro auctoritate potestatis Pontificiæ, alium eligi Imperatorem præcipit; Is opera Clementis creatus Carolus quartus, Bohemiæ Regis filius, præfuit añis triginta duobus, mensibus quinque diebus quatuordecim, auctor Bullæ aureæ, summo in pretio à nostris semper habitæ, ut ejus beneficia ex parte ad Clementem etiam nostrum referantur. *Ex Francisco Rosiers. Ciacon. &c.*

Congregatio nostra Vallumbrosana à Benedicto Clementis antecessore egregiè aucta, & propagata, per magnis incrementis floret, & viris præstantissimis, copiosissimisque meritis Ecclesiam auget & ornat, hoc imprimis anno, quo eximia sanctitate electus est Generalis B. Michael Aretinus. *De quo Tabula Vallumbrosana VVion. &c.*

*A.C.* 1347. *S.P.N.* 867.

HOc circiter anno, Clemens VI. ponderatis ingentibus Coronæ Franciæ in S. Sedem meritis, Christianissimo Regi potestatem fecit sub utraque specie, quandocunque id optaret comunicandi. Qua potestate tum ipso die consecrationis suæ, tum in articulo mortis utitur. *Vid. Gloſ. l. noſt. Henriquez, lib. Euchar. cap.* 44. §. 7. *Gualter. &c.* Item in nostris debent Galliæ Reges.

Ipso etiam anno S. Iuonem, presbyterum & Confessorem, in sanctorum numerum, idem Clemens reposuit. *Gerebrard. Baron. in Martyrologio, &c.*

Dignissima dein emptione, cum Pontifices Romani eousque alieno in fundo habitassent, Avenionensis Vrbis Dominium ab Ioanna Regina Romanæ Ecclesiæ addidit, auctoritatique Pontificiæ egregiè consuluit. *Ciaconius. &c.*

*A.C.* 1348. *S.P.N.* 868.

SAnctissimus Bernardus noster Tolomæus, sanctissimum Patriarcham nostrum BENEDICTUM imitatus, inter orationis verba, interque psallentium discipulorum manus, gaudens in Domino, & exultans, beatum spiritum reddidit creatori suo. Is Fundator & Institutor ordinis, sive Congregationis nostræ Monachorum Olivetanorum, de Ecclesia universa, & beatissimis inprimis Parentibus nostris Virgine BENEDICTA & BENEDICTO præclarissimè meruit, cultumque eorundem plurimum promovit. Vir fuit litteratissimus, ut & genere nobilissimus, cumque Philosophiam in publica Academia profiteretur, aliquando repente utroque orbatus lumine, à Deiparente miraculo curatus est, moxque conscenso suggestu, tanta facundia copiaque dicendi ad mundi contemptum, cælestesque divitias complectendas, auditores hortatus est, ut omnes, quotquot aderant, in magnam suimet confusionem versi sint, & continuo quidam eorum, inter quos Ambrosius Picolomineus, & Patricius ex æquivoca Patricia familia, uterque ut & Bernardus, nobilissimi Senensium Senatores, Bernardo adhærentes, in proximũ Senæ collem se reciperent, cumque de Montis oliveti in Palęstina nomine denominantes, ibidem Religiosum vitæ, summo rigore, institutum amplecterentur. Ad eos pluribus quotidie confluentibus, metuens, felicem malo suo successum inferus; instigavit, qui nomen eorundem ad Romanum Pontificem, ceu novarum auctorum deferrent. Acciti præter expectationem à summo pastore benignissimè accepti, & Guitorio Aretino Episcopo, qui eis probatam traderet Regulam commendati sunt. Verum dum revertetentur BENEDICTA Mater, Angelorum stipata cætu, apparens Episcopo, eidemque viros commendans, BENEDICTI Patris Regulam & Candidum habitum, quibus uterentur porrexit. Ex quo deinceps ordine summo Ecclesiæ bono, viri illustrissimi doctrina & sanctitate prodiêre. *Sylvanus Razzi, &c.*

Inter Martyrum candidatum exercitum

tum pro meritis assumptum Bernardum Ptolomæum; etsi ut Confessorem colat Ecclesia; nemo est qui dubitet; Martyrem Charitatis, qui pestilenti lue vehementius grassante cum in novellas quoq; oleas invaluisset, verè patrem lectissimorum & dilectissimorum agens filiorum; totum se eis impendit ac superimpendit; vitam, si ita visum Numini; & animam exponens & ponens pro ovibus suis, cum omnibus ipse eo morbo infectis, amantissimè inserviret, donec eodem correptus & ipse decederet. Et sanè ex ejus & tot sanctorum funeribus, non tam desolatum nobile Olivetum est, quam reviruit, floruit, fronduit, longius deinceps latiusque propagatum. De quorum fervore sic Lancellottus: *Corpora pia severitate excruciare flagellis publice, & privatim in templo afficere. In Vigiliis austeri, tamdiu conquiescere, ut vita duntaxat sustineatur, præduris asseribus, nuda humo, culcitra stramentitia, nulla plumarum, culcitrarum, linteorumque cognitione. Precibus nocturnis expeditis, somnus habebatur Monachorum indignus; hinc à Matutinis ad Primas orationibus insistebant. Lectio Bibliorum, quæ certis horis habebatur, omnium jucundissima. Cibis sobriè abstinebant, illis non modo feriis, quas assignat inedia vel mater Ecclesia, vel Pater Benedictus, sed etiam aliis compluribus, pietatis ardore æstuantes, sanctorum pervigilia, verumque Iejunium pane duntaxat, & aqua transigentes. Imo, paucis annis interjectis, ardentioris pietatis studio adducti, vel ab Apostolo illis vocibus admoniti; Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, Rom. 14. & à S. Benedicto, Monachis vini mensuram præscribente.* (Quamvis vinum omnimodo, legamus, non esse Monachorum, cap. 40.) *commoti, hoc potionis genus omnino rejiciunt, utque nulla detur, sancti hujus propositi perrumpendi occasio, vineas circumjectas recidunt, & vasa omnia sive dolia, ad servandum accommodata, è Monasterio tollunt. Verum frigidam haurientes, aliquanto post in morbum ferè omnes delapsi, Apostolo auscultare coguntur præcipienti: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum 1. Tim. 5. Vinum propterea mensæ apponitur, adeo tamen infuscatũ, ut animo nihil obsit, corporis tamen valetudini non minimum prosit. Silentium, quod servabatur, popularibus intervenientibus admirationem, simul & venerationem faciebat, &c. De vestibus nullo modo laborabant Benedictinæ legis asperitatem retinentes, imo transilientes, abjectissimis contenti. Longum esset obedientiam, qua non tantum Præsides, sed etiam æquales prosequebantur commemorare,* c. 72. Reg. S.P.N. *Sanctissimè decertantes, alius in pietate, alius in lenitate, alius in moderatione sermonis; alius in precationum diuturnitate, alius in tolerantia, alius in ope egentibus afferenda, alius tandem in obsequio superis exhibendo. Hæc studia Monachorum, hic ardor, hic in disciplina progressus, &c.* Huc usq; doctissimus Lancellottus. Quæ prolixius dedimus, ut vel elanguente apud nonnullos disciplina, quantum se apud alios nostros extulerit animadvertas.

Moritur eodem añо S. Sylvester, conversus Monasterii SS. Anglorum, Congreg. Camald. De quo, unde cognoscas, quantum Ecclesiæ Dei, etiam Monachi illiterati, prosint exemplo, oratione, & innocentia, legendus *August. Florent. pag. 2. histor Camald.*

Pestifera lue toto orbe grassante, tanta contagione, ut vix decimus quisq; ex mille mortalibus superesset; magna pietatis Christianæ, admirandaq; opera Clementis nostri summi Pontifici fuere erga eos, qui labe illa infecti erant; de quibus legendi Ciaconius aliiq;, unde mireris tantam in tanto Pontifice, filiorum curam, & in pauperes propensionẽ ac profusionẽ.

*A.C.* 1349. *S.P.N.* 869.

ÆTernum debet Clementi nostro florentissima hodie Academia Florentina, hoc ipso año instituta, ab eodem egregiè ornata, & confirmata, in qua ipse Theologiam, cæterasq; facultates doceri præcepit, *vid. Ciacon.*

Claret ipso tempore Guilielmus noster Archiepiscopus Cæsaraugustanus ex Monacho Cluniacensi, quem Clemens à pubertate semper secum habuerat, ac S.R.E. Cardinalem Titulo S. Mariæ trans Tyberim creaverat. Cujus ejusdem Clementis opera, & exemplo toto passim orbe refloruêre viris doctissimis undecunq; accitis, quos Clemens eximiis prosecutus favoribus, eo ipso omniũ ad studia liberalia animos mirificè accendit. *Ex vita & div.*

*A.C.* 1350. *S.P.N.* 870.

INter omnes verò actiones, quas fecit idem Clemens summus Pontifex, nulla illustrior & laudabilior illa, qua post Bonifacium VII. qui Iubileum Plenariæ remissionis, centesimo quoq; anno instituerat, ipse propter brevitatẽ vitæ humanæ, ipsi9 Iubilei annum centesimum ad quinquagesimum reduxit: fundato in sacris scripturis usu numeroq;, ut quod olim carnaliter apud Hebræos, hoc in animabus nostris spiritualiter fieret. *VVion. Ciacon. &c.*

*A.C.* 1351. *S.P.N.* 871.

CLarent sum̃a in Ecclesia auctoritate, eximiisq; meritis, præter plurimos ex ordine nostro Episcopos, Archiepiscopos, aliosq; Ecclesiæ Prælatos, Guilielmus de Curti Episcopus Cardinalis Tusculanus, à Clemente creatus, præclarissima ad Longobardos legatione insigniter meritus: Hugo Regerii Monstrius de Malmonte, Clementis ipsius Papæ frater Germanus ex Tullensi Monacho S. R. Eccl. Cardinal. Tit. SS. Laurentii & Damasij; Deodatus de Canithaco S. Flori Cathedralis, nostri ordinis Monachus, dein Episcopus ibidem, à Clemente S.R.Eccl. presbyter Cardinal. Tit. S. Crucis in Hierusalem creatus; Guilielmus de Agrifolio Card. Tit. S. Calixti; Petrus de la Foresta ex Monacho S. Dionysij S.R.E. Cardinal. ab eodem adoptatus. De quorum omnium meritis & dignitate legendi *Ciaconius, Villar. Panvinus.*

*A.C.* 1352. *S.P.N.* 872.

MOritur hoc deniq; año, fama ac meritis immortalis Clemens noster Pont. Max. relictis præter res præclarissimè gestas, ingenii quoq; præstantissimis monimentis, ex quorum plurimis, aliqua quę vidit ipse Arnold. noster com̃emorat.

De Canonizatione S. Iuonis, lib. 1.
De approbatione Caroli Regis, li. 1.
Sermonum Variorum, lib. 1.
Collationum item, lib. 1.
Epistolarum ad diversos, lib. 1.

Decretalium ejusdem, & Epistolarum volumina plura, se vidisse idem affirmat, in Bibliotheca Vaticana: quæ speramus aliquando bono publico in publicũ proferenda. Eidem debet posteritas Missam ab eodemmetipso compositam & propositam pro mortalitate: Recordare Domine Testamenti tui, &c. Nullam autem, ait Ciaconius, constitutionem posteris relictam, celebriorem existimamus, ea, quæ de victu Cardinalium lata est, quoties ad eligendum Pontificem conveniunt, quæ inter acta Concilii Constantiensis reperitur. Vt insignem illum eligendi Pontificem Rom. ordinem nostris, etiam ipsa Ecclesia debeat. *Vid. Ciacon. &c.*

*A.C.* 1353. *S.P.N.* 873.

ILlustrissimum suo sæculo, contempti sæculi exemplum, elucescit è Monasterio Mariæcampensi Venet. Lubertus à Wenden, vir & genere præstans & eruditione, qui ex Canonico Osnaburgensi, factus Tyro Novitius in prædicto Cænobio, cum ad infulas Pontificias, translato ad Bremenses tunc Episcopo, ex ipso Novitiatu peteretur, constantissimè abnuit, pari constantia delatos iterum atque iterũ honores Pontificios recusando. *Cranzius, Bruschius, Iongel. & nos, libro de Episcopis Germaniæ, &c.*

Effulsêre tamen plures alii sub hoc ipsũ tempus è nostris in Pontificalibus Cathedris, non minus re benè gesta, in infulis, quam rejecto honore gloriosi, è quibus Petrus de Porta ex monacho Bolbonensi Archiepiscopus Messanensis in Sicilia, Alexander Devereux ex Abbate Donbrothiensi Fernensis Episcopus in Hibernia, Bernardus Clermontius ex Abbate S. Abundi Comensis, in Italia, ut plures alios prætereamus, egregii in Pontificatu, honoris Monachici assertores emicuêre. *Ex Rocho Pino in Hist. Archiep. Messan. lib. de Provis. Prælat. &c.*

*A.C.* 1354. *S.P.N.* 874.

IOañes V. Cantacuzenus Imperator coactus à Ioanne Andronici filio Imperio se abdicans, solatium mœroris in cucullo quærit & reperit, eximiis exin meritis, ingenii nimirum & virtutis posteritati magis quam ipso imperio com̃endatus monimentis: fuêre autem:

Contra Saracenorum Hæresim pro Christiana Religione Apologię quatuor.
Contra Mahometẽ orationes quatuor.
Contradictiones adversus Prochorum Cydonem.
In eundem liber alius.

Paraphrasis in quinq; libros Ethicorũ Aristotelis, quæ servatur Venetiis in Bibliotheca SS. Ioannis & Pauli. Floruisse autem hoc ipso tempore Constantinopoli, Cluniacensium & Cisterciensium Congregationum nostrarum, Cænobia, & superius diximus, & aliqui auctores Ioañem absolutè BENEDICTINIS, sive ut vocant Monachis Nigris adscribunt. *Videndus VVion. c. 2. l. 4. & c. 23. ejusd.*

Claret Ioannes de Schepey, Roffensis Episcopus, ex Monacho & Priore Roffensi, ea virtutis fama commendatus, ut ipsum Romanus Pontifex Ecclesia illa dignissimum judicans, Episcopum esse jusserit. *Vid. VValsigh. &c.*

*A.C.* 1355. *S.P.N.* 875.

ADmirabili vitæ ſanctitate, & volumine pleno incomparabilis fructus, à Divino dictato Spiritu, orbem demeretur B. Brigida Vidua, Brigidani ſive Brigittini ab ipſa cognominati ordinis feliciſſima Inſtitutrix, quæ etſi Divi Patris noſtri Legibus ſe non obſtrinxerit, multo tamen nomine eidem alias obſtricta fuit, atq; eo inprimis memorando, quò ſuam ipſa Regulam ac Inſtituta noſtris debuit, quæ nimirum eidem Beatus Petrus noſter, Prior Cænobii B. M. V. de Alvaſtra præſcripſit; eoq; nomine, & Brigittam, & univerſam amabilem ejus familiam immortaliter demeruit. Sed & aliis magnis favoribus Brigitta à noſtris adjuta & honorata fuit, & in S. Pauli Romano Cænobio, cum ſe illic totam, ut Magnus ſanctiſſimæ illius atq; Illuſtriſſimæ Societatis Ieſu Patriarcha S. Ignatius, expectoraret, memorabili perfuſa ſolatio & donata gratia, uti ritè ſemper agnovit, & in noſtris coluit, ſic & à noſtris culta, ejusq; ſacra familia, honorata, notata, promota fuit. *Conſt. Cajetan. Rer. Ciſt. div. ſcript. Maurus Marcheſius, &c.*

*A.C.* 1356. *S.P.N.* 876.

HElias de Sanct. Arelio ex Abbate S. Florentii Epiſcopus Vceticenſis, dein S.R.E. Cardinalis, claret; Henricus item Baro de Brandis ex Monacho Einſidlenſi, Epiſcopus Conſtantienſis. De quibus legendi *Cl. Rob. Iacob. Mantius, Chron. Conſt. Bened. Conſt. &c.*

*A.C.* 1357. *S.P.N.* 877.

INter eruditos ſæculi hujus, relati è noſtris, plurium auctoritate: Richardus Ciceſtrius, Weſtmonaſterienſis Aſceta, quem inter Chronographos ſui temporis, facile principatum obtinuiſſe (quæ magna laus noſtrorum tot ſæculis ante ipſum extitit) ex Boſtono Burienſe Pitſius affirmat. Scripſit autem, ſpeculum Hiſtoriæ, libris quatuor; *Chronicon Saxonum libris quinque, aliaque.* Neq; minus, ſingulari eruditione & meritis ſe comendavere Ioannes Petroburgenſis Abbas, & Gualterus Bederichworthus, nec non Galfredus Watertonus S. Edmundi Aſcetæ lectiſſimi, quorum primus *Annales Anglorum*; alter, *Commentarios in Magiſtrum ſententiarum*; *Lecturas ſcholaſtias*; *Moralitates in Pſalterium*; *Collationes Monaſteriales, aliaque.* Galfredus ſimiliter, *in Pſalterium* commentatus &, ut erat Deiparæ amantiſſimus, plura in honorem ipſius, librum ſcilicet, cui titulus *Mariale*, & alterum in ſalutationem angelicam, ſcripſit, ut nihil de Ioanne Maluerneo, Wigornienſi Monacho, aliisq; memoremus, quorum libri typis prodiêre, dolendum autem plurimum ſit, tam diverſis bellorum calamitatibus, non tam unius gentis; quã orbis univerſi irreparabili detrimento, victores quoſcunque, qui monimentis quibuſcunque ejuſmodi non pepercerint, præter infamem victoriam, ſuam & barbariem & ſcelus, univerſæ poſteritati, cũ odio ſui nominis æterno, indelebili infamiæ nota tranſmiſiſſe. *Vid. Pitſius, Harpsfeld. Mathevv. &c.*

*A.C.* 1358. *S.P.N.* 878.

CLaret, ſumma cum Regni admiratione illuſtrioribus è pullo cuculli colore, quam ex auro & purpura Beatus Vlpho Princeps Nericiæ, S. Brigittæ maritus, qui pietatis exemplis cum ipſa in conjugio religioſiſſimè contendens, Sueciæ & Regnorum Septentrionis utroq; in ſtatu miraculum fuit, cum in Monaſterio Alvaſtrenſi inter Chriſti ſervos, eſſe ultimus majori contenderet generoſitate, quam, qui ambitioſiſſimè inſidiantur honoribus, pro Regno & Principatu indipiſcendo, laborant, & in honorum evadere verticem enituntur. *Ex Vita, Chryſ. Henriq. &c.*

Magno vitæ exemplo Colonienſibus prælucet, & Wilhelmum de Genneppe Colon. Electorem & Archiepiſcopum demeretur, Ioannis Veteris-Montis Monachus, ob vitæ doctrinæq; famam Cænobio extractus, & electus Scopienſis in Inſulis Orcadum Scotiæ Epiſcopus, prædicti Archipræſulis Vicarius & Comiſſarius Generalis, quo in munere, inſignem illi Eccleſiæ navavit operam, & honorẽ Monaſticũ plurimũ comendavit. *Ex Monim. Colon. Epiſc. noſt. libro de Proviſ. Prælat. &c.*

*A.C.* 1359. *S.P.N.* 879.

EXtinguitur hoc año illuſtre ſacræ noſtræ Ciſtercienſis familiæ decus, Beatæ memoriæ Ioannes de Chaumenaio, Abbas & Generalis meritiſſimus, etſi afflictiſſimus, cum graviſſimis jam tunc ſacer ordo & Monaſteria, calamitatibus, & inhiantium Comendatariorum, Sacrilega libidine vexarentur, quibus pro virili ſeſe, vir ſanctus oppoſuit, & ipſo conatu ſuo præclare meruit, etſi apud impios parum prævaleret. Cujus generoſos auſus, & rita, dum in mortali etiamnũ ageret corpore, inſignibus miraculis comprobavit,

ſurdis ad verba tanti viri, ut & cæcis ad opera atque miracula, iis nihilominus in obſtinatione perdurantibus, quibus jam decretum eſt, quod invasêre ſemel Christi patrimonium, uſurpare deinceps, & *ſecurè*, ut religioſiſsimè loquitur Sauſſeius, *iram Dei præſtolari. Seguinus, Claud. Rob. Chryſ. Henriq. Barn. de Mont. &c.*

Inter ſcriptores noſtros celebrantur: Ioannes Scheppeius, Roſſenſis Cænobii Monachus, & Prior, ejusdem dein urbis pro meritis Epiſcopus, & Ioannes Wiltonus cognomento Iunior, Weſtmonaſterienſis Aſceta, in Philoſophia ſubtilis & ſolidus, rerum ſublimium & cæleſtium contemplationi mirificè deditus, cujus ſcripta, inquit Pitſius, pietatem redolent, & animum à terrenarum rerum contagione penitus alienum demonſtrant. *Eduard. Mathevv & Pitſ. cit.*

*A.C.* 1360. *S.P.N.* 880.

INgens in Eccleſia fructus ex refloreſcentibus noſtri ordinis Congregationibus, Camaldulenſi & Vallumbroſana, ſed multo magis ex recentibus, & primo fervore flamantibus, Olivetana, & Grandimontenſi, ut ſi quis de militarium inſuper, ex ordine noſtro Congregationum meminiſſe velit, immenſum metiri aggrediatur. Legendi eorumdem ordinum ſcriptores.

Multus virorum illuſtrium S. R. Eccl. Cardinalium & Epiſcoporum numerus, quem ſtudioſè negligimus. *Vid. VVion. Cl. Rob. Ioan. Chanu. &c.*

*A.C.* 1361. *S.P.N.* 881.

ANdroinus de Roca S. Theol. Magiſter Monachus & Abbas Cluniacenſis, ex Abbate S.R.E. Cardinal. Tit. Sanct. Marcelli, clariſsimus, pluribus pro Eccleſia Legationibus meritiſsimus effulget, in componenda pace (& quantum id bonum, ſine quo nullum eſt bonum?) feliciſsimus. *VVion. Bern. Con. Ciacon. Ban. &c.*

Celebrantur etiam Simon Elienſis, Henricus Baderbornenſis, Hugo Lemovicenſis, Guilielmus Carnotenſis &c. Epiſcopi ex ordine noſtro viri clariſsimi.

*A. C.* 1362. *S.P.N.* 882.

MIranda non ſolum, ſed prodigioſa hoc anno electio B. Vrbani hoc nomine Quinti Rom. Pontificis. Is Innocentio mortuo, Caſini forte agens ſuma loci Religione ac ſanctimonia captus, cũ ex una parte, retroacti temporis opes, & magnificentiam: ex altera, præſentis ſtatus anguſtias, & quandam veluti ſervitutis imaginem, ſecum reputaret, inter preces ac lachrymas, ad Sanctiſſ. Patriarchæ ſepulchrum, voto ſe aſtrinxit: ſi quidem deſtinatione Numinis, Vicariæ Petri vices, aliquando ſibi in Chriſtiana Rep. obveniſſent (erat autem tunc Cluniaci Monachus S. Victoris Maſsiliæ Abbas) ſedulo curaturum, ut Caſinas domus nimium depreſſa (Epiſcopi tum aliqui præerant) & penè humi jacens, ſublevaretur, & nominatim rerum ac Cænobii adminiſtratio (Epiſcopi munere, ac nomine ſublatis) ex vetere inſtituto penes Abbatem reſideret; hoc enim numerabat, ait Scipio Caſinas, inter præcipua adjumenta, quibus poſſet Monachorum exiſtimatio, ac res familiaris, facilius commodiusque reparari. Mirum & verè admirandum, delati ſupremi honoris diem eundem fuiſſe (quamvis Cardinalis non eſſet) quo Caſini votum nuncupaverat, ex legatis cognovit, qui ex Italia in Patriam redeunti, litteras, & fauſtæ gratulationis nuncios, ab ſacro ſenatu, in Galliis commorante, ad Vrbem Mediolanum obviam facti, detulerunt. Inito poſtea Magiſtratu, confeſtim ſummo ſtudio perficere, & exequi curavit, quæ antea Sanctiſſ. parente BENEDICTO promiſerat; familia Caſinas in tutelam ac patrocinium recepta: Cænobii regimen, perſpectæ fidei ac ſolertiæ procuratoribus demandatum: Abbatis appellatio ac dignitas ſibi uni vindicatæ (ecce Romanum rurſus Pontificem eumdemque Caſſinenſem Abbatem) idque per annos quatuor & menſes aliquot. *Vid. Ciacon. M. Ant. Scipio, &c.*

*A.C.* 1363. *S.P.N.* 883.

VT nullam non uſpiam novam ſeu noviter inſtitutam ſive etiam reformatã novo fervore familiam, noſtri quamprimum tanquam à Numine peculiariter ſibi commendatam, non amplecti, venerari, & modo quocunque ſibi poſsibili demereri ſtuduerunt, ita & lectiſsimum *Servorum B.M.V.* Ordinem, vel pro ipſa tanti nominis dignitate & amabilitate, ſumma devotione & reverentia complexi, in ipſo & omnibus eius membris, membra & viſcera Dominæ ſuæ venerati ſunt. Inde plurimi Abbates noſtri & Pontifices, illis non tam conſilio ſolo, quam manu & toto animo adfuêre. E quibus Androinus noſter à Rupe Maria-

Marianæ familiæ Cluniacensis Archiabbas & Generalis, dein S.R.E. Cardinalis, Protector *Servorum* prædicti ordinis electus, Dominæ suæ & Domesticorum ejus adeo singularium servus humillimus, creditorum sibi rationes diligentissimè promovit, aliaque inter merita, candidissimę Matris virginis sobolem, purpura sacra convestiens, in ipsomet, ut vocant, Titulo Cardinalatus sui, *Servorum B.M.V.* Collegium fundavit, & præfecturam instituit; Sed & in habitu servorum eorumdem, & ipsis consepeliri voluit, etsi nihilominus postea Cluniacensib9 suis à morte redditus, & inter proximos Reginæ Cælorum Palatinos, Sanctos Hugonem, Odonem Majolum & Odilonem reconditus. *Ex communicatis PP. Servorum, Cluniac. monim. Cajetano, &c.*

Meretur sub hoc idem tempus, non minus de cælo, quam terris, de ordine inprimis, & quorum plurimum intererat, & interesset, nisi amicorum Dei hostes esse mallent, quam cultores, de diversis Regnis, Ioannes de Thinmouth noster, S. Albani Monachus; qui ut concivium suorum exemplis totas provincias excitaret atque accenderet, vitas, res gestas, & miracula Sanctorum Anglię, Wallię, Scotiæ, & Hiberniæ, ingenti volumine complexus est, quod Sanctilogium Servorum Dei appellavit; in cujus, & aliorum operum ejus laudem, multa Pitsius commemorat. Scripsit autem teste Bostono Buriensi, præter jam dictum volumen:

- Sanctilogium minus, Supplementum Prioris, librum unum.
- In Genesim, lib.1.
- In Exodum, lib.1.
- In Leviticum, lib.1.
- In Numeros, lib.1.
- In Deuteronomium, lib.1.
- In Iosue, lib.1.
- In Iudices, lib.1.
- In Reges, lib. 4.
- In Apocalypsim, lib.1.
- Lectionarium Ecclesiæ, lib.1.
- Historiam Auream, lib.3.
- Supplementum ejusdem Historiæ, lib.1.
- Appendices Martyrologii, lib.1.

Vir, ut ait Pitsius, omni genere virtutum ornatus, & multiplici melioris eruditionis supellectile instructissimus, sacris scripturis, legendis, meditandis, explicandis impensè deditus, &c. *Videatur Eduardus Maihevv & citati.* Quo ipso tempore floruit Anonymus quidam, sed merito suo satis cognitus Regno, Monachus Malmesburiensis, qui Magnum op9 Historicum libris quinq; contexuit, quod appellavit: Eulogium Historiarum. *Videantur Capgravius, Maihevv. &c.*

*A.C.* 1364. *S.P.N.* 884.

QVantum Pontifices Roman. & Imperatores, in uno Lamberto nostro Gengenbacensi Abbate repositum haberent, abundè per hæc tempora testati, dignissimis eundem functionibus adhibuēre, sed & Cathedrales præcipuæ per Germaniam Ecclesiæ, cucullum Monachi pia propensione & fiducia vellicantes, eundem sibi præesse exambientes, eundem primo Brixiensem, mox Spirensem, dein Argentinensem, denique Bambergensem Episcopatum administrare coëgerunt. Vt planè hominis, hoc præsertim tempore, miraculum admiremur. *Vid. dict. Episcop. Chroni. &c.*

*A.C.* 1365. *S.P.N.* 885.

MEritis prægnantissimus annus, quæ tamen omnia nostrorum, unus nimio splendore obfuscat B. Vrban9 noster summus Pontifex ut nec meminisse quidem aliorum seu velimus, sive possimus, Princeps, & revera maximum est: hoc anno Vrbanum nostrum Pontificiæ Majestatis præsentiam Romæ reddidisse, & ab exilio redeuntem Romanam denique sedem, eousque per Legatos, & sæpe Tyrannos occupatam, summa omnium gratulatione applausuque recepisse; Vaticanum palatium reparasse, hortis & viridariis exornasse, & digno planè consilio, iis excolendis, pauperes Christi adhibuisse, quorum octingentos, & mille aliquando, alere consueverat. Carolus IV. Imp. intellecta Vrbani Romam profectione, eo & ipse, cum uxore & liberis, honoraturus Pontificem, & reditum gratulaturus advolavit, ac stratoris officio Pontifici Romæ exhibito, eidem & in sacris Diaconus ministravit, & Evangelium decantavit. Neq; ea solum, Occidentis Augusti submissione, felix fuit Vrbanus, sed & Orientis Imperator Ioannes Paleologus, non eidem solum se submisit, verum & ipse Romam, venerationis gratia venit, publiceque Catholicam fidem, quam Romana Ecclesia docet, & Spiritum sanctum à Patre filioque procedere, Romanumque Pontificem summum Gregis Dominici pastorē, caput & Magistrum professus est.

A. C.

*A.C.1366.* *S.P.N.886.*

INter ſcriptores ſæculi hujus illuſtriſſimos, ſydus fulgentiſſimum eluceſcit Petrus Berthorij, Monachus & Prior Sanct. Eligij Pariſienſis, vir, ut Trithemius aſſerit, in Divinis ſcripturis ſtudioſiſsimus & valdè eruditus, atque in ſæcularibus litteris egregiè doctus, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenii, Philoſophus, Hiſtoriologus, & Coſmographus inſignis: ſcripſit inter alia magnũ & egregium opus tribus voluminibus diſtinctum, Dictionarium Prædicatorum appellatum.

Repertorium Morale, lib.3.
Reductorium quoq; Morale, lib. 4.
Inductorium Morale, lib.
Breviarium Hiſtoriarũ Biblic. lib.1.
Coſmographiæ, lib.1.
Sermonum variorum, lib.1.

*A.C.1367.* *S.P.N.887.*

LEgatione dignitsima, ſummarum auctoritate fungitur Anglicus noſter, ex S.Rufi Monacho, S. R. E. Cardinalis, de *de qua conſulend. Henriquez. l.1. d.18.*

Moritur miraculum illud viri Contemplativi Beatus Ero noſter Abbas Armentariæ in Hiſpania, cum aliquamdiu Cænobio ſuo & Hiſpaniæ, velut redivivus redditus mirificè illuxiſſet, ab illo ut diuturno admodum & ſtupendo, ſic breviſsimo ſibi ducentorum annorum Contemplationis ſomno ( tanto ſiquidem tempore expers cibi potuſque ſomnum dilectorum Domini guſtaverat) ad labores, & tertium jam Monaſterij à ſe olim gubernati ſæculũ regreſſus, vir per omnia prodigioſus, cujus in exhortando, poſt id otij, gratiam & virtutem, atque ab his & vitæ exemplo fructum, ipſe omineris. *Ex monim. Arment. Bern. Montalbo Malach. Hortenſi, &c.*

*A.C.1368.* *S.P.N.888.*

SPectatiſsimus toto orbe fama ſæculi hujus, & gloria, exſplendeſcit Simon de Laugham, ex Monacho & Abbate Weſtmonaſterienſe, Regni Angliæ theſaurus, mox Elienſis Epiſcopus, exin Archiepiſcopus Cantuarienſis Cancellarius Regni & primas; S.R.E. deniquè Cardinalis presbyter Tituli S. Sixti, exin præneſtinus Epiſcopus, & S.R.E. Legatus, ut obſtupeſcat totus, qui unius hominis, tot ac tanta merita audiat, videatque tam diverſis negotiis viri unius ingenium, atque induſtriam ſuffeciſſe. Fuit idem ex meritiſsimis ordinis Carthuſiani fautoribus, qui Cænobium S. Mariæ de bono condidit, in eodem denique ſepultus, ut videas, quam proprium noſtris ſemper fuerit, alios quoſcunque ordines fovendi & promovendi. *Ciacon. Thom. VValſingh. &c.*

*A.C.1369.* *S.P.N.889.*

ALiud ordinis noſtri ex congregatione Ciſtert. affulget lumen, Adamus Abbas Regiiloci, in celeberrima Oxonienſi Academia SS. Theologiæ Profeſſor nominatiſsimus. Vir aſsiduus in librorum lectione, inexhauſto labore, indefeſſa diligentia, inſatiabili ſcientiæ deſiderio, qui noctes dieſque jugiter ſtudendo ad multiplicem diverſarum rerum cognitionem, feliciter pervenit. Ejus inter alia, præcipuè ſequentia opera commendantur.

De cavendo ab Hæreſi ad Simonem Epiſcopum, lib.1.
Ad Scotos Dialogus rationis & animæ, lib.1.
Pro ordine Monaſtico, lib.1.
Defenſorium exemptorum, lib.1.
Epiſtolarum ad diverſos, lib.1.

*Videatur Chryſoſtomus Henriquez. faſc. SS. lib.2. diſt.26. &c. pl.*

B. Vrbani noſtri ſummi Pontificis, innumera in orbem Chriſtianum, & Eccleſiam beneficia, pauciſsima commemoramus: Illuſtriſsimum planè iſtud, quo ambitioni nequiſsimæ frenum impoſuit, dum ſerio edixit: ne quis plura uno, certè pro dignitate virtutis & ſcientiæ, pauca beneficia Eccleſiaſtica poſſideret. Quemque in propria Eccleſia reſidere coegit: circa cultum corporis externum, & veſtium honeſtatem, multam curam, ac ſtudium impendit, ut ad antiquum morem (digniſsima ſanè tanto Pontifice ſollicitudo) omnia revocaret, habitumque, & veſtium priſtinum uſum induceret, nimiã licentiam edictis ac legibus caſtigandam, & comprimendam judicavit. Nec minus, quo Italiam univerſam, maximè Boniam æterno ſibi debito obligavit; quando nimirum Bononienſem celeberrimam toto orbe Academiam longis bellorum turbinibus ſtratam erexit, & antiquam illi novis conceſſis privilegiis reſtituit dignitatem.

Haud

Haud impari beneficio de Galliis meritus, & Academia Parisiensi, præcipiens eandem optimis legibus instaurari: *Vid. Petrarcha, Ciaconius, Panvin.&c.*

*A.C.* 1370. *S.P.N.* 890.

VRbanus quintus, sive minus comodè Romæ haberet, sive ut alia in Gallia transigeret, Avenionem profectus tertio post mense morbo invalscente feliciter emoritur. Statuit, ut corpus more pauperum sepeliretur, incineratum vero, ad suum D. Victoris Monasterium, ubi quondam fuerat Abbas transferretur. Ita Pontifices nostri plurimi, ad Cænobia sua referri, plurimi ibidem mortem expectare voluêre. Felicissimus hic Pontifex Vrbanus, nova & æterna felicitate urbem atque orbem beavit, dum indicto jejunio & processionibus, abscondita pluribus jam sæculis Apostolorum Petri & Pauli capita reperit, fidelibus, eo loco quo hodie cernuntur veneranda reposuit, & intermissum tanto tempore cultum eorumdem summo Romæ splendore revocavit. Idem, æterna fidelium consolatione & benedictione, sacratæ ceræ & S. Chrismate tinctæ, quā ab imagine Agnū Dei appellant, usum multis item sæculis intermissum, & oblivinione incognitum, restituit, sed & Ioanni Imperatori eundem commendans sacratam ceram constantinopolim usque transmisit, qui sacro muneri solemni pompa triumphantis more occurrens, idem inter festos populi applausus, in urbem intulit. Idem ordinem virorum ac virginum B. Brigittæ, ordinem item S. Hieronymi in Hispania, ordinem Iesuatorum, sed & Montis Oliveti confirmavit, & innumeris clarus meritis cum insigni sanctitatis opinione decessit. *Vid. Ciacon. Panvin. VVion. Frusius, &c.*

*A.C.* 1371. *S.P.N.* 891.

MEmorabili, & fructuoso inprimis pœnitentiæ exemplo, ambitiosi ad honorem Pontificium aditus à se ipso damnati, Orbi & Poloniæ præfert Iaroslaus cognomento Scotnicius, gente Bogorius, Gnesnensis Archiepiscopus, à se ipso ultro ob id ipsum exauctoratus, qui sacræ familiæ nostræ Cisterciensi in Landensi Cænobio se adjungens, cum illic biennium laudabiliter exegisset, tantum in schola humilitatis tantillo tempore profecit, ut non in vita solum pœnitere satis habuerit, sed & à morte cadaver suū, non per Ecclesiæ portas, sed pertuso pariete ad sepulturam deferri jusserit, quasi qui non tanquam pastor, sed ut fur & latro, eamdem olim intrasset exemplo hoc, non tam ad sui solum ævi homines valente, sed merito omnium sæculorum ætatem percellente, nisi qui nundinari hodie honores Ecclesiasticos, exambire, extorquere solent, in omni Simonitarum scelere, nullum depræhenderent, ipso ut aspectu & concupiscentia excœcati, sic insensiles tactu atque adustione.

*A.C.* 1372. *S.P.N.* 892.

VT nunquam non maximorum æmulos Doctorum Ordo noster habuit, sic obscurissimo hoc sæculo, quo tot hæresum vespertiliones, in publicum prorupêre, magnum sane virum atque illustrissimum protulit, non minus virtute conspicuum quam eruditioue, Ioannem à Tinmouth, S. Albani Monachum, qui cum impii sacrum pervertere textum & pro libidine suoque interpretari ingenio non reverentur, ipse sanctissimis atque eruditissimis Commentariis illustravit. Scripsit autem:

*In Genesim, lib.* 1.
*In Leviticum, lib.* 1.
*In Deutoronomium, lib.* 1.
*In Iudices, lib.* 1.
*In Apocalypsim, lib.* 1.
*In Exodum, lib.* 1.
*In Numeros, lib.* 1.
*In Iosue, lib.* 1.
*In Reges, lib.* 1.
*Historia Aurea, lib.* 1.

Sed & vitas, res gestas & miracula sanctorum Angliæ, Walliæ, Scotiæ & Hiberniæ ingenti volumine complexus, omni posteritate immortaliter meruit. *De quo Bostonus, Pitsius, Maihev. &c.*

*A.C.* 1373. *S.P.N.* 893.

INter viros ordinis illustrissimos, claret hoc anno, & pro meritis eligitur ex Abbate Fiscanensi Præses Curiæ Iuvaminū Parisiis Ioannes de Grangia; idem Episcopus Ambianensis, dein Cardinalis Tit. S. Marcelli, postea Episcopus Tusculanus. Vnde facile animadvertas, quid de tanto viro sentiendū, quem ipsi homines maximi ita exambierunt. *Vid. Andreas Quercetanus, Paulus AEmilius, Ciacon. Clem. Robertus &c.*

Moritur

Moritur eodem año Petrus de Stamno d'Estain, ex Monacho S. Flori Episcopus Floriensis, postea S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Bituricensis, de ordine Prædicatorum meritus, quibus Conventum seu Cænobium exstruxit. Idem S. R. E. Camerarius, dein Card. Episcopus Ostiensis, & Veliternus, idem Italiæ Legatus, & à Gregorio XI. post Vrbanum ea in dignitate confirmatus. *Vid. Ciacon. Onuphr. &c.*

*A.C.* 1374. *S.P.N.* 894.

INter Illustriores hujus sæculi viros eximiè rutilat atque exsplendescit, eruditissimus ille ut Religiosissimus Montis Veteris Abbas Arnoldus, qui, memorabili sanè elogio à Manriquezio celebratus; dicitur ab universis Germaniæ Academiis Nominales relegasse, idem strenuus libertatis Ecclesiasticæ propugnator, insigni scripto contra commendas & commendatarios volumine, eoque Pontificis maximi Sixti IV. nomini inscripto, cujus hoc est initium: *Commenda est vipera, sanctæ Matris Ecclesiæ viscera rumpens.* Vt ex principio, de reliquo opere omineris. *Annal. Cist. Manriq. &c.*

*A.C.* 1375. *S.P.N.* 895.

OMnium oculi in Simone nostro de Langham, ex Archiepiscopo Cantuariensi ad S. R. E. Cardinalatum, Prænestinumque Episcopatum provecto: cujus de Ecclesia dei supra laudem & famam omnem merita fuere, pro quibus & Archiepiscopatu à Rege privatus est, & conviciis Hæreticorum sceleratissimè proscissus. Is enim primus, qui Vviclevi nequissimi ex Clerico Apostatæ, conatibus contra Monachos, dein Ecclesiam universam occurrit, & honore piani Collegij nequiter exambito deturbavit, *ex ungue* quod ajunt *leonem, & ex cauda draconem cognoscens,* (verba doctissimi Reynerii ponimus) *jam tum illius ferox ingenium prævidit, & ne diutius majori damno venena sua occultando noceret potentius, detexit ut caveretur.* Quam ejus providentiam, si reliqui Episcopi diligentius fuissent æmulati, nec impedivisset Ioannis Lancastrii sequaciumque illius in Clerum invidia, certè Wiclevira anguina soboles, in ipso quod ajunt ovo fuisset extincta. Ita Reinerus.

*A.C.* 1376. *S.P.N.* 896.

IMmortali nominis, & meriti commendatione, cum jam Principum potentia fretus, nefarius Hæresiarcha Wicleff, cœpisset palam contra Religionis Catholicæ sanctissima secreta facere, validissimos è nostris Monachis sensit antagonistas; E primis, an primus omnino, fuit Guilelmus Bingham, Nordovicensis Monachus, de quo ista Pitsius habet apud Reynerum. Vir pius, inqnit ingeniosus, & doctus, zelo etiam Divinæ gloriæ plenus. Hunc in eo sanè felicem merito pronunciârim, quod inter primos inventus, si nō omnium primus (ut Lelandi verbis utar) antiquorum rituum observansissimus, Vvicleffo, novarum rerū cupido, se constanter opposuit. Nam saltem inter primos erat, qui deprehendit, & aliis detexit (post Simonē de Langham, de quo superius) pestilentē hominis doctrinam, ejusque perfidas machinationes scripto doctissimo libro refutavit. Oxonii contigerunt ista: nam illic uterque simul studebat. Illic Binghamus perspicaci oculo, vidit lupum venientem, & non fugit ut mercenarius, sed ut bonus pastor strenuè restitit, & ab insidiatoris rabie, Christi gregem, quantum potuit, defendit. Erat vir alioquin modesto, quieto, & tranquillo animo, constanti tamen, & veritatis amantissimo: Scripsit igitur opus, omni sanè eruditione refectum, contra positiones Wicleffi. Hæc Pitsius.

Ipso anno moritur Simon de Langham, ex Archiepisc. Cantuariensi S.R.E. Cardinalis, à Pontifice Gregorio mirificè amatus & honoratus. De ejus diversis in diversos beneficiis, de fundata etiam Carthusia Avenionensi (ita perpetuo ferè nostri, in PP. S. Dominici, S. Francisci, S. Brunonis aliosque liberales, opes suas, insigni planè merito profudêre) aliisque pręclarè gestis; legendi scriptores Rerum Angl. & Clemens Reynerus in Apostol. Bened. Sect. 2. f. 219. & 220. &c.

Illustris idem añus, Martyrio nostrorum, Cong. Cistert. in Cænobio Setichenbeckensi, Abbatis & Monachorum, de quibus legendus *Chrysost. Henriq. l. 2. dist. 39. & Bzovius,* hoc anno.

*A.C.* 1377. *S.P.N.* 897.

ITerum alius Christi Athleta, fortissimus Ecclesiæ propugnator, producendus Vtredus Boldon, ordinis nostri in Cænobio Dunelmensi Monachus. De quo etiam Pitsium audiamus, Vtredus Boltonus in Anglia Transabrina, ut Lelandus loquitur, natus ordinis S. BENEDICTI,

DICTI, Monachus Dunelmensis, vir cujus tum doctrina, tum pietas, suo tempore multum illuxit. Alacritate ingenii, promptus ad studia, affabilitatis gratia, jucundus ad colloquia, suavitate morum aptus ad conciliandam amicitiam, denique felici naturali indole, præclarisq; animi dotibus, dexter ad omnia. Ab omnibus fratribus unice dilectus, Abbati etiã, propter magnam quam de illo conceperat spem, mirè charus; concurrente igitur, cum Monachorum amore Abbatis favore, cōmuni consilio, & unanimi consensu missus est Oxonium ad studia. Vbi labore, industria & ingenii felicitate, ad eam doctrinæ perfectionem tandem pervenit, ut cum eruditissimis sui temporis viris, non imerito conferri potuerit. Infelicia etiam, in quæ incidit tempora, felici hominis ingenio, per occupationes pessimas, exercitium dederunt, & incrementum. Nam divina, ut interpretor, providentia, tum florere, & inter viros doctos eminere cœpit, cum Ioannes Wicleffus pestilens errorum suorum Venenum, & in scholis inter doctos spargere, & in suggestu in concionibus imperitæ multitudini nequiter propinare, & impudenter obtrudere satagebat. Cui se strenuè, constanter, magnanimiter opposuit Vtredus, & de eo tanquam de hoste publico superato, non semel triumphavit. Ita Pitsius: eademque suo rabioso calamo (utcunque rem dissimulans) fatetur Balæus. Sic integra fama, & ob errorum impugnatione celebris, sub finē Regni Eduardi III. (quem alii quartum appellant, & hoc anno mortuum affirmant) in legatione honoratissima Romã missus fuit ad Gregorium XI. ibique perbenignè susceptus, in pretio habitus, injunctum sibi munus strenue peregisse scribitur.

Moritur eodem anno Petrus de Stagno ex Monacho S. Flori dein Episcopo ibidem, Archiepiscopus Bituricensis, denique S.R.E. Cardinalis, de quo uti sexcentis aliis, utinam per compendium plura licuisset. *Vid. Clem. Robert. & ab eodem citati, &c.*

*A.C.* 1378. *S.P.N.* 898.

OLivetana sacra nostra familia, ubertate pinguescens oleæ, dum, cum annis, aliorum deflorescunt studia, sacrũ vitæ rigorem ipsa adauget, & mirè proficit, aññuente piorum votis Romano Pontifice, & concedente, ut qui apti essent, & ad solidariam eremi pugnam, fraterna ex acie instructi aspirarent, sublime illud vitæ genus aggrederentur. Ita rursum germinans germinavit, nostrorum opera, solitudo; decor Carmeli datus est ei, & Saron. neque Ioannes, & Ioannis æmuli Petri Damiani, tanto post defuere. *Sec. Lancell. &c.*

Moritur hoc eodem anno alter ille ordinis Brigittini Fundator, legum scriptor, & Magnæ Brigittę Institutor atque animi post Deum præcipuus arbiter B. Petrus noster, Prior Cænobii Alvastrensis, qui & Revelationes ejusdem Divæ Brigittæ, jussu Numinis conscripsit, & orbi ac futuris sæculis memorabili ut merito, sic fructu cōmendavit. Sed & officium Ecclesiasticum pro eodem ordine composuit; quod Pontificia postea auctoritas confirmavit. Vt de tanto rursum viro, ejusq; tantis meritis, sed & amicissima Divę Brigittæ ipsiusmet atque ejusdem clientum relatione merito sibi ordo universus gratuletur. *Ex vita ejusdem Henriq. Vaston. &c.*

*A.C.* 1379. *S.P.N.* 899.

BOno publico, magnis rursum ingenii monimentis, ex ordine nostro præpræclarè consulunt Stephanus Brikingtonus, Wilhelmus Tornęus, Castortonus Norvicensis, quorum hic plures in Sacram Paginam Cōmentarios, illi diversa, at summa digna cōmendatione scripserunt, quo ipso tempore celeberrimus ille totique orbi notissimus scriptor Matthæus noster Westmonasteriensis floruit, à floribus Historiarum, quos acuratè collegit. Florilegus, & Florilogus appellatus. tus. Ejus laudes diversi celebrant. *Vid. Matth. Parckerus, Harpsfeld. Maihev. Pitsius, &c.*

Claret egregia vitæ sanctitate Beatus Benedictus Sanct. Brigittæ filius, ex Principe Nericiæ humilis Alvastræ Monachus, qui quantus esset, vel pro meritis tantæ Matris facilè æstimare est, neque minus pro meritis quem sibi adlegit Patris, cujus & nomine meruit insigniri, cui & illud quod Patri convenerit, *gratia Benedictus & nomine*; resplendentibus in uno hoc filio diversis splendoribus sanctorum, Brigidæ ac Benedicti. *Ex vita, Annal. Cist. Menol. nostr.*

*A.C.* 1380. *S.P.N.* 400.

EGregiè & constanter Ecclesiam Dei propugnat, contra impiissimos Wicleffistas, Vtredi, de quo superius, in Oxoniensi quondam Academia condiscipulus, Simon Sonthrarius, Albanensis Monachus. De quo Pitsius loco citato: Erat sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Hunc pietas, doctrina, Divinæque gloriæ zelus celebrem in Anglia reddiderunt. Cum per id tempus Wicleffus errores suos spargere inciperet, hic omni qua potuit ratione illi obstitit, & communicato consilio cum quodam Dunelmensis Cænobii Monacho, Doctore etiam Oxoniensi, multum laboravit, & publicis disputationibus, & privatis colloquiis, & libris tandem scriptis contra præfatum Wicleffum, ut impiam ejus doctrinam refutaret, & ab Ecclesia Christi periculum Hæresis propulsaret. Ita Pitsius.

*A.C.* 1381. *S.P.N.* 401.

ITerum orbi spectaculum ingens, factus olim ex Duce, Divionensis in Burgundia nostri ordinis Monachus, Vladislaus, petentibus Regni Polonici proceribus, dispensante, (velut nostri jure loquuntur) sive legibus eum solvente Pontifice Romano, ad sceptrum & diadema Poloniæ è Cænobio evocatur. Verum in itinere morbo correptus, quod sciret, quam expediret in cucullo ac Cænobio mori, quã in purpura & Regno, quamprimum ad suum S. Benigni Monasterium reportari voluit, in quo & sepultus est cum hoc Epitaphio:

Hic jacet vir illustris & devotus Dominus Boladeslaus quondam Dux Albus Poloniæ, Monachus hujus Monasterij per plures annos existens: postmodum dispensatꝰ per Papam, pro successione Regni Poloniæ, obiit in Civitate Argentina, hic eligens sepeliri. Anno Domini 1381. Anima ejus requiescat in pace.

*Franciscus Belforestius in univers. Cosmograph. & descript. Divionis.* Clemens Robertus.

Claret multa nominis & doctrinæ fama Ioannes Fabri ex Monacho Tornusiano & Abbate Atrebatensi Cancellarius Ludovici Andegavensis Siciliæ Regis Episcopus Carnotensis, sed abrumpere, aliosque præterire oportet. *Clem. Robert. Arnold.*

*A.C.* 1382. *S.P.N.* 902.

IOannis Wellii nostri Remeseyensis sive Ramseyensis Monachi ingens gloria, & meritum de Ecclesia sempiternum. Hujus quo magis liceat gloriam æstimare, convitium inferente Hæretico Apostata Balæo audiamus: Wellius, inquit Balæus, Ramesiensis Cænobii, quod à divitiis nomen accepit, Monachus, nunc inter scriptores nostros, locũ sibi designari poscit non infimum. Exhaustis ille primum ex cõmuni Religionis hoste Aristotele prophanorum dogmatum poculis, Theologistici Doctoratus fastigium Oxonij è Magistrorum manibus suscepit. Vnde ut Cedrus Libani altè superbiens, contempto humili Dei verbo, sublimiter gloriabatur in verbis mendacii, piissimos veritatis assertores ferocibus odiis insectando. Nam & hic quoque tanquam canis rabidus, frivolis argutiis vehementer in Wiclevum latrabat, & quosdam ex sui sectatoribus, iniquo dente lethaliter mordebat. Plura protulit aculeata scripta (ac post Catalogum eorum addit.) Pluraque alia in eos (Wiclevistas) inaniter blaterabat, credens in solo Monachatu Baptistico esse Christianæ perfectionem. Claruit ex primis Wiclevi damnatoribus unus, anno incarnati Messiæ 1382. Hæc impurus iste Balæus: quæ non immerito per antiphrasin intelligenda agnovit D. Pitsius ideoque de eodem Wellio dicit; fuisse Hæreticorum omnium, & præsertim Wiclevi suorum sectatorumq; juratum hostẽ, & unũ ex illis duodecim, qui primi omnium & illum, & illius errores damnaverunt. *Ex Reinero, &c.*

*A.C.* 1383. *S.P.N.* 903.

EGregia spiritus alacritate & zelo innocentiæ ac puritatis sexum atque imbecillitatem muliebrem superans B. Ioanna nostra, Monialis & Abbatissa Sanct. Benedicti de Castro, dum immania militum, in quos inciderat, scelera intueri morte tristius judicat, & magno fervore redarguit, ab impiis pietatis mercedem adepta, immaniter trucidata est, ut triumphis Martyrum sociata. In cujus etiam discipulas, cum nimio furore succensi satellites, pari crudelitate sævire contenderent, & in Cænobium sanctissimæ Martyris impetum facerent, insigni prodigio, cæcitate percusi sunt, & sponsæ CHRISTI mirabiliter præservatæ. *Ex*

*coronâ*

*corona Lucida Henriq. Bernard. Brito, Ang. Manriq.*

*A.C.* 1384. *S.P.N.* 904.

CElebratissimi Wicleffi Antagonistæ in Anglia clarent Ioannes Radinghal, & Henricus VVoodhil, Monachi Cantuarienses, Rectores successivè Collegii Cantuariensis, cujus præfecturam impiissimus VVicleff ambiens, ea defraudatus, virus in Ecclesiam tam pestilens evomuit, de quibus *vid. Patkerus.*

Ipso anno, insigni & extraordinario Numinis, ut apparebit, dono, nascitur perditissimo orbi singulare lumen & columen, B. Francisca nostra, cognomento Romana, ab ipsa infantia jam admiranda, cum à nemine contingi se, nec à parentibus denudari pateretur, uberrimis lachrymis & quib9 poterat signis obnixa, donec tegeretur. *Ex Act. Canonizat &c. Menol. nost. &c.*

*A.C.* 1385. *S.P.N.* 905.

MEllifluus ille Doctor noster Sanct. Bernardus Clarævallensis quondam Abbas, tanto post, etiam à morte, benè mereri de Lusitanis non desinens, implorata ope sua, Regem Ioannem & Regnum servat, memorabilemque ipsi de hostibus victoriam impetrat. Proin gratus tanto liberatori idem Rex, quinto post partum triumphum die, supplex Alcobaziam (Princeps ordinis Cænobium) advolat; ubi, *publicè pro corona Regni sui juravit, sensisse se miram Divini auxilii præsentiam, dum in maximo periculo positus, Divi Patris nostri Bernardi nomen & auxilium imploraret; & juxta tentorium Regis Castellanorum, vidisse baculum erectum in aëre, cum rubro paludamento. &c. Ex monim. Alcobaz. Ang. Manriq.*

*A.C.* 1386. *S.P.N.* 906.

INgens sacrorum Antistitum & Cardinalium Sanct. Rom. Eccles. numerus referendus, quorum singulorum res gestæ singulos annos requirerent: Anglici ante omnes, Sanct. Rom. Eccles. B. Vrbani V. nostri ex fratre nepotis innumera merita numeranda, quæ ut saltem ex honorum prærogativa, ad quos à viris sanctissimis evocatus & coactus est, cognoscas, submetiarisque: præter Avenionensis Præsulatus sedem, quæ tam diu Romanos Pontifices fovit, & altera quasi Roma (juxta illud, ubi Papa ibi Roma) est facta, præterque Cardinalitiam summam in terris post Pontificatum maximum dignitatem, Titulo Eudoxiæ, postea Episcopus Albanus, mox Piceni, Vmbriæ, Hetruriæ, Campaniæ maritimæ legatus, & vicarius Generalis constitutus, diversis legationibus plurima præclarissimè præstitit. *Vid. script. rerum Pontif. &c.*

*A.C.* 1387. *S.P.N.* 907.

PRo libertate Ecclesiastica, quanta valet auctoritate strenuè se opponit Gerardus sacræ nostræ Cisterciensis familiæ meritissimus Generalis, aliaq; inter facta præclarissimum à se scriptum volumen contra commendans, summo Pontifici dedicat.

Claret Guilielmus Gillinghamus Monachus Cantuariensis, vir eruditione & meritis præstans, qui alia inter, Bibliothecam Benedictinam insignem composuit, hoc est, omnium ordinis Benedictini scriptorum & librorum nomina collegit, & magno labore descripsit, illis ipsis pro insigni studio suo jure merito adscribendus, *de quo plura Pitsius.*

Enitet item Edmundus Bromfeldus Buriensis Monachus, vir eximiè doctus, ordinis Benedictini Procurator in urbe Generalis, & Scholarum Palatii Apostolici in SS. Theologia Professor publicus, idem postea Monasterij Silvæ Majoris in diœcesi Burdegalensi Abbas, Episcopus denique Landavensis. *Goduinus, Harpsfeld. Leland. Balæus, Pitsius, &c.*

*A.C.* 1388. *S.P.N.* 908.

EGregia nominis celebritate excellit inter sexcentos alios Petrus Aisceli-ni, sive de Monteacuto, ex Monacho & Priore Sanct. Martini Parisiensis Episcopus Laudunensis, dein Sanct. Rom. Eccl. Cardinalis, cujus inter alia præclara numerandum merito Collegium sui nominis Parisiis ab ipso instauratum, ut mille jam exemplis docearis, quam nostri de re litteraria benè mereri perpetuo studuerint. Opprimit penè calamum fragilem, tot undiq; se ingerentium è nostris Pontificum gloria, ut consulto subtrahamus. *Ciacon. Cl. Rob. Panvin. Iac. Bru. &c.*

*A.C.* 1389. *S.P.N.* 909.

INsigne lumen Angliæ extinguitur Thomas Brintonus noster (alias Brampton)

pton) Monachus Cœnobii Norvicensis, tanta juvenili etiamnum ætate, fama celeber, ut cum ob virtutis, tum eruditionis nomen Romam honorificè à Pontifice vocaretur, coram quo frequentius perorare rogatus, insigniter nomen suum commendavit, Sedis Apostolicæ Pœnitentarius, ac deinceps Roffensis Episcopus designatus. Fuit idem de Richardo II. Rege Angliæ optimè meritus, eique à Confessionibus, cujus singulari vigilantia atque industria multa à Regno, dum viveret, mala aversa sunt, invalescentibus deinceps sectis, etsi nostri strenuè obniterentur, multique deinceps Generositatem suam suo sanguine consignarent. *Godvvin. Maihevv. Balæus, &c.* Ipso anno obiit religiosissimè Wichboldus ex Monacho Monasterii de oliva in Prussia Culmensis Episcopus, vir egregie doctus, & pro justitia multa perpessus, ac demum sede sua pulsus, magno in honore apud Colonienses habitus, quorum curam habuisse, videtur Iongelino, & fuisse Archiepiscopi Electoris Suffraganeus, ibidem insigni Epitaphio & Mausolæo honoratus.

*A.C.* 1390. *S.P.N.* 910.

CONstantissimus R. R. E. propugnator, miles CHRISTI gloriosissimus floret Nicolaus Radeliffus; Ordinis S. BENEDICTI (verba Pitsij ponemus) Monachus ad Sanct. Albanum, & ibidem Archidiaconus. Ioannes Lelandus à piis studiis, & à pietate studiosa admodum laudat, & quidem non immerito. Nam quidquid ingenio, industria, doctrina poterat, id omne ad Dei gloriam, animarum salutem, fidei propagationem, & Hæresum extirpationem totis viribus applicabat. Et quoniam incidit in illa infelicia tempora, quibus Hæresis Wicleffiana cœpit invalescere, nullum non movit lapidem, ut perfidum illud dogma, & impium ejus progressum, perniciosumque Reipub. Christianæ incrementum impediret. Wicleffum igitur in privatis colloquiis, in domesticis exhortationibus, in scholasticis disputationibus, in publicis concionibus, & tandem in libris scriptis, tanquam novarum doctrinarum inventorem, antiquarum desertorem, veritatis oppugnatorem, mendaciorum artificem, & fabricatorem, inimicum crucis Christi, & Ecclesiæ juratum & publicum hostem, semper insectabatur. Scripsit contra eum doctissimos Dialogos de Sanctissima Eucharistia, quod opus inscripsit. Viaticum animæ, &c.

*A.C.* 1391. *S.P.N.* 911.

HIppolytus Mediolanensis, sacræ familiæ nostræ Olivetanæ Generalis, generaliter meretur, & alter sui ordinis restitutor optimis Constitutionibus, sacrum fervorem fovet ac promovet, magno publici bono, cum ad hæc virorum Religiosorum studia, ipsi etiam sæculares accensi, virus jam latius toto orbe serpens sectariorum, suo calore eluderent, & ad majorem Numinis gratiam animi disponerentur. *Ex Annal. Olivetan. Lancell. &c.*

Afflictissimo Galliarum Regno & Regi præsenti adest è cælis Patrocinio, Sanct. Richardus Abbas noster, & sedulo imploratus, rogatusque qui in peregrinos quosque magnis & prodigiosis beneficiis adeo beneficus esset, domestico quoque & Regi quidem, cujus majores tantopere ipsum honoraverant, adesse ne dedignaretur; memorabili beneficio Carolum eo nomine VI. vulgo Benenatum prodigiosè juvit, simulque mentis & corporis sanitatem eidem impertitus, grandia simul impendentia Regno mala avertit, quæ cum Rex ipse, tum effusi in nimiam licentiam populi meruerant. *Ex vita & rer. Gall. div. script.*

*A.C.* 1392. *S.P.N.* 912.

PErinsigne ordinis nostri decus, sed præter meritum indigna passus, toto orbe exsplendescit Adamus Estonius, ex Nordovicensi Monacho Episcopus Londoniensis, ac demum Sanct. Rom. Eccles. Cardinalis: quem verbis describemus Balæi, quamvis impij, tamen quia hostis, teste Reinero, Monachorum acerrimus fuit, in hoc negocio fidem facturi, præsertim quia videtur D. Pitsius ejus verba per paraphrasim reddidisse: hic igitur de eo sic scribit. Adamus Eston Benedictinæ Professionis, Ventæ Iævorum, seu Nordovici Monachus, & Oxoniensis Academiæ Doctor, ex singularibus Dei donis in nostro Catalogo locum petit illustrem, licet hic tenui natus sit parentela, vir tamen facundiæ, & solidæ eruditionis fuit, tum præterea tam exactus Philosophus,

losophus, ut ad omne disciplinarum genus aptissimus videretur. Erat ille præter alias linguas, Hebraicè, Græcè, & Latinè peritus; quod ea ætate pro miraculo haberi poterat. Hanc illi linguarum, ac scientiarum virtutem non educatio, aut natura ipsa, sed insignis quidam labor, & diligentia attulerunt. Vnde Romam vocatus à Gregorio XI. fit Ecclesiæ Presbyter Card. Tit. S. Cæciliæ. Circa annum vero à Christi nativitate 1380. sub Vrbano VI. qui Gregorio successit, incommoda sustinuit multa, & ut Theodericus à Niem libro primo de schismate cap. 57. testatur Genuæ cum aliis captivum Pontifex reliquit. Postea tamen ad petitionem Richardi Anglorum Regis, & Monachorum qui pro eo scripserant, è carcere missus, sed non liberatus, privatam atque pauperem duxit vitam, usque ad Bonifacium IX. qui in statum pristinum ipsum tandem reposuit. Plura Adamus scriptis commendavit, scilicet latina:

De communicatione Idiomatum
De potestate Ecclesiæ
De Electione Pontificis
Defensorium Ecclesiæ
Perfectionem vitæ spiritualis
Modum conferendi beneficia
Formam procedendi contra Hæreticos.
Opus vitæ contra Hæreticos
Dialogum Regis & Episcopi
De diversitate translationum
De veritate Catholica: Græcè.
Meteora Aristotelis, ex Græco

Hebraica vero ejus:

Alphabetum Iudæorum Hebraicè.
Textum Hebraicum Bibliorum
Postillam Hebraicum.
Psalterium Hebraicum.
Expositionem Levitici.
Hebraica Sarraceni
Hebraica Salomonis Iarchi.

Et plura alia habuisse, & scripsisse dicitur: ferturque Totum Vetus Testamentum ab Hebræo in Latinum illis diebus transtulisse. Hæc Balæus, cujus Testimonium credibile nimis est contra se ipsum, & Hæresim suam cum virum tantum collaudet tam insigni præconio, quem non diffitetur sectariorum hostem acerrimum, & Romanæ Ecclesiæ observantissimum fuisse. Paria Godwinus de eodem refert: quæ nisi ejus opera fuisse homines Hæretici certò cognovissent, nunquam certè illi tantum laudis attribuissent, qui passim nostris (utpote quibus in fidei simplicitate satis fuit Hieronymum Hebraicè, quod sufficit Christianis, scivisse) Hebreæ linguæ ignorantiam; passim Monachis otiositatem, & ignaviam (cum aliis nonnullis Hæreticorum odia & mendacia probantibus, & sequentibus) soliti sunt objicere. Et illa sanè maxima laus est, hujus Monachi nostri (primum fortasis post Hieronymi tempora) totius Canonis Hebraici libros de Hebræa in Latinam linguam vertisse. *Reynerus, &c.*

*A. C. 1393. S.P.N. 913.*

DEcedit è vivis Bernardus de Turre ex Monacho & Abbate Tornusiano Lingonensis Episcopus, vir in difficillimis exequendis negotiis dexterrimus, digna & propria perpetuò nostris legatione, ad pacem componendam cum Ioanne IV. Britanniæ Rege, à Carolo VI. Rege Galliarum missus; quem Claudius Robertus in Charta Franciscanis Divionensibus data, ait Ducem & Episcopum appellari. *Vid. Froissardus, Guil. Vrsinus, &c.*

Celebratur sub hæc quoque tempora, inter mille alios Ioannes Monachus Castellensis, cujus insigne opus copus commendatur.

Breviarium Biblior. lib. 1.
Sed & alia commendatione digna.
Super Regulam S.P.N. BENEDICTI lib. 2.
De passione Domini sermones, 42.
Epistolarum ad diversos, lib. 1.
Sermonum de tempore, lib. 2.
Sermonum de sanctis, lib. 1. &c.

Claret item Laurentius Anglus Monachus Sanct. Martini de bello Alaphensis Episcopus, antea Summi Pontificis Avenione Pœnitentiarius, *de quo leg. VValsingh.*

*A. C. 1394. S.P.N. 914.*

HOc anno moritur celebratissimus ille S.R.E. Cardinalis Guilielmus de Chanaco Monachus S. Florentii de Sanimario, de quo ut & plurimis hoc ipso tempore ex ordine nostro in summo honore constitutis, singulis annis, nimis quam multa referenda occurrissent. *Vid. Pont. Hist. script. & rerum Gall.*

*A.C.* 1395. *S.P.N.* 915.

REpetendus Simon Ponthraius noster Sanct. Albani Monachus, Hereticæ pravitatis Wicleffistarum malleus. Cujus hoc ipso tempore, ingentes pro Ecclesia labores extitêre. Scripsit igitur in hac Dei & Ecclesiæ causa librum unum contra eosdem Hæreticos, alium de authoritate Ecclesiæ, & alium de Sacramento Altaris, ut videas, nullo unquam tempore nostros quievisse, quod partim ex dictis, partim deinceps dicendis manifestissimè deprehenditur, Convitium huic docto viro magnum se fecisse putavit excucullatus Balæus, cum de eo sic scribit: in pingui Benedictinorum cucullionum Collegio ad Albani fanum Monachus benè pastus, post subtilia paganorum studia, Theologici nominis Rabbinatum Oxonij inter Magistros acquisivit. Ore rabido sæviebat & hic canis atrox, pro tuenda sua Antichristi superbia adversus Christum pauperem, in Ioannem Wiclevum, Evangelicæ doctrinæ restauratorem fidelissimum perfortiter latrans. Arguebat nimirum ille ex Magistro, ac præceptore primo Aristotele magnæ meretricis etiam inebriatus poculo immaculatam filii Dei legem ad hominum salutem non sufficere, sine superadditis Romani Pharaonis decretis, atq; decretalibus, &c. Manifestum hinc fiat necessum est sapienti, quantis laudibus revera attolli mereatur, quem iste rabidus scurra, tot maledictis appetivit, & proscissum voluit.

*A.C.* 1396. *S.P.N.* 916.

CLaret illustri admodum ut nomine, sic vitæ exemplo, venerabilis Vincentius noster Ferrerius, Sancti Vincentii Ferrerii, Magni Prædicatorum Patrum Iubaris consanguineus, sed & spiritu atque Amicitia propinquus, pro meritis Populeti Abbas electus, sub quo disciplina Monachica plurimum floruit, & nonnulli eximia vitæ sanctitate celebrati sunt. *Ex Annal. Cist. Manriq. &c.*

Claret illustri item exemplo venerabilis Blanca de Harcour Galliarum Regis consanguinea Fontis Everardi meritissima Abbatissa, sub qua mirificè sanctissima illa virginum congregatio floruit, Paradysus revera aureorum Regni Gallici liliorum. *De quibus consulenda lilia nostra Gall. Claud. Robertus, &c.*

*A.C.* 1397. *S.P.N.* 917.

MOritur eximium ordinis nostri decus, Hæreticorum triumphator invictissimus Adamus ex Episcopo Londoniensi S. R. E. Cardinalis, quem superius ab Vrbano VI. pessimè & indignissimè habitum diximus. Eum Bonifacius IX. ob eximiam vitæ innocentiam & admirandam eruditionem, non solum pristino honori restituit, sed & intimius dilexit ac fovit, eundem magno Britanniæ Regi commendans Regni maximum zelatorem, dignissimo sanè titulo, appellavit. Obiit Romæ XIII. Cal. Novemb. Epitaphium Ciaconius descripsit.

Artibus iste Pater famosus in omnibus Adam
Theologus summus Cardiquenalis erat.
Anglia cui Patriam titulum dedit ista beatæ
Cæciliæque suum morsque suprema polum.

Ejus inter alia longè illustrissimũ meritum, & æternum in Ecclesia monimentum, officium visitationis B.M.V. ab ipso compositum, & à Bonifacio PP. confirmatum. *Vid. Reyner. Ciacon.*

*A.C.* 1398. *S.P.N.* 918.

MIraculum purissimæ virginis, mirificè Romam juvenili ætate ornat, S. Francisca Romana, sola retenta obedientia, quo minus virginitatis votum ederet, Deo nimirum ipsam, virginitatis primũ, dehinc purissimi conjugii, viduitatis postea, vitæ demum Religiosæ mirabile prorsus exemplar volente & designante, in qua nihil non admirandum in omni vita extitit. Fuitque hoc ipso jam tempore, sub parentibus non aliter atque ordinem professa Monachicum, speculum Monachorum & Monialium, orationis & contemplationis studio adeo addicta, ut non tam in terris agere, quam in cælestibus habitare videretur. Cui Archangelus, velut ephebus honorarius spectabili forma perpetuo adstitit, cuj9 monitis & nutibus in omnibus regebatur, adeo sacri rigoris per omnia observans, ut nemo strictius, qui inter perfectissimos Ascetas haberetur. Neque dubium est, plurima jam tunc precibus suis orbi atq; urbi impendentia, mala avertisse, edocta cælitus à Numine, ad quantam ipsa gratiam,

& ad

&ad quantum Reip. Christianæ bonum nata esset, cum Ecclesiæ imago, gravis matronæ specie ipsi objiceretur, ab immanibus gygantibus oppugnatæ, pro qua dum ipsa preces funderet, visi illico Tyranni illi dissipari, quibus schismatici designati sunt, admirabili Franciscæ ad ipsũ electione, ut suo videbimus loco, schismate sublato, quo plurimis annis orbis Christianus pessimè agitabatur. *Ex Actis Canoniz. & vita.*

*A.C.* 1399. *S.P.N.* 919.

NImius Episcoporum, Archiepiscoporum, genere, virtute, doctrina illustrium numerus facit, ut nihilminus, quã de recensendis eorumdem peregregiè factis, seu gestis referamus, adeundum unicum Claudium Robertum suademus, & Catalogos Episcoporum solius Galliç evolvendos; unde speramus lectoribus abundè fore satisfactum.

Magnæ cum eruditionis, tum virtutis nomine commendatissimus Richardo II. Anglorum Regi, exsplendescit Tidemannus de Winchome, ejusdem Regis quondam Medicus, Monachus dein atque Abbas Bellilocensis, Landavensis postea & Wigorniensis demum Pontifex, qui omnes honores illos præclare gessit, cathedramque & populum mirè demeruit, inter lectiores hujus ævi Episcopos computandus. Sed & in Hibernia non minus quam Anglia varij ex ordine viri Illustres exsplendescunt, è quibus Ioannes Rapotensis & Petrus Clonensis Episcopi facem aliis prætulerunt, in eo strenuè operã navantes, ut serpentes longè lateque per Britanniam Hæreses, ab illa sanctorum insula averterent, quo quidem ipso, de Regno & Ecclesia plurimum meruere. *Ex rerum Britann. scriptor. Iongelino, libr. de Provis. Prælat. &c.*

*A.C.* 1400. *S.P.N.* 920.

INgenti furore in sacros Deo viros virginesque sæviunt impij per Boëmiam Hæretici; quibus cum se incredibili magnanimitate, & Constantia opponerent, & Ecclesiã Dei pro virili defendendã nostri, congregationis præcipuè Cisterciensis Monachi, susciperent, extrema omnia passi, & integra denique Cænobia Martyrio exhausta sunt, ut proin felicissimo successu, tertium decimum à Christo nato seculum fine gloriosissimo coronarint, & feliciore decimum quartum inchoarint. *Ex script. Boëm. div. Chrysostom. Henriq. &c.*

*A.C.* 1401. *S.P.N.* 921.

NOstris plurimum promoventibus, quod Vrbanus VI. eorumdem instantia jam approbaverat, Bonifacius IX. Solemnitatem & Festum Visitationis B. M.V. confirmat, & per universam Ecclesiam promulgat atque propagat. Cujus officium Ecclesiasticum, paulo ante mortem venerabilis Adamus noster Eastonus S.R.E. Cardinalis, composuerat, insigni rursum nostrorum erga cæli Reginam monimento, quo haud vulgarem, omniũ Clientum Marianorum, sed & cæli ipsius amorem meruere. Sed de Festis, aliisque ad honorandam cæli Imperatricem, Monachorum nostrorum gratiosissimis inventionibus fusius agimus, in Chronologia nostra Benedictino-Mariana, sed & cultoribus Deiparæ Benedictinis, tomo singulari.

*A.C.* 1402. *S.P.N.* 922.

INter plures ex ordine nostro egregios virtute, doctrina, & ab his fama celeberrimos Antistites, excellit hoc tempore Ioannes Canardi ex Monacho S. Dionysij Parisiis, Philippi Burgundionum Ducis, & Artesiæ Comitis Cancellarius, Atrebatensis dein Episcopus, de quo consulendi Nicol. Camuzat. Claud. Robertus, &c. Nec minore nominis celebritate efflorescit Bartholomæus Raimundus ex Monacho & Abbate S. Felicis Bononiensis Episc. De quo Carolus Sigon. & Wionius. Sed & Ioannes Lincolniensis Episcopus, & Pontifices alii plurimi diversis Regnis celebrantur.

*A.C.* 1403. *S.P.N.* 923.

DIversas demerentur provincias plurimi ex ordine nostro Episcopi, & invalescentibus passim Hæresibus strenuè obnituntur; Conradus ex sacra familia nostra Soderensis in Mannia à Bonifacio IX. constitutus Episcopus zelum suum exerit, nec minus Ioannes Derensis in Hibernia ex claro fonte accitus, Robertus Tonata Scopiensis in Orcadum Insulis, Conradus Ochlenius Ebronensis multa eruditione conspicuus, Ottho ex monacho Walckenriedensi Mersburgensis ad Salam Episcopus, natus Comes ab Honstein, aliique plurimi. *Ex lib. de provis. Prælat.*

*A.C.* 1404. *S.P.N.* 924.

SIngulis jam penè annis, sub initia & incrementa maximè Hæresis Hussitæ per Boëmiam nostrorũ certamina, maximè ex Congregatione Cisterciensi referenda, testante Henriquezio, vix collegium aliquod Monachorum fuisse, quod non ab impuris illis, & impiis eversum, & Monachi victimæ Deo ceciderint. Quæ quia ad finem maturamus compendii, lectori in annos distinguenda, ex diversis Rerum Boëmicarum scriptoribus, relinquimus.

*A.C.* 1405. *S.P.N.* 925.

ILlustre sanctioris vitę speculum hoc anno Gallis eripitur, interque sydera collocatur Iacobus, candidissimæ familiæ nostræ Cisterciensis Generalis, multis pro ordine & libertate Ecclesiastica exãtlatis laboribus meritissimus, idem ob eximias virtutes, insignibus elogiis & Titulis à morte honoratus: *Religionis forma, & Devotionis exemplar* appellatꝰ, qui & *Splendidior Sole*, inter Elogia Abbatum & Generalium, illustrissimo sanè encomio celebratur. *Ex monim. Cist. Ang. Manriq. &c.*

*A.C.* 1406. *S.P.N.* 926.

INter illustrissima ordinis nostri sydera, admirando sanè splendore exsplendescit hoc tempore Angelus Corarius eruditione, nec non generis nobilitate, sed eximia super omnia vitæ sanctitate celebratissimꝰ, ac proin tot nominibus omnibus venerandus, summis in Ecclesia honoribus ingenti meritorum commendatione perfunctus; qui hoc ipso anno, multo bonorum plausu ex S.R.E. Cardinale electus Pontifex Maximus, & Gregorii XII. nomine est appellatus. *Const. Cajet. Gaulter. &c.*

*A.C.* 1407. *S.P.N.* 927.

MVndo in præceps rapto, cum sacra passim canibus projicerentur, summa se magnanimitate opponunt nostri, & strenuos pro libertate Ecclesiæ pugiles agunt, sacra inprimis Cisterciensis familia è qua plurimi insignia scribunt eduntque volumina, periculumque imminens Ecclesiæ dissertissimè pronunciant, cum pro legitimis pastoribus, mercenarii sese undique obtruderent, & veris destitutæ pastoribus oves, solutæ in licentiam, in præceps denique raperentur. Qua ipsa occasione Hæreses impunè grassari cœperunt, fictitiis pastoribus commodo suo, non ovium intendentibus, & ut sibi firmarent Hæreditatem Domini, facile Hæresiarchis studiis, & ad ingenium talium Abbatum & Pontificum Monachis & Clero se conformantibus. Quod totum multoties nostri Romanæ Curiæ & Summo orbis Pastori explicare conati, adeo potenter id præstiterunt, ut etiam lachrymas elicerent, prævalente nihilominus malo, ut in violata Ecclesiæ potius jura & sacrilegos incubatores atque usurpatores, tanti originem mali conjicias, quam in illos, qui cum rerum satagere vellent, mille ut vides passi sunt impedimenta. *Ex Annal. Cisterc. Ang. Manriq. Archivis diversi. Monast. & efficacissimis ad idipsum scriptis Epistolis.*

*A.C.* 1408. *S.P.N.* 928.

DVm in oppressione sacrorum ordinum, totus cũ Mundo Inferus connititur & solemne illud impiorum: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, toto passim orbe congeminatur, inter tantas pressuras, sacra illa Deiparæ, familia nostra Olivetana, palmæ juxta oleæ naturam induta, altior altiorque consurgit, suoque flore ac vernantia multos percellit atque attrahit. Conditur eidem hoc anno celebre illud B.M.V. de Spasmo, Panhormi Cænobium, pro quo Raphaël de Vrbino miraculum illud imaginis Deiparę Dolorosæ penicillo designat, quo quidem in opere nescias, inquit Lancellotus, *utrum seipsum ille an fortunam superaverit*, eo quod Raphaëlis manu, etsi miranda multa, nihil tamen hoc *formosius quidquam, nec admirabilius extiterit. Ex Annal. Olivetan. &c.*

Clarent multi præstanti eruditione in ordine viri & in Anglia inprimis contra Wiccleffum strenuè desudant. *Vid. Eduard. Maih.*

*A.C.* 1409. *S.P.N.* 929.

NObilissimus & decantatissimus ab immortalibus meritis B. Ludovicus Barbus, Sanct. Iustinæ Patavinæ Abbas, creatur à sũmo Pontifice, ad quem illico egregia nobilitas, abdicato sæculi fastu, Sanct. Patriarchæ nostri legibus emancipari, felicitatis veræ compendium reputat, exambitque. Vnde celeberrimæ illi congregationi S. Iustinæ de Padua

origo

origo & nomen, à qua, ingens Ecclesiæ universæ ornamentum, gloria ac fructus ordini immensus accessit. De singulari Numinis providentia, signis, eventibusque mirandis hanc reformationem signantibus, præcidentibus, comitantibusque legendus Iacobus Cavacius noster lib. 5. Hist. Cænobij S. Iustinæ. &c.

*A.C.* 1410. *S.P.N.* 930.

CAlatravensem & Alcantarensem illustrissimos Equitum sub Regula nostra ordines, à veteri disciplina malè & periculosè dilapsos, reformat magno merito, Ioannes Abbas Morimundensis, & leges iisdem promulgat. Clarent in firmamento Pontificum, Matthæus de Lura ex Monacho Fontis vivi Diœcesis Parmensis Anconæ Episcopus, Franciscus ex Monacho S. Galgani Lexiensis in Dalmatia, Robertus Lemulfeldius ex Monacho Melsensi Laonensis in Hibernia, aliique præstanti eruditione & vitæ meritis Episcopi, potentia tamen Principum passim prævalente & indignissimos quoque ad pinguiores cathedras, sive sanguinis, sive quocumq; alio respectu commendante & promovente, ut mirum non sit tantillos tantis prævalere non potuisse.

*A.C.* 1411. *S.P.N.* 931.

INsigne Ecclesiæ universæ decus addit Sanctissima Congregatio ordinis nostri Humiliatorum, qua viris hoc ipso tempore præstantissimis florentissima, in vinea Domini sedulo operatur. Cujus felicitas, sanctitasq; merito capite & Principe metienda, sanctissimo nimirum, Luca Mazolo, ordinis Generali, quem superioribus annis, statim ab inito Potificatu inter S. R. E. Cardinales Gregorius noster duodecimus, ob rarissimam, præter sanctitatis pretiosissimum, eruditionem cooptavit. *Hieron. Garimbert. VVion. aliique.*

Ipso anno & tempore B. Daniel Camaldulensis à latronibus strangulatur, æterno, ab ipso Numine, rarioris sanctitatis testimonio commendatus, cujus in hodiernam diem incorruptissimum in D. Matthiæ de Maurano visitur coliturque, &c.

*A.C.* 1412. *S.P.N.* 932.

ITerum viri ex ordine egregii honorem Ecclesiæ vitæ dignitate tuentur, in gradu Pontificio constituti, & dum pessimis exemplis Mercenarii alii, honori Sanctæ Matris pessimè consulunt, ipsi sanctiori exemplo, Vespertilionum Hæreticorum oculos percellunt, iisdem viriliter obnixi. Clarent præ aliis Ioannes ex Monacho Barbellensi Engolismensis in Gallia Episcopus, Dominicus de Anglona ex Monacho SS. Vincentij & Anastasij & Abbate S. Sebastiani in Vrbe Montis Flasconis ad lacum Vulsinium Pontifex, Robertus ex Abbate Vallis Crucis Asaphensis in Anglia & Walliæ Principatu, aliiq; plures Episcopi. *Ex lib. de provis. Prælat. Gasp. Iongel. &c.* Plurima per Italiam Cænobia, insigni omnino fructu, adjunguntur, ad institutam noviter Congregationem S. Iustinæ. *Ex Cavac. &c. Cajet. & dict. Marches. &c.*

*A.C.* 1413. *S.P.N.* 933.

POstquam magnus ille Gratianus noster, de quo superius, hominum studia, immortali & explicabili penè merito, ad jus sacrum suo partim Decreto accendit, mirum dictu est, quam multi, ex eadem maximè S.P.N. BENEDICTI familia Canonici juris, & docendi, & comentariis quoq; illustrandi curam susceperint; ut plurimos proin sæculis quibusq; ad annos certos, referre à nostris licuisset pulcherrimo & dignissimo studio, de universo quam meritissimos. Hoc tamen tempore, minimè prætereundus Nicolaus noster siculus, ex Abbate Archiepiscopus Panormitanus, & sacræ deniq; R. Eccl. Cardinalis, qui in hoc studio annis plurimis versatissimus, magna cum nominis sui, tum universi ordinis gloria, & Reipub. utilitate æterna, id consequutus denique est, ut perinsigni Titulo Lucerna Iuris appellaretur. *Ex Matth. VVeiss. Lycer. Bened. &c.*

*A.C.* 1414. *S.P.N.* 934.

MEmorabili, in præcipiti orbis ruina, exemplo Henricus Quinqueecclesiensis in Vngaria ad Dravum Episcopus, Fontis Regii quondam in Suecia Monachus, honorum pertæsus, ad Monasterii latibula sacra revertitur, & à seipso exauctoratus, positis infulis, sacro se denuo rigori devovet, in Monasterio Bebenhusano, ubi & feliciter in Domino requievit, ante altare S. Stephani inhumatꝰ. In Gallia Wilhelmus ex Abbate Gimontano, Vabrensis; in Italia, Iacobus ex Monacho S. Sebastiani in Vrbe, Miletensis Episcopi celebrantur. In Bohemia Theodoricus Nazarethanus, & Nicolaus Stephani Dionysiensis, & hi quidem postremi Titulares solum Episcopi clarent, adver-

adversum tamen nascentes hæreses pervigiles, veri & legitimi pastores, etiam cũ vitæ dispendio, pro ovibus suis contra lupos pugnaturi, & cum Christro animam pro iisdem posituri. *Excit.*

*A. C.* 1415. *S.P.N.* 935.

PRęclarissimè meritus de Ecclesia, Matthæus Aulæ Regiæ in Bohemia Monachus Congregationis Cisterciensis, celeberrimus fama prædicatur. Is cum Ioanne Huss Pragensi Hæresiarcha sæpe congressus, cum cum Hæreticis sectatoribus sæpissimè devicit: sed post nimiam Hæreseon pullulationem, ex Bohemia in Germaniam, ad Monasterium veteris cellæ, tanquam in portum venit, in quo fratres assidua lectione instruens, reliquit in omnes psalmos scholasticam lecturam. *VVion. &c.*

*A. C.* 1416. *S.P.N.* 936.

RVursum è nostris Cassinensibus quidam, fidem, & fidelitatem Apostolicæ sedi debitam gloriosissima morte Deo consecrat. Is fuit Henricus Thomacellorum Patricia Neapolitana gente, Bonifacii IX. affinis Abbas Casinensis meritissimus. Qui cum Ladislao Regi acceptissimus ab eodem plurimis pro virtute beneficiis coleretur, necquidquam reveritus ejusdem iram, & implacabile post tot in se collata, beneficia odium, quando is Benedicto Pseudopontifici adhærere pertinacius decrevit, iste noster Abbas, dignissima constantia restitit, & impio comunicare detrectavit, ac proin occupatis Cænobii Casinatis ditione, Oppidis, Castellisque, ipse in Spoletanam arcem ad vincula, & compedes relegatus, indigna quidem, sed gloriosa morte æternitatem felicissimam meruit. *M. Ant. Scipio.*

Obiit eodem anno Thomas Siracusanus in Sicilia Episcopus. Sacræ Theologiæ & Decretorum Doctor peritissimus. *De quo Ignat. Zamparan.*

*A. C.* 1417. *S. P. N.* 937.

SVmma Patrum Concilii Constantiensis celeberrimi consolatione abdicato à se Pontificatu ante biennium Gregorius noster XII. suo exemplo impium Benedictum Antipapam permoturꝰ, ut & ipse, honoris maximi per summum scelus sibi arrogato Titulo renunciaret, adeoq; Ecclesiã diuturno, & pernitiosissimo schismate liberaret, de Ecclesia immortaliter meretur, hoc deniq; anno nova electione, rejecto competitore, Patribus Ecclesiæ consulentibus. Tanto magis ęternis sæculis illustrissimo insolentis meriti exemplo commendandus, quanto difficilius erat, quibusdam de abdicatione sibi plausum ab invidentia concitantibus, aliis insuper ut abdicaret urgentibus, hostibus gratum facere, quã propria sponte abdicare. Fuisse virum præter summam eruditionem sanctissimum, sexcenti tradidêre, unde & ante Pontificatum, summis honoribus perfunctus, primum Episcopus Castellanus, post Chalcidensis, dein Patriarcha Constantinopolitanus, dein Legatus à Bonifacio IX. ad componendos motus Neapolitani Regni, mox & Picena legatione ornatus, absensq; Cardinalis Tit. S. Marci renunciatus, demum consiliorum Papæ intimè particeps, & conscius, ab ejus morte, summo omnium bonorum plausu Pontifex salutatus. Mortuus vero hoc ãno Gregorius, paulo ante Martini V. electionem; ut neq; vivente quidem ipso, & abdicato, alius Pontifex crearetur. Creatus a. post abdicationem à Concilio S. R. E. Cardinalis Episcopus Tusculanus, collegiique Apostoli Decanus, ac Piceni perpetuus legatus, reliquum vitæ summa quiete, & sanctitate felicius, quam in Pontificatu transegit. *Cajet. Onuph. Ciacon. &c.*

*A. C.* 1418. *S.P.N.* 938.

MIraculum sui temporis Episcoporũ, honorem illum mirificè condecorat, vitæ sanctissimæ illustrissimo exemplo Beatus Ludovicus noster ex Abbate Tornusij Arelatensiũ in Gallia Pontifex, vir per omnia magnus, & qui perditissimo tempore singulari Numinis providentia, propositus sit exemplar non tam gregis, quam ipsorum Episcoporum, etsi pleriq; post carnem currentes, & sæculum, à Monacho quidquam condiscere, præter dignitatem esse status sui reputarent. Mirè effulgent plures ex nostris, finito hoc anno Constantiensi in Germania Concilio à Martino Papa ob navatam strenuè Ecclesiæ operam, publice laudati; è quibus Matthæus de Pillard Clarævallis Abbas, Ecclesiæ Gallicanæ, ut vocant, ambasciator, Ioannes de Martiniaco, & plures alij. Ioannes certè in eodem Concilio cum duobus Cardinalibus & uno Episcopo, examinandæ doctrinæ Wiccleffi & Huss, cum plena

potestate

potestate præfectus, multa deinceps & per seipsum & per suos, contra eorumdẽ sectatores præclare gessit, multoque nomine de Romana Ecclesia præclarè meruit. *Vid. Acta Concilii, Annal. Cist. Angel. Manriq. &c.* Clarent, Ioannes de Curcumro Episcopus Duacensis in Hibernia, Ioannes Argensis in Peloponeso, Hugo Chiensis ex Monacho Flavigniacensi, aliique assumpti cum ex Cisterciensi, tum aliis familiis nostris Episcopi. *Ex libro de Provis. Prælat.*

*A.C.* 1419. *S.P.N.* 939.

COnsulunt famæ & dignitati ordinis per occasionem Concilii Constantiensis Patres Benedictini ibidem congregati numero 464. hoc anno in festo Sanctiss. Patriarchæ nostri solemni ad Petrusianum Cænobium processione instituta, de quorum præstita in eodem concilio perutili Ecclesiæ opera, in Constantia nostra Benedicta, & Constantia sacra prophana fusius, &c.

Claret scriptis celebris Antonius Parmensis Abbas Vangadiciæ, Congregationis Camaldulensis, Ferrariensis demum Episcopus, cujus maximè Sermonum de Tempore & de Sanctis libri duo comendantur. Moritur eodem año S. Petrus, de bono, de quo Martyrologium Benedictinum primo Non. Iunij in Monasterio Cluniacensi, depositio S. Petri de Bono, qui primum mercator Burgensis, & uxoratus; deinde sæculo & uxore relictis Monachus Cluniacensis, & Sacerdos adeo Religiosus & devotus, ut totum ex integro psalterium quotidie, ultra suæ servitutis pensum devotè persolverit; insuper & Horas de Spiritu sancto addiderit: unde in sancto die Pentecostes, ea hora, qua conventus cantabat in Choro: Veni creator spiritus, ad paradysi amœna deductus est.

*A.C.* 1420. *S.P.N.* 940.

HOc anno alius è sanctissimo illo Cluniacensium Patrum Collegio hoc ipso tempore florentissimo in cælum pro mundo deprecator evolat Sanctus Tonsanus Monachus ibidem & Prior, nepos S. Colletæ Institutricis sanctimonialium Colletarum sub Regula S. Francisci, vir exemplo vitæ, & ceremoniarum Monasticarum observatione venerabilis, in cujus morte signa plurima divinitus apparuerunt. *Biblioth. Cluniac.*

Cælestinorum nostrorum & Vallumbrosanorum felices successus, & incrementa, & ab his redundantia in universum merita commemoranda, sed ad eorundem scriptores lectores remittimus.

*A.C.* 1421. *S.P.N.* 941.

ORnatissima sanguinis gloriosi purpura, multa frequentia Martyres ex ordine nostro, vestem Ecclesiæ Matris tingunt, per varia inprimis Bohemiæ Cænobia à juratissimis Fidei hostibus Wiclefistis & Hussitis variè cruciati, & imaniter interempti. *Ex Annal. Bohem. & div. rer. Cist. script.* Quo ipso anno illustris ille Monachorum Zedtlizensium in eodem Regno cuneus, Martyrum illustri laurea donatus est, *de quo AEneas Sylvius, Ioan. Cochlæus, Paulus Langius, &c.* Claret sanctorum splendoribus illuster, & magna virtutis opinione Venet. Ludovicus Savigniaci Abbas, idem nuper Legatus Concilii Constantiensis ad Scotos, *vir*, ut inquit Hector Boëtius, *multa eruditione & vitæ Sanctimonia insignis, &c.*

*A.C.* 1422. *S.P.N.* 942.

IN amplissima & nobilissima Senarum Vrbe æterna cum nominis fama, & Senensium gloria libros Decretalium publicè interpretatur Nicolaus noster Panormitanus, tantam inde gloriam consequutus, ut nec quisquam sit Iuris Canonici paulo studiosior, qui aut Panormitani autoritatem ignoret, aut non cum Panormitano errare malit, quam cum multis aliis sapere. Nimirum excocta, matura, & rebus quam verbis plenior est Panormitani doctrina, quantumvis nec ipsa volumina sint exigua. *Matth. VVeiss. Lyc. Bened. &c.*

*A.C.* 1423. *S.P.N.* 943.

NVtanti orbi egregio sanctitatis exemplo consulit venerandæ memoriæ vir Odo de Pereria, hoc ipso anno Abbas celeberrimi illius Galliç Cænobii Cluniacensis, & alterius Casini Abbas electus, quod primçvo quamprimum flori reddere aggressus, cælo terrisq; mirificè se commendavit, magno statim se fructu prodente, etsi jam tunc sacrilegi multorum oculi, sanctissimum illum locum, ambitione depascerent, Numine ipsum diutiꝰ præservante, dum Odo & Similes Odoni disciplinam illic Monachicam strenuè tuerentur, adeoq; conatꝰ omnes eliderẽt inferorum. *Ex Bibl. Clun. & monim. Clun.*

Ipso

Ipſo anno ex Abbate Seltzenſi diœceſis Argentinenſis Monaſterio, creatur Baſileenſis Epiſcopus & S.R.I. Princeps Ioannes, qui Epiſcopatum illum ſtrenuè reformare allaboravit. Sed & David Brendogus, Cluanenſis in Hibernia Pontifex, à Martino V. deſignatur. *Ex lib. de proviſ. Præl. Iongel. &c.* Claret Wilhelmus noſter de Nanton Senonenſis Archiepiſcopus, ſed & alii diverſas Cathedras meritis & virtutibus implent, dum nonnulli ad inanes pompas & luxum iisdem & Patrimonio Eccleſiæ, Chriſti & pauperum peſſimè abutuntur. *Claud. Rob. Ioann. Chenu. Annal. noſt. Eccl. &c.*

*A. C.* 1424. *S.P.N.* 944.

MIrabili Numinis providentia & bonitate ſanctiſſima illa & celeberrima ordinis Reformatio, & Religioſiſſima Congregatio Montis Sion in Hiſpania vix orta latius effunditur & Hiſpanias accendit ſuo fervore univerſas, è cujus Fundatoribus & promotoribus præcipuis cũ eſſet Ven. P. F. Martinus de Logronno, tanta tamen animi demiſſione enituit, ut Cænobii ejuſdem Prioratum admittere noluerit, donec Abbas & Generalis omnia peccata venialia, quæ ratione illius officii cõmittere poterat, in ſe ſuſciperet. Vir admirandæ ſanctitatis, & innocentiæ penè infantilis, cujus exemplo, mirum omnino eſt, quantum univerſi profecerint; viſaque quamprimum Hiſpania primitivæ Eccleſiæ fructibus abundare, cum ſanctiſſima hæc Congregatio, ut Paradyſus Domini effloreſceret, & latiſſimè ramos extendens, fructus ederet *honoris & honeſtatis.* Congregationi eidem plurimum favêre eamdemq; promovere Martinus V. Pont. Maxim. & Ioannes Caſtellæ Rex & Legionis, haud modico emolumento, à tantis vitæ exemplis in Regnum & Eccleſiam Chriſti univerſam redundante.

*A. C.* 1425. *S.P.N.* 945.

REligioſiſſimam Monachorum vitam, ſub ipſis etiam ſeculi armis complexus ſanctiſſimus Luſitaniæ Princeps Henricus, Regulæ S.P.N. Benedicti, in ordine Equeſtri *de Chriſto* ſe devovens, memorabilia edit ſpecimina, pulcherrimè ſic ſociatæ utriusque militiæ. Quippe fervore ſacræ animoſior militiæ, propagandæ fidei zelo, difficillima ſuſcepta navigatione, idem feliciſſimus Princeps, Gentes & regiones, à Zona torrida (quam falſo veteres exuſtam penitus & inhabitabilem crediderunt) ad uſq; Bonæ ſpei Promontorium, hactenus omnino incognitas aperuit, & ultra Athlantem (qui ad eum diem terminus navigationis fuerat, quadringentas leucas ad montem Leænam progreſſus, Maderam Inſulam, plurimasque alias in vaſto oceano detexit, atque ut millia animarum è faucibus inferi præriperentur primus author fuit. Idem, Divino, ut ſcribunt, monitu incitatus, Septam Mauris eripuit, ſupra omnem fortunam, ab eximia cõmendatus & virginitate & vitæ ſanctitate. *Henriq. Aub. Mir. Chronol. Portugall. &c.*

*A.C.* 1426. *S.P.N.* 946.

INter denſiſſimas orbis tenebras, admirandæ ſanctitatis radiis exſplendeſcit, S. Franciſca Romana, novæ familiæ ſub Regula S.P.N. Inſtitutrix, quam familiariſſimè ipſe zelo deſcendens eidemque ſpectabili apparens forma idem magnus Benedictus, in dirigenda eadem ſua familia inſtituit, per cujus abſentiam ad eamdem Magnus Gregorius occurrit, & quaſi Vicedidaſcalum agit, eadem magnis Numinis favoribus ſingulares omnino gratias conſequuta, cujus Cuſtodiæ, è quarta Angelorum Hierarchia Angelus aſſignatus eſt, ut videas, quantum rurſum ab hac ampliſſimi ordinis gemma ſperes, quam Deus ipſe tantopere honoravit, & ſane tanti fecit, ut per illam tanquam lectiſſimum ſuum inſtrumentum, magna omnino & mira efficeret, in eaque oſtenderet & dignationis & charitatis ſuæ magnalia, eo inprimis tempore, cum ob infanda mundi ſcelera, ipſum penè deſeruiſſe videretur. *Ex vita Act. Canoniz. Menolog. noſt. &c.*

*A.C.* 1427. *S.P.N.* 947.

ITerum cælo triumphans ex ordine manipulus ſubmittitur, illuſtris Cellæ Novæ, Monaſterii in Sileſia, numerus Martyrum, qui ab Huſſitis repente oppreſſi in odium Religionis & Fidei, immaniſſimè trucidati, ad triumphos æternos tranſlati ſunt. *Ex Menol. & Faſcic. SS. Henriq. &c.*

*A.C.* 1428. *S.P.N.* 948.

PLures egregia vitæ ſanctitate in Archiſterio illo Cluniacenſi, facem Galliæ atque orbi præferunt, magno fervore

vene-

venerabilis viri Odonis de Pereria ejusdem loci Abbatis nupertime concitati, è quibus alii cum generis, tum eruditionis claritudine insignes, novam plane Religioni nostræ faciem visi sunt induxisse. *Conf. Biblioth. Clun. fol.* 1675. In candelabro expositi facem diversis provinciis præferunt, spississimas inter orbis tenebras, multi egregii ex ordine Episcopi, Ioannes Thomasius, ex Priore Sanct. Angeli de Monte, Nucerinus, Ioannes Epiphanius ex Monacho & Abbate sacræ familiæ nostræ Cisterciensis Neritonensis in Regno Neapolitano; Iacobus ex eadem familia Potentinus in Lucania, aliiq; Pontifices, omnes pro illustri vitæ exemplo, & singulari virtutum laude à Martino V. Roman. Pontifice, vigilantissimo pastore Cænobiis extracti, & Ecclesiæ Dei consulere jussi, quod & præclarè præstitêre. *Ex divers. Eccles. monim. lib. de provis. Præl. Gasp. Iongel. &c.*

*A.C.* 1429. *S.P.N.* 949.

SIngulis annis singula referre ea prohibent, quæ sæpius suggessimus. Hoc passim tempore perpetua etiam sanguinis, & vitæ impensa in juvandum mundum se toti effundunt Monachi nostri. In Bohemia præcipuè exquisitissimis tormentis, tota rursum Monachorum Collegia ad Hussitarum Hæresim, sed nec quidquam adiguntur, verum æterna fidei Catholicæ gloria, mortem gloriosissimã invicti oppetunt, inter quos celebratissimi Monachi Cænobiorum Osseckensis, Nova Cellensis, Grumachinensis, &c. *Videndi Cocleus, Paulus Langius, Henriquez. &c.*

Moritur hoc anno Ioannes Gerson noster, Cancellarius Parisiensis, Monachus Congregationis Cælestinorum; cujus fama ob eximia merita est immortalis. Excusa haud ita pridem ejus opera universa, cujus inter alia insigniter celebratur Summa Theologica & Canonica in sex libros digesta, Monotessaron item, aliaque.

*A.C.* 1430. *S.P.N.* 950.

CLaret admirandæ vitæ sanctitate, Canonicus primum Sanct. Gregorii in Alga, Cælestinam dein ordinis nostri in Congregationem transcriptus magnus ille, & admirandus sanctitate vir B. Laurentius Iustinianus Venetorum Episcopus, ac Primus Patriarcha patriam suam invecto tanto honore æternum nobilitans. Ejus vitam fusè descripsit Bernard. Iustinianus. *Vid. Gaulterius, Bellarminus.*

Clarent eodem tempore Bernardus noster Aquensis Archiepiscopus, Franciscꝰ Gebennensis, Antonius Ferrariensis, aliique plurimi ex ordine nostro Episcopi de suis Ecclesiis meritissimi. Sed & celebratur ipso hoc tempore Henricus Gulpen in Concilio Constantiensi notissimꝰ. Abbas Sanct. Egidii Norimbergensis I. V. D. cujus inter alia commendantur super septem distinctionibus de pœnitentia liber unus, super distinctionibus de consecratione liber unus. De passione liber unus. *Vid. Trith. VVion. &c.*

*A.C.* 1431. *S.P.N.* 951.

MErsissimo in sceleribus mundo, memorabile pænitentiæ exemplar, insigni cum fructu seipsum exhibet Beatus Petrus Marginet noster, ex Monacho Apostata, adulter, prædo, latro, scandalum populorum, mira tamen Numinis gratia ex tot sceleribus emergens, ad æternos carceres & in Cænobio se offerens, ipse ingeniosissimus sui corporis tortor & carnifex, non multo post, tantum amantissimi Numinis amorem meritus, ut Cœlestibus visitationibus recrearetur, dæmonibus terrori esset, ipsumque superbiæ Principem, asini forma Zona sua ligatũ, onera Cænobii, calcem, sabulum, lapides conferre cogeret; miraculorum gloria à Numine commendatus. *Ex vita, Ioan. Alvaro, Ang. Manriq.* Fuit Monachus Populetanus, illustri admodum genere, ejusq; celebris admodum memoria in Catalonia habetur.

*A.C.* 1432. *S.P.N.* 952.

MAgna rursum ex ordine lumina Ecclesiæ utiliter præsunt, ipsamq; plurimam illustrant, Bernardus inprimis sive Berardus ex Monacho Cluniacensi Aquensis, Guilielmus ex Abbate S. Germani Antisiodori, Senonensis Archiepiscopi, Episcopi quam plurimi, de quibus consulendi *Claud. Rob. Ioann. Chenu. Arnold. Duac. lib. de provis. Prælat. Gasp. Iong.*

In Germania diversis passim locis Benedictinus se spiritus prodit, & in novum florem Religio adolescit; certè aliis Austriæ Cœnobiis facem præfert Ioannes Baro à Dagsperg Lambacensis celebris Monasterij ad sinistram Traunæ Abbas, insignis disciplinæ Monasticę restitutor & alter

ter Lambaci Fundator. De quo plura ejusdem Cœnobii monimenta. *Car. Stengel. &c.*

*A.C.* 1433. *S.P.N.* 953.

FLorentissimus & felicissimus ordo seu congregatio nostra Camaldulensis, præsidente per hæc tempora eidem Generalis summo honore B. Ambrosio è Porticu oppido Flamminiæ, cujus ab sanctitate & doctrina nomẽ celeberrimum, à meritis vero immortale fuit. Scripsit ut erat sui temporis doctissimus, & in lingua Græca alter quasi Homerus.

De Sacramentis, lib. 1.
Epistolarum, lib. 1.
De Spiritu sancto, lib. 1.
Orationum, lib. 1.

Transtulit è Græco in Latinum, Sanct. Dionysium Areopagitam, elegantiori & faciliori stylo. Vitam Sanct. Ioannis Chrysostomi; Basilium de virginitate, Laertium de vita Philosophorum, Chrysostomum ad Stagyrium Monachum: Sanct. Athanasij quædam: Sanct. Ephrem Syri Sermones aliquot. Ioannem Climacum, & alia multa: Epitaphio dignissim9, quod ipsius tumulo Bartholomæus Latomus inscripsit.

Qui legis hunc tumulum legeres si scripta sepulti,
Possent hic oculis nuda patere tuis,
Quam fluit eloquio, quam dulciter afficit, utque
Nil nisi nectarium quolibet ore sapit.
Divinus fieres, nec quamlibet ante sciisses
Iurares dictum protinus Ambrosium.

*A.C.* 1434. *S.P.N.* 954.

FOntis Eberhardi limpidissimus splendor, magno Galliæ & Ecclesiæ ornamento, cujus sacræ familiæ luminaria exsplendescunt hoc anno Illustrissimæ sanè ut genere sic virtute fæminæ Margarita Mommorancia, & Maria de Harcour, extinctæ illi modo suffecta, ornamenta æterna Gallicæ Nobilitatis, & tanta quidem, de quibus non tam fæminæ solum, sed viri, nec minus familiæ Deo Sacræ, quam sanguine illustres ęternum sibi gratulentur. *Ex Monim. & Annal. Font. Everh. Claud. Rob. Aub. Mir. &c.* Fuitque sanè admiratione omni dignissimum, optimis quibusque statutis, cum tempore in deterius prolapsis, illud sacrarum virginum institutum, superata quasi omni virorum industria, & ipsa rerum natura.

*A.C.* 1435. *S.P.N.* 955.

INter illustrissimos fama, virtute, doctrina, & generis nobilitate Præsules, singulis, si per compendium liceret, annos enumerandos, excellit singularem laudem meritus Ioannes, Ioannis Borbonij Ducis filius, Cluniacensis Monachus, omnium suffragiis à morte Odonis II. Abbas electus, Aniciensis dein Episcopus: cujus inter alia præclarè gesta referendum, quod æterna fundatione instituerit, triginta quotidie Missæ Sacrificia in Cœnobio suo Numini offerenda: cujusmodi fundationes penè infinitæ in ordine nostro ab ejus origine institutæ, & ad hæc usque tempora continuatæ, quantum fidelibus & universo prosint difficillimum prorsus est explicatu. *Claud. Rob. &c.*

Moritur hoc año, decimo nono à professione Monachismi, vitæ religiosissimæ exactæ, meritis locupletissima Leonora Alburquerquia Aragonum Regina, mortuo Ferdinando Regi marito superstes Cœnobium nostrum Medinæ campi ingressa, quod ipsa condiderat, in eodem coronam & purpuram sacro velo permutans. Ita ejusmodi exempla contempti fastus gloriosissima nunquam in ordine nostro defecêre. *Vid. Illescas, &c.*

*A.C.* 1436. *S.P.N.* 956.

APprobatur hoc anno Solemniter ab Eugenio IV. Summo Pontifice Regula Sanct. Franciscæ Romanæ, majore ex parte ab ipsomet Divo BENEDICTO Monachorum Archiparente dictata, qui Franciscam ejusque discipulas spectabili forma dirigere atque informare visus est, & pro delictis quarumvis sororum commonere, qui & professioni ejus solemni cum Paulo Apostolo interfuit & ipsam perpetuo fovens ut filiam, sacram illam familiam mirificè promovit, qui idem, sub hoc ferè tempus, eamdem ut imminentia Orbi atque Vrbi Divinæ indignationis flagella suis precibus avertere conaretur, jussit, quæ cum sedulo illa exequi curaret, non multo post placatum Numen intellexit, & immortali sane merito, urbem ac or-

ac orbem demeruit universum. *Ex vita & Act. Canonizat. &c.*

*A.C.* 1437. *S.P.N.* 957.

INgenti Ecclesiæ ornamento universique ac maximè Italiæ bono, grandibus incrementis succrescens sanctissima D. Iustinæ Reformatio & Congregatio, innumeros ex hinc cælo, pro mundo intercessores ac Tutelares, transmisit. Vt videas autem, quæ Monachorum hæc sæculo vivendi ratio, ex Cavacio describemus: *Quod in primitiva Ecclesia legitur fuisse omnium cor unum, & animam unam de priscis illis Patribus, etiam refertur. Divina officia noctu diuque ab universis celebrabantur, Meditationes, jejunia tum regularia, tum ultronea agebantur frequentius. Silentium statis horis, inviolatum, sermo, cum liceret, de Divinis rebus, quæ ineruditos docerent, & eruditos accenderent. Quidquid ultra sumptus domesticos erat pauperibus dabatur. Peregrinis ac infirmis inservire totius Congregationis usque ad æmulationem studium fuit. Nulla præterea cum sæcularibus conversatio, consanguineorum pia oblivio. Vestes ex panno liburnico crassiore, interulæ ex eodem instar cilicii. Lectuli ad hominis mensuram, tomenta nulla, præter saccos palea infartos, culcitra vilosa, quæ frigus arceret, non delicias ministraret. Linteorum nullus usus, quia ex præcepto Sancti Patris* Benedicti, *omnes vestiti cubabant. Privata exercitia ad normam veterum Eremitarum, in codicibus scribendis, vel in hortuli alicujus cura. Doctiores Patres vel in audiendis laicorum sacris confessionibus, vel in exponendis sanctis auctoribus laborabant. Quot codices, quales interpretationes manuscriptas vidimus? Vtinam vel nostra incuria, vel aliorum malitia non deperiissent. Apud Cives ea erat de Cænobitis nostris opinio, ut cùm quis per urbem incederet (raro id contingebat) illum obvius quisque ac sanctum veneraretur.* Ita Cavicius lib. 5.

Ipso anno B. Ludovicus Barbus noster Cænobio extractus Tarvisinus Episcopus ab Eugenio summo Pontifice quantumvis obniteretur, ac quibus posset precibus, eam curam deprecaretur, summa populi gratulatione, renunciatus, sedem eandem egregia sanctitate, & meritis ingentibus exornavit. Citat.

Ipso anno moritur Pyrrhus Abbas Casinensis, ex Thomacella familia, antecessoris Nepos, eadem prorsus, qua patruus, fortuna jactatus, cui successit egregia fama & nobilitate Antonius Caraffa Neapolitanus, de quo suo loco. *M. Ant. Scipio.*

*A.C.* 1438. *S.P.N.* 958.

MEmorabili Divinæ dignationis exemplo (quod male nonnulli año sæculi hujus 32. tribuunt) humilia præ sublimibus diligentis Numinis egregio argumẽto, magnus sane legat9 ad sanctã Franciscam Romanam destinatur S. Thomas Apostolus, monetq;: Numinis voluntatẽ esse, ut per ipsam Eugenius Papa commoneatur, gravi occurrere in Ecclesia Schismati, & turbulentæ Synodi Basileensis decreta, quantum fieri posset rata habere. Proin misso conscientiæ suæ arbitro Francisca, facile Eugenio persuasit, apud quã jam tunc magnum tantæ Matronæ nomen erat, ut Divinis se jussis accommodaret, etsi non ita, ut oportebat, rem Eugenius maturaret, multo deinceps consequente fructu, etsi tardi9 ille remedium amplecteretur. *Ex vita & Actis Canonizat. &c.*

Nec Hispanis desunt raræ miracula sanctitatis, è quibus venerabilis Bartholomæus Covill, Populetani sanctissimi Cænobii ex Medico Regio Monachus, supra omnem medicinæ virtutem, Medicorum scientiam, prodigiose ægris medetur, quin & mortuum grandi miraculo resuscitat. Idem priore anno, Populeti Abbas electus, quod munus ut admitteret nullis suorum, sed neque Blanchæ Reginę ardentissimis precibus evinci potuit, donec cogente obedientia, præcipiente Eugenio Papa annuere cogeretur. Vt facile de regimine tantæ virtutis viri omineris. *Ex vita, & monim. Popul. Ang. Manriq. &c.*

*A.C.* 1439. *S.P.N.* 959.

MAgnis meritis celebratur Ioannes eo nomine VII. Sacræ familiæ nostræ Cisterciensis Generalis, vir undequaque maximus, & maximi ab omnibus habitus, idem in Concilio Basileensi Orator ad Bohemos destinatus, & cum duobus Episcopis Iudex in Causis Fidei designatus, idem summopere à Ioanne de Regusia Dominicano laudatus, quem magno sane Elogio monimimenta Cisterciensia sic honorant:

*Lux Prælatorum, Vox & Tuba Conciliorum.*

SVb quo & alii in eadem sacra familia nostra plurimi excellunt, è quibus duo

Germani Abbates, Eberbacēſis & Lanckheimenſis ejusdem Concilij Baſileenſis nuncii, & Thomas Dundrenenſis unus & primus ex triginta duobus, in quos idem Concilium compromiſit, rem ſtrenuè contra Hæreticos geſsêre, ſuamque fidelem operam in multis S. R. E. comprobavere. Neque minus celebre nomen Ioannis Gehuſij Abbatis Maulbrunnenſis fuit, eodem ſolemnibus litteris à Patribus evocati. *Eo quod propter dexteritatem ingenii, & regionum ac rerum experientiam multum eo egerent ad Concilii Legationes, &c. Ex Act. Concil. Annal. Maulbr. & Ciſt. Ang. Manriq. &c.*

Moritur hoc anno ſummę virtutis opinione celeber venerabilis Ambroſi9 Traverſius SS. Angelorum Florentiæ Monachus, mirus maximorum Magiſtrorum Ioannis Ravennatis & Ambroſij Gryſoloræ diſcipulus, de quo conſulendi Camaldulenſium rerum ſcriptores. Quo ipſo anno inter Purpuratos Patres accenſetur pro magnis vitæ meritis Guilielmus de Eſtoutiville. *Vid. Ciacon. Arnold. Duacen. &c.*

*A.C.* 1440. *S.P.N.* 960.

INgenti meritorum cucullo locupletiſſimus, cælo triumphum cum applauſu Cælitum infert, S. Hieroymus noſter, Camaldulenſis Congregationis Monachus, vir Sanctiſſ. Lituanorum Apoſtolus, I. V. D. & Theologus, qui accepta concionandi cum poteſtate, Epiſcopali facultate, hís temporibus, fæliciſſimæ prędicationis ſucceſſu, perpetua ordinis noſtri gloria, Lituanos ad fidem Chriſti convertit. Idem Orientales quoque populos Eccleſiæ uniendos ſuſcipiens, contra errores Græcorum doctiſſimè ſcripſit, ſed & Hæreſes varias, iisdem armis appetens, egregiè & conſtanter triumphavit. Inter opera ejusdem præcipua numerantur,

- Sermonum Dominicalium, lib. I.
- Sermonum de ſanctis, lib. I.
- Sermonum Quadrageſimalium, lib. I.
- Orationum in Conciliis, lib. I.
- Contra Hæreticos, lib. I.
- Contra errores Græcorum, lib. I.
- De Corpore Domini, lib. I.

Ita neque hoc quidem tempore ex ordine noſtro egregia ſanctitate Apoſtoli defuêre: *leg. ſcriptor. rer. Camald.*

Moritur eodem anno, meritiſſima de Eccleſia univerſa Sanct. Franciſca vulgo Romana dicta, Inſtituta ſanctiſſima virginum congregatione Mont. Olivetani; ut videas quam perpetuo uſu ordinis noſtri non ſolum viris, ſed & fæminis, reſtituendi, ſeu verius perpetuo continuandi primi fervoris cura inſederit, quoque fructu is Eccleſiam beavit, ſed & poſteritati diſciplinam, & paria ſtudia commendaverit. Extat paſſim Franciſcæ vita Romæ excuſa; digna ſanè lectu non ſolum, ſed ſumma etiam admiratione, quæ videatur, &c.

*A.C.* 1441. *S.P.N.* 961.

HOc anno perinſigne ordinis noſtri decus Nicolaus de Tedeſchis I. V. D. Abbas, dein Archiepiſcopus Panormitanus & Auditor rotæ, Lucerna Iuris, ſuper eminentiſſimum Eccleſiæ Candelabrū poſitus S. R. E. Cardinalis renunciatur. *Panvin. Trithem. Ciacon.*

Parem in dignitatem plures è noſtris elevantur, interque eos Franciſcus ex Epiſcopo Genuenſi Sanct. Roman. Eccleſ. Cardin. Tit. Sanct. Marcelli, & Bernardus ex Archiepiſcopo Aquenſi Cardinal. Tit. Sacro-Sanct. Nerei & Achillei. Cit. & Clem. Rob. &c.

*A.C.* 1442. *S.P.N.* 962.

ITerum magni viri ex ordine in Theatrum & Scenam orbi ſpectabiles producuntur: Bernardus de quo ſupra, Aquenſis Archiepiſcopus nunc inter Roman. Eccleſ. Cardinales authoritate ut meritis conſpicuus; Quintinus ex Monacho Flavigniaci Veſuntinus Archiepiſcopus, Philippus Ioannis de Vienna & Catharinæ Belfortiæ filius ex Monacho Ciſtercienſi Lingonenſis in Gallia, Mierus ex Procuratore Ordinis Generali in Vrbe, Siſſinienſis in Vngaria Epiſcopus, Chriſtophorus de Borcheriis ex Abbate Sanct. Petri de Aremia, Fulginas Pontifex, aliique cum eruditione tum virtute præſtantiſſimi Heroës, qui decus Sanct. Matris Eccleſiæ contra tot undique enaſcentes hoſtes tuerentur. *Ex lib. de Proviſ. Prælat. Claud. Rob. Ioan. Chenu. Arn. Duacen. Gaſp. Iongel. &c.*

*A.C.* 1443. *S.P.N.* 963.

INſigne ordinis equeſtris Militiæ de Avis ſub Regula noſtra decus Ferdinandus

dus Ioannes Portugalliæ Regis filius, non sine Martyrii gloria, felicissimè in deterrima captivitate moritur, & meritis, meritissimi de Ecclesia ordinis, sed & nobilissimæ Lusitanorum gentis splendori, & Regiæ insuper familiæ decus æternum addit. Ita de eodem Martyrologium Benedictinorum XV. Calend. Iunij. In Hispania Sancti Ferdinandi filij Ioannis Regis Portugalliæ, qui cum esset equitum de Avis Generalis Magister bello captus à Saracenis, apud eos in magna humilitate, & patientia vixit, & miraculis clarus quievit in Domino. Admiranda planè ejusdem vita legenda apud Vasconcellum in Regibus Lusitan. Stephan. Lusignan. &c.

*A.C.* 1444. *S.P.N.* 964.

MEretur æternum de orbe & ordine nostro Beatus Ioannes Bassandus magnus hoc afflictissimo tempore disciplinæ Monasticæ reformator. Is Cælestinæ familiæ cæleste in terris ornamentum, cum & illa cum tempore humanum quid pati videretur, Cælesti vitæ rationi ipsam reddidit, & de novo, ex Monachis hominibus cælestes Spiritus fecit; & mirificis exemplis orbem mirè accendit, reformatione ab ipsomet per Galliam, Italiam, Angliam atque Aragoniam felicissime propagata, quem maximi orbis Principes, ob perspectissimam vitæ sanctitatem eximie coluere. *Ex vita, monim. Cælest. Hugone Menardo, &c.*

Ejusdem Bassandi ingens & immortale meritum fuit, cum Caroli VII. Gallorum Regis Legatum agens, Felicem V. Antipontificem magni ponderis oratione aggressus, non sine insigni Numinis gratia zelum ipsius juvante & prosequente effecit, ut persuasus ille tanti viri authoritate & rationibus, Pontificatu Romano, sive arrogato potius sibi nomine, ultro se abdicaret, Ecclesiæque universæ, tamdiu desideratam pacem & tranquillitatem redderet. *Ex cit.*

*A.C.* 1445. *S.P.N.* 965.

SVpremus hic annus Nicolao Panormitano, viro si quis alio, de Rep. Christiana meritissimo, & immortali nominis gloria æterno; qui cum decennio integro summa cum orbis admiratione Decretalium libros è Cathedra publicè interpretatus fuisset, animum denique ad comentandum, & scribendum adjecit, ea facilitate, ut non tam commentaria, quam jus ipsum scripsisse videretur. Breviter ipse de se: Ego Nicolaus de Tudisco Catanensis Siculus, inter Doctores minimus, ipsius scientiæ Capitis & Auctoris præsidium invoco. Et post: Confisus igitur de implorato auxilio, ad ipsius honorem, cujus res agitur, piissimæ ac devotissimæ virginis ipsius Genetricis Mariæ gloriosissimæ, Agathæ Patronæ ac compatriotæ, Luciæ præclarissimæ Siculæ, cujus hodie vigiliam celebramus. Non minus BENEDICTI, cujus à puero habitum gero, ad destinati operis perfectionem, condescendo, &c. *Matth. VVeiss. & plures alij.*

*A.C.* 1446. *S.P.N.* 966.

SAcræ purpuræ in tanta temporum fœditate miraculum enitet Beatę memoriæ Ioannis de Messana Sanct. Rom. Eccles. Cardinalis è Monacho & Abbate congregationis tunc florentissimæ Sanct. Iustinæ de Padua ad id honoris assumpt9, cum Eugenio IV. de tantis viri virtutibus innotesceret. Excelluit summo cuculli & purpuræ, urbis, orbis, atque ordinis ornamento, eximia summo in honore modestia, omnem omnino pompam atque ostentationem, velut in Monasterio execratus, & sanctissimo, sanctitate vitæ conspicua & magnis meritis, cum & rara excelleret eruditione, præclarè adstitit, ad negotia maxima tanto visus aptior, quanto magis ab omni ambitione atque avaritia abfuisset. Verum triennium solum supervixit, & clarissimus vitæ continentis exemplo, & retentæ in purpura disciplinæ atque integritatis Monachicæ laude clarus Neapoli decessit, ibidem in florentissimo Sanct. Severini Cænobio, inter dilectissimos confratres mortuus & tumulatus, sub A.C. 1448. *Ciacon. Cavac. Belforest. &c.*

Clarent & alij plures è Pontificalibus resplendentes Infulis Ioannes Borbonius è Cluniacensi Monacho Podiensis, Augustinus è Cisterciensi Famaugustanus in Cypro, Nicolaus Caliopolitanus aliique ex ordine Episcopi, de quibus consulendi. *Ioann. Chenu. Claud. Rob. Iongel. & cit.*

*A.C.* 1447. *S.P.N.* 967.

INter S. R. E. Cardinales insigni fulgent auctoritate, meritis præstantissimi, clarissimi Ioannes Messanensis Siculus, Sanctiss.

ctiss. Cænobij & Congregationis S. Iustinæ Abbas meritissimus, dein jussu Eugenii Papæ Romam Profectus & à Monachis S. Pauli ibidem Abbas electus, cui Cænobio religiosissimè præfuit donec ab eodem Pontifice Cardinalis Titulo Sanct. Sabinæ pronunciatus est. Excellebat (summo nimirum purpuræ, & cuculli, Ecclesiæ, & ordinis nostri ornamento) Ioannes noster sanctitate & eruditione, & quod magis admiramur, etiam negotiis Principum aptus. Triennium in ea dignitate vixit, clarissimus exemplo continentis vitæ, ac retentæ Monachalis disciplinæ, Neapolique defunctus in D. Severini sepelitur. Guilielmus dein de Estontevilla ex Monacho & priore S. Martini de Campis S. R. E. Cardin. vir nunquam satis laudandus, eodem in honore annis plurimis, variis legationibus, ac Titulis honoratissimus, de quo deinceps sæpius narranda occurrent. *Cavacius, Ciaconius, Belsorest. Panvius, Clem. Rob.*

*A.C.* 1448. *S.P.N.* 968.

ITerum alia Reformatio, ut suos nunquam deseruisse Sanctus Pater noster videatur, magno fervore se prodit, & multa Cænobia, totasque provincias suo fervore accendit, exsuscitante primum flammas atque excitante animos, magnæ sanctitatis viro Beato Eustachio Iardineti Abbate, qui disciplinam Monachicam passim restituens, attonitos vitæ Religiosæ exemplis populos rapit, nec tam Religiosis, quam ipsis etiam sæcularibus consulit, ipse magnis Gratiis à Numine excultus, & Prophetiæ dono illustratus. *Ex monim. & script. div. Belg.* Ipso anno plures rursum ad diversas cathedras vocati, de quibus prolixius alias suo loco.

*A.C.* 1449. *S.P.N.* 969.

INter celeberrimos nostri ordinis viros eminet Ludovicus de Vazambone, aliis de Palude, Doctor Parisiensis Academiæ, custos conclavis in electione Martini V. in Concilio Constantiensi, Episcopus Maurianensis, & Losanensis administrator creatus ab Antipapa Felici V. Cardinalis, hoc anno ob eximia merita à Nicolao V. confirmatur titulo S. Anastasiæ presbyter Card. Panvin. Trith. Ciac. Cl. Rob.

Obiit eodem anno Ioannes Siculus, de quo superius, Sanct. Rom. Eccl. Cardinalis, sacri illius Collegii hoc sæculo, ab egregia sanctitate, singulare decus & ornamentum. *Ciacon. Cavac. &c.*

*A.C.* 1450. *S.P.N.* 970.

IN Germania nostra insigniter laborat pro ordinis reformatione Ioannes Abbas S. Magni in Faucibus. Vir sanctiss. De quo in Monasteriologia sua ita scribit Carolus Stengelius: *Ioannes doctrina & Religione valde claruit: nam admirandæ fuit abstinentiæ, jejuniis, exercitiis spiritualibus, & vitæ contemplationi totus deditus, ut interdum visus fuerit in mensa lectioni ita attentus, ut oblitus sit ferculorum, ac quasi in extasim raptus videretur. Interfuit Concilio Basiliensi, & propter doctrinam & zelum Religionis inter cæteros nostri ordinis Abbates Præsidentis officio functus est: multumque laboravit pro reformatione ordinis circa annum Domini* 1450. *Cui successorem in nullo dissimilem fuisse idem Stengelius deprædicat.*

Circa idem tempus ingenti Ecclesiæ ornamento celeberrima illa ordinis nostri Bursfeldensis congregatio, felicissimis incrementis latissimè propagatus: ut nullo unquam tempore, sibi videas nostros defuisse, sed bono ordinis atque, orbis maximo prima primum instituti ordinis exempla, & fervorem revocasse, suoque calore Mundi hujus gloriam rupisse & resolvisse.

*A.C.* 1451. *S.P.N.* 971.

NE Regia quoque deesse pergerent in ordine exempla sanctitatis, decus verè Regium effulget Beata Philippa Ferdinandi Cypri, & Petri Aragonum Regis Soror, Monialis Sanct. Dionysij de Odivelis, præter eximiam vitæ sanctitatem, eruditionis etiam laude, & relictis ingenij monimentis immortalis. *Barnab. de Montal. Chrys. Henr. & nos in Menol. nost. &c.*

Exsplendescunt ex infulis Pontificalibus, & diversas demerentur Cathedras, Dominicus ex Monacho & Abbate Miniacensi Archiepiscopus Montis-Regalis in Sicilia, Ioannes Lostredi Luxoviensi ex Monacho, Atrebatensis in Belgio Episcopus, Dominicus Cisterciensis, Agrigentinus in Italia, *de quibus lib. de provis. Prælat. &c.*

*A.C.* 1452. *S.P.N.* 972.

IMmortali merito, de Academia orbis præcipua, Parisiensi, meritissimus Guilielmus noster de Estontevilla, ex Priore S. Martini de Campis Episcopus Marinensis, dein Andegavensis, Biterensis, ac Archiepiscopus Rotomagensis, ex S. R. E. presbytero Cardinali priore año creatus Episcopus Portuensis, eandem Ponti-

ficia

ficia & Regia Auctoritate hoc anno reformat. Vt singulari videatur Numinis voluntate per eos restituenda, per quos primum fuerat instituta. *Vid. Claud. Rober.*

*A.C.* 1453. *S.P.N.* 973.

RVrsum egregia sanctitate vir venerabilis Petrus, cognomento Siis, Dunensis Cænobi Prior, rarum sæculi hujus ornamentū, magnis meritis Belgio prodest, & disciplinam Monasticam strenuè reformat, idem Magnus Deiparæ cultor & cultus suo exemplo promotor, tantæ virginis amoribus feliciter immortuus, cum cygni instar suavissimo cantu obitū suum præsignaret, cantando mortuus, cum lucta suprema Antiphonam illam ô intemerata solemniter intonans, & gratiosissimo cantu supremum anhelitum exhalans. *Ex vita, & mon. Dun.*

Ne quid Cluniaco tot viris illustribus nitido cederet Regale Sanct. Dionysij Parisiis Monasterium, & ipsum sancta æmulatione totum accenditur; clarent præ aliis Ioannes Chartier, & alter Ioannes, Wilhelmi Archiepiscopi Parisiensis frater, viri digni tanto Cænobio, & Regio nomine, utpote, quod difficillimum Regibus ipsis est, sibi ita imperantes, ut ad voluntatem Numinis formati viderentur. *Claud. Rob. monim. Monast. Reg. &c.*

*A.C.* 1454. *S.P.N.* 974.

INgens factus ex reformatione ordinis & congregationis Sanct. Iustinæ in Italia, Sicilia, & Neapolitano Regno plurimis ex ordine viris sanctitate, genere & doctrina, efflorescentibus, & strenuam operam, exemplo & prædicatione Ecclesiæ navantibus. *Vid. Cavac. &c.*

*A.C.* 1455. *S.P.N.* 975.

INfulis Pontificiis non tam ornantur, quam decus atque ornamentum secum ipsi afferunt, populosque atque urbes verbo vitæ atque exemplo demerentur, plurimi iterum ex ordine Episcopi. Quorum Wilhelmus de Tonteville noster Rotomagensem Archiepiscopalem Cathedram meritis implet, & Iacobus Messanæ Archiepiscopus, Siculorum omnium animos rapit. Sic Michael Insulanus, Iacobus Arborensis, aliique Episcopi, tantum scientia merentur, lituo benè usi, magno & Ecclesiæ quisque propriæ commodo, & universalis ornamento, ad insignem eorum confusionem, quos nihil promovit quam vel ambitio propria, vel favores eorum, qui non tam populi, quam sua interesse sciverant, quibus pro libidine ipsi sua uterentur, bonis Ecclesiæ abuterentur.

*A.C.* 1456. *S.P.N.* 976.

HOc añomoritur felicissimè in S. Nicolai de Buschetto Genuensi Cænobio Beatus Nicolaus prior ibidem, cujus quin referamus paucissima ex innumeris stylo simplici in compendium à quodam Monacho coacta, præterire non possumus. *Hic vir,* inquit ille, *Dominus Nicolaus, magnæ sanctitatis fuit, multisque miraculis in vita & post mortem claruit, &c. Huic beato dum esset sacrista in principio suo conversionis, in Monasterio nostro Sanct. Iustinæ (inde colligat licet, auctorem è Divæ Iustinæ fuisse) ante altare majus apparuit Dominus in ea forma, qua cum suis conversabatur discipulis: dixitq́, Nicolae sequere me, (ex quo haud improbabile deducas, Monachorum vocationem Apostolicæ haud imparem esse.) Et non multo post cum venetias ad S. Georgium majorem missus fuisset, celebranti iterum in hostia apparere dignatus est. Sequenti tempore ad Monasterium S. Nicolai de Buschetto extra Genuam missus fuit, ubi per triginta & quatuor ferè annos commoratus est, ibiq́, Divina præeunte gratia, multas virtutes operatus est. Obsessum à Dæmone illico liberavit. Cum diabolus ex capitulo ad dormitoriū asportasset, ut per fenestrā eum præcipitaret, affuerunt subito in præsidiū ejus in ipso dormitorio duo chori Angelorū cantantes: Nicolae oramus pro te: in quorum pulchritudine aliquamdiu valde delectatus est. Dum pro quadam tentatione quam patiebatur se commendasset S. Dorotheæ, statim liberatus est. Existens Prior dicti Monasterii Buschetti, cū ægrè ferret hujusmodi prælationem, rogassetque per triennium Patres, ut eum ab ipso Prioratu absolverent, nec obtinere posset, dixit undecim millia Pater noster, & totidem Ave Maria, & miraculosè absolutus fuit, ut latius patet in vita ejus. Quis vitam ejus virtutibus ac sanctitate plenam sufficit explicare &c. Deniq́, moriēs hoc ultimum verbū me audiente dixit: Diem hominis nunquam desideravi. Quantū post mortem ejus Dominus miracula fecerit per eum, qui nosse cupit ejus legat vitam. Ad tactū namq́, vestimentorum ejus innumeri infirmi, & aliqui à sensu alienati liberati sunt, &c* Hæc fusius: ex quibus aliorum hujus sæculi ex nostro ordine perfectionem, pari sanctitate celebrium, metiaris. *Vitam fusius scripsit Iulianus noster Genuensis.*

Mortuus eodem año haud impari sanctitate B. Odo de Pereria Abbas Cluniacensis insignis ordinis reformator, Sanct. Odonem primum strenuè imitatus, ut inde facile de subjectorum quoque virtute æstimes, judicesque. A Claudio Roberto vir sanctiss. prædicatur, à silentii maximè nocturni cautissima custodia, & observantiæ Regularis amore, Prophetiæ insuper spiritu, & reformationis studio celebratus. *Vid. Chron. Cluniacense, Clem. Robertus, &c.*

Eodem tempore inter plurimos ex ordine universo spectatissimos in Ecclesia Pontifices haud vulgariter eminuit Carolus Archiepiscopus Mediolanensis ex Monacho S. Celsi ad eam sedem à Calisto PP. III. ob merita promotus. *Vid. Morigia, Galesin. Catalogo Episcop. Mediolanensium.*

*A.C.* 1457. *S.P.N.* 977.

MOritur sub hunc annum Ioannes Whethanistedus, cognomento Frumentarius, Cænobij S. Albani in Anglia Monachus & Abbas, totius deniq; Congregationis Benedictinæ in Anglia Præses, de ordine suo, sed & Regno meritissimus, cujus opera Rex ipse gravissimis in negotiis usus est, idem ob insignes animi dotes apud Principes & magnates summo in pretio habitus, à quibus Syrenum nova & impia dogmata præ aliis feliciter avertere visus est, & solidioribus argumentis eosdem in Fide Sanct. Roman. Eccles. retinere. Eum fuisse *industriæ mirabilis*, Pitsius ait, *acerrimi ingenii, solidissimi judicii, incredibilis in rebus agendis prudentiæ, &c.* Claruit in Conciliis Senensi & Papiensi, ad quæ orator missus est, inque iisdem solemnes orationes habuit. Reliquit multa præstantis ingenii monimenta, è quibus sequentia extare dicuntur:

Expositionum in Sacram Scripturam, lib. 5.
Commentariorum in varios script. libros, lib. 1.
De vita Amphibaldi, lib. 1.
De situ terræ sanctæ, lib. 1.
Ordinationes suæ Abbatiæ, lib. 1.
De viris illustribus ad Glocestriæ Ducem, lib. 1.
Manipularium Doctorum, lib. 1.
Contra Episcopum Norwicensem, lib. 1.
Defensorium Exemptorium, lib. 1.
De Gestis propriis, lib. 1.
Iterum ad Glocestriæ Ducem, lib. 1.
Opus Necessariorum, lib. 1.
De omnium hominum officiis, lib. 1.
De Hæreticis & eorum fautoribus, lib. 1.
Declamationum variarum, lib. 1.
Epistolarum ad diversos, lib. 2.
Opus quoddam metricum, lib. 1.
Palearium Poëtarum, lib. 2.
Declamationes Metricæ, lib. 1.

Floruere & alij in Anglia viri ex ordine illustres Ioannes Talangernus Wigorniensis Monachus, & Ioannes Amundhamus San-Albanensis, de quibus aliisque consulendus Eduardus Maihew, Pitsius & diversi rerum Angl. script.

Etiam à morte mereri non desinit B. Nicolaus Genuensis Prior de Buschetto, mira sanctitate vir, innumeris ægris, solo etiam vestis ejusdem contactu prodigiosè sanatis, salutem cucullo debentibus. In Galliis claret Maria de Britannia mirabilis illius & felicissimi Regum Regis Gynecæi Fontis Eduardi meritissima Antesignana. *Ex monim. ejusd. Cænobii, Claud. Rob. Aub. Miræo, &c.*

*A.C.* 1458. *S.P.N.* 978.

RVrsum è nostris congregationis Camaldulensis Sanctiss. Monachis fuit, qui Ecclesiam purpura sanguinis sui ornaret, & agrum Dominicum impinguaret, B. Angelus de Massacio, insignis verbi Domini prædicator, ideoque Hæreticis invisus prorsus, & religione odium implacabile meritus, à quibus & occisus ingenti triumpho cælum exhilaravit. *Vid. script. rer. Camaldulensium diversi.*

Claret Avianus Monachus S. Winoci, de omni posteritate meritissimus, cujus laudatur Chronicon universale ab origine mundi summa diligentia, & fide scriptum, usque ad sua tempora, opus & volumen ingens, *Vid. Catalog. script. Belgii, & Arnoldus VVion. &c.*

*A.C.* 1459. *S.P.N.* 979.

NOn minus Bartholomæo, Reges ac Regnum demeretur Michaël del Gado, viri sanctissimi in Abbatia Populetana Successor, Nicolao V. & Calixto III. Romanis Pontificibus, dum in Italia pro

negotiis

negotiis versaretur eximiè charus, idem Ioanni Regi & Regno pernecessarius ab eodem ad Pium II. an Paulum Roman. Pont. Legatus, dehinc publicis Regni negotiis deputatus, vir per omnia tantus, cui Reges & Regna, omnisque posteritas plurimum debere, ex ejusdem sudoribus & laboribus convincantur, idē Religiosæ disciplinę custos integerrimus, sub quo plures egregia virtute tanti Magistri discipuli effloruere. *Ex Monim. Popul. Ang. Manriq. &c.*

Clarent, Artus noster Burdegalensis in Gallia Archiepiscopus Bartholomæus Derensis, aliique ex Monachis præstantibus præstantissimi Pontifices, quorum elogia in alium librum rejicimus. *Vid. Chenu, Robert. &c. Lib. provis. &c.*

*A.C.* 1460. *S.P.N.* 980.

MAximorum quorumque ex ordine universo gloriam æmulatus, & assequutus hoc ipso tempore meritis quoque æternis nomen posteritati consecrat, D. Ioannes Abbas Nivicellensis, qui cum esset in sacris litteris apprimè versatus, & scientia Iuris Canonici, nemini suo tempore inferior opus præclarum, & insigne, & à nullo alio (teste Arnoldo nostro) tentatum, Biblior. scilicet, & Canonum concordantiam posteris reliquit, tali principio. In principio creavit Deus, &c. In quo opere dilucidè ostendit: omnem vitæ humanæ perfectionem, è sacris debere sumi litteris, necquidquam in sacris Canonibus ad eam acquirendam positum, quod ab illis non pendeat, scripsit præterea:

Sermonum de Tempore, lib.1.
Sermonum de Sanctis, lib.1.
Epistolarum & quæstionum variarum, lib.1.

Videndi Ioannes Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis. *Arnoldus, VVionius, &c.*

*A.C.* 1461. *S.P.N.* 981.

HOc anno cum celeberrimus ille Pontifex Roman. Pius II. (antea Æneas Sylvius) Religione & Sanctiss. Patriarchæ nostri BENEDICTI amore, ductus sacram ejus specum & vestigia venerabundus inviseret: Hæc de Sublacensi Cænobio, ejusdemque Monachorum perfectione Bzovius narrat: Ex oppido Sublacensi ad Monasteriū Sublacense iter est duorum milliarium, per abruptas petras, & difficiles aditus. Hinc ad locum, quod specus vocitant, mille passibus ascenditur, via difficili, & ferro secta adeoque præcipiti ut absque horrore adiri nequeat. Hinc profundissima in Avienem descendente rupe, iude altissimo imminente saxo; nec accessibilis ullo pacto, nisi modo ad dextram, modo ad sinistram varios agens flexus in anguis morem ab imo usque ad summum ducta, & plerisque in locis muro defensa fuisset. BENEDICTUM patrem sequuti sunt discipuli, & cœpta habitari & spelunca. Sicut in altis scopulis nidos videmus hirundinum in crepidine lapidum, ita est Monasterium hoc cernere affixum sublimi Saxo, ex quo sæde frustra concidunt, quæ aut Monachos perimunt, aut ædificiorum ruinam faciunt. Multa hic sancti viri miracula referuntur, & tintinabulum ostenditur, quo diabolus illusisse bonis operibus conatus est. Monachi hic viri viginti degebant, ut par erat credere, Deo etiam, nunquam carnes edebant, vinum multa domabant aqua, jejunia longa producebant. Luxuria erat duo ova comedisse, oleribus & pane vescebantur, vel leguminibus his epulis mensas onerabant, brevissimum tempus cibo dabant; nec multo majus somno: reliquum in oratione consumebant. Rem Divinam peragabant summa devotione, psallebant Deo confidenter. Major pars se numerat, quorum plerique inoffensa valetudine ad octuagesimum annum pervenerant, vultu alacres, & alloquio venerabiles, quorum unica cura fuit, dissolvi tandem & esse cum CHRISTO. Prius in utroque inferiori & superiori Monasterio rem coram se Divinam celebrari fecit, & loca omnia, quę fama vulgaverat, corpus Sanctiss. BENEDICTI attigisse exosculatus, ac Monachis spirituales gratias elargitus, oppidum pernoctaturus descendit, &c. In cælum eodem anno abiit felicissima morte vitæ æternæ natus D. Ioannes Eustachius Abbas primus Iardineti Congregationis Cisterciensis, qui plurima per totum Belgium Cænobia, ad Sanctiss. Regulæ normam reformans, propter innumera sanctitatis opera, fama longè lateque celebratissimus, & viris Pincipibus acceptissimus fuit. Prophetiæ etiam spiritu claruit: de cujus præclarè gestis consulendus Chrysost. Henriq. t.1. fasc. Sanctorum Cisterciens. &c.

*A.C. 1462.* *S.P.N. 982.*

NObilitatis humanæ cæleste decus, mortali etiamnum in corpore exsplēdescit, Beata Margarita nostra Montferratensis Princeps Ludovici Sabaudi Pedemontium & Achaiæ Principis filia, Theodori Paleologi vidua, B. Magdalenæ Albensis Cænobii Monialis, verum humilitatis exemplar monialibus facta, speculum sanctitatis Sabaudiæ universæ, in quam cum Principes intendentes, tum populi, haud modicum visi sunt pietate proficere; & universi potens ejusdem apud Dominum pro patria suffragium experiri. *Ex Pingonio, Hug. Menard. VVionio, &c.*

Moritur eodem anno Guido eo nomine IV. Sacræ familiæ nostræ Cisterciensis Generalis, vir præstantissimus & qui fortiter prælia Domini gessit contra Commendatorios, & Sacrilegos rerum Ecclesiasticarum invasores, præfuitque annis quatuor; quo tempore Sanct. Antonius Archiepiscopus Florentinus ad superos migravit, de cuj9 glorioso ad cælos transitu prima revelatio fratri alicui Converso in Cistercio facta est, idemq; pro Canonizatione ejusdem, est testis requisitus. *Ex monim. Cist. Manriq. &c.*

*A.C. 1463.* *S.P.N. 983.*

INter præcipua ordinis Sydera, novam orbi facem præfert Himbertus de Lana Sacræ Reformationis Cisterciensis meritissimus Generalis, qui vix adito Magistratu Benedictæ ordinis Matris & virginis honorem promovere aggressus, apud suos primum præcepto, apud alios deinceps consilio & exemplo tantum effecit, ut Admirabilis illa Divi Hermanni Contracti nostri, tantopere dilecta Mellifluo Doctori Antiphona *Salve Regina* Vesperis eousque solummodo seu Completorio subjungi solita, omnibus deinceps Horis Canonicis pro clausula subjiceretur. Immortali procul dubio merito, de quo totum etiam sibi cælum gratuletur. Idem hoc ipso anno ad instantiam Abbatum Romam profectus, adeo acriter & potenter, dictante procul dubio Numine, contra commendas coram Pontifice & Cardinalibus peroravit, ut lachrymas ab omnium oculis extorsisse memoretur. Sed lachrymas solas & cautiones aliquot impetravit, cum conjurata voluntate Principes, *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, cum Principibus Oreb & Zebee, & Salmana, congeminassent, improbitas evicisset. *Ex mon. Cisterc.*

*A.C. 1464.* *S.P.N. 984.*

GErmania tota fervet, dum invalescentibus Hæresibus multæ aliæ provinciæ defervescunt, Bursfeldensi Congregatione, maximo bonorum plausu latius sese expandente, cujus hoc ipso primum anno Capitulum Generale solemniter celebratur. Clarent magna ordinis luminaria Wilhelmus S. Bertini Abbas, summo Reipubl. & patriæ bono natus, & Isuardus Glandatensis ex Monacho & Abbate Lirinensi Episcopus.

Moritur eodem anno Pius II. Pontif. Max. Æneas quondam Sylvius vir præstantissimus, cujus ipsa hora animam, triplici corona redimitam in cælos ab Angelis deportari Beatus Petrus noster, cognomento Teutonicus, Monachus Camaldulensis intuitus est; ejusque obitum Fratribus prænunciavit. *Ex vita, & Annalibus Camald. &c.*

*A.C. 1465.* *S.P.N. 985.*

MOritur hoc anno strenuus ille, de quo supra, Monachicæ disciplinæ Restitutor B. Petrus cognomento Siis; ipsa in morte Antiphonam illam: *O Intemerata, &c.* Suaviter occinens & occinendo moriens, quo ipso tempore, claret alter, in superiore Germania Petrus, & ipse Deiparæ amantissimus, Abbas Sanct. Petri Salisburgi, Capellanus Beatæ MARIÆ virginis, insigni sanè titulo, pro suo eximio erga eamdem cultu, appellatus. De quo R. D. Albertus ejusdem loci Abbas, in suo de Abbatibus Sanct. Petri Tractatu. Ipso anno inter Patres S.R.E. Purpuratos adscribitur Eminentissimus Dominus Ioan. Godefridus Balues, Monachus & Abbas S. Dionysii Parisiensis, &c. *Ciacon. Arn. Duac. Claud. Rob. &c.*

*A.C. 1466.* *S.P.N. 986.*

IN Cænobio nostro Sanct. Dionysii Parisiensis exsplendescit ex Monachis genere & virtute nobilissimis, meritissimus de Galliarum Regno, & omni sæculorum posteritate Ioannes Chartier Monachus, & Cantor Cænobij, frater Guilelmi Parisiensis Archiepiscopi celeberrimi, & Alani Secretarii Caroli septimi. Scripsit Ioannes noster, Philippo Abbate, Chronica Franciæ tribus voluminibus

bus, quæ vulgo dicuntur Dionysiana Magna. *Vid. Claud. Rob. &c.*

In Germania nostra viri illustres excellunt plurimi, quos inter Vdalricus Sanct. Galli Abbas, Sixto Pontifici acceptissimus; qui à nonnullis admonitus de petendo Cardinalatu, cui ipse & Ponfex inprimis statim faverent, constantissimè respuens, indignitatem suam objiciens; ea animi submissione, & modestia ex cucullo dignius quam purpura exsplenduit. *Vid. Stumpfius.*

*A.C.* 1467. *S.P.N.* 987.

CElebri sanctitatis opinione Ecclesiæ honori consulit, coepiscopos concitat, confundit Romanæ fidei adversarios, & exemplo populos lucratur Beatæ memoriæ Ioannes Zerdanus, ex Monacho Populeti Barcinonensis Episcopus, idem eruditionis laude celeberrimus, verbo & opere potentissimus, *de quo consulendi Annal. & script. Cist. nostror.*

*A.C.* 1468. *S.P.N.* 988.

ÆTerna nominis fama claret Nicolaus noster, cognomento de Donis Monachus Richenbachensis Congregationis novæ Bursfeldensis, divinarum scripturarum non ignarus, & Græcè atque Latinè insigniter doctus. Philosophus, Mathematicus & Cosmographus, nullo suo tempore secundus, cum sua vigilantia Ptolomæi tabulas cosmographicas, multis ante sæculis deperditas repetisset, sagacitate sua ita eas instauravit, & admirando opere cum picturis, & novis tabulis elegantissimè ordinato, sic diligentissimè correxit, ut novi operis potius compositor quam reparator existimetur: Quod in septem partes seu libros divisum, Paulo II. Pontifici Maximo dedicavit. Sicque factum est, ut non Musica tantummodo, ait Arnoldus noster, Iurisprudentia, Pontificia maximè, aliæque liberales artes à Monachis Benedictinis, repertæ, auctæ, & meliorem in modum ordinatæ fuerint; verum etiam Cosmographia ipsa, quæ ad Divinam scripturam intelligendam pernecessaria est, ut nunc videmus, nec non & Medicina, ac Eloquentia, ut superius diximus, ab iisdem in tantum illustratæ, ut auctores earum magis, quam illustratores merito dici queant. Ejusdem Nicolai præter libros septem de Cosmographia, celebratur liber de mirandis, & alius Epistolarum ad diversos. *Vidend. Trithemius, &c.*

*A.C.* 1469. *S.P.N.* 989.

FElicissimè moritur B. Eustachia nostra, cujus æternum in hodiernam usquè diem meritum de ægris ac debilibus innumeris, per ejus sanctissimam intercessionem sanatis. Ita de ea Martyrologium Benedictinum: Patavij ad Sanct. Prosdocimum obitus B. Eustachiæ Virginis sanctimonialis, quæ ex Monachæ sacrilego partu, ut rosa ex spinis effloruit, & à pessimo dæmonio usque ad extremum vitæ fatigata, invicta animi patientia omnia superavit: ex cujus tumulo limpidissima aqua statis quibusdam diebus, scaturire cernitur, ex cujus potu innumeri mortales è gravissimis ægritudinibus convalescunt. Tantus in hac virgine contemptus mundi fuisse legitur, ut cum audiret Venetiis Regias nuptias Catharinæ Corneliæ viri clarissimi sororis Reginæ Cypri maximis sumptibus, & omni magnificentiæ genere fieri, tantoque conviviorum apparatu, totoq; pompa chorearum, & tanto vestium splendore, ac gemmarum, & mundi muliebris omnis generis, quanto ferè nunquam alibi factum fuerit, subridens dixerit: ærumnas, luctumque meum, ac dolores, quibus assiduè premor, omnibus iis gaudiis & voluptatibus non commutarem. Pro certo asserens se in hac vita malle pro Christo angi gravissimis corporis cruciatibus, quam immensis hujusmodi mundi gaudiis, & momentaneis voluptatibus, brevi cum aliquo animæ detrimento pati. Tanto perfectionis exemplo, etiam postremis sæculis Sacræ Deo in ordine nostro virgines universo præluxêre; ne otiosam, & inutilem orbi multitudinem ejusmodi collegiorum opineris. *Ex Vita.*

*A.C.* 1470. *S.P.N.* 990.

CLaret Ioannes Bertinensis Abbas, cujus laudatur immensum volumen de origine, progressu, & constitutionibus Equitum aurei velleris, quorum Cancellarius perpetuus est (insigni etiam honore, & meritorum de gloriosissimo illo ordine comendatione) Abbas S. Bertini Audomariensis pro tempore existēs. Vnde rursum liquet, quã de omni omnino

ordine

ordine nostri perpetuo mereri, sed & honorem cujusque auctum voluerint. *Vid. script. Belg. div. & VVion. nost. &c.*

*A.C.* 1471. *S.P.N.* 991.

SAcrum Olivetanam nostram familiam, magno sacrarum proventu Olivarum moderatur venerabilis Leonardus Mezanachius Bononiensis, vir ignea charitate in proximos tot9 flagrans, de cujus oculis illa Cantici canticorum usurpari poterant: *Oculi tui sicut piscinæ Hebeson*, cum instar Magni Arsenii lachrymarum imbre continuo defluerent, & si quem lapsum intelligeret, si vel accusaret, vel moneret, sive solaretur, verba ab imo amoris fonte hausta, lachrymis calidissimis consignaret, & propinaret. Is cum Antecessoribus honoratius sepulchrum moliretur Franciscum Ringhlerium, cui in Generalatu proximè successerat, post decimum ab obitu mensem, incorruptissimum reperit, & suaviter dormienti similem, & facile de ordine, sub his parentibus omineris. *Ex Hist. Olivet. Lancell.*

*A.C.* 1472. *S.P.N.* 992.

LEonardi immaturè ad superos rapti Generalatum assequitur pro meritis hoc anno Nicolaus Roverellius, vir sanctitatis opinione clarus, splendore natalium & eruditione illustrissimus, qui cum semel iterumque ac tertio ad Episcopales infulas expeteretur, constantissimè semper rejecit, ob idipsum nesciri ab omnibus cupiens, ægre persuasus, ut vel maximè ipsum amanti & desideranti fratri suo germano Bartholomæo Roverellio Sanct. Roman. Eccles. Cardinali Romæ supremum decumbenti adesset, quod retineri metueret, ut erat Sixto IV. Pontif. Maxim. valdè dilectus & in summa apud ipsum admiratione & veneratione, quem contuitus aliquando Papa, in illa quamprimum gratulabundus prorupit: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est*, quem & alij Principes summè coluere, exempla autem ejus inter Monachos plurimi imitati sunt, quorum nonnullis, post mortem tanti Patris in cælo gloria revelata est. *Sec. Lancell. &c.*

*A.C.* 1473. *S.P.N.* 993.

INter Germaniæ nostræ Abbates multa nominis fama, sed multo majore virtute & meritis excellit Vdalricus Wiblingensis, prope Vlmam ad Ilarum amnem, Cænobii Abbas, alter ejusdem fundator, qui Zelo Heroico non in suo solum Cœnobio disciplinam Monasticam restituit, sed & latè propagavit eo suo dignissimo labore meritus, ut Cænobium Wiblingense, insigni planè nomenclatura, sanctum diceretur. Præfuit annis quatuor supra quadraginta, hoc anno laborum percepturus præmiū in cælum evocatus. Ex Monimentis Bibliothecæ Cænobii ejusdem.

Eodem anno extinguitur illustre ordinis nostri decus Ioannes Iosfredi Monachus Cluniacensis Decretorū & Theologiæ Doctor ex Priore Sanct. MARIÆ de Castro, Abbas Sanct. Petri de Luxovio, post Episcopus Atrebatensis, & Referendarius Apostolicus Sanct. Roman. Eccles. presbyter Cardinalis Tit. SacroSanct. Sylvestri & Martini, Tit. Equitii in montibus. Vir doctrina, ingenio, & memoria præstans, tantoque pluris faciendus, quanto ex obscuriore familia, ad summas dignitates, & à prudentissimo & sanctissimo Pontifice Pio II. subvectus est. *Vid. Ciacon. Claudius Rob. Hist. Ep. Atrebat.*

*A.C.* 1474. *S.P.N.* 994.

BEata Beatrix à Sylva, Portalegiæ Comitissa, Beati Amedei, & Iacobi à Sylva soror germana, cum ad miraculum formæ excelleret pulchritudine apparente ipsi cælorum Augusta, ejusdem filio Regum Regi, virginitatem suam consecrat, in Monasterio virginum nostrarum Toletano, quod à Sanct. Dominico nostro à Silos nomen habet cucullum amplexa, magna deinceps novæ familiæ sub nomine Conceptionis immaculatæ Fundatrix futura. *Ex vita, & Menol. nost. Benedict.*

Quo ipso tempore Theobaldus ex illustrissimo Comite Sanct. Pauli & Fiemes, & Duce clarissimo humilis Monachus, Cenomanensis dein creatus Episcopus, mox etiam ad Sanct. Romanæ Ecclesiæ eminentissimam purpuram vocatur, sed à cælo præripitur. *Ex diversf. rer. Gall. script. Ioan. Chenu. Claud. Rob. &c.*

Ipso anno moritur Antonius Viennensis Archiepiscopus ex Abbate S. Petri ibidem. *cit.*

*A.C.*

*A. C.* 1476. *S. P. N.* 995.

IOannes de Granlais sive de Villiers, inter sydera Ordinis nostri, miro splendore rutilat, Abbas S. Dionysij Parisiensis, Episcopus dein Lombariensis, Abbas S. Quintini Bellovacensis, Præses curiæ juvaminum Parisiis, & S. R. E. denique Cardinalis, vir (ita de eo Conventus Monachorum Sandionysianorum, in litteris ad summum Pontificem) cui amori Religio, cui honori sapientia, cui bono odori justitia est, Vas electionis in honorem, plenum gratiæ & veritatis. &c. *Clem. Robertus. &c.*

*A.C.* 1476. *S.P.N.* 996.

MOritur magnus ille Cisterciensium nostrorum Abbas & Generalis Himbertus de Lana Zelator honoris & libertatis Ecclesiasticæ potentissimus ac generosissimus, cui Ioannes succedit familia de Circeio seu Circio, quem: *Massam, omnibus virtutibus, elimatam,* Bonifacius Simoneta appellat. In Galliis alter ex eodem Cænobio Abbas, successor successori, in Archiepiscopatu quoque Viennensi subrogatur, Guido, Sanct. Petri ibidem Monachorum Antistes, ut videas, quantum sit, inter tot ambientium vota, minime ambientes votis prævaluisse. *Claud. Rob. Annal. Vienn. &c.*

Sed ante omnes insignis hoc anno ad sacram purpuram promotio Georgij Costæ Lusitani, qui cum infimo genere natus esset, & humilitate nihilominus semper decrescere contenderet, ob vitæ Sanctimoniam Populeti creatus Abbas, inde quanto magis fugeret, ad honores raptus, Episcopus Albensis, dehinc Archiepiscopus Vlisipponensis, hoc demum anno Presbyter Cardinalis Tit. Sanct. Marcellini creatus, non tam ornatus purpura est, quam purpuram ornavit, magnis dein pro Ecclesia laboribus strenuè perfunctus. *Ex Garimberto, Bern. Brito, Barn. Montalbo, Gasp. Iongel. &c.*

*A.C.* 1477. *S.P.N.* 997.

MAgna gloria sacræ familiæ nostræ Virginum fontis Ebraldi seu Everardi, in qua cælorum Augustæ, Illustrissimæ Galliarum Principes, magno omnium exemplo, ancillas se devovent, quibus mortua sub hunc annum, imo immortalibus pro vitæ meritis juncta Maria Britanniæ Ducissa, hoc anno præest Anna Ducissa Aurelianensis (de Orleans) Ludovici XII. Galliarum Regis soror, Fuitque admirandum semper, eius sacri Instituti decus, & Sacrum Vitæ rigorem, inter delicatissimas & Regias Virgines, ita sibi semper constitisse, ut idipsum miraculo proximum, si miraculum nolis dicere, fateri cogaris; etiam usque hodie, observantia illa perennante, maxima cum Regni, tum tot Illustrissimarum familiarum, atque ordinis inprimis universi ornamento. *Ex moniment. & Annal. Font. Ever. Claud. Robert. &c.*

Sed neque Germaniæ, rapto in præceps mundo talia desunt exempla pietatis, etiam in fæminis, è quibus celebratur hoc ipso tempore Venerabilis Catharina ex Illustrissima Comitum Rheni familia Abbatissa Horrei, & multæ aliæ Principes Cænobij Gandersheimensis, Quedlinburgensis, Essensis, Herefordensis &c. Priusquam sequentis sæculi tempestas pleraque demersisset, cum nemo iam esset, qui infirmo sexui piam manum præberet, auri sacra fames omnia depasceret, & quæ prisca maiorum fundaverat tot sæculis pietas, momento abliguriret.

Sed neque virorum Sanctitatis opinione illustrium, diversis passim provinciis copia defuit, è quibus B. Ioannes Cælestinus, Viennæ in Gallia, miraculis gloriosus refulsit, Dunis in inferiore Germania B. Iacobus mire enituit, quem sequenti anno ipse Doctor Mellifluus spectabili forma ad patriam cælestem invitavit, quo ipso anno ibidem Ven. Ægidius cognomento de Roya, Abbas quondam Montis Regalis, sanctissime decessit, cuius vita Angelica potius fuisse, quam hominis memoratur. &c. *Ex Menol. nost. Montalbo, Henriq. &c.*

*A.C.* 1477. *S.P.N.* 998.

NVnquam satis pro meritis extollendus Guilelmus noster de Estonvilla singulare Eccl. Romanæ, & universalis ornamentũ, inter Patres purpuratos

ratos eminet, & omnes in sui admirationem convertit, tantis virtutibus ita diversis Pontificibus commendatus, ut in eo ornando extollendoque omnes quasi contenderint. De eodem, & honoribus eius sic Ciaconius: D. Guilelmus de Estontevilla, Normandus, Gallus, decretorum Doctor, Monachus & Prior S. Martini de campis Parisiis Ordinis S. BENEDICTI Congregationis Cluniacensis, Episcopus Marinensis, post Andegavensis, deinde Bitterrensis, postremo Archiepiscopus Rothomagensis, & Sanct. Rom. Eccles. presbyter Cardinalis SS. Martini & Sylvestri in Montibus Titulo Equitij, factus postea Episcopus Cardin. Portuensis & Sanct. Rufinę à Nicolao Papa V. & Ostiensis & Veliternus à Pio II. Qui nobilissima & antiquissima ortus familia, Regibus enim Francorum sanguine junctus erat, virtute, doctrina, Religione ita excelluit, ut merito ab Eugenio IV. Cardinalitia dignitate donaretur, apud omnes enim Principes ob familię splendorem, & vitę integritatem plurimum valuit, & maxima in ęstimatione fuit, Religionis maximus cultor, Ecclesiam Sanct. Augustini urbis à fundamẽtis construxit, & amplissimis dotibus, & vestibus pretiosissimis ornavit, Basilicę etiam S. MARIÆ Maioris multos ad cultum Divinum reliquit proventus, vasa aurea & argentea ingentis valoris donavit &c.

*A. C.* 1479. *S. P. N.* 999.

PLurimũ demeretur Ecclesiam Venerabilis Gregorius Costa Sanct. Rom. Eccles. Cardinalis, ex Abbate Populetano, idem de Regno Portugalliæ nuper meritissimus, cum Ioannis Regis Confessarium egisset, vir per omnia Sanctus, & quidem eruditionis etiam fama celeberrimus. Fuit idem amantissimus Regię illius & Doctissimę Heroinę S. Catharinę Virg. & Martyris, cuius cum arma gentilitia non haberet, rotam, acutis pręfixam ferris pro insigni accepit; eamque in omni vita Religiosissimè coluit, inde etiam Cardinalis à S. Catharina cognominatus. *Ex cit. supra.*

Quo ipso etiam anno Ioannes de Balves noster Episcopus Ambianensis creatus est; Sed & plures alij ex ordine ad diversas Cathedras promoti.

Obijt eodem anno B. Hieronymus de Corsica Conversus Olivetanus, prophetico Spiritu, & aliis insignibus à Numine gratiis adornatus. Cuius vitam scripsit, Andreas Valaterranus, &c.

*A. C.* 1480. *S. P. N.* 1000.

PLurimus egregiorum ex ordine Pontificum numerus recensendus, quorum res præclarè gestæ ad annos singulos referendæ, quas tamẽ omnes inventu faciles, quia ætati nostræ propiores, brevitatis causa prætermittimus. Ex eo tamen numero quin nominemus saltem, Godofridum Virdunensem Monachum, ex Monacho Episcopum Andegavensem (quem nequicquam Anoldus S. Dionysij Abbatem asserit) ex Episcopo S. R. E. presbyterum Cardinalem, facere non possumus, ex infimâ fortuna ad summam provectum, in ipso etiam summo deinceps honore maioribus titulis ob merita auctum & locupletatũ. Bellforest. Ciacon. Fuit secundum alios etiam Ebroicensis & Virdunensis Episcopus, idem à nonnullis præter meritum pessimè traductus, quem Claudius Roberbus male commendatarium appellat. Vid. Wion. in annotatione ad eiusdem creationem.

Ipso anno claret Cosmus de Milioratis, Visinus, Romanus, Monachus & Abbas Farfensis, Archiepiscopus Travensis S. R. E. Cardi. n Tit. SS. Nerei & Achillei. *Leg. Ciacon. Panv. Sansovin. &c.*

*A. C.* 1481. *S. P. N.* 1001.

MEretur immortaliter de Augustissima cælorum Imperatrice, eiusq; devotis clientibus Ioannes de Lannoy Abbas Audomarensis in Belgio, insigni instituto sodalitio, sub nomine & Patrocinio Virginis præsentatę, ad cuius altare primarium, non pauca deinceps evenisse miracula memorantur, DEO ac Deipara optimi Institutoris, & fidelium Clientum suorum, contestatam publicè fidem ac devotionem, publicè item approbante, & sic fovente ac magis magisq; concitante. *Ex Annal. Belg. monim. Audomaropol. &c.*

Ipso anno, maxima fervoris sacri apud alumnos suos concitatione, solemnissima pompa transfertur Sanct. Romualdus Camaldulensium nostrorum magnus Institutor è Valle castri, Fabrianum, ibidemque in Sanct.

Blasij

Blasij Basilica summo cum honore reconditur. *Ex August. Fortun. Menol. nost. &c.*

*A.C.* 1482. *S.P.N.* 1002.

RVrsum in amplissimas laudes Guilelmi nostri Totavillani, Sanct. Rom. Eccles. Cardin. Episcopi Ostiensis, & veliterni erumpendum, nisi prohiberet promissum, qui hoc anno post innumera in Ecclesiam Romanam, & Galliæ Regnum, suosque maximè Episcopatus merita, felicissimè in naturæ debitum concessit, Vir pietate insignis & magno animo præditus. *Octav. Pancirola. Panvin. Ciacon. Clem. Robert. Philelphus.*

*A.C.* 1483. *S.P.N.* 1003.

INsigniter Regium genus & ordinem nostrum in Galliis illustrat Joannes Barbonius Abbas sanctissimi illius Archisterij Cluniacensis, sub quo multi ibidem Ascetæ magnis emicuere virtutibus, & ad primævam loci, magnis conatibus enixi sunt sanctitatem; Ioanne, quo erat Regio ingenio & pectore, regium in hoc ipso animum præferente, suoque exemplo, non tam de suis solummodo, quam pluribus alijs præclarè merente. *Ex Bibl. Cluniac. Claud. Rob. &c.*

Inter viros eruditione illustriores, eminent Guilelmus Cellingus, Sanct. Servatoris Cantuariæ Asceta, Abbas dein Sanct. Augustini, de Regno Angliæ meritissimus, cuius consilio in rebus Regni maximè arduis Rex usus est, cumque Romam aliquando Legatum & Oratorem destinavit. Fuit Angelo Politiano Bononiæ familiaris, & plura præstantissimi ingenii post se reliquit monimenta; dein Thomas Radburnus, Hidensis iuxta Wintoniam Cænobii Monachus, cuius plura digna æternitate opera extare dicuntur, alijq; præstantes ingenio viri. *De quibus consulendi diversi rerum Angl. script.*

Ipso annno Severinę in Calabria Archiepiscopus creatur Henricus Abbas Sanct. MARIÆ de Altilia, à Sixto IV. pro vitæ meritis ad id honoris promotus. *Gasp. Iongel.*

*A.C.* 1484. *S.P.N.* 1004.

NOvo Ecclesiæ, circumamictę diversorum ordinum varietate, ornamento & plurimarum animarum summo instituitur hoc anno Ordo Conceptionis Beatissimæ Virginis; quem primo inchoavit in urbe Toletana B. Beatrix à Sylva, nobilissima Virgo Lusitana, quem post tertium ab hoc, annum sub Regula Serenissimi Patris nostri BENEDICTI confirmavit Innocentius Octavus. *Henriq. &c.*

Eodem anno ad ulteriorem gradum promotus pro meritis noster Godefridus Balves, renunciatur à Sixto IV. Cardinalis Episcopus Albanensis. *Panvin. &c.*

*A.C.* 1485. *S.P.N.* 1005.

MEmorabili prodigio institutam superiore anno novam à B. Beatrice familiam confirmat & commendat Numen ipsum: Cum enim idem sanctissimum illud Institutum Innocentius VIII. Pont. Max. solemniter confirmasset, & Bulla Confirmationis, magno desiderio à B. Beatrice & novis DEIparæ alumnis, in Hispania expectaretur, contigit navem in qua Bulla advehebatur naufragio interire, super quo recurrens ad Dominum Beatrix, & in orationem effusa, dum ea completa, ad negotia regreditur, res stupenda? Bullam salvam & integram in scrinio quodam suo, alijs admixtam chartis reperit, magno inde gaudio perfusa, adeo spectabili, comprobati ab ipsomet Numine Instituti sui, honorata & edocta argumento. *Ex vita, Marieta &c.*

Moritur ipso hoc anno Ioannes Barbonius magnus revera Abbas Cluniacensis, cui Iacobus de Ambosia succedit & ipsi à maximis dotibus commendatus.

Ipso anno, dum Ioannem Aragonium Ferdinandi Aragonum & Neapolis Regis filium, sacri Casinatis montis Abbatem commendatarium & Sanct. Roman. Eccles. Cardinalem cupido cepisset (verbis religiosissimi & disertissimi P. D. Marci Antonii Scipio-

pionis referimus) Sanctissimi Patriarchæ Benedicti, eiusq; sororis Scholasticæ sacra pignora, si qua ratione posset, inveniendi. Iussit igitur sub Ara maxima fabros cæmentarios quaqua versus terram effodere, donec latitantem thesaurum aperirent; Sed crebris tonitruis, & frequenti terræ motu, imbriumque profluentia perterriti, à perquirendo desistere cogitabant. Verum in suscepto animi decreto nihilominus perdurante Cardinali, eumdem laborem vel tertio repetere compelluntur, fremente interim continenter, ac minitante horrendis fragoribus cælo; donec quod erat in votis, tandem aliquando detectum est. Auxit optatissimæ sacrorum pignorum inventionis summam voluptatem, Cristallinus liquor, sepulchrali lapidi porphyretico abunde superfusus, nec tamen ulla ex parte exundans, Aragonio, satis fuit, Sanctissimi Patriarchæ, eiusque sororis, pretiosas exuvias reperisse ac vidisse: loco moveri easdem, qua reverentia tanti Patris, qua conspecti liquoris religiosa admiratione, non est passus.

Divorum etiam Constantini, simplicii & Carolomanni Regis & Monachi, sacri cineres, qui eadem opera iuxta pedes SS. Benedicti & Scholasticæ reperti fuerant, in Sacrarium translati, ibidem ad annum insequentem jacuere; Sed, ut sunt Divina Iudicia mortalibus incomperta, multæ ingentesque calamitates subinde toto Regno consequutæ sunt, ac bellis præsertim civilibus laboratum est. Quin Ioannes eodem anno Romæ, vi pestilentiæ correptus occubit mense Iunio. Reliquis etiam, qui aliquid operæ in illud opus contulerant, & (quod magis mirere) ipsiusmet Neapolitani Regis filiis omnibus intra biennium extinctis. Demum jussu D. Ioannis Antonii Caraffa, filii Comitis Magdaluni, ac Viceregis Abbatiæ Casinensis, prædicta Divorum corpora ad pedes Sanctorum Benedicti & Scholasticæ, ubi prius reperta fuerant referuntur; ipso etiam altari eum in locum, unde per occasionem effodiendi sepulchri remotum fuerat, restituto. Idque eodem planè mense & die contigit, in quem biennio ante Sacrorum Pignorum Inventio Translatioque inciderant. Divino potius Consilio, quam humana industria; cum istuc ipsum nemo, nisi re perfecta translataque animadverterit: uti ex publico documento Christophori Peroni de Sanct. Germano Imperiali & Abbatiali auctoritate tabellionis, inter cæteras Archivi Casinensis membranas annumerato, & in libellum de vera existentia corporis Sanct. Pat. Benedicti in Sanct. Casinensi Basilica indito, perspicuum habetur & exploratum. *Ita doctissimus & amicissimus noster P. D. Scipio.*

*A. C.* 1486. *S. P. N.* 1006.

INfanda sacri auri fame sitique, Commendis, ut vocant, pessime commendatis, & Symonia invalescentibus, cum res eo devenisset, ut à magnis etiam Regibus Innocentius Papa, de extinguenda penitus, sacra Cisterciensi familia sollicitaretur, verbo potens & exemplo Ioannes de Circio eiusdem Sacri Instituti meritissimus Generalis, tantis fluctibus, omni destitutus humano subsidio, solus quasi obnixus, ipsa sua integritate atque ob egregiam famam auctoritate, de potentissimis adversariis triumphavit, & contra perniciosissimam Romanæ Ecclesiæ pestem, Commendarum usum seu abusum, verbo & scriptis doctissime disputavit, simulpue ordini & Libertati Ecclesiasticæ generosè consulvit, ob idipsum ab Innocentio magno in pretio habitus, & singulariter adamatus, Ang. Manriq. Moniment. Cist. &c.

Ipso anno Antonius Petrus Monachus Cluniacensis Vabrensium Pontifex renunciatur, & Petrus Frigidi Montis in Gallia Abbas Belluacensi Episcopo Vicarius adiunctus suffraganeus declaratur & consecratur, verum ipse & Vigilantissimum pastorem agens, invalescente circum late nequitia Hæreticorum.



*A. C.*

A. C. 1487. S. P. N. 1007.

INgens gloria & fama congregationis S. Iustinæ Monachorum, cui hoc ipso anno præfuit Gaspar Papiensis, Abbas Cænobij Sanctæ Iustinæ Paduani, vir eximiæ Sanctitatis & doctrinæ, ut ex capite facile totius corporis proportionem metiaris. vid. Iac Cavacius, &c.


Nec minor à meritis, & viris perfectis commendatio Congregationis Bursfeldensis, quæ nunc quam maximè florere cæpit, & latissimè propagari. Ita diversis passim provinciis primus Benedictini Spiritus fervor, singulari Numinis providentia resuscitatur, Trith.

A. C. 1488. S. P. N. 1008.

IN Hispania etiam invalescente à Commendatariis peste strenuè è nostris rem nonnulli agunt, & de Triennalibus instituendis Abbatibus Consilium ex animi procedit sententia, quo invento multa Cænobia servata sunt.

Sed & reformatio illa Montis Syon plurimos accendit, & filios veros benedictionis Syon effecit, summo bonorum inter tot afflictiones solatio, sed & lucro fidelium maximo, cum nova hâc vitæ Monachicæ ratione, nemo non raperetur & excitaretur, præter illos, quorum Sacrilega sitis, gehennæ iam accensa ignibus, inextinguibili quoque siti miseros vexabat, & lethargo prosternebat exitiosissimo, ita ut bonis Ecclesiasticis incubantes canes, & indormientes, *securè*, ut loquitur doctissimus Saussejus, *præstolarentur iram DEI.*

Claret præ alijs ordinis nostri hoc tempore Episcopis, Godefridus ex Monacho & Abbate Sancti Germanni de Pratis Catalaunensium in Gallia Pontifex, pulcherrimo exemplo *Monasticæ vitæ semper memor, qui regularem disciplinam, ad finem usque indefesse observare studuit*, quæ ipsa, nulla ipsum ambitione promotum sed Divino vocante spiritu, electum, DEO que dilectum comprobarunt. *Arnoldus Duac. & quem citat, Belforest.*



A. C. 1489. S. P. N. 1009.

IN Sanct. Rom. Eccles. Cardinalium Collegium cooptatur ab Innocentio Papa VIII. Andreas noster de Espanay ex Monacho & Priore Sancti Martini de Campis, vir plane egregius, & ob raram virtutem à diversissimis Cathedralium Ecclesiarum Collegiis exambitus, Arelatensis, Lugdunensis, Burdegalensis, Archiepiscopus, quem corruptæ de l'espine Lurbæus in Chron. & male Ludovicum Onuphrius & Ciacon. vocant. Fuit Carolo VIII. & Ludovico 12. Regibus inprimis dilectus, fratresq; habuit Robertum Nannetensem, Ioannem Mirapinensem postea Valentinũ, & patruum Jacobum Redonensem, Episcopus. Vnde colligas virtutem eorundem, & ex tantis fratribus & cognato, Andreæ nostri principatum metiaris, Clem, Rob. &c. Andreæ inter alia illustre illud, & dignum æternitate Religionis exemplum commendatur, cum comitatus sui amantissimum Carolum Regem ad bellum Neapolitanum occurrentibus Venetorum ac Ludovici Sfortiæ copiis, ac sacerdotibus reliquis, & inprimis Guilhelmo Bussoneto Sanct. Rom. Eccles. Cardinale, arma protinus capientibus, & omni militari apparatu ferreo se munientibus, ipse solus tale damnans ac detestatus consilium, arma viro sacerdoti ac Cardinali magis convenientia accepit. Etenim tyara tantum capiti imposita, solaque Sacerdotali Chlamyde indutus, Crucem Dominicam intrepidus, dextera assumpsit: quo confisus gestamine à Caroli latere nunquam discedens armatorum omnium spicula ac tela elusit. *vid Ciacon. Panvin. &c.*

A. C. 1489. S. P. N. 1009.

MIraculum orbis ex ordine nostro, Carolus Ferdinandus Brugensis claret, â prima ferè ætate oculis captus, & obid elementorum quoque ignarus, ea tamen ingenij sagacitate, ut alter sæculi huius Homerus esset, in omni sciẽtiarum genere versatissimus, adeo ut in celeberrimo orbis Parisiensi Gymnasio publicè doceret. Is contempto eo, quod miraculo omnibus esset Monasterium ordinis nostri Casalinum

num S. Vincentij ingressus, cucullum fama omni sanctius & potius habuit, & Apostolica dispensatione Diaconus ordinatus nomen suum per insignibus ingenii monimentis æternum fecit. Reliquit

- Commentariorum lib. I.
- Laudis ordinis Carmelitarum l. I.
- De Conceptione B. Mariæ Virginis l. I.
- Odarum in laudem Christi Domini l. 4.
- Carmen Iambicum de virgine Maria. l. I.
- Orationem de eadem l. I.
- De S. Catharina l. I.
- Carmina diversi generis l. I.
- Elegiarum de contemptu mundi l. I.
- Epistolarum ad diversos l. 2.
- Speculum disciplinæ Monasticæ l. 4.
- Epistolam Parænetican observationis BENEDICTINÆ. &c.

Inter innumeros genere, & contemptu sæculi illustrissimos Ordinis nostri eminet rarissimo exemplo Anna Caroli Valesij filia, Ludovici XII. Galliarum Regis soror Sanctimonialis & Abbatissa Fonteverralliorum. Arnoldus. &c.

*A. C.* 1491. *S. P. N.* 1011.

SUpremus hic annus fuit Godofrido Balves Episcopo Cardinali Albano, perpetuo Marchiæ Legato, Romanis Pontificibus diversis ob virtutem, & merita charissimo, & ad summa provecto. Quo ipso tempore claret egregia Sanctitate & doctrina illustrissimus B. Maphæus Gerardus Congregationis Camaldulensis Monachus S. R. E. Card. Venetiarum Patriarcha, à Garimberto impiè proscissus, quem Ciaconius & alii sequuti, stupidum ac crassæ Minervæ per errorem dixêre, quem ob sanctitatem, eruditionem & rarissimam animi demissionem summopere commendare debuissent. Insolens planè sanctissimæ negligentiæ, si non industriæ exemplum in Maphæo fuit, quod diploma Innocentij Pontificis, quo eius in Collegium purpuratorum Patrum cooptati nuncius perferebatur sive industria, sive quod non æquè magni ista honorum insignia penderet, amiserit. Idcirco à Garimberto, & qui ipsum solum legerunt, pessimè traductus. *vid. Augustin. Florent. Arnoldus. &c.*

*A. C.* 1492. *S. P. N.* 1012.

INsigni vitę Sanctimonia honorem ordinis inter tot tempestates procellas & tenebras tuetur Venerabilis Petrus Delphinus Patricius Venetus, Victoris & Luciæ Superantiæ Illustrissimorum parentum filius, lectissimæ familiæ nostræ Camaldulensis Generalis, æternum Sacri & Patricij ordinis decus, qui perditissimo tempore admirabili constantia calamitatibus generose obnixus, meritissimis de ordine Heroibus accenseri meruit. Ipso anno moritur Ioannes de Lannoij Abbas Sanct. Bertini, & ipse, magnis pro vitæ dignitate & meritis, encomiis celebratus.

*A. C.* 1493. *S. P. N.* 1013.

RElictis omnibus aliis, quin hoc anno meritissimum de ordine nostro, gratissimæ recordationis Arnoldum Wionium, alterum Historici maris (quamvis non sine nonnullis in tanta vastitate erroribus) domitorem, & Columbum audiamus, non possumus: Super Bucilli nostri Archi- & Proto Americæ & Antipodum Apostoli & Patriarchæ ad novum orbem profectione: Benedictus, inquit, DEVS & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Quid quæso Ecclesia Sancta DEI protulit ordine Benedictino sanctius? Quid eius institutore immaculatum magis, cuius anima letali vulnere nunquam maculatą legitur? Quid charitate Benedictina mirabilius dici potest, & maius? illam enarrare & demonstrare cum hactenus in hoc unum incubuerimus, quid juvat? Europam, Asiam, Africam, nonne seminibus ejus repletas vidimus? Nonne hæc sua sancta prædicatione Regna, & provincias convertit? sua humilitate superbos Reges vicit: tyrannos sua constantia terruit: idola subvertit suo Zelo: sua doctrina sapientiam huius sæculi confudit; barbariem efferam, mansuetam sua simplicitate reddidit; invia

&in-

& inaccessa, pervia sibi suo labore fecit? Nonne pro hâc quidam in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ inventi: alii ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres; alii lapidibus obruti; alij gladio necati; alij igne consumpti; alij diversis tormentorum generibus affecti sunt? Nec his tamen terminum suis pedibus posuit; magna est enim domus Benedictina, & ingens locus possessionis eius; gentes quos non noverat semen eius hæreditavit, civitates desertas inhabitavit, & non est finis acquisitionis eius: transfretavit mare, & adinvenit terram prudentia sua, quam præparavit ei DEVS in æterno tempore, ex qua attulit fructum super aurum electũ, ut sit illi in laudem gloriæ eius. Benedicens benedixit ei DEVS, in benedictione tali, quæ omnem benedictionem superat. Antipodas namque, quos veteres ut fabulosos reijciebant, nostra hâc ætate experientia veros repertos, Benedictinorum primitias esse voluit, ut quemadmodum præteritis sæculis Benedictini, voluntariè ex mera charitate, se totos in conversione gentium, ad DEI laudem insumpserant, ita nunc digna pro meritis suis remuneratione, ab ipso ad pium hoc opus eligerentur, ne alij hanc ab eis laudem, quæ ipsis solis debebatur, præriperent. Cum enim Columbo Genuensi Duce anno Domini circiter 1490, India Occidua, quæ Indico nomine Peru, & ab Americo Vesputio Florentino, qui quatuor navigationibus eam operuit, America (quarta pars orbis dicitur) nunquam antehac cognita, imo, ut dixi, pro fabulosa habita, reperta non sine Divina voluntate fuisset, & Ferdinandus ac Isabella Hispaniæ Reges, ab Alexandro Papa VI. anno 1493. IV. Kal. Maij bulla, legitimi ejus Domini constituti, ita tamen ut præcones Evangelii illuc mittere tenerentur, Dominus Bueill Hispanus Catalanus, Monachus Ord. S. BENEDICTI (Monasterij ut arbitror, quamvis illud ab auctoribus non prodatur (imo proditur) S. MARIÆ Montis serrati, quod tunc primum agente D. Garsia à Cisneros illius congregationis Reformatore, uti superius diximus, Sanctitatis suæ radios expandere incipiebat) ob singularem Sanctitatem, & admirabilem doctrinam, primus novi orbis Apostolus electus, & Indiarum Archiepiscopus, & Patriarcha, ac Vicarius Summi Romani Pontificis apud illas Regiones nominatus est. Qui sic electus duodecim sibi sacerdotes, viros Religiosos elegit, & benedictione Pontificali percepta, omnibus ad hanc novam Evangelij prædicationem necessarijs præparatis, ex Hispania discessit, eodem anno 1493. die 25. mensis Septembris. Videndi Honorius Philoponus, Petrus Cieza, Gilbertus Genebrardus. &c.

*A.C.1494* *S. P. N. 1014.*

Hispanias & Ferdinandum Regem Catholicum strenuè demeretur Ioannes Payus, cognomento Coëllus, patria Zamorensis Monachus & Abbas Hortensis dein Populeti eidem Regi ob eximias animi dotes plurimum & inter paucos dilectus; à quo deputatus negotijs publicis totius Comitatus Barcinonensis, adeo prudenter cuncta administravit, ut idem Rex frequenter dictitaret, nullam ad se querelam delatam esse de factis, cum Populeti Abbas assisteret: si forte abesset, vix decerni quidquam, quod nõ per eum veniret emendandum. Magno sanè elogio, quia à magno Rege; & tanto maius, quãto frequentius ab eodem congeminatum. *Ang. Manrique. Monim. Popul. & Hort. &c.*

*A. C. 1495.* *S. P. N. 1015.*

HOC & præcedenti anno præclare merentur de Ordinibus per Hispanias Militaribus Cistercienses nostri, Petrus inprimis Clarevallis Abbas, qui magna dexteritate eosdem ad meliora, rem strenuè urgente & promovente Rege Catholico, revocat, prçterque restitutas antiquas ordinum leges, novas aliquas & tempori conformes adijcit; ex quo magnus est fructus consequutus, repressa vitia, & grandia inde emergentia scandala & damna sublata. *Ang. Manriq. &c.* E viris eruditione illustribus eminet Thomas Mellingus ex Abbate Westmonasteriensi Herefordensis Episcopus, Eduardo Regi charissimus, qui eius consilio in rebus arduis usus est, cuius primogenitum Principem Eduardum è sacro fonte levavit; Henricus item Bradshaus Cestrensis, & Iacobus Traiectensis ex familia olivetanæ

næ Monachus, relictis ingenij monimentis immortales. *Leland. Pitsius, Maiheu, Lancell. &c.*

*A.C.* 1496. *S.P.N.* 1016.

BErnardinus Gadolus, singulare ordinis nostri lumen emicat, Monachus & Abbas Camaldulensis, vir non minoris Sanctitatis quam doctrinæ. Eius opera celebriora sunt, quibus de omni posteritate præcipuè meruit:

In omnes Sacræ Scripturæ libros Commentaria.
De fugiendo sęculo & Religione amplectenda l.1.
Contra superbiam & ambitionem l.1.
Opera S. Hieronymi in ordinem redegit.
Sermonum qui extant l.1.
Epistolarum l.1.

Nec minori fama celebris, & gloria commendandus, singularis Beatissimæ Virginis amator Conradus de Rodenberg Monachus & prior S: Mariæ Treverensis, demum Abbas Sanct. Ioannis Baptistæ Rinaugiensis, scripsit in laudem cælitum Imperatricis, sumptis de singulis eius membris materia,

Vineam Domini Sabaoth l.1.
Exercitium Novitiorum l.1.
De præparatione ante Missam l.1.
Orationum variarum. l.1.

De alijs diversis ex ordine scriptoribus consulendi Trithem. Wionius, Gault. &c.

*A.C.* 1497. *S.P.N.* 1017.

ITerum illustris ordinis Reformatio, præcipitante quotidie in deterius mundo, se prodit, & magno statim fructu se exporrigit, suscepta primùm in Monasterio Casalis Benedicti, atque inde cognominata, ex qua multi quamprimum viri illustres prodière, è quibus Princeps Guilhelmus enituit eius loci Abbas, & præcipuus promotor reformationis. *Vid. Claud. Rob.*

Ipso anno consecratur Tornacensis in Belgio Episcopus Petrus Kuick, Abbas S. Amandi, professus Monasterij Dunensis, & ordinem fama virtutis atque eruditionis haud leviter illustrat. Sed & inter eminentissimos è sacra effulget purpura Ioannes S. Dionysij Monachus & Abbas, ex Regio Legato & Oratore Presbyter Card. Tit. S. Sabinæ, exsplendescunt & alii è Cathedris amplissimis, Ioannes Cordis Archiepiscopus Bituricensis; Wilhelmus Archiepiscopus Rhemensis, alijque è Monasterijs & Cellis, ad summos honores pro meritis extracti. *Ioan. Chenu. Claud. Rob. lib. de provis. Prælat. &c.*

*A.C.* 1498. *S.P.N.* 1018.

FLorentissimus Rei Benedictinæ Status, per Congregationem Bursfeldensem in Germania, S. Justinæ in Italia &c. reformatissimus: In Italia viri Sanctitate præstantissimi plures excellunt, omnes fere omnino Sanctitatis opinione: Bursfeldensem congregationem, postquam felicem & sanctam prędicavit Arnoldus noster, ob plurimos in omni scientiarum genere viros doctos, & Sanctos quos protulit, tunc vero maximè beatam extulit, cum Dominum Ioannem illum Trithemium toto terrarum orbo ex fama notissimum (floruit is hoc ipso tempore, summis Principibus intimè charus & familiaris, & omnibus omnino admirandus) Abbatem Spanheimensem & Herbipolensem edidit: virum, si doctrinam consideres sapientissimum; si Sanctitatem, incomparabilem, & quodammodo, ut ita dicam, Orbis miraculum. Sed de eo pro meritorum copia frequentius.

*A.C.* 1499. *S.P.N.* 1019.

EOdem quo Germani, Italique Spiritu Domini DEI, justorumque omnium, quo plenus, Gregorio nostro teste, Sanctissimus Pater, & Patriarcha noster fuit, incitati Hispanorum animi, Garsia inprimis de Cisneros Duce, tota mentis intentione, atque contentione, ad revocandum primorum sæculorum in ordine fervorem convertuntur. Sequutus ingens inde in Hispaniam, sed & Ecclesiam universam fructus, suo tempore pluribus commendandus, & reformatis longè lateque per Hispaniarum Regna Cænobijs, vere Sanctitatis, & profundæ doctrinę inveterascenti Mundo exempla dignissima ministrata. *vid. Ant. de Yepes in Monserrat. script. rer. Hispanicarum.*

Ipso eodem tempore floret & propagatur Congregatio Sagiensis de qua Carolus Ferdinandus. Wion. &c. Vnde colli-

colligas, toto passim ordine omni non solum sæculo, de continuando primo fervore laboratum, sed & continuatum proximo inprimis ante hoc nostrum sęculo, quo mundo ipso in tenebris merso, nostri omnimodo emergere, sed & alios juvare studuerunt.

*A. C.* 1500. *S.P.N.* 1020.

FElicissimi nostrorum successus in America; & quod ad cumulum plenitudinis gloriæ Benedictinæ unicum deerat: omnibus iam Europæ, Asiæ, Africæ, Orientis atque Occidentis provinciis nostrorum sanguine tinctis, atque exornatis, sub hoc ipsum tempus felicissima hac purpura Novus ille orbis excolitur, & initiatur. Trucidati aliquot ex Bucillij socijs, quod indignissimè Gentiles ferrent, sua passim omnia Idola destrui ac comminui, quæ summo ipsi cultu atq; honore observabant: quorum nostri, in una solum Hispaniolæ Insula plus quam centum septuaginta millia confregerant. Erectæ vero diversis Regnis ac provinciis à primo Novo orbis Patriarcha nostro Bueillio Cruces diversæ, quæ paulo post summa in veneratione ab incolis habita, admirandis prodigiis à DEO excultæ sunt. Ex quibus, quam in Hispaniola erexit, ac consecravit Bueillius, ea paulo post celebritate (nequidquam frēdentibus, evertere, & cremare satagentibus Idololatris, Divina virtute prohibitis) à novellis Christianis, cultuque perpetuo est frequentata, ut percrebrescente inprimis miraculorum fama, insula deinceps eadem Sanct. Crucis nomine appellaretur. Vid. Honor. Philop. & ab eo cit.

Moritur eodem anno Andreas de Espinay Sanct. Roman. Eccles. Cardinalis vir laudatissimus, de quo superius; atque utinam in eius laudibus immorari licuisset. Ciacon. Clem. Robert. &c.

*A. C.* 1501. *S.P.N.* 1022.

INcredibili successu Serenissimæ Reformationis dignissimum studium infelicissimo illo, & celebratissimo per orbem terrarum universum Cænobio Montis serrati à viro Serenissimo Garsia de Cisneros nostro perque socios eiusdem Monachos perfectissimos promovetur, atque inæstimabili de orbe terrarum universo, æternoque merito, abijsdem Deiparentis cælitum Imperatricis cultus augetur, dum ad famam tantæ perfectionis etiam loco honor magis magisque accrescens, infinito quodammodo, omnium orbis Regnorum ac provinciarum bono, ex Europa, Asia, Africa, Orientis atque Occidentis, Regionibus, undique concurritur, & immensitas pene scelerum per Magnæ Virginis filium, perque merita Matris, ac sudores nostrorum expiatur. Vid. Ant. de Yepes, & liber de origine Cænobij Monserrat. &c.

Camaldulensis etiam congregationis ingens gloria, in qua virorum sanctissimorum, in hanc usque diem, multitudo nunquam defuit. Inter alios vero, hoc ipso, de quo agimus tempore egregie excelluit, B. Eusebius Hispanus Monachus S. Michaelis de Murano, de quo ita Martyrologium Benedictinum ad IV. Id. Feb. Venetiis in Monasterio Sanct. Michaelis de Murano depositio B. Eusebij Hispani ordinis Camaldulensis, qui cum oratoris pro Rege Hispaniæ apud Serenissimam Remp. Venetam fungeretur officio, spretis Mundi illecebris, Monasticæ vitę propositum arripuit, & cùm in omni vita semper admiranda egerit, illud tamen præcipue commemoratur, quod ante mortem Sexdecim totos dies nihil prorsus edens nec bibens in laudibus DEI permanserit. Aldus Munutius sic eius tumulum inscripsit.

Lector parum persiste, rem miram leges
Hic Eusebij Hispani Monachi corpus situm est,
Vir undecunque qui fuit doctissimus.
Nostræque vitæ exemplar admirabile,
Morbo laborans sexdecim totos dies
Edens, bibens nihil prorsus, & usq; suos movens.
Deum adijt: Hoc scires volebam: abi & vale.

*A. C.* 1502. *S.P.N.* 1022.

TRithemius ut mundi miraculum, voce ac scriptis omnium prædicatur. Ejus ingentia, & innumerame-rita, quibus hoc ipso tempore orbem, ordi-

ordinem, & Germaniam maximè patriam æternum demeruit. Sequuturis omnibus sæculis, solus & unus ipse librorum integram bibliothecam unius ingenii fœcundissimum partum reliquit: Ordinis vero, bono promovendo intentissimus, Bursfeldensis congregationis stimulus imo animus fuit. Cæterum Germaniæ decus non solum ingens attulit, sed exemplum immortale prætulit, quod omnis posteritas, summa deinceps contentione assequi laboravit: Bibliotheca nimirum instructa, quæ præstantiorem Germania tunc nullam habuit: Ita ipse ad Ioannem Damium, qui sibi à cubiculis olim fuerat: In omni facultate scientiarum, volumina multa comportavimus, non solum impressa, sed etiam pergameno scripta complura pretiosa, & rara, ut confidenter ausim dicere, in tota Germania similem non esse Bibliothecam, in quâ tot rara & pervetusta reperiantur volumina in omni varietate scripturarum, tam Divinarum quàm sæcularium, diversarum quoque linguarum: Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ruthenicæ, Tartaricæ. Taceo reliquas consulto quæ nostris utuntur characteribus, ut Italiæ, Bohemicæ, Gallicæ, & similes &c.

Quantus verò ad Trithemium undique cõcursus esset, ipse Chronici Spanheimensis auctor commemorat: Bibliotheca, inquit, huius Spanheimensis Monasterii (vix quadraginta octo volumina illic primum invenerat) hodie in omni terra pẹdicatur in tantum, ut multi Principes Episcopi, Doctores, Magistri, Nobiles, viri Clarissimi non solum è vicino, sed etiam è Regionibus longinquis, nomine & fama Ioannis Trithemij Abbatis, & voluminum eius excitati, hunc locum inviserint, quibus antehac nec nomen quidem Cænobij constabat. Inter quos ut paucos cæteris præstantiores commemorem, fuit Ioannes Dalburgius Episcopus Wormatiensis, Ioannes Capnion Portzensis, Conradus Celter Protutius poëta Laureatus, Franciscus Bononius Reginæ Roman. Secretarius, omnes viri doctissimi, Græcæ quoque & Hebraicæ linguarum peritissimi, Henricus Bunangius Saxoniæ Ducum Secretarius, Ioannes Cuspinianus poëta laureatus & Medicus. Iacobus Winpfelingus Theologus. Aquinus natione Suedus Mathematicus subtilissimus. Ægidius Delphius Theologus Parisiensis, Iason Italus, Iodocus Gallus Rubiacensis Theologus. Gabriel Biel Theologus famosissimus &c. alijque multi, quorum nonnulli ad mensam, quidam ad duos vel tres, alij etiam ad unius anni spatium, solutis expensis, amore litterarum tam Græcarum quam Latinarum, quibus instructus affatim habebatur Trithemius, in hoc mansere Cænobio. Ita Chron. Spanheimense.

In Hispaniis vix instituta reformatione, ingens quam primum virorum sanctorum numerus accrevit: inter quos meritis enituit Franciscus de Castro Abbas S. Isidori, quem ob eximiam vitæ sanctitatem, viventem etiamnum Franciscum bonum appellavere; de cujus antecessore & successore, ut & plurimis aliis ex ordine viris perfectissimis, legendus in diversis Cænobiorum fundationibus, & Abbatum Catalogis Antonius de Yepes tomo. 4. 5. 6. 7. &c.

*A.C.* 1503. *S.P.N.* 1023.

PER insigne ordinis nostri ornamentum tollitur, Godefridus ex Monacho & Abbate S. Germani de Pratis Catalanensis Episcopus, vir teste Belforestio, Wione, aliisque Monasticæ vitæ semper memor, qui regularem vitæ disciplinam ad finem usque indefessè observare studuit.

Ex congregatione Camaldulensium eminet inter alios Theophilus Martini, Balnensis Monachus, ac dein Abbas, demum Episcopus Drivastensis in Creta. *Aug. Flor. &c.*

Claret etiam ex sexcentis, quos negligimus inviti, Sanct. Iustinæ Patavinæ Congregationis Monachis Lucas Bernardus Brixiensis, cui posteritas debet hoc ipso tempore B. Ioannis Chrysostomi Homilias octingentas è Græco in Latinum versas: quæ excusę sunt Basileæ tomis duobus.

*A.C.* 1504. *S.P.N.* 1024.

INgenti prodigio, & æternis sæculis pẹdicando restitutę Monachorum deploratę in Casino res, & propensissima Numinis in Monachorum studia voluntas, hoc sęculo manifestissimè com-

comprobata Sereniſſimum illud Cænobium aliquamdiu commendatarij, eosque inter poſtremos Ioannes Medicæus Cardinalis habuerant. Ab hoc Iulius Pontifex Maximus Abbatiam enixè contenderat (verbis Scipionis referamus) Conſalvi Magni aſſiduis, ac penè importunis precibus efflagitatus. Hic enim Ferdinandi Regis Hiſpaniæ copiarum in Italia Imperator cum intra Bandum incluſus, à Gallis ſemeſtri iam obſidione acriter adeo premeretur, ut præ victus inopia, quodvis herbarum genus, ac mures ipſi iam ceſſiſſent in cibum; nec ulla comeatus & ſubſidii ſpes in proximo oſtenderetur: tam difficili tempore & loco, ad preces & vota converſus eſt. Divi BENEDICTI ope ac patricinio, deploratis Hiſpanorum rebus, ſuppliciter implorato: nec fruſtra. Nam inſequenti nocte per quietem à ſuo Tutelari BENEDICTO confirmatus, bono eſſe animo jubetur, hoſtem ſtatuto loco, atque hora laceſſere ad prælium, ex quo certam Victoriam ac Triumphum eſſet relaturus: tantum recordaretur, ubi Campaniæ Regno potitus eſſet, ſuos Monachos in Caſinatis Cænobio liberam profeſſionem aſſerere. Ex nocturno viſo Dux, ac milites erecti capeſſunt pugnam, tanto animi ardore atque audacia, ut Gallis longè numero ſuperioribus, partim cæſis, partim in fugam coniectis, victoria brevi ad Hiſpanos inclinaverit; qui temporis ac cęleſtis Patrocinij beneficium occupantes, invadere hoſtium caſtra, prædas agere, vicinis locis deinceps potiri; donec capta Neapoli (principe Regni Vrbe) reliqua oppida, & urbes, ſponte ſua deditionem fecere &c. Ex hâc porro ſerie atq; eventu rerum quivis (opinor) facile animadvertet, Divi BENEDICTI Numen quantopere Hiſpanorum Regum rationes, atque amplitudinem promoverit: Scilicet providerat Neapolitanum Regnum, haud longo poſt tempore, ad Auſtriacos Principes (ſui generis ſobolem) diffuſo per tot provincias ac Regna dominatu, & Catholicorum Regum non titulo magis, quam profeſſione, atque actionibus glorioſiſſimos, devolutum iri: Quorum in ditione futurum erat, ut plurima ſui inſtituti collegia (Caſinas præſertim) Sanctitate atque opibus florerent, gauderentque opima pace, ac Religioſo otio, pijſſimorum Principum munita patrocinio, libertate cumulata, decorata privilegiis. Ac mihi quidem, illud etiam hâc in re ſpectaſſe videtur Sanctiſſimus Patriarcha, ut quemadmodum Francorum olim Regibus, per ſui ordinis homines, Galliæ ſceptrũ ac diadema conciliaverat, ſic Hiſpanos Reges, bona Italiæ parte, longeque pulcherrima donandos, haud diſſimili beneficio, per ſe ipſe adjuvaret. Ita. M. Antonius Scipio &c. Inter alios ordinis viros illuſtres morte hoc anno defungitur, Antonius de la Haye Abbas S. Dionyſij Pariſiis, quem conſanguineum, & conſiliarium vocabat Ludovicus XII. Francorum Rex. *vid. Clem. Robert.*

*A.C. 1505.* *S.P.N. 1025.*

HOc anno primus rurſum ex ſodalitate Caſinenſi Abbas electus D. Euſebius Mutinenſis, Congregationis S. Iuſtinæ Præſes, ac caput Religioſo centum Monachorum comitatu ſtipatus Caſinum abijt, & unito cum congregatione Iuſtiniana tanto Cænobio, eadem deinceps, ob reverentiam Congregatio Caſinenſis, quæ ante S. Iuſtinæ de Padua appellata, mirandis deinceps incrementis propagata per Italiam ſanctorum Monachorum multitudine, eadem Regna juvit, atque exornavit. Rebus quippe ad eum, de quo ſupra egimus, modum præter expectationem à Conſalvo Magno compoſitis, & ſubacto Campaniæ Regno, ipſe Dux annuente Ferdinando Rege, Regnum idem Proregis dignitate atque Imperio moderabatur. Iamque tam inſignis Victoriæ (quam Divi BENEDICTI auxilio retulerat) optimè conſcius ac memor, de voto perſolvendo religioſe cogitabat. Omnes igitur (pergit Scipio) omnium Cænobitarũ Antiſtites (quotquot ſanctiſſimi Patriarchæ Regulam Neapoli profitebantur) ad ſe accerſiri mandat; viſurus cuinam ſodalitio, Domicilium Caſinas ex voti obligatione attribueret. Hos inter, ſimul ac Vincentium Neapolitanum (id temporis ad ſancti Severini Abbatem) adſpexit, cucullo laxioribus manicis, multiplicique plicatura concimato, atratum ac gravem, intento in eum digito; hic enim vero, inquit, ille eſt, qui Caſinatem ſatum

tum cum amplissimo Cænobio retulerit, ex obiecta mihi specie, Divi BENEDICTI habita quam simillimus. Mox cum Ferdinando Rege ac Iulio Papa, summa solicitudine per litteras, ac nuncios agere non destitit, donec Monasterium Casinas, ad eam Congregationem adiungeretur, cui Sancti Severini sodales antea copulatos compererat.

*A.C.1506.* *S.P.N.1025.*

RUrsum alii ex ordine nostro Congregationis Camaldulensis Monachi Orientalem versus Indiam, ante biennium, Clementis VIII. Summi Pontificis auctoritate, atque jussu profecti, Apostolico munere immortali cum merito probè perfuncti sunt, qui Persiam, atque finitimos Persiæ Indos Evangelica prædicatione indefesse informarunt. Ita perpetuo sæculorum decursu, nostri inremisso labore, fidem Christianam, & Ecclesiæ atque Romani Pontificis auctoritatem in omnes omnino mundi plagas protulerunt, ac felicissimè propagarunt. *vid. Honorius Philoponus.& cit.&c.*

*A. C. 1507.* *S.P.N.1027.*

GLiscentibus iam tum diversarum per Germanias Hæresum seminibus, egregio sanè argumento ostendit, quid ijs in apertum erumpentibus facturus erat, si superstes foret, noster Abbas Trithemius, quibus velut præscius futurorum insigni octo quæstionum enodatione occurrit, & lucubrationes illas anno sequente (quo nimirum caput ipsum Imperij adversum technas, & Machinationes impiorum præmuniret) Maximiliano Cæsari consecravit. Fuere autem.

1. De Fide & intellectu.
2. De Fide necessaria ad salutem.
3. De miraculis infidelium.
4. De Scriptura Sacra.
5. De reprobis atque maleficiis: ubi pestem Germaniæ maximam prævidit, annotavit.
6. De potestate maleficarum, ubi de variis Dæmonum generibus.
7. De promissione Divivina.
8. De providentia Dei.

Neque minus providè idem Abbas scripsit.

De quibusdam in Psalterio dubijs lib. I.

De certis dubiis & quæstionibus in Evangelio secundum Ioannem lib. I.

De prænotionibus licitis Christiano & non licitis l.2.

Variarum quæstionum, orationum & propositionum l. 20.

Inexplicabile vero meritum, quo obstrictam Germaniam universam (utinam impia & diabolica hominum pestis, & colluvies agnosceret) voluit, fuit, quod improbas mortalium invalescentes longe lateque superstitiones, magiam, & cum Infero consuetudinem detestandam, & maleficia omnia fore pro virili laboravit: ac proin.

Contra maleficos, & omnes artes & superstitiones ab Ecclesia prohibitas libros quinq; conscripsit.

His alios duodecim: De Dæmonibus, & artibus profanis, maleficis, & superstitiosis libros addidit, inque ijsdem omnia diabolicarum artium vaframenta, egregiè explosit, confudit, atque evertit. *Ex eius operibus, Duraclusio, Wione, &c.*

Moritur hoc anno Eusebius primus à restitutione Abbas Casinensis, & Congregationis eiusdem celeberrimæ præses, sive Generalis, plurimis, si immorari liceret, virtutibus atque meritis, sed inprimis à mirifico ardore Religiosam disciplinam instaurandi, & indefesso animi studio eam conservandi commendatus: Videndus M. Ant. Scipio. &c.

*A. C. 1508.* *S.P.N. 1028.*

QVia deinceps Apostolatus nostrorum in America apud Antipodas, resque gestæ eorundem, ut & felix vitæ exitus ad certos referri annos non possunt, vel hoc saltem anno supremum, immortalia eorundem præstita novo orbi beneficia brevissime commemoremus. Illud proinde longe amplissimum ordini nostro, singulari propensissimi Numinis voluntate decretum, ut primum ipse Novi orbis, eousque incogniti, Patriarcham, & Sanctorum Petri & Pauli à Sancta Sede Romana delegatum, ac plenipotentem super Indorum novi orbis Ecclesias Vicarium, ei destinaret. Ita præter plurimos alios,

oculatus testis, vir clarissimus, & prę-stantissimus Ferdinandus Gonsalvus Ovettensis, qui tunc Romę (quando ea missio adornata Anno 1493.) cum Hispanię Legatis adfuerat &c. Versum fide optima reddamus. In data Bulla Anno 1493. ordinavit Papa per donationem Apostolicam, de cura quā habere debeant de convertendis gentibus Indianis ad Fidem Sanctam, Ad quam ordinavit in secundo itinere cum Columbo certas personas Religiosas, doctas & approbatę vitę. Ad quem effectum electus fuit comprimis Frater Buill Catalonus ex ordine Sancti BENEDICTI: cui Pontifex dedit plenissimam potestatem regendi Ecclesiam ijs in Regionibus Indię. Qua propter iste caput fuit aliorum Religiosorum ac Clericorum, qui Deo in Conversione harum gentium Indicarum inservire, & progredi constituebant. Itaque cruces & calices, & imagines, ac reliqua paramenta necessaria, quibus opus habebant ad Ecclesias constituendas secum portabant. Ita Ferdinandus. Paria Franciscus Lopez, Thomas Botius, Genebrardus &c.

Debent dein Antipodes sive Americæ novi orbis incolæ, Benedictinis Monachis, & primo Patriarchæ suo Buellio, Pontificis Romani Vicario, primos ibidem ordinatos Episcopos, & Ecclesiæ pastores, exstructas Ecclesias, fundata Monachorum ac Clericorum Collegia, Scholas, Seminaria, fidem denique, qua maius, & necessarium magis non est ad salutem sempiternam. De Buellij sanctitate, raris virtute Sanctæ Crucis prodigiis, eversis delubris ab eodem ac Simulachris. *Vidend. Honorius Philoponus, alijque.*

*A. C.* 1509. *S. P. N.* 1029.

VAllumbrosanę Congregationis nostrę, quamvis, perpetuâ observantia, constantissima viguerit sanctitas & disciplina, alijs tamen atque aliis ex ordine Congregationibus supremam perfectionem, vota ac conatu consequentibus, & ipsa incitata, magis atque magis pio studio atque fervore exarsit. Celebratissimi rarioris opinione Sanctitatis, mortalitati valedixere Sanctus Angelus, Vallisumbrosę Monachus, de quo inter alia fertur, quod in elevatione SacroSanctę Eucharistię meritis B. MARIÆ Virginis, cui erat devotissimus, meruerit gloriam DEI aspicere; & Sanct. Simeon ex eodem Cęnobio, qui varijs corporis infirmitatibus, precibus à Deo impetravit, in hac vita affligi, ne purgatorij ignibus post mortem cruciaretur. Ita, ut alia totius orbis, tot millia Cænobiorum, & reformata in primis Italię, Hispanię, Germaniæ. &c. prætereamus, unicum Vallumbrosanum duos eodem anno, pro mundo in cęlum patronos ablegavit. *Ex Martyr. Ben. & Vallumb. gest.*

*A. C.* 1510. *S. P. N.* 1030.

MOritur pręstantissimum sęculi hujus ornamentum B. Garsias à Cisneros Congregationis Hispanicę illustrissimus Auctor, qui immortali sanè & nunquam satis deprędicandǫ merito, posteritati sequuturę ęternum doctrinę & sanctitatis momimentum reliquit duos illos tractatus, de quibus non veretur dicere Arnoldus noster ex ijs, maximè postremo, Reverendos Societatis JESU Patres omnem suę Religionis perfectionem, meditandique modum desumpsisse. Fuere autem,

Directorium Horarum Canonicarum & Exercitatorium vitę spiritualis.

Sed de his ipsis, & sanctitate atque meritis Garsię nostri consulendus Antonius de Yepes noster, tomo quarto. De quadruplici item DEUM in Monte Serrato laudantium genere & ab hoc fructu per eundem instituto consulendus idem ib.

*A. C.* 1511. *S. P. N.* 1031.

OBservat omnia omnium ferè merita, nimio suorum splendore Trithemius Abbas noster, adeo ut nec meminisse quidem virorum sanctitate & Doctrina clarissimorum libeat, dum miranda & memoranda unius huius viri etiam ad molestiam usque perurgent. At vero nunc tandem unius ingenii partum tam multiplicem, quo orbem universum implevit, & sequutura sęcula beavit, verè sęculi nostri miraculum numeremus.

Chronicon Hiersaugiense l.1. in fol.
Chronicon Monasterij S. Iacobi apud Herbipolim l.1.
Chronicon Spanheimense l. 1.
Chronicon Ducum Bavariæ & Palatinorum Rheni l. 1.
Annales de Origine, Regibus & gestis Francorum & Germanorum, in tres tomos distincti.
Epitome eorundem trium Voluminum l.3.
De origine Regibus ac Ducibus Bavarorum simul & Comitum Palatinorum & Spanheimensium. l.4.
Itinerarium vitæ suæ l.2.
De varijs & diversis Materijs & rebus antiquitatum l.14.
De causis ac Cura morbi Caduci ac maleficorum l.3.
De Origine & Regibus Francorum lib.1.
Hieraticum pro diversis morbis propellendis l.1.
Ad quæstiones Rutgeri Sicambri lib.1.
De Ducibus & Episcopis Francorum Herbipolensium l.1.
De septem Intelligentijs, Orbem movent. l.2.
De laude Scriptorum l. 1.
De laude Carmelitarum l. 2.
De scriptoribus Ecclesiasticis l.1.
De viris Illustribus Ord. S.P.N. BENEDICTI. 4.
De luminaribus Germaniæ l.2.
Epistolarum ad diversos l.2.
Epistolarum Spanheimensium. l.4.
Polygraphiæ ad Maximilianum Cæsarem l.6.
Stenographiæ (opus immensi laboris) l.8.
De certis dubiis & quæstionibus in Evangel. S. Ioan. l.1.
De quibusdam in Psalterio dubijs lib.1.
Octo quæstionum ad Maximil. Cæs. lib.1.
De laudibus studij Divinarum scripturarum l. 1.
De Computo Ecclesiastico l. 1.
Variarum quæstionum, Orationum & propositionum l.20.
De prænotionibus licitis Christiano & non licitis l.1.
Contra Maleficos, & omnes artes & superstitiones ab Ecclesia prohibitas l.5.
De Dæmonibus & artibus profanis, maleficis & superstitiosis l.12.
De Miraculis B.M.V. Dittelbacensis l. 2.
De miraculis eiusdem in urticeto apud Helprunnam l.6.
De sanctissima Anna Rosarium 50. Distinctum articulis, simulq; Horariæ preces & Missæ.
Officium de eadem l.1.
Rosaria de SS. Petro, Paulo, Maria Magdalena, collectæ, prosæ, orationes piæ & ejusm. sine numero.
De S. Ioseph. Nutricio Domini simul cum Rosario & officio Missæ l. 1.
De laude S. Annæ Matris Genetricis Domini l.1.
De laudibus Sanct. Andreæ Apostoli lib.1.
De laudibus S. P. N. BENEDICTI lib.1.
Orationes Diversæ ad DEUM & Sanctos l.1.
Sermones in diebus ad populum lib.1.
De vita D. Rabani Archiepiscopi lib. 3.
De ejusdem à Moguntia in Saxoniam translatione l.1.
De vita S. Maximi Episcopi Treverensis l. 1.
De vita & Herminæ l.1.
Ad requisitionem Ioachimi Principis Electoris plurium sanctorum vitas abbreviavit l. 1.
In Regulam SS. P.N. BENEDICTI lib. 2.
Summulam virtutum l. 2.
De tentationibus Monachorum l. 2.
De miseria vitæ præsentis l.1.
De Vitio proprietatis l.1.
De modo & forma visitationis Claustralium l.1.
De modo & forma celebrandi Synodum ordinis l.1.
Statuta annalis Capituli Patrum de observantia Bursfeld. l.1.
De modo & forma annalis Capituli celebrandi l.1.
Meditationis vitæ Christi l.2.
Speculum celestis doctrinæ l. 1.
De institutione vitæ Sacerdotalis lib. 1.
De triplici Religione Claustralium lib. 3.

Exer-

Exercitium spirituale Monachorum lib.1.

Epitome item ipsius Exercitii spiritualis l.1.

Orationes in Capitulis & alias habitæ.24.

De miseria Prælatorum Claustralium l.2.

Contra vitium proprietatis Claustralium l.1.

De laudibus vitæ Monasticæ l.1.

De laudibus veræ pænitentiæ l.1.

Monologion hominis Deo devoti ad seipsum l.1.

Sermonum sive exhortationum ad Monachos l.2.

De ruina ordinis Monastici Panticon. l.1.

Maximus Abbas de Incarnatione Domini translatus l.1.

Alia insuper plurima & scripsit ipse, & transtulit, quæ posteritas videre, nedum habere, non meruit. Sed consulendi qui eius opera quæ haberi poterant, ediderunt, in fronte operum eorundem.

*A.C.* 1512. *S P.N.* 1032.

INter viros Religione & doctrina illustrissimos eminet hoc anno in ordine nostro Paulus ille Orlandinus, relictis ingenij pretiosissimis monimentis celebratissimus, Monachus Angelorum Florentiæ Congregationis Camaldulensis. Inter scripta eiusdem celebrantur inprimis.

De Theologia separata l.1.

Dialogorum de Theologia l.3.

De Theologia mixta l.1.

Disputationum super Epistolam S. Hieronymi ad Paulinum.

quæ incipit: F. Ambrosius; Lectiones 24.

Sermones 32.

Et alia nonnulla.

Monachum hoc ipso anno profitetur in celeberrimo illo & sanctissimo Monserratensi Cænobio nostro Ioannes Cianones Gallus ab egregia sanctitate vitæ, rarissimo vitæ rigore, Orationis, silentij, & humilitatis studio commendatissimus, qui trigesimum jam vitæ annum agens, huic sanctissimo Cœnobio se, conservavit & tot ibidem hoc ipso tempore perfectissimorum Monachorum exemplis, paulo post in tantũ virum adolevit. Sed de eo pluribus suo loco. *Vid. Yepes t.4.cent.5.*

*A.C.* 1513. *S.P.N.* 1032.

AEterna sæculi huius, & ordinis nostri amplissimi gloria, Ecclesię vero Catholicæ summo per Italiam inprimis bono seu fructu reformat seu restituit sanctissimum ordinem sive Congregationem nostram Camaldulensem Beatus Paulus Iustinianus Venetus, Illustrissima Iustinianorum gente, Patre Francisco Iustiniano, matre Paula de Maripetris editus, summa omnium admiratione, delicatissimus adolescens summum vitæ rigorem in Cænobio Camaldulensi professus, in quo rarissima vitæ sanctitate excellens plurimos ad sui imitationem, ex mundi periculis in portum religionis pellexit, & ab interitu vindicavit. Quos inter Petrus Quirinus Patricius Venetus Hebraica, Græca, ac Latina lingua peritissimus, haud vulgaribus ante Monachismum, in Patria legationibus perfunctus. Qui Paulo nostro in ordinis reformatione egregiam etiam operam navavit. Ita rursum novum lumen ex ordine nostro orbi perditissimis his temporibus affulsit, & Ordo hic primæ sanctitati redditus exempla æternitati sæculorum omniũ utilissima ministravit. *Lucas Eremita in Romualdinis. &c.*

*A.C.* 1514. *S.P.N.* 1033.

PLures ex ordine nostro, & Cænobijs extracti, ob vitæ meritum, hoc ipso tempore, magna provinciarum utilitate, & Ecclesiæ Dei Ornamento, Episcopatus diversos, Sanctissimè ac utilissime administrarunt. Eos inter hoc maximè anno excellunt. F. Antonius Bohier, Austremonij Baronis de Sainct Ciergue, ex Berarda Antonij Cardinalis à Prato sorore filius ex Monacho S. Trinitatis Fiscanensi, Bituricensis Archiepiscopatus & Galliæ primas, idem jam ante, ob insignem virtutis famam, variis honoribus auctus & muneribus amplissimis honoratus. Et F. Ludovicus Mendez, ex Monacho S. Dominici de Silos Episcopus Sidoniæ, & Abbas perpetuus eiusdem sui Cænobij S. Dominici, meritissimus Sanctissimæ Congregationis Hispanicę propagator. *vid. Claud. Rob. Yepes t.4. Ciacon.*

*A. C.* 1515. *S. P. N.* 1035.

EXtrahitur Cænobio alius rursum in Gallia Monachus, & celeberrimæ Claromontanæ Diœcesis Cathedræ præficitur, Iacobus de Ambasia Monachis Gemmaticensis, quem plurimi jam honores pro dignitate & gloria ordinis felicissimè gesti, plurimum omnibus longè lateq; commendavere: quippe Prioratum S. Martini virtute meritus, mox Abbas Gemmeticensis, dein S. Illidij, demum etiam Cluniacensis electus est; Inde evocatus, Claromontanorum Pontifex salutatus, Ecclesiam illam meritis quam plurimis demeritus, ac virtutis fama celebri exornans, inter alia quæ struxit, seu perfecit, Basilicam majorem plumbo texit, & multo nomine subjectis profuit. *vid. rer. Gall. script. & Cl. Rob. &c.*

*A. C.* 1516. *S. P. N.* 1036.

MOritur meritorum copia & felicitate immortalis Abbas noster Trithemius, vir sæculi huius planè ingeniosissimis & meritissimus; Is quantum vis à diversis & maximis Germaniæ Principibus in familiam & familiaritatem etiam ambitiosissimè expeteretur, Monastici tamen Instituti tenacissimus, nec ab ipso quidem Imperatore Maximiliano primo persuaderi potuit, ut aulam Cæsaream, cellulæ suæ præponeret. Vir, quem merito suo, dignis honoribus ac Titulis, nisi respuisset ille, Principes maximi, evectum voluere, & Ioachimus in primis Sanct. Rom. Imp. Elector Brandeburgius extulit, dum in litteris ad ipsum datis, ita denique ipsum compellavit: Vale Germaniæ decus, totiusque arca sapientiæ, mei memor ad DEVM, & amans, quia te vehementer amamus &c. Videndi Busæus, Duraclusius &c. Mortuus eodem anno Petrus Gouffier Abbas S. Dionysij Parisiensis, Frater Arturi magni Franciæ Magistri, & Adriani S.R.E. Cardinalis, vir illustrissimus. *Vid. Cl. Rob.*

*A. C.* 1517. *S. P. N.* 1037.

INter præclarissima Ecclesiæ Sydera referendus Petrus Quirinus, de quo superius, ex Patricio Veneto, Monachus Camaldulensis, propter egregiam vitæ Sanctitatem & doctrinæ eminentiam, ad exornandum Purpuratorũ Patrum Sanctissimum Collegium è Cænobio extractus & à latere B. Pauli Iustiniani abreptus; S.R.E. Cardinalis renunciatus est. *vid. Romual. Luc. &c.*

Eodem anno ad parem honorem evocatus Antonius Boherius noster ex Gemmeticensi Monacho Bituricensium Archiepiscopus & primas, Collegiũ idem fama virtutis, & meritis præstanti Ecclesiam insigniter demeruit. *Sript. Franc. & Ciacon. Wion. Cl. Rob. &c.*

*A. C.* 1518. *S. P. N.* 1038.

INgens virorum Sanctissimorum nec non doctissimorum in Congregatione nostra Hispanica numerus, & mirandum sanè ac penè incredibile videretur si Præsulum in hac Congregatione tam novâ, hoc ipso anno viventium Syllabũ pertexerem; ita cum rariore vitę Sanctitate, omnes omnino litteris sacris atque humanis exercitatissimi, eruditionem conjunxere: in solo Monserratensi Cænobio, quamvis vix esset, qui Sancti viri nomine atque fama non celebraretur, excelluit ante alios Beatæ memoriæ F. Petrus Munoz. dignissimus Garsiæ de Cisneros Successor, & strenuus novi rigoris, sive potius restitutæ Veteris disciplinæ propagator. F. Franciscus item de Turre. F. Petrus de Burgos. F. Ioannes de Bartolina, de quorum singulorum vitæ rationibus, anni integri, imo libri implendi essent. *Vid. Yep. t. 4. &c.*

Ipso hoc anno rursum è nostris, sibi Episcopum Galli expetunt, ac Cænobio S. Benigni Divionensi evocant Renatum de Breschia, Constantienses in Normannia Cathedrales Canonici, de cuius utilitate atque Religione Galliæ scriptores consulendi.

*A. C.* 1519. *S. P. N.* 1039.

MIranda exactissimæ Regularis observantiæ exempla, à diversis nostri ordinis Congregationibus Camaldulensi, Cęlestina, Sylvestrina, Vallumbrosana, Hispanica, Cassinensi Bursfeldensi toti mundo præferuntur, ut nullo unquam sæculo, tot restitutę, atque ad primum fervorem revocatę sacrę Deo familię legantur, sed insolentis & stupendi potius, quam imitandi exempli ob sacrum vitę rigorem, celebrandi nunc aliqui forent ex Hispanica, Camaldulensi & Vallumbrosana familiis;

cujus

cuius postremæ vel unum saltem liceat domesticum producere, sive potius nominare, hoc ipso anno post feliciter in Religione summâ constantia traductam ætatem cælo receptum; Beatum Homodeum domo Ariminensem, qui inter alia pænitentiæ perpetuæ voluntaria tormenta, etiam hoc postremo sæculo senex nonagenarius, Dominici nostri Loricati fortitudinem retulit, & quadraginta ipsos annos, discalceatus incedens, catena ferrea super nudo præcinctus est, ut ex hoc facile cæterum vitæ genus, eiusdem rigorem metiaris. *Consul. Script. Volumbros.*

Sed & parcendum diversorum in Ecclesia ex ordine Pontificum rerum gestarum descriptioni, quorum quo propior ętati nostræ gloria fuit, tanto facilius à quocunque indagabitur. Inter Cassinates excelluit præ alijs Honoratus Hiserniensis, ex familia Fascitella, vir doctus, & Poeta insignis ob virtutem atque eruditionem creatus Episcopus Insulanus in Calabria. *Plac. Rom. Arnold.*

Eodem anno Illustrissimum Ordini Sydus occumbit Antonius Boherius Sanct. Roman. Eccl. Cardinalis Presbyt. Tit. Sanct. Anastasię & Bituricensis Archiepiscopus sepultus in Ecclesia Metropolitana cum hoc Epitaphio.

Antonius jacet hic Boërius, origine quondam
Arccernâ, eloquio vir meritisq; gravis.
A puero Monachus, claustris compluribus Abbas
Dignus, & hâc celebri Præsul in urbe fuit.
Tempore non multo plures sortitus honores,
Cardineo tandem schemate clarus obit.

Eum per errorem Ciacon & Wion, familia Pratensi, sive de Prato editum voluere, cum patre Austremonio Barone, matre vero de Prato natus esset. *Vid. Cl. Rob. &c.*

*A. C.* 1520. *S. P. N.* 1040.

RUrsum novæ Ecclesiæ Ornamento, nova sub Sanctissima Regula nostra Congregatio exorta Grotanorum, sive Montis Coronæ, in hodiernam usque diem viris sanctissimis locuples. Institutor, ejusdem B. Paulus noster Iustinianus, quem superius Camaldulensium Reformatorem commendavimus. Is altiori, & ferventiori desiderio inflammatus accumulandi Deo gloriam, per Sanctæ Camaldulensis solitariæ vitæ studium, litteras à Sancta Sede Apostolica impetravit, ut ubicunque terrarum ipsam Camaldulensem Religionem sibi dilatare liceret, sicut ex diplomate liquet hoc anno dato. Habitavit autem Paulus primum cum quodam Oliva Converso ad S. Hieronymi de Pascialupo Diœcesis ugubinę, deinde apud oppidum Massacium, quarundam speluncarum habitator factus, suę Religionis & Congregationis fundamenta jecit, quæ à speluncis & cryptis, quas Itali Grotas dicunt, Grotanorum, sive Montis Coronæ Eremitarum denominationem accepit. Ita invalescente apud sæculi filios Hæresum peste, Ordo noster virtutibus atq; meritis adolescens, sanctioris vitæ exempla, ad confirmandos bonos, malos confudendos, jugiter protulit. *Rom. Luc. &c.*

*A. C.* 1521. *S. P. N.* 1041.

MIris incrementis Sanctissima Montis Coronæ congregatio augetur, sanctitatis novorum Christi militum, odore commotis certatim hinc inde confluentibus hominibus, & Religiosæ vitæ consortium efflagitantibus, quos inter genere & doctrina illustres plurimi, ea quibus hoc ipso anno Hieronymus Suessanus omni scientia cultissimus, & medica inprimis excellens arte Sacri Palatij sub Leone X. Protophysicus, qui multo nobilior, atque perfectior in cellula Monachica factus, mira exin sanctitatis opera dum viveret ostendit. Excrevit vero in tantum, Luca Camaldulensi teste, numerus Religiosorum vix nati ordinis, ut neque locus eos caperet, neq; alendis alimenta sufficerent, nisi oportunæ ijsdem Deus per potentiorũ subsidia occurrisset. Extendebatur quippe, ait idem, supra modum inauditæ rigiditatis insuetęq; austeritatis vulgatũ nomen, & spiritalem progressum mirabantur omnes &c. *Consul. Romualdina Mont. Cor. lib. 3. c. 3. & c. 2. &c.* Et tantus quidem non solum numerus salutem debet ab Oceano sæculi ad portum Religionis elatus, verũ etiam multo maior perditissimis hisce temporibus exemplo horũ, à communi cæterorum exitio & pręcipitio revocatus.

A.C.1520. S.P.N.1040.

OBstrinxit sub hęc tempora, æterna sanè necessitudinis sanctissimę obligatione (sicut alios superius vidimus ordines æterno gratæ voluntatis debito nostris devinctos) Ordo noster, & laudatissima illa Hispanica Congregatio, per Sanctissimum, novæ militiæ Ducem Ignatium Loiolam universam charissimorum filiorum eiusdem RR. Patrum Societatis Iesu Sacram posteritatem; quem novum vitæ institutum meditantem, nostri primum quam humanissimè exceptum, consilio ac multis modis iuvere, atque in proposito cōfirmavere; adeoque post Deum Opt. Max. Ignatio præcipui auctores fuere, ea, ad quæ ab Numine impellebatur, absque mora, seu trepidatione ulla cōstantissimè exequendi: Nam sub initia, ait ex diversis Ignatij res gestas describentibus Scipio noster, suæ conversionis, votiva peregrinatione ad Montem serratum profectus, cum in æde totâ Hispaniâ præcipuo DEIparæ cultu celeberrimâ, totum se DEO, eiusque sanctissimæ Parenti, traductâ in precibus nocte, devovisset, tum apud unum ex alumnis Divi BENEDICTI, totius vitæ superioris noxas per sacram confessionem triduo deposuerat; multis etiam præsidiis instructus non in præsens duntaxat ad animi expiationem ac medelam, sed ad eum Sanctitatis apicem, quo postea evasit, securius, faciliusque conscendendum: siquidem à Ioanne Cianone (de cuius sanctitate superius) eximiæ virtutis, & innocentiæ Cænobita. (cui de peccatis confessus erat) spiritualibus exercitiis diligenter excultus est: ijs ipsis, quæ Garzias de Cisnedo (de Cisneros) admirandæ Sanctitatis Abbas, & Monasticæ disciplinæ non in ea tantum domo, sed per omnem Hispaniam felicissimus instaurator paulo ante concinnaverat; quæque iam inde ab anno 1500. typis evulgata, in Bibliotheca Casinati asservantur. Ignatius itaque hominem nactus qualem salutis ipsius rationes requirebant, & ipse optabat maximè, Ioanni se totum aperuit; quæ mente agitaret, quæ designaret in posterum de procurandâ plurimorum salute, deque genere Vitæ huic rei accommodato, ac nominatim de suscipienda Ierosolymitana peregrinatione, cum eo contulit omnia: denatu ipsius ac sententia stabiliens, quidquid deinceps admirabili studiorum, actionumque convenientia ad obitum usque est exequutus. Quin etiam Manresæ (oppido tres circiter leucas à Religiosissima æde distanti) subsistere aliquandiu decrevit, unde sæpius, & commodius, Montem serratum repeteret, seu virginis colendę studio, seu spiritualis Patris conveniendi necessitate promoveretur. Sed de Ignatio nostrorum observantissimo, deque impensis eidem sanctissimo Patriarcha nostro, filiisque Monachis, ope ac consilio, sæpius suis locis. Videndi R.P. Petrus Riba de Neyra in vita Sanct. Ignatij. Antonius de Yepes. tom.4. aliique plurimi. &c.

Ipso anno moritur B. Michael noster Florentinus, Congregationis Camaldulensis Monachus, merito dignissimo sanè, ac maximo immortalis, adinvento nimirum Rosario illo precatorio, quod vulgo Coronam Domini appellamus, de quo anno sequente. *Aug. Florent. Wion. &c.*

A.C.1523. S.P.N. 1043.

COronæ Domini, sive Rosarij ætatis Christi, usus à morte B. Michaëlis nostri, longe lateque propagatus, ingenti Ecclesiæ fructu toto passim orbe receptus est: fidelibus inprimis Institutoris sanctitate pellectis, & Pontificio maximè indulto, quo Michaelem ante septennium beaverat Leo X. incitatis, ut eo quisque Rosario, sive Coronâ, Numinis demereri gratiam, pro virili satageret. Adeo ut inter præclarissima ordinis merita tanto dignius hoc institutum referatur, quanto maiore tot millium provinciarum, nedum hominum fructu constat in totum terrarum Orbem propagatum.

Visum haud abs re si Pontificias litteras, licet ante septennium datas, hic etiam inseramus.

Bulla Dominicæ Coronæ, eiusque Indulgentiæ.

Leo Episcopus Servus Servorum.

Universis & singulis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Nuper nobis fide digna relatione innotuit, quod cuidam seniori Eremitæ intra unius cellæ angustias, iam quindecim

cim annos in ſacra Camaldulenſi eremo in magna vitæ auſteritate recluſo commoranti, Domino, ut credere pium eſt, inſpirante, à quo omnis recta procedit cogitatio, in mentem venit, quod in honorem ſalvatoris, & D.N.I.C. fideliumque devotionem cedere poſſet, ſi quemadmodum ex antiquiſſima, valdeque communi inſtitutione Chriſti fidelium, in honorem Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ſecundum numerum annorum, quos vixiſſe in hoc mundo creditur, ſexaginta tres Angelicas Salutationes ſeptem interpoſitis Dominicis Orationibus devotè dicere ſolent: quod Orationis genus Coronam Virginis appellant, ita in honorem D.N.I.C. pro commemoratione annorum, quibus ipſe in terris verſatus eſt, ex triginta tribus Dominicis orationibus, quinque interpoſitis Angelicis Salutationibus, quaſi Dominicam Coronam dicere aſſueſcant. Supplicarique nobis humiliter fecit, ut ad excitandum fidelium devotionem, aliquam Indulgentiarum gratiam, eam Coronam Domini dicentibus concedere Apoſtolica benignitate dignaremur. Nos vero quibus incumbit, & honorem D. N. I. C. quantum ipſo auxiliante poſſumus augere: & omnibus Chriſti fidelibus devotionis incitamenta præbere, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati prædictum orandi modum ab illo ſeniori, recluſoq; Eremita excogitatum, approbamus, confirmamusq;, & Coronam Domini volumus appellari. Quod Orationis genus ut à Chriſti fidelibus devotius ſuſcipiatur, frequentiusque excolatur, univerſis & ſingulis utriuſque ſexus, cuiuscunque Status, ordinis & profeſſionis, qui eandem Dominicam Coronam ſemel in die dixerint, per ſingulas vices, decem amorum Indulgentias. His vero qui juſto amoto impedimento per continuum anni circulum eandem Dominicam Coronam ſemel in die dixerint, ultra prædictam ſummam, mille annorum Indulgentiam de noſtræ plenitudine poteſtatis, auctoritate Apoſtolica concedimus & elargimur. Hic vero qui ad extremum uſque vitę diem, eam Domini Coronam ſemel in die dixerint, eoſdem annorum ſummas duplicamus, & diſcedentibus ex hâc vita Apoſtolicam elargimur benedictionem. Quia vero difficile eſſet præſentes litteras ad univerſorum notitiam pervenire, niſi oportuno prævideretur auxilio, eadem auctoritate volumus & decernimus, ut tranſumptis etiam impreſſis, ſigilloque ſacræ Camaldulenſis Eremi, & alicuius Eremitæ ſubſcriptione munitis, ea prorſus fides adhibeatur, quę ipſis originalibus litteris adhiberetur. Volentes ut omnes prędicatores, ad quorum notitiam hæc pervenerint, eas in populorum præſentia publicare poſſint. Contrariis non obſtantibus quibuscunque. Datum Florentiæ ſub annulo piſcatoris, die 18 Feb. 1516. Pontificij noſtri anno 3. Per manum Petri Bambi. Roſarium idem Gregorius XIII. pluribus & maioribus Indulgentiis ornavit, & magnæ Reip. Chriſtianæ bono propagandum cenſuit. *vid. Auguſt. Florentin. &c. Lucas Erem.*

*A. C.* 1524. *S P. N.* 1044.

SYdera ordinis illuſtriſſima è cęlo Benedictino exſplendeſcunt hoc ipſo anno: Galeatius Gabrielius qui tricis mundi huius extricatus ſe ipſum dare DEO non contentus, ſua etiam omnia una ſecum obtulit; & novæ militiæ Montis Coronæ nomen dedit; Cuius utique ingreſſus, pleniſſima Religionis huius Confirmatio extitit, teſte Luca Eremita, & ab Galeatij converſione, viri nimirum ſpectatiſſimi, multo maximè ſanctiſſimi ordinis propagatio promota eſt, de cuius laudibus fuſius idem auctor & nos alibi: Iuſtinianus dein Bergomenſis vir doctrina eximius, eloquentia rarus, naturali clarus ingenio, moribus ornatus, ac Religione pius: Congregationis eiuſdem famam mirificè auxit, atque adeo ordini atque orbi univerſo multis modis profuit: Sed ante omnes Paulus ipſe Iuſtinianus vir ſanctiſſimus enituit, de cujus laudibus ita Hiſtoria Romualdina: Hic doctrina plenus, verbo potens, calamo facundus atque luculentus. Nec vacua fuit in eo Gratia DEI, cum multos à via peccati converterit, quos ſecum ad Religionem traxit: plures vel alibi vel domi piè vivere edocuit; innumeros à blanditijs ſæculi ad duriſſimam pænitentiam vivo ſermone, operibus exhibitis tranſire compulit. Ejus inter relicta ingenij monimenta laudantur Cōſtitutiones Eremiticæ: de vera item hominis

minis felicitate. De officio Pontificis ad Leonem X. (unde colligas, quam nostris proprium fuerit, abs que adulatione Ecclesiæ universæ in capite mederi) Tractatus de obedientia. De decem gradibus amoris DEI. De pænitentia: De Eucharistia. De contemplatione: opuscula vero cæpta nec perfecta, quæ centenarium numerum teste B. Iustiniano Bergomensi superant. *Vid. Luc. Eremita in Rom. Mon.*

*A.C. 1525.* *S.P.N. 1045.*

INcredibilis virorum sanctitate, doctrina, ac genere illustrium numerus in unâ unicâ Hispaniarum nostri ordinis Congregatione; ex quibus vel unum saltem alterumve Monserratensis Cænobij solo nomine celebremus: Excelluit inter alios præclarissima sanctitatis fama præstantissimus F. Christophorus de Zamora, vere simplicitate Columbæ juxta ac serpentis prudentia præditus; inter alia mille merita, à DEO prophetico spiritu edoctus, quò suam aliorum que ex nomine Monserratensium Monachorum mortem præcognovit prædixitque. Nec minor sanctitas, & ab hac in celo terrisque gloria Fratris Mauri de Alfaro, Magistri Novitiorum in eodem Sanctissimo Cænobio, ante cuius sanctissimum obitum triduo ante singulis noctibus Angelorum applaudentium cantus exauditi. Sed & Fratris Francisci de Beiar, viri innocentissimi sanctitas illuxit: ita superis etiam ipsis commendata, ut ad ipsum Magna cęlitum Regina inviseret, & sua pręsentia moriturum solaretur. De multo pluribus, etiam diversorum Cænobiorum Abbatibus sanctis, & doctis consulendus *Ant. de Yepes. &c.*

*A.C. 1526.* *S.P.N. 1046.*

INgens iterum meritum, quo exorientem hoc ipso tempore novum Seraphici Patris Francisci ordinem Capucinorum, nostri suo iam more, & naturæ proximę consuetudine, primi suscipiendum, fovendum, defendendumque suscepere. Institutores primi FF. Ludovicus, & Raphael indumentum quo hodieque utuntur, B. Francisci Carracetani nostri prophetica voce attoniti assumsere, cum is Matthæum à Dacio, quem nunquam viderat, præviderat tamen tali habitu venientem, affirmasset nativum S. Francisci habitum gestare, quo obstupefacti, cum illum eundem Matthęum insolenti veste adventantē, & ad Franciscum nostrum invisentem conspicerent; illico de assumenda ea veste & Capucio consensere; irrisui vero vulgo habiti, & carceribus inclusi, à B. Paulo Iustiniano nostro, in libertatem asserti sunt. Videndus fusior in his describendis Lucas noster Ruhensis lib. 3. c. 14. qui insuper ait ex illa prima cum Camaldulensibus nostris conversatione Patres Capucinos mutuam semper amicitię conjunctionem servasse, sed & à nostris Eremitis quędam peculiariter sibi communiter servanda sumpsisse: quale est barbam nutrire, nec nō sine cantu, solaque distincta pronunciatione divinas laudes persolvere &c. *vid. Gault. Luc. Ang. Flor.*

*A.C. 1527.* *S.P.N. 1047.*

B. Hieronymi Suessani ineffabiles virtutes digno encomio attollendę nunc essent, nisi & fandi, atque scribendi facultatem superarent, & compendii, si quid amplius vellemus, metas excederent. Vnum tamen quin referamus, præterire non possumus, unde animadvertas, qualiter antiquis miraculis reformationis ordinis nostri foverit atque juverit Numen optimum, & qua spe & confidentia esse debeamus, etiam de cętero novis conatibus nostris affuturum: Contigit aliquando, ait Lucas Ruhensis, cum in Cryptis Almasacij Prior esset, ut de mense Ianuarij nivium abundantia obrueretur vallis illa, ita ut per dies quindecim illinc quis exire, aut aliunde illuc ingredi prorsus prohiberetur. Vnde factum est ut fratribus victui necessaria in totum deficerent, (fidelium enim largitionibus vivebatur, cum hodie moris non sit perpetuis redditibus Cęnobia condere, verum sua Monachis rapere) eoque Cellarius Constantius nomine apud eundem quereretur, quasi fame atque inedia Fratres perituros timens. Cui fidelis Pater: O Constanti, inquit, fili, tu fidem nō habes, puta, quia Deus deseret servos suos? Ipse dixit & non mentietur; nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis: qui pascit corvos, non dabit escas famulis suis? Confide &

ora,

ora, non deerit tibi & fratribus tuis in Craſtinum opportunus cibus. His & aliis multis hominem conſolatus, Eccleſiam ingrediens ante altare proſtratus humi (qui mos illi frequens erat) in multam noctem orationem traxit: Cæperat eadem ferè hora tenuis, paulisper mitigato aere, imber defluere, qui paulatim in abundantem pluviam crevit. Ecce mane facto, dum prima de more diceretur, Oſtij tintinabulum pulſatur: illuc proximè currit Chriſtophorus, oſtiario non expectato, ac foribus patefactis, hominem & jumentum pane, & aliis alimentis onuſtum coram ſe ſtare videt. Nihil tanto gaudio plenus interrogat, ſed veloci curſu ad Eccleſiam redit; & quaſi Divino ſtupore attonitus, Agite, clamat, Patres, agite gratias, mandavit Deus cibaria nobis, quod per Patres actum eſt; Erat autem homo ille ex domo S. Luciæ de Ficano: qui cum durante pluvia magna veniſſet (mirabile dictu) pluviam non ſenſiſſe aſſeruit; neceius pallium, aut etiam ſarcina, in aliquo madefacta fuere reperta, Sed de cæteris eius factis idem Lucas conſulendus, &c.

*A. C.* 1528. *S. P. N.* 1048.

MOritur hoc anno dignus tanto ordine Princeps (quo magis doleas in tanto viro honorem tanti Cænobij deſijſſe) ultimus Abbatum Regularium S. Dionyſij Pariſienſis, Azmardus Gauffier Guilhelmi & Philippæ Memmorantiæ filius Arturi Magni Franciæ Magiſtri, & Adriani Sanct. Rom. Eccl. Cardinalis Frater, de Cænobio ſuo optimè meritus, ſed velut ſupremum parentaret, cum à morte eius, quanto magis ipſe promoviſſet Cænobij bonum, tanto magis illud ab eſurientibus, & inhiantibus Harpijs appeteretur. Fuit idem promeritis Albienſis Episopus, & magna bonorum comploratione extinctus, Succeſſore in Epiſcopatu non minus infelix, quam in Abbatia fuit; quando Principum potentia in Galliis Eccleſiaſtica bona penè omnia paulatim devorabit. *Vid. Rer. Franc. Script. &c.*

Auxit eodem anno cælitum numerum, meritiſſimus ille de Eccleſia Univerſa Camaldulenſis noſtræ congregationis Reformator, & Montis Coronæ Monachorum feliciſſimus Inſtitutor B. Paulus Iuſtinianus, qui cum ex itinere ad ſummum Pontificem contracto morbo, ſuorum deſtitutus auxiliis & miniſterio, à fratre converſo qui unns unicus ipſi, ignarus quid ageret, aderat, deploraretur, prophetico ſpiritu adfore quam primum qui ſe ſolaretur prænuncians: cum paulo poſt occurreret vir egregius B. Gregorius Bergonenſis, olim prior Generalis S. Eremi, Paulus in iſta erumpens: Suavis Dominus, exclamat, univerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Non mei meriti fuit, ſed divinæ miſerationis opus: ut tu chariſſime Frater & Pater mihi emigranti aſſiſteres, meque Catholica exhortatione morientem in fide confirmares. Qua de re Deo meo primum, ac deinde tibi gratias ago ingentes: Oroque ſupplex ut ſicut lętatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: ita Dominus concedere dignetur, animam ſervi ſui lætantem ire in domum ſuam ſupernam, eiuſque pedes ſtare faciat in atrijs cæleſtis Hieruſalem.

Adeſto tu jam mihi ô bone Ieſu, unica ſpes mea, ſola ſalus mea, cui ſoli vixi, cui uni morior, & ſuſcipe in miſericordia ſpiritum meum, quem in manus tuas commendo: quia tu redemiſti me Deus veritatis: Quibus ſic dictis in bona pace quievit die 28. Iunij. Sed de virtutibus & operibus conſulendus Lucas Ruhenſis. lib. 2. & 3.

*A. C.* 1529. *S. P. N.* 1049.

INcredibile dictu eſt, quanta in ſola Germania perpeſſi noſtri ab Hæreticis, quando, quod admireris, pleriſque paulatim exſpoliatis, denique Cænobijs etiam ipſis ejecto Monachorum Collegio à Principibus, per certos Principatus, deficientibus barbara illa ferarum fæcunditas introducta, cum pleraque interim Imperij Cænobia, nulli alij Principi ſubdita, admiranda conſtantia, ſe ſuaque, ſola fortitudine ac Religione tuerentur; adeoq; potentiſſimis Germaniæ Vrbibus, fractis deficientibuſque, ſubjecti tamen abſoluto jure Cænobijs, ſoli in fide, & fidelitate Eccleſiæ permanerent; quantumvis mille inſidijs, ac malis innumeris urgerentur, atque opprimerentur. In Helvetia libertate abuſi ſubjecti non à Religione Catholica ſolum multi, ſed & à fidelitate Dominis debita ſeſe ſubduxere; quod Cęnobitæ Sangallenſes præter meritum experti

experti sunt, nihilominus Francisco Abbate invicta animi magnanimitate (ut erat Hæresum triumphatricis Magnæ Virginis cultor præcipuus,) ac Zelo dignissimo, impijssimis Hæreticorum conatibus viriliter se opponente. *Ex diversis Cænobiorum Chronicis.*

*A. C.* 1530. *S. P. N.* 1050.

INter viros ordinis doctissimos, & Philosophos huius sæculi prestantissimos floret hoc tempore Benedictus Maioricensis Monachus S. Pauli Romæ Congregationis Cassinensis, scripsit inter alia. In librum Porphyrij Commentaria, & in Logicam quæstiones Vniversales. &c.

Inter præstantissimos vero Pontifices ex ordine exsplendescunt hoc anno Philippus de Cosse, Constantiensis in Normandia Episcopus, & Eusebius Priolus Episcopus Vegiensis, ille Cluniacensis, hic Camaldulensis Congregationum Monachi, de quibus legendi Demochares, Bellforestius. *Claud. Robertus. August. Flor.* Wion. *&c.*

*A. C.* 1531. *S. P. N.* 1051.

SVmma in Imperio auctoritate, apud Carolum Augustum, & Ferdinandum Regem gratia, eminet Gervvicus ex nobili Blarerorum genere, Monachus & Abbas Weingartensis, vir præter familiæ splendorem, doctrina, facūdia, & Iuris maximè Canonici, sed multo magis forensis sive civilis praxi spectatissimus, morum insigni venustate, in rebus agendis admiranda prorsus dexteritate celebratissimus; inter præcipua Imperij decora, ordinisque, sed & Ecclesiæ universæ referendus. Is hoc ipso anno à Ferdinando Rege, ut superiore ab Augustissimo Cæsare consultationi rerum gravissimarum adhibitus, ita fidem, ingenium, atque indefessum in summe arduis Imperij rebus, ac negotijs animum utrique probavit, ut exin, multo quidem cum ordinis, tum Cenobij sui honore, sed ingente sanè onere, & cum periculo gravissimo vitæ, difficillimas obire functiones cogeretur. Quibus tamen felicissimè perfunctus, Monachorum studia æterno merito, Germaniæ Vniversæ, sed & Ecclesiæ commendavit. De quo suis locis plura recensenda occurrent. *Ex MS. & litteris diversis* Weing. *Arch. &c.*

*A. C.* 1532. *S. P. N.* 1052.

PRoximis meritis Gervvico Weingartensi accessit, Diethelmus S. R. I. Princeps Abbas S. Galli ex eadem Blarerorum prænobili familia (qua vix ulla alia ex Equestri ordine plures electione Sanct. Roman. Imp. Principes dedit) ante biennium electus, cuius hoc ipso anno merita egregia, quando Novatores Hæreticos, insigni inprimis cōstantia felicissimè terruit, armis dein etiam attrivit; & recepto à perduellibus Cænobio inter circumundique ambientes hostes, imperterritus, invictusq́;, fidei Catholicæ pro virili consuluit, & verbo exemploque nutantes in fide revocavit, & longe etiam positis ipsa virtutum fama animam addidit ac confirmavit.

Sed & Benedicti Abbatis S. Magni in Faucibus, vulgo Fussen, inter tantas Germaniæ tenebras, tanto magis virtus enituit, ut proin ob virtutem Imperatori charissimus, sed inprimis suis utilissimus, florentissimum ipse Cænobium, inter asperrimam hanc calamitatum hiemem & pruinam, administraret, & inter commune orbis incendium, rubi Divino nimirum igne ardentis, sed incombusti quasi exemplum orbi præferret, tanto quidem convenientius, quanto amantior illius Matris Virginis fuisse commendatus, quam rubo illo signati Sancti Ecclesiæ Doctores contestati sunt. *Ex Chron. S. Galli. & Stengelio. & Germ. Ben.*

*A. C.* 1533. *S. P. N.* 1053.

AD summam, post caput ipsum Ecclesiæ, Cardinalitiam dignitatem summo ordinis Ornamento evectus hoc anno Philippus Ducis Albani Archistrategi Cæsarei frater, ex Monacho Corbiensi eiusdem Cænobii Abbas, dein Episcopus Bononiensis, demum S. R. E. Cardinalis Presbyter Titulo S. Martini in Montibus. Is vero quum promoveri ob vitæ meritum dignus esset, Paulus inprimis III. Summus Pontifex manifestè testatus est, qui titulos viri meritissimi pro dignitate augens Christi anno millesimo quingentesimo quadra-

dragesimo tertio Episcopum Cardinalem Tusculanum renunciavit. *vid. Ciacon. Panvin. Claud. Rob. &c.*

Moritur Guil. Eps. Meldensis vir verè magnus. *v. Cl. Rob. &c.*

*A. C.* 1534. *S. P. N.* 1054.

FElicissima morte vitam hanc ærumnis plenissimam abrumpit B. Petrus Favensis Montis Coronę Monachus, exemplo vitę Sanctissimę sæculo huic, ut & patrocinij utilissimus. Huic morti proximo, cum fandi facultas violentia morbi ablata esset, paulo ante supremum vitæ anhelitum restituta est, cum inter illam silentij diuturnam moram gravissimo conflictu cum Dęmonibus depugnasset. Saluta proin rursum lingua hilaris, in ea quam primum juxta & suprema verba erupit: Ego vici, Ego vici, Ego vici. Te DEVM laudamus, Te Dominum confitemur; mox Fratribus Cantici eiusdem Cætera prosequentibus, cum fine Cantici felicem ille animum creatori suo transmisit. *Lucas Ruhens.*

Præterea jam singulis fere annis Monachorum pro fide exantlata per Germaniam pericula commemoranda; quorum prædia, villæ, possessiones, omnes aut plæræque ob invictam eorundem constantiam direptæ perduellibus Christi, & Ecclesiæ hostibus cessere. *Chron. div. &c.*

*A. C.* 1535. *S. P. N.* 1055.

INæstimabili vitæ merito excellit venerabilis Pater Ludovicus de Strada Hortensis Monasterij reformator Cisterc. Monachus, Complutensis Collegij sub hæc tempora Rector; de suis non solum, verum de Patribus Societatis Iesu, noviter à B. Ignatio institutis longè meritissimus, quos complutum venientes, cum graves illico adversorum procellę exciperent, & plurimi ibidem eversos cuperent; insigniter non solum juvit Consilio, sed & manum ipse operi admovens, eos qui se opponebant placare studuit, & litteras multa Sanctitate, & spiritu Divino plenas ad Vniversitatem misit, in quibus novi hujus instituti perfectionem commendavit, quantumque ex illorum receptione commodi ad omnes perventurum esset indicavit. Ita opera nostrorum, non solum ipse Sanct. Ignatius primum usus est, neque solum fundata à nostris plura collegia, sumptus insuper, & proventus annuos accepere, verum patrocinio eorundem in celeberrimam primum Complutensem illam Academiam admissi sunt, ut pluribus sanè nominibus nostris obligati, perpetua charitatis necessitudine teneantur. De fructu à prædicatione & exemplo ejusdem Ludovici orto pluribus Henriquez fasciculi *l. 2. d. 27.*

*A. C.* 1536. *S. P. N.* 1056.

PLurimum è nostris felicissimo sanguine tingitur atque exornatur Angliæ Regnum, per eosdem olim ad Christi fidem aggregatum. Alios inter Ricardus Wohintinger celeberrimi Glastemburiensis Cænobij Abbas, cum F. Ioanne Torne & F. Rogero Iacobo, omnes suspensi, & in quatuor partes secti, glorioso Martyrio consummati. Simili omnino morte, & Corona eodem anno digni à DEO habiti sunt duo alii Abbates Whallensis & Sauliensis; & Guillelmus Haddoc Monachus Wallensis Congregationis Cisterciensis, ut nullo omnino sæculo nostrorum deficeret magnanimitas atque Constantia, ad fidem Catholicam etiam cum proprio sanguine consignandam, quorum hic exempla pauca pro sexcentis proferimus, ut saltem continuationem meritorum Benedictinorum astruamus. *Vid. Rer. Angl. script. diversi. &c.*

Pari felicitate coronam consequuti duo alij Abbates Congregationis eiusdem Riveriensis & Fontanensis, ut ex una unius anni dignissima fertilitate cęterorum etiam copiam facile metiaris, & ab exemplo tot Abatum, subjectorum virtutem atque imitationem colligas atque agnoscas. *vid. cit.*

Sed ante omnium constantiam enituit infractus Vitingi nostri Glastoniæ Abbatis animus, qui velut murum pro domo Dei opposuit se impijssimi Henrici Regis contra Ecclesiasticam libertatem conatibus. De cuius, ut & Hugonis Feringdoni Redingensis, & Ioannis Beci Colcestrensis Abbatum, &

Ruggi

Ruggi Onionique Monachorum presbyterorum gloriosissima morte consulendus Clemens noster Reinerus in Apost.Bened.Angl.

Moritur eodem anno B. Petrus de Burgos, intimus quondam amicus, & alter velut Achates, viri Sanctissimi Garsiæ de Cisneros, Congregationis Hispanicæ Institutoris, cui post B. M. Petrum de Nunnoz in Abbatia successit, Garsiam spiritu & merito proximè assequutus, & plurimis per Hispaniam reformatis Cænobijs longè meritissimus. Vid. Anton. de Yepes. &c.

*A.C.*1537. *S.P.N.*1057.

GErvvicus noster Weingartensis Abbas Rei Catholicæ, & Imperio totus intentus impensusque, nulla spe lucri aut honorum, gravissimis sui Cænobij incommodo, dispendio, & impensis, Imperatoris atque Imperij commodis prospiciens, & necessitati patriç consulens, gravissimis fungitur Legationibus, in remota & extera regna Imperatorem ob Regni negotia consequutus, adeo nostri ambitione, & fortuna omni potiorem fidem & Constantiam habuere. *Ex vinea nostra & Chronol. Ab. & rerum Weing. &c.*

De B. Hieronymi Suessani meritis, & virtutibus multa & miranda celebrat Lucas Ruhensis, qui hoc ipso anno Rhuæ fundationem scriptis commemorat, ad quem Lectorem remittimus, & ad alia properamus.

*A.C.* 1538. *S.P.N.*1058.

SIngulis ferè annis minimè tamen singula, sed plurima atque ingentia Gervvici Weingartensis nostri Cænobij Antistitis de Imperio atque eius Augusto merita commemoranda forent; nec censeremus, etiam Compendio excludenda, nisi amori proprio, Sanguinis ac Religionis propinquitati obnoxia laudatio videri possit. Prætermittendum tamen minimè est, Gervvici inprimis Consilio atque opera; haud modico Imperii bono, ordinisque nostri, atque aliorum etiam Abbatum ornamento Collegium Sueviæ Abbatum esse institutum, Gervvico eiusdem Collegii rem & honorem primum promovente, Archivum habente, & Cancellario ab Abbatibus designato Ex Weingart. monimentis.

*A.C.* 1539. *S.P.N.* 1059.

IN Anglia summa se constantia nostri pro defensione libertatis Ecclesiasticç Regi Henrico opposuere, ac proin ejecti Cænobijs gravissima perpessi nonnulli, ut supra vidimus, & alias videbimus, pietatem hanc etiam luere morte debuerunt. Audiamus Sanderum ipsum testem omni exceptione maiorem ipsumque de Ecclesia longè meritissimum: post quam Constantiam Martyrum nostrorum graphice descripsisset, sic deniq; de scelere Henrici Regis loquentem: Henricus igitur tanquam victor (trucidatis Abbatibus, ac Monachis eiectis) omnia invasit, dejecit, vastavit, ac demolitus est: possessiones autem annuosque Cçnobiorum reditus, ne unquam postea repeti, aut à quoquam suorum successorum Principum Ecclesiç Christi restitui possent, universos fere nobilitati distribuit, nonnullos aliis censibus ac reditibus, nonnullos pecunia numerata commutans, Catholicosque etiam invitos cogebat, ut spolia hæc Ecclesiastica emerent, quo vel sic eos ad sceleris sui defensionem obligaret. Atque hic finis fuit Monasteriorum ac Monachorum in Anglia post mille ferè annos, quam illi ad eam Insulam Christianam fidem attulerant, & cum eadem creverant, omniumque Regum munificentia aucti fuerant &c. Sed de causis tanti mali alios, etiam Hæreticos ipsos audiamus, unde manifstum fiat, non inertiam aut luxum Monachorum (ut nonnulli minus humaniter judicantes loqui solent) occasionem impio Regi ministrasse, abominandum scelus de Religione opprimenda excogitandi, aut aggrediendi: Clarissimè enim Scanderus descripsit Abbates, & Monasteria ordinis Congregationisque nostrç illo tempore communi Regularique vita, & chori majestati, Monachorum numero, hospitalitatis laude, & eleemosynarum sanctissimarum abundantia, insi-

insigniter floruisse. Nec sine sanguine & vulneribus expirare Monasticam professionem suam passi sunt. Quum nobilissimi eorum Abbates, & gravissimi, cum aliquot Prioribus, & Presbyteris Martyrio propter constantiam fidei fuerint affecti, & multi ex illis ad ultramarina dilapsi Monasteria, multi in propinquorum ædibus, sanctè in professione perseverantes calamitati suæ supervixerint. Sed ecce causam mali ingentis, & gravissimi in Ecclesia scandali, pulcherrimo titulo palliatam: Collegia duo à Cardinali VVolsæo magno nimirum, ut Anglicanæ Reipubl. bono ædificata, ubi juvenes studiosi & viri docti alerentur, & in horum dotationem quadraginta Cænobiorum reditus absumendi videbantur. Dicat suum liberrimè judicium, impius cætera Camdenus in sua Britannia p. 117. Fuerunt etiam regnante Henrico VIII. (fas sit meminisse) avitæ pietatis monumenta, ad DEI horem, fidei Christianæ, bonarumque litterarum propagationem, & pauperum sustentationem, domus Religiosæ, scilicet Monasteria, sive Abbatiæ, & Prioratus numero 645. à quibus cum Clementis VII. Pontificis permissu fuerint supressæ quadraginta in gratiam Cardinalis VVolsæi, qui tunc duo Collegia, alterum Oxonij, alterum Ipsvvichi inchoaverat: Statim circa annum Domini 36. Henrici VIII. in Rempubl. Angliæ Ecclesiasticam, quasi torrens rupto agere irruit, qui gentis Ecclesiasticæ partem maximam, Orbe stupente, & Anglia ingemente, cum pulcherrimis ædificiis fūditus prostravit. Nam Papa Cardinali, Rex sibi cum Parlamenti assensu permisit. Vnde anno 1536. singulæ Religiosæ ædes, cum facultatibus omnibus, quæ in reditibus annuos ducentas libras, vel minus habuerunt, numeroque erant 376. Regi fuerunt concessa. Et anno in sequenti specioso eruendæ superstitionis obtentu, reliquæ cum Collegiis, Cantariis, & Hospitalibus, Regis arbitrio fuerunt permissæ. Quo tempore censitæ sive taxatæ fuerunt Religiosæ ædes superstites 605, Collegia, præter ea quæ in Academiis 96. Hospitalia 110. Cantariæ & liberæ capellę 2374. Quæ pleraque omnia brevi post tempore passim diruta, reditus distracti, & opes, quas Christiana Anglorum pietas, ex quo primum CHRISTO nomen dedisset, DEO consecraverat, quasi momento dispersæ, & absit verbo invidia, profanatæ. Hæc Camdenus à fide alienus; & paria Godvvinus, cuius verba Reinerus exscripsit, qui insuper ipse Sacrilegii pænam Regi ab Numine immisam, plurimorum (quos ipse pios & doctos veneratur) ore assignatam, liberè profitetur. Sanè quantum incommodi ex eversione Monasteriorum, & profligatione Monachorum, pauperibus acciderit, refert ex bonis autoribus Stons in suis annalibus, à Reinero adductus, his verbis; Parlamentaribus Comitiis mēse Februario inchoatis (Anno 1536.) permissa sunt Regis arbitrio, omnia Regni Anglię Cænobia, quorum reditus annui singulorum non excederent censum duorum millium Francorum Turonensium cum omnibus bonis, quæ ad eadem pertinerent. Fuerant illa numero 376. Mobilia bona, & supellex horum Conventuum minimo pretio distracta, taxata sunt centum millibus florenorum.

Lamentatione digna res fuit, inquit autor meus, quem sequor, audire populi plebiorumque gemitus, & lachrymas, summa enim in his Cænobiis vigebat Hospitalitas, putanturque ex hac suppressione, amplius quam decem millia personarum omni spe & re ad victum, vestitumque necessaria excidisse &c.

Addit Reinerus: Quantum igitur gemituum, quot flumina lachrymarum pauperes de plebe profudisse par est anno sequenti, quando 600. maiora Cęnobia, longe opulentiora reditibus, abundantiora eleemosinis, numerosiora clientelis sunt ad privatorum fisci, & fiscalium prædatorum usus redacta; quorum suppressione proculdubio aliquot centena hominum millia ad extremam sunt mendicitatem redacta. Sed audiamus jam DEI judicium, non trepidè

ſeu dubitanter, ſed affirmate & ſine dubio, ab eodem Annalium autore pronunciatum. Cum obtinuiſſet Cardinalis Wolſæus, inquit, à Clemente VII. poteſtatem quadraginta Monaſteria, optimæ famæ, hoſpitalitatisque laude celebria, neque Rex propterea illũ reprӕhenderet, nullus Epiſcoporum, aut procerum Regni contra hiſcere auſus fuit. Quinque habuit huius facinoris adminiſtros præcipuos; qui cum Priorem conventumque Daventriæ quadam vice quædam Cęnobii latifundia poſtulaſſent, paſſique fuiſſent à Monachis repulſam: Statim excogitata cauſa, eoſdem apud Cardinalem accuſarunt, qui occaſione gaudens oblata, ſtatim juſſit Conventum diſſolvi, & novo Collegio ſuo Cęnobij bona applicari. Quãtum autem ſupplicium ſumpſerit DEVS ipſe, de authoribus, & miniſtris huius ſacrilegę rapinæ, ad ambitionem tantummodo ſuffulciendam commiſſæ, cui opes privati Cardinalis non ſufficiebant (inquit meus autor) nos ipſi in parte oculis noſtris conſpeximus; è quinque enim iſtis, quos diximus, adminiſtris, duo inter ſe rixantes à verbis ad gladios ita proceſſerunt, ut alter occiſus, alter ſuperſtes pugnæ propter ipſum homicidium fuerit in furcam ſubſatus, tertius ſe ipſum in puteum præcipitavit, quartus benè notus multis ex valde divite redactus ad extremam inopiam uſque ad diem ultimum miſerabilis vitæ, oſtiatim mẽdicare coactus ſit, quintus vocatus Doctor Alanus præcipuus Sacrilegiorum iſtorum exſequutor, jam in Hibernia factus Epiſcopus, crudeliter membris truncatus fuit. Cardinalis ipſe paulo poſt in Regis odium incurrens, miſerabili morte perijt, omnibus dignitatibus prius exutus; Collegia, quæ meditabatur magnificentiſſima ſtructura, ex ruinis Monaſteriorum erigere, nunquam fuere conſummata. Nam Ipsvvicenſe Collegium penitus fuit dirutum, & Oxienſe etiam hodie manet duntaxat inchoatum. Pontifex quin etiam Clemens, qui hanc Cardinali licentiam permiſerat, magno vitæ ſuę diſcrimine in Caſtro Sanct. Angeli obſeſſus vix evaſit, Romana urbe ab obſeſſoribus, miſerè ante oculos ejus devaſtata. Hæc ad verbum Stous, & Reinerus noſter; unde colligas manifeſtè, quam rigidè animadverterit in eo Numen, qui Collegia pro ſtudioſis potiora, Monachorum precibus, & contemplatione duxere, ſed fuſior exin Reinerus de Vſurpatoribus Bonorum Eccleſiaſticorum, & mira Numinis in eos vindicta: qui requirendus.

*A. C.* 1540. *S. P. N.* 1060.

IN Hiſpania, Italiaque feliciſſimi noſtrorum ſucceſſus. Hiſpania inprimis, viris Sanctiſſimis & doctiſſimis abundat, ut qui ſolus Abbatum Hiſpanorum conviventium ſyllabos apud Antonium de Yepes obiter obeat, obſtupeſcat totus, tot uno eodemque tempore in cęlo Benedictino ſydera colluxiſſe. Interim eminentiſſimos vero ſanctitate excellit, & in ſui admirationem concitat Hiſpaniam univerſam Alphonſus de Burgos, auctoritate atque opibus inter palatinos, & familiares Caroli V. Auguſti olim princeps, nunc Cęlitum Reginę obſequio proximus, de quo conſulendus Yepes tomo quarto centur. 5.

Inter doctrina prętantiores celebratur in Italia Ioannes Baptiſta Folengus Monachus & Prior S. BENEDICTI prope Mantuam, qui inter alias, digniſſimas æternitate lucubrationes poſteritati nomen multis meritis commendavit, Commentarijs inprimis in omnes Pſalmos Davidicos eleganti ſſimo ſermone ſcriptis: aliis item Commentarijs in Epiſtolas Canonicas omnes, & in primam Joannis. *Arnold. Wion.*

*A. C.* 1541. *S. P. N.* 1061.

SAncto Ignatio primo Patrum Societatis JESV Inſtitutori non ſatis in noſtro Monſerratenſi Cęnobio, ea quę ſupra commemoravimus ſubſidia accepiſſe. Sed & quia ita feliciter ſucceſſerant, quæ apud noſtros inchoaverat, DEO auſpice, & noſtris qua poterant ope atq; conſilio iuvantibus, ſupremam denique recens inchoato operi apud noſtros quoq; imponendam

manum

manum censuit. Proin constituta jam societate, Religionis vota nuncupaturus, tot inter Romanæ Vrbis Basilicas, antiquitate ac piorum hominum frequentia illustres, non aliam delegerat, quam Apostolo Paulo via Ostiensi dicatam: Vbi coram Divi BENEDICTI Monachorum Abbatis, & Patriarchæ ejusdem Sanctissimâ arâ, ex sui instituti formula sacram illam Cæremoniam peragereт. Ita rursum apud nostros, maxima quæque aggredi imo absolvere sanctissimi viri animo sedit; quo suos nimirum filios, perpetua quasi obligatione, in suo, ac primo suorum voto coram DEO, & Sanctissimo Patriarcha nostro obsides contraderet. *Vid. Ribaden. Biderm. M. Ant. Scipio. &c.*

*A. C.* 1542. *S. P. N.* 1062.

MErito suo, extra invidiam, & supra famam omnem evectus, eminentissimo dignitatis gradu sublimatur Gregorius Cortesius, ex Monacho & Abbate S. P. N. BENEDICTI de Padolyrone in agro Mantuano Sanct. Roman. Eccles. Cardinalis Presbyter creatus à Paulo tertio, titulo Sanct. Cyriaci in Thermis, honorem illum multo magis ipse sapientiæ, doctrinę, ac pietatis eximiæ fama ornavit, quam ipse à purpura ornari potuerit. De quo *vid. Hieron. Platus, Ciacon. Panvin. Wion. &c.*

Sub idem tempus renunciatur Episcopus Cardinalis Tusculanus Philippus noster della Camera Episcopus Bononiensis, de quo etiam multis agendum foret, nisi calamum promissa reijcerent. Vid. Ciacon. Panvinus. &c.

*A. C.* 1543. *S. P. N.* 1063.

INter illustrissimos genere & virtute orbis universi, & sæculi hujus ex ordine amplissimo viros, excellit atque exsplendescit F. Benedictus de Toco, illustrissimis parentibus genitus, & Regum Albaniæ sive Epiri Sanguine descendentibus, & ultimorum Orientis Imperatorum; Idem Imperatori Carolo charus, atque in aula pincernæ munere spectatus, stupentibus universis, priore sæculo Monserratense Cænobium ingressus, atque per dura & aspera probatus, hoc ipso anno ordinem nostrum professus est, in quo deinceps, tanta morum enituit excellentia, ut ad amplissimos deinceps honores, & diversas Episcopales Cathedras promoveretur. Et hunc quidem hoc anno pro sexcentis dedimus, qui in unica congregatione Hispanica, ut Casinensem aliasque taceamus, cucullum amplissimis honoribus, & generis dignitati longe anteposuere: quorum in hodiernam diem sola Hispania tot tantosque producere potest, ut jure merito sequutura posteritas obstupescat super tanto sæculi contemptu universa, & primam BENEDICTINI cuculli gloriam demiretur. Videant, rerum Hispanic. scriptores. &c.

*A. C.* 1544. *S. P. N.* 1064.

IN novos Christi Tyrones, Sanct. Ignatij Loyolæ discipulos, Societatis JESU Patres, affectu propensissimi Monachi nostri, diversim passim Provinciis eosdem suscipiunt, fovent atque arctissimè amplectuntur. Verum ut impensa socijs, ac filijs auxilia omnia prætereamus, demeriti sub hæc tempora (quamvis certum annum non assignemus) Cassinenses nostri, ne quid Monserratensibus, ac Divi Pauli Monachis officio, atque humanitate cederent, novo & insigni beneficio Sanctissimum Novi Instituti Parentem ipsum Beat. Ignatium, cui longum Hospitij jus, sua seque ipsos promptissimis animis impendere. Digna memoratu res, ac proin ex Casinate Monacho audiamus. Quo tempore Ignatius (ait Scipio noster) oportunam remotioris secessus quietem præscribendis suæ sodalitati Regulis exquirebat. Casinum adijt, ibique tum qui opus essent, tum verius, alteriusve Monachi subsidio à Præside instructus, ad Albenetam se contulit, locum (est membrum sive Prioratus Casinensium B. M. V. sacer) in eodem Casinati saltu, quingentos circiter passus à primario Cænobio disjunctũ, eique operi, quod Ignatius moliebatur

apprimè accommodatum & habilem. Hic omni humanarum rerum cura, & cogitatione abjecta, passim assiduis precibus explorandæ Numinis voluntati, partim studiosè lectitandis expendendisque Sanctorum Patrum, qui Religiosas familias condidere, Sacris decretis, plures dies traduxit, alia ab aliis, quę aptè videbantur ad suum institutum transferri posse, (sed plura utique, ac meliora è D. BENEDICTI Statutis sapienter mutuatus,) sanctissimas Leges conscripsit, quarum postea è praxi, & usu, tam ingens ac multiplex, tam brevi ad Christianam Rempublicam utilitas est derivata, ut Orbis Vniversus admiretur, & obstupescat. Multis præterea DEVS, indulgentioris benevolentiæ argumentis, degentem apud Albanetam Ignatium est prosequutus, tum præsertim cum illi inter orandum Socij cuiusdam è suis (qui per id tempus Romæ obierat) animam in cælum subeuntem, aspectabile specie repræsentavit: ut sanctissimus Patriarcha BENEDICTVS videri potuerit, diversanti domi suæ Ignatio, & pulcherrimo operi intento gratificari voluisse, impetrata illi Divinitus communicatione miraculi, quo ipse apud Casinum degens, Scholasticæ sororis, & Germani Capuæ Antistitis animas, ad superos evolantes, clarissima in luce conspexerat. *Ita Scipio.*

*A.C.1545.* *S.P.N.1065.*

POntificijs infulis in ordine non pauci merita & gloriam Priscorum æquavere. Præcipuis annumerandus Iacobus Regius, Renati ex Magdalena Gauffier filius, Monachus primum Dolensis, dein Abbas ibidem, mox & Villelupensis, dein & Cluniacensis electus, armatis cedere Regis Galliæ precibus (ita Anglum mox alij, aliique imitati Cardinalem, Cœnobia cum cucullo nil peius odissent, in purpura ipsa exambiebant) in favorem Ioannis Cardinalis Lotharingi cogitur. Denique Iacobus Bituricensis Archiepiscopus renunciatus, insigne tanto in bonore ordini decus addidit. *De quo leg. Gall. Hist. &c.*

Floruit hoc ipso tempore Antonius de Monte, ex Monacho Montis Angelorum Congregationis Cluniacensis, Episcopus Civitatensis. *Consul. Aug. Florent. &c.*

*A.C.1546.* *S.P.N.1066.*

IN nova ordinis nostri Congregatione Montis Coronæ (sic enim illam à posteriore nomenclatura, sed hodiè notiore appellamus) virorum genere, doctrina, sanctitate illustrium tanta frequentia: ut perfectorum æquè convenienter, quam Monachorum congregationem licuisset appellare. Adeo ex tanta tenebrarum densitate, lumina nostra perpetuo effulsere, & perquam insigni luce facem cæcutientibus, ut qui vellent, & saperent, tenebras sæculi agnoscerent prætulere. *Luc. Ruch. &c.*

Gervvici Weingartensis Antistitis nomine, præter voluntatem nostram, & merita ejusdem, singulis annis abstinuimus, nec porro hoc anno possumus, ut abstineamus: tantis rursum meritis Imperio atque imperatori Carolo se probavit: quorum vel unum illud, quamvis præter dignitatem videatur; Abbatem, Monachum, castra sequi, è re tamen Imperij fuit, consilio tanti viri, Imperatorem, & qui pro Religione atque Imperio pugnarent, nunquam destitui. Adeoque compulsus exercitui adesse, etiam pro Duce Albano, jussus commeatum, atque alia providere, quod hominem maiore fide & integritate, quam quemvis è sæculi magnatibus, in ea procuratione versaturum appareret, illustri exemplo docuit, virum litteratum, mobilem, ac Religiosum nihil dedecere quod juvandæ patriæ, & in causa maximè fidei, prodesset. Ex Abb. VVeingart. histor. nostra & moniment. VVeingart. &c.

*A.C.1547.* *S.P.N.1067.*

SEd longe illustrius meritum, & inter præcipua ordinis referendum; longè lateque Hæresum pestilentissima lue Germaniam universam invadente, Gervvicum ardentissimo Zelo, ferventissimo studio, vigilātia perpetuâ,

tuà, tantum à magna & nobili Sueviæ parte multum avertisse, sed & Imperio atque Imperatori consulentem, plurimas passim, urbes, oppida, atque subjectas, iisdem ditiones in officio continuisse, mox ab Cæsare Legatum fidelitatis sacramentum eiusdem nomine exegisse. Ex citat.

Ipso anno Gervvicus idem in publica ac solemni, Festi corporis Christi, processione, circum tulit supremum in inclinante jam imo mersa Hæresum abominatione, Ulmensi urbe, venerabile & sacrosanctum Christi Domini corporis Sacramentum. Vt merito obstupescat, qui inter tantam juratissimorum Romanæ Ecclesiæ hostium copiam, unius viri Monachi constantiam & professionem fidei, tam pulchro exemplo, tam publicam videat, seu reminiscatur, cit. &c.

*A. C. 1548.* *S.P.N. 1068.*

LUgubris hic annus ordini universo atque Romanæ inprimis Ecclesiæ morte viri præstantissimi, & tanto culmine honorum dignissimi, Gregorij Cortesij, ex Monacho & Abbate S. BENEDICTI prope Mantuam Cœnobij S.R.E. Cardinalis. Vir fuit doctissimus, peritissimusque Græcè atque Latinè, ex cuius laboribus seu lucubrationibus, multis & peregregijs, incertum quo casu sublatis, seu deperditis, pauca super esse memorantur. Nimirum:

| | |
|---|---|
| De viris illustribus Ordinis Monastici | lib. 1. |
| Hymnorum diverso metro | lib. 1. |
| Quod S. Petrus fuerit Romæ | lib. 1. |
| Epistolarum familiarum | lib. 1. |
| S. Basilius de virginitate ab ipso ex Græco in Latinum translatus. | |

Is quanti semper cucullum fecerit, adeoque purpuram riserit, in ipsa morte pulcherrimo sanè dicto, comprobavit, cum imminente suprema hora cubicularium compellans: Ecce jam, diceret, ecce pluribus annis Cardinalis fuimus: quid autem nunc super est de hoc honore? Quanto satius fuerat in Religione mori, ubi minus erat animæ periculum. Hieron. Platus. Ciaco. Panvin. &c.

Ipso anno probatus exercitiorum libellus à Summo Pontifice. S. Ignatij Maurosæ quondam seu meditatus, sive etiam scriptus, ad cujus perfectionem haud modice fecisse Monserratensium nostrorum diligentiam, & Cianonis præcipuè Monachi, qui à confessionibus Ignatio fuerat, opem atque operam sed ante omnia materiam subministrasse Garsiæ Abbatis Exercitiorum librũ, Antonius de yepes noster, Arnoldus Scipio aliique affirmant, & luculentè demonstrant.

*A. C. 1549.* *S. P. N. 1069.*

FOrtissimi Christi Athletæ atque invictissimi Catholicæ Ecclesiæ propugnatoris Joannis Feckenami Euishamensis Monachi, admiranda constantia, & magnanimitas celebranda. Is anno 1536. cum aliis Patribus ac Fratribus suis Monachis Cœnobio per vim exactus, Joanni Bello adhæsit Wigorniensi Episcopo, eidem à Sacellis factus eoque mortuo anno 1539. ad Edmundum Bonnerum se contulit Londinensem Episcopum, apud quem agens, totum se ad gravissimos Hæresum errores confutandos, & propagandam catholicæ fidei veritatem dedit, eoque inprimis gravissimum Hæreticorum odium incurrit, ac proin Edmundo Episcopatu pulso: Feckenamus in vincula abreptus, Turrique Londinensi inclusus est. Verum Feckenamo neq; in angustijs carceris, animus angustus fuit, roburq; ac virtus singulari Numinis dono crevere, ita summa libertate, cum liberis ipse vinctus confligeret, & Hæreticorum antesignanos, & principes in certamẽ provocaret. Cõtẽptim accepere unius Monachi provocationẽ Hæretici, tantòq; libẽtius consẽserãt, quo minus ab uno multi, præsertim in impio dogmate versatissimi metuebãt, Itaque hoc fine eductus ex carcere septem solemnes habuit disputationes, circa præcipuos fidei articulos, ita solidè sceleratorum convicit, & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam propugnavit, ut Hooperus ipse PseudoEpiscopus Wigorniensis Princeps assessorum non immerito sibi satisfactum esse fateri cogeretur. Sed de gloriose gestis Feckenami, suis locis dein-

ceps. *Vid. Reiner in Apost. Ben. Ang. Stapletonus, Camdenus, Pitsius, &c.*

*A.C.*1550. *S.P.N.*1070.

VT subinde aliquorum saltem ex ordine virorum eruditione & scriptis celebrium meminerimus, abundāte inprimis eiusmodi plurimis, Belgio, Italia, & præcipuè sub hæc tempora Hispaniæ regnis: Clarissimus hoc anno effulsit Benedictus Canophilus, Sanguinus Carinensis Monachus J.V.D. cuius celebrantur inprimis,

De foro fori, & foro poli tractatus.
Repertorium Iuris Civilis
Multa in Iure Canonico.
Summa rerum, & alia plura.

Neque minore commendatione dignus Miniatus Pittus, nobilis Florentinus, Monachus & Abbas Sancti Miniati Florentiæ, Mathematicus præstantissimus, qui plura in Mathematicis maximè ingenij reliquit monimenta, & librum insignem, de nominibus antiquis, & recentioribus omnium Civitatum & Regionum totius orbis. Arnoldus, alijque.

Inter Episcopos ordinis sub hæc tempora celebriores Philibertus de Rie, & Petrus de Balura, uterque successivè Genevensis Episcopus, ex Abbate S. Claudii, plurima pro fide ab Hæreticis perpessi, posterior denique creatus Sanct. Rom. Eccl. Cardinalis Tit. Pammachij SS. Ioannis & Pauli & Archiepiscopus Vesuntinus. Vid. Cl. Robertus. Wion. &c.

Sed & fama celebratus hoc ipso tempore ex illustrissimo Cimacensium Principum genere F. Carolus de Croij, ex Monacho Abbas Affligemensis, mox Altimontensis; & Sanct. Ghisleni, Episcopus denique Tornacensis, cuculli in tanto honore amantissimus, & Cænobii maximè Ghisleniani; in quo etiam vitam hanc mortalem reliquit, & ibidem conditus est. *Vid. Belg. Rer. script. &c.*

*A.C.* 1551. *S.P.N.*1071.

INter Germaniæ Abbates insigni vitę innocentia, dignissimoque Religionis exemplo posteritati præit, sed & eidem relictis lucubrationibus viro Religiosissimo dignissimis, pro virili consulit, Henricus Clausius Abbas Wiblingensis, fidei luce illuminatissimus, radios suos spargit, & divino Calamo libris scriptis, cultum Sanctorum, eorum ipse observantissimus, & contemplatione cælestium, quantum mortali homini licet, ijsdem proximus, nomen suum, solatio posterorum fidelium, labore sanctissimo commendavit. Scripsit

Hierapolim sive de cælesti Curia lib. 2,
Orationes ad cælestem Curiam l. 1.
Speculum propriæ cognitionis l. 1.
Dialogorum vitæ Christi l. 3.
Dialogum, cui titulus, negligens Pater
Miscellaneorum l. 1.
Sermonum Variorum l. 1.
Exercitium devotissimum ad Deum, & Sanctos Patronos.
Commendarionem devotam ad S. Annam.
In Caput Regulæ sanctissimæ de observatione quadragesimæ sermones 2.
Apologiam pro se adversus Apostatam.
Dialogus ad Patrem & Filium ad Religionem aspirantem
Epistolarum ad diversos l. 1.

Obijt hoc 1551. 13. Augusti decrepitus, & optimè meritus. *Ex monim. wibling. &c.*

Eodem anno Sanct. Roman. Eccles. Cardinalis creatur petente Carolo V. Imper. Vir eo honore dignissimus F. Gregorius noster Martinusius Hungarus, Monachus Monasterij Sanct. Pauli, Cænobij nomine decepti, asseruere. Arnoldus,

*A.C.*1552. *S.P.N.*1072.

IOannes Feckenamus noster, post longum carceris squalorem, exaltata ad thronum Regni Maria, educitur; & pro merito felicissimè triūphatis Hæreticis; utcunque remuneratus, in clientelam Regiam asciscitur, eidem à sacris factus, & decanus Cathedralis Ecclesiæ Londinensis renunciatus. Is quanto exin animo cum Hæreticis liber conflixerit, qui captivus de ijsdem tam frequenter ac gloriosè triumphavit, dici & deprædicari satis non potest;

vel

vel ipsis Hæreticis id ipsum testari coactis, cum non post multos iterum annos eundem interruptum, nec admittere quidem ad concertationem aliquam, nedum committere cum eodem de rebus fidei quisquam ausus esset. *vid. Sander, Reiner. Pitsius &c.*

Claret Hieronymus Sochierius Abbas Claræ vallensis Congregationis Cisterciensis Theologus insignis, in Concilio Tridentino clarus, postea Cistercij Abbas Ordinis Generalis, & tandem Sanct. Rom. Eccles. Cardinalis. *Vid. Clem. Rob. &c. Petramellarius Ciacon. Wion. &c.*

*A.C.* 1553. *S.P.N.* 1073.

PRæclarissimum postremi sæculi sydus, Ludovicus Blosius Abbas Lætionis ex Belgio in orbem universum Religionis & doctrinæ radios emittit. Is nobili Blosiorum familiâ apud Hannonios natus, dignè tanto genere educatus, Clenardum virum doctissimum iuventutis Magistrum habuit, tribus ab eodem linguis institutus. Ex hinc palatinis addictus, instructusque moribus in Cæsaris aulam missus est. Sed illud Poetæ prudentior juvenis animo sollicitus versans. Regalibus exeat aulis, qui vult esse pius &c. In Lætiense pervetus Hannoniæ Ascetorium, vel ab Oceano naufragus se contulit, sacramq; indutus vestem, sacro se Tyrocinio Monachis probavit, exin dilectus omnibus, Monachum professus, & Lovanium ut sacras illic addisceret litteras missus est, tanta apud suos virtutis opinione, ut absentem Ægidii Gippi, decrepiti Abbatis Vicarium omnia suffragia nominarint, & rogata (quod ætatis secundum & vicesimum annum non excederet) Romani Pontificis authoritate eundem sibi præficerent. Biennio post, extincto morte Ægidio, plena potestate Lætiensis Abbas: Collapsam nonnihil apud suos, veterem & sanctiorem disciplinam instaurare, & revocare animum induxit. Quo factum, ut suis Monachis decreta Pauli III. Pontif. Maxim. diplomate firmata proponeret: estque hodie Belgica inter Cænobia Lætiense nulli secundum cum ob disciplinæ Monachicæ observantiam, tum ob Bibliothecæ veteris, ac potissimè Sacrarum litterarum custodiam. Cæterum Blosius familiaritate usus S. Ignatij Loiolæ in ipsis Societate initijs, per litteras crebriores, eũdem in pietatis negotiis identidem consuluit, extantque sat graves eorundem apud Patres fasciculi, qui utriusque Divi summa cum commendatione deinceps orbi patebunt. Sed de meritis Blosij fusè suo loco, hic sufficiat, sui Cænobij strenuum reformatorem induxisse. *Ex tomo. 1. Sanct. Ord. nostri. sæp. cit. Moræo. Burghes.*

Mortuus eodem B. Iodocus Palmerius Monachus Cænobij & Congregationis Montis Virginis, sanctitate clarus. *Mart. Ben. Arnold. &c.*

Floret eodem anno Flavius Ferrariensis, Monachus Casinas, vir doctissimus Græca & Latina lingua valde instructus, & à Papa Iulio III. plurimum dilectus, à quo tandem Ravellensis Episcopus creatus, munus sibi injunctum laudabiliter implevit. Bland. Rom. &c.

*A.C.* 1554. *S.P.N.* 1074.

ADmirandus prorsus virorum genere, doctrina, & Sanctitate illustrium numerus in Hispania, & præcipuè Cænobijs Vallisoletano, Monserratensi, & Naiarensi, de quibus Hispan. rerum scriptor. consul. & mirabitur sanè qui vel solos Abbatum Hispanorum syllabos denuo perleget, tot simul semelque Cænobiorum diversorum Antistites, summâ doctrinæ atque Sanctitatis opinione celebratos. In Angliâ, & Germania nonnulli Hæreticos gloriosè oppugnant. Sed & Italia non calamo, pro ferro contra eosdem abstinuit, in qua Iacobus de Leccio Monachus Congregationis Cælestinæ Paulo IV. Summo Pontifici charus, impia eorum dogmata, & Hæreseos auctorem, insigni libro elusit, ac convicit. Scripsit idem præter librum memoratum, de consolatione Crucis librum unum. de Cęremonijs ordinis sui lib. 1. de vita Cælestini V. lib. 1.

Sed ante omnes Gervvicus Weingartensis, & Dithelmus Sangallensis Abbates, ille toto ferè Imperio Hæresi obstitit, hic in Sangallensi ditione contra eosdem strenuè laboravit. De qui-

quibus Consul. *Mon. Wein. & Sangall. Monum.*

*A.C.*1555. *S.P.N.* 1075.

MEritissimus de orbe & posteritate universa ad felicem immortalitatem feliciſſimus transit Isidorus Clarius noster, Monachus S. Ioannis Evangelistæ Parmensis, & Abbas S. MARIÆ Cesenæ Congregationis Casinensis, singulis si per compendium licuisset, annis, singulis imo à pluribus meritis commendandus. Is Fulginatis Ecclesiæ Pontificatu sublimatus, in omni vita dignum se Episcopatu ostendit. Vir & morum integritate, & Scripturarum intelligentia, nec non linguarum peritia clarissimus, qui Concilio Tridentino summa cum laude adfuit, & scriptis doctissimis Ecclesiæ ornamentum insigne addidit. Mortuus in Cathedrali sua Ecclesia conditus, à civibus suis sequenti Epitaphio est condecoratus.

> Isidorus Clarius Brixinensis, Fulgineæ jam VII. annis Episcopus, vita & moribus integerrimus, exemplo, & verbis admirabilis, doctrina clariss. Christiana, Græcaque, Hebraica, Latina: mira in pauperes charitate ignitus, annū suæ ætatis circiter sexagesimum agens: acutissima correptus febre patientissimè placideq; obdormivit, ac XL. post mortem horis, ob assiduam populi deosculationem, maximis cum lachrymis ejusdem, non fœtens certè, prô mirum, sed redolens, hic situs est, die 28. Maij. 1155.

De operibus eius quibus nomen æternitati consecravit, hæc referuntur.

- In sermonem Domini in monte habitum Orationes 69.
- In Evangelium Lucæ Orat. 54.
- Orationum extraordinariarum tomi duo
- De iustificatione hominis & gloria, orationes duæ, in Concilio Tridentino habitæ.
- Aliæ plures orationes in eodem Concilio Tridentino habitæ.
- De modo divitiis adhibendo homini Christiano Oratio. 1.
- Novum testamentem vulgatæ editionis translatum
- In Caput IX. Epist. ad Romanos Orat. 2.
- In Caput XV. Epist. 1. ad Corinthios lib. 3.
- In Cantica Canticorum lib. 1.

Pleraque excusa Venetiis, & Mediolani extant, &c.

Eodem anno Pontifex Maximus electus Paulus IV. (dictus Caraffa) Neapolitanus, antea Joannes Petrus vocatus, nostris propensione addictissimus, fundator, ante Cardinalatum, Cænobii S. Nicolai Teutinorum, cuius extare epistolam propria manu scriptam, ait Lucas Ruhensis, ex qua ostendatur, Caraffam statuisse cum sociis, cucullum Camaldulensium nostrorum amplecti, nisi Deus prohibuisset, & ad aliud maius ipsum vocasset. Is primo Pontificatus anno Hieronymum Suessanum nostrum, ad se accersiri jussit. verbis Lucæ cit. referamus, simplicitate veritatem aptissimè enarrantibus. *Venit Romam vir obedientissimus, ac læto vultu, à Pontifice suscipitur, eumque oculo pedum præmisso, sic alloquitur Papa. Quale tegumentum istud Hieronyme (erat enim vilissimis & asperis, tunica & pallio indutus) seu quæ austeritas ista? Nimis durè tecum agis, dimittas ea oportet. Cui senex: nec alius, ni fallor, habitus pænitentem decet. Nam qui mollibus vestiuntur, non in deserto. sed in domibus Regum sunt. Nec tu, inquit Pontifex, amplius in deserto eris, sed manebis hic nobiscum: nec de cætero Eremitam te, sed Cardinalem volumus. Quo audito statim cecidit pronus in terram senex: multis etiam lachrymis profusis, cum diu in refutando dignitatem oblatam persisteret, vix tandem breve tempus ad deliberādum obtinuit. Quo finito, ad Pontificios pedes revolutus, humiliter petiit, ad suum Eremitorium remitti, affirmans nullam dignitatem sibi chariorem esse, quam veræ pænitentiæ sanctissimum statum: neque alicubi delitias sibi futuras extra solitudinem. Ex his cum intellexisset Pontifex piam ac sinceram viri Dei voluntatem noluit eum cogendo contristare: sed totam rem in ipsius arbitrium contulit, & Hieronymus ad suum desideratum Eremitorium revertit.* Hæc ideo, ut inde nostrorum ęstimes dignitatem, qui purpuram ipsam hoc etiam tempore cucullo suo viliorem æstimavêre.

*A.C.*1556. *S.P.N.*1076.

MEritissimus hoc anno Sanct. Mauroncus noster Abbas, de celeberrimâ Vrbe Belgij Duacenâ, ab hostibus liberata, beneficium tantum æterna memoria, & festo solemni concelebrat, verbis Martyrologij Benedictini referamus: VIII. idus Ianuarij apud Duacum Flandriæ commemoratio Sanct. Mauronti Abbatis, ejusdem Civitatis Patroni, quod hâc die ejus meritis & præsentia liberati sint Duacenses, à traditione Gasparis Colinæi summi Gallorum Ammiralij, Anno Domini 1556. Cum enim ille hâc nocte in quâ præcipuè populus Flandricus ex antiqua consuetudine mero indulgere solet, urbem capere moliretur, quod omnes ebrios ac sopori deditos se inventurum putaret, apparuit Sanct. Maurontus in somnis custodi Ecclesiæ Sanct. Amati (in qua sacrum ejus corpus quiescit) eique ut Matutini signum daret, usque tertio præcepit; quod cum facere recusasset, horam matutini non dum advenisse asserens, ab eo coactus, tandem perfecit. At cum matutinum pulsare se crederet, Campanę ipsæ non matutini, sed armorum signa dabant; quarum sonitu populus excitatus, ad mænia cum festinatione armatus properans, ipsum Sanctum veste Monachali fulgida, lilijs aureis respersa (sic enim depingitur) indutum, dextraque Regale sceptrum tenentē ac mœnia circumeuntem, claris oculis viderunt: eumque donec populus excitaretur urbem suam defendisse apertissimè cognoverunt. Cujus beneficij gratia à Sanct. Roman. Eccles. Duacensi, hâc die processiones solemnes institutę sunt, in quibus venerandę ejus reliquię in capsa argentea reconditę maxima cum populi frequentia, & devotione ab Ecclesiæ Canonicis reverenter deportantur. Ita Martyrol. Bened.

Hoc anno restituto denuo Benedictinis Monachis celeberrimo illo Monasterio Westmonasteriensi, per Mariam Reginam; primus eidem Abbas bonis universis applaudentibus designatur, fortissimus ille Christi athleta, & Hæresum calcator Ioannes Feckemannus. De quo legendus Sanderus & Reynerus. &c.

*A.C.* 1557. *S.P.N.* 1077.

QVantis meritis omnium existimatione esset Antonius Simonis Monachus Montis Angelorum Congregationis nostræ Camaldulensis facile ostendunt magni honores, ad quos ipse minimè ambitos quęsitus, Cęnobio extractus, primum Episcopus Minoritanus in Regno Neapolitano electus, mox Sutrij Episcopus renunciatus, dein & Nepiensis Pontifex salutatus, omni tamen honore major exsplenduit. *Aug. Florent. &c.*

Nec minori gloria effulsit hoc ipso anno Ioannes Olivarius noster, ex Monacho Sanct. Iovini apud Pictones, eleemosinarius Sanct. Dionysij in Francia, mox Abbas Suessionensis, Episcopus denique Andegavensis, vir litteratissimus, & Poetica inprimis facultate pręstans, editis non paucis ingenij monimentis. Fratrem habuit Protopręsidem Iacobum Olivarium, Francisci Cancellarij Francię patrem. *vid. Cl. Robertus &c.*

Creatus eodem anno Episcopus Sanctonensis Tristandus de Bezet ex Monacho Claręvallis Congreg. *Cistert. vid. Demochares. alijq.*

*A.C.* 1558. *S.P.N.* 1078.

MIrandum prorsus, quanta ad conciliandos Ecclesiæ Hęreticorum animos eiusdemque gremio adducendus, egerit Ioannes Feckenamus noster Westmonasteriensis dignissimus Abbas, quantaque benevolentię, ac charitatis Christianæ signa iuratissimis hostibus suis exhibuerit. Ita Reinerus quoque attestatur: cum valeret, inquit, magna apud Reginam gratia, multis officiis pietatis, & humanitatis conatus est devincire, tum alios nobiles, tum Elisabetham, adhuc privatam: quorum officiorum testes apellat Stapletonus Comites Leicestrię, Warvvici, & Befordię, inter quos, & Reginam Mariam sępius mediator, & sequester fuerat. Gulielmum etiam Cęcilium, qui potuerit attestari, factum opera & intercessione Feckenami, quod Dominus Ioannes Checus eques, & non ignobilis protestantium sectator, vita fortunisque privatus non fuerit: quia aliquoties coram ipsa Regina pro concione inter-

intercessisset pro Elisabetha sorore Reginæ, unde ipsius Mariæ non mediocrem indignationem incurrent: idque ab eo factum fuit, & antequam eadem Elisabetha in custodiam fuit conjecta, & postquam custodiæ mandata fuisset: cujus officii memor ipsa, antequam coronaretur, Feckenamo gratias egit. Atque utinam, inquit Stapletonus, post septem annos carceris tantum inveniat Feckenamus humanitatis, & favoris, quantum cum rebus secundis floreret, ipse aliis exhibuerat. *vid. Apost. Bened. Mon. Angl.*

Abdicat se hoc anno, stupente ad insolentiam exempli universo, Carolus V. Imperator, Romano Imperio tot annis feliciter administrato, & Cænobium Sanct. Justi ingreditur, haud dubium quin persuadente, certe juvante per sacros libellos suos Blasio Abbate nostro, quos ita charos familiaresque Carolus habuit, ut eos in sinu, non secus atque Alexander ille Magnus in Narthecio Homeri Iliadem, gestarit atque in Cænobio deinceps ipsos multo diligentius attentiusq; jugiter lectitavit. *Ex vita tomo nostro I. SS. & BB. Ben.*

*A. C.* 1559. *S. P. N.* 1079.

LUdovici de Strada Hortensis Abbatis, nunquam satis laudanda ob magnitudinem, multitudinem, & insolentiam planè stupescendam merita. Vnicum hoc anno in medium afferamus, quo super cætera omnia, morti proximus meruit. Invalescente quippe summa per orbem annonæ caritate, & pauperibus non solum, sed & ditioribus non nullis ob alimentorum inopiam cum ipsa morte conflictantibus, ipse Cænobij alimenta omnia indubitanter expendit, & innumerabilem pauperum multitudinem, velut filios, fovit. Ac proin pauperes undique confluentes (audi rem miram, sed apud nostros olim, & perpetuo frequentem, unde plurimis per orbem urbibus oppidisque sua initia referuntur, ingenti hominum frequentia quotidie sive pro Divini officij frequentatione, sive propter hospitalitatem, & liberalitatem Monachorum, ad Cænobia se recipientium) totum Monasterium casis & turguriolis circumdederunt, ut & valles, & montes eis replerentur. Omnia circum circa loca pueris & mulieribus plena erant, qui meridie ad Monasterij portam veniebant, illicq; quod ad victum sufficeret accipiebant. Dum vero (stupendum prorsus charitatis exemplum) ob nivium altitudinem pauperes turguriola sua exire non poterant, eo victus deferebatur, ut hoc facto Monachi magnam charitatem suam, & misericordiam ostenderent. Confirmata illustri miraculo hæc Monachorum, & Ludovici Abbatis pietas, quando post plurimas expensas cum porro ex locis circumpositis coemere, & corradere non posset, quod tantæ multitudini sufficeret, ad preces conversus, impetravit ut prodigiosâ lanè messe frumentum ante tempus, bimestri spatio maturesceret, ac demeteretur. Ludovico alios inter Principes familiarior erat Dux Medinæ cæli, qui ipsum & pro Sancto habuerat, & ut talem sanctè venerabatur, tantumque suspiciebat, ut Ludovico sene sedente, ipse Dux aperto capite staret, credens se Angelum DEI habere præsentem. Is admiratus tantam multitudinem, Ludovicum rogavit, an omnibus illis cibum daturus esset? Quo annuente, obstupefactus Dux intulit: Ego sanè (ita vitæ auctor habet) in me recipere non auderem omnibus his de victu providere, nisi statum meum oppignerare vellem: & non videor mihi sufficere posse, tum quia ubique maxima panis, & necessariorum penuria. Cumque responderet Abbas, sibi non defore, si etiam plures essent, quibus pauperes aleret: Curiosior deinceps Dux sciscitatus est, quidnam igitur, ac quantũ esset unde pauperibus tantis erogaretur: ac proin ductus ab Abbate ad locum, ubi panes: pauci sanè pro tanta multitudine supererant, singulis singulos panes dandos affirmavit; neque tamen defuturos ex ijsdem, quos etiam aliis elargiretur; incredibile visum Principi: quod vix ducenti panes essent, & ferè innumerabiles homines convenissent. Experti tamen Dux, & quos adduxerat famuli, miraculum ipsi spectare meruerunt, non pane solum, sed & alio qui in eosdem erogabatur cibo prodigiosissimè multiplicato. *Ex vita. &c.*

Floret

Floret hoc ipso anno haud minimi inter litteratos nominis F. Maurus Pandolphinus, Monachus S. MARIÆ de Florentia Congregationis Casinensis, cuius laudatur eleganti sermone scripta: Harmonia quatuor sensuum Sacræ scripturæ l. 4. *de quo leg. Arn.* Wio.

*A. C.* 1560. *S. P. N.* 1080.

COpia virorum ex ordine illustrium & de Republ. Christiana meritissimorum felicissimus hic annus, quorum paucissimos commemorabimus; eminet præ aliis Joannes Doceus Laudunensis in Gallia Episcopus, vir Religiosissimus & doctissimus, ex Monacho, & majore Priore S. Dionysij Parisijs ad Episcopalem dignitatem pro meritis evectus. Fuit S. Theologiæ Doctor, & verbi DEI prædicator celeberrimus, scripsitque inter alia. Sermonum ad populum librum unum. De Passione Domini lib. 1. De æterna Generatione Filij DEI & temporali nativitate ejusdem Filij hominis libros duos. Pari gloria exsplendescit Simon de Maille ex Monacho & Abbate de Loroux Archiepiscopus Turonensis, cuius inter eximia merita referendum, Concilium Provinciale ab eodem summa utilitate & gloria anno 1583. celebratum. Idem vir Doctissimus inter alias dignissimas ingenio & professione lucubrationes, vertit è Græco in Latinum 24. Homilias S. Basilij, & multa alia præclare gessit. Floret etiam Bernardus de Aragonia Ferdinandi Nepos, Monachus noster Congreg. Cister. ex Monacho Archiepiscopus Cæsaraugustanus, de quo Gonsalvus Illescas consulendus. Sed præ omnibus excellit, non solum scientia litterarum, sed & sanctitate insignis Chrysostomus de S. Gemiliano Calaber, Monachus montis Casini, creatus sub hunc ferè annum Archiepiscopus Ragusinus, & egregius Ordinis nostri reformator in Insula Melitensi. Vt videas rursum diversis locis ordinem novo fervore effervescentem, & perfectionis eximiæ exempla, nunquam per nostros orbi & Ecclesiæ defuisse. vid. Placidus Romanus à Wione tacitus. In Hispania incredibilis virorum illustrium numerus, inter quos principe fama celebrati F. Michael Fornerius, olim Abbas Monserratensis longe meritissimus, vir planè cælestis & Angelicus, & ab Hispanis pro Sancto dum viveret habitus; gloriosissimo contemptu Episcopatus Vicensis sibi à Carolo V. Imp. oblati, merito celebrandus. Obijt hoc anno 26. Ianuarij. Proximus Michaeli insigni ab vitæ integritate gloria Didacus de Lerma eiusdem in Abbatia successor, dein Abbas Vallisoletanus & Congregationis Hispanicæ Generalis, vir ob virtutem summè æstimatus. Nec minor fama Bartolomæi Garrigæ hoc ipso anno Monserratensium Abbatis viri doctissimi, qui celeberrimum illud templum Monserratense ingenti sumptu honori Deiparētis exædificavit, sicut puerulus olim ipse prædixerat. De quo consulendus fusior. *Ant. de Yep. C.* 5. *t.* 4.

Feckenami Westmonasteriensis Abbatis perpetuum meritum, quod utinam pro dignitate attollere satis liceret. Is hoc anno Elisabethæ Impiæ Reginæ jussu, cui sæpius ipse benefecerat, carceri denuo Londinensi inclusus, quod scelestissima Hæreticorum dogmata convellere, atque opprimere non desisteret, egregiam constantiam, virtutemque indignissimè luere cogitur. Quippe Maria Regina per immaturam Catholicis mortem ad superos evocata, Feckenamus in Comitijs Regni, pro Abbatiali dignitate locum possidens, & suffragium, constanti gravique oratione mutationem, aut innovationem Religionis, quantum in ipso fuit fortiter dissuasit. Accersivit eum ad colloquium suum Elisabetha Princeps, non longè antequam corona Regni foret insignienda. Nuncius, qui primo eo missus fuerat, invenisse eum dicitur, (verba Reyneri sunt,) occupatum in plantandis ulmis, quæ nunc adhuc in Collegij Westmonasteriensis horto crescunt; nec ullo modo voluit nuncium sequi, antequam cæptum opus plantationis finivisset: Forte tunc intentus meditationi & orationi: ut quemadmodum ipse eas arbores collocasset, ita DEVS replantatam nuper Religionem conservaret, aut Monachos, quos providebat ab hâc Regina eijciendos, Deus suo tempore iterum reduceret. Quid tunc cum Regina colloquij habuerit incertū: Credibile tunc Reginā egisse instantius, ut aliquo usq; Feckenamus & Monachi se Reginæ votis cōfirmarent, atq; ita in Monachatu, ac possessione Abbatiæ perseverarent.

Nam

Nam & illud vehemẽter optasse Reginã narrat Sander⁹, nimirũ ut in illa Religionis suæ invocatione, novũ genus Monachorũ (restitutos Westm. puta) sibi cõsentientes haberet. Sed frustra optavit, quia vir S. in Deo firmiter stabilitus, nullis blanditiis, aut terroribus ab Ecclesiæ communi fide potuit dimoveri, quamvis etiam ei Archiepiscopatum Cantuariæ ea conditione Regina obtulerit. Convocato primo Parlamento sub Elisabetha & disputatione instituta de articulis fidei inter cæteros Episcopos, & novos prædicatores, etiam Feckenamus magno Zelo obtulit se, ut inter primos pro fide disputaret, sed ad. missus non fuit, Regina nolente ipsum in numerum collatorum venire. Vt facile inde pateat, quantum ab uno sibi Monacho totius Regni Hæretici metuerent. *vid. Reynerus.*

Cum amplissima Gervvici nostri, Abbatis Weingartensis merita, orbi & Imperio Rom. conspicua, ipsum etiam orbis & urbis Pontificem minimè fugerent, constaretque, quantum ingenio, fide ac fidei Zelo, cũm apud Cæsarem, tum apud Principes Imperij unus ille vir posset, datis ad ipsum litteris, Nuncio item suo in Germanias destinato, ut de tollendis fidei controversiis, & Schismatibus, cum Gervvico conferret, imperavit, ejusque quod jusserat, Gervvicũ admonuit. Litteras subijcim⁹

PIUS PAPA. IV.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum ad tollendas de Religione controversias, & sedanda Schismata, aliaque quæ correctione indigent emendanda, nuper indixerimus Concilium Oecumenicum & Generale, DEO annuente, in Civitate Tridentina celebrandum, sicut cognosces ex bullæ nostræ exemplo, misimus huius rei causa in Germaniam, Venerabilem fratrem Zachariam Episcopum Pharensem Nuncium nostrum, datis ei nonnullis, ad tuam quoq; devotionem mandatis. Petimus igitur, ut eius Orationi, seu litteris, si te commodè alloqui non potuerit, fidem habeas. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die primo Dec. M D LX. Pont. nostri anno primo.

Antonius Florebellus Iavellinus.
Dilecto filio Gervvico Abb. Weing.

Constat autem ex diversis Principum & Pontificum scriptis ad eum deinceps litteris, quam fidelem tanto in negotio tum S.R.E. eiusq; Pontifici, tum sui amantissimo Cæsari, operam navaverit, non sine gravi & vitæ periculo & Cænobij sui dispendio, difficillimis negotiis & legationibus strenuè perfunctus. *Ex Archivo & monim. Weing. &c.*

*A.C.* 1561. *S.P.N.* 1081.

Angelus de Faggis vir meritissimus, Monachus & Abbas Casinensis, egregia Sanctitatis, & doctrinæ eximiæ fama ordinem exornat. Is poetica facultate usq; adeo excelluit, ut quidquid libuisset facile, & ubertim pene extemperaneo Carmine enunciaret. Teruntur manibus eius versus Coloniæ Agrippinæ impressi, in quibus apertissimè prædivitem illam venam, & pangendi Carminis admirabiles à natura impetus apertissimè ubiq; dignoscas. Plura etiam ad sacras meditationes argumenta, Latino idiomate evulgavit; quæ Religiosam eius mentem, & cælesti flamma incensum, facile ostenderint. Mirum qua rerum gerendarum solertia atq; dexteritate fuerit, tam provide ac feliciter cuncta ab ipso administrata: Monasterij jura ac jurisdictiones retentæ, plurima ab eodem structa & restaurata. Trina administratione Casinum rexit annis undecim. Alia item primæ notæ Monasteria plures annos, totamq; adeo Congregationem præsidis Generalis honore, atq; officio temperavit; eodem semper prudentiæ & Sanctitatis tenore ac fama (unde facile subiectorũ etiam profectum metiaris) cumque Angelum adæque moribus, ac nomine se præberet, summam omniũ venerationem simul ac benevolentiam adeptus, Vulgo priscæ virtutis & Sanctimoniæ specimen, & Germanus Casinatis Sodalitij alũnus prædicabatur. Quinimo vigere etiamnũ Angeli nomen recenti memoria perinde ac novissimè demortui, Scipio noster asseverat, esseq; præcipuo cultu apud omnes, & in honore; tũ propter vitę totius periodum religiosissime traductã, & egregia promerita; tũ quia non desint, qui referant ejus cadaver anno Octavo, postquã terræ mandatũ fuerat, integrũ illæsumq; se vidisse in sepulchro. Sed de reliquis eiusdẽ legendus idem Scipio in Elogiis Abbatũ Casinensium.

Rur-

suum crebro misit. Prælatum Apostatam doctissimis scriptis ab Hæresi revocavit. Dimissis ad tutiora Patribus (ecce veri pastoris, dignissimum, & S.R.Imperii Principis exemplum verè admirandũ) pestilentissima lue passim grassante, ipse curã populi suscipit, atque in Festo S. Bartholomæi (insigni planè loco, die & morte) in ipso suggestu apoplexia tactus, post paucas horas emoritur. Scripsit de exercitatione veræ virtutis, librum unum, & totam penè summam D. Thomæ redegit in tabellas. *MS. Sangall. &c.*

*A.C.* 1595. *S.P.N.* 1115.

MEritissimus longè etiam ampliores, sum̃osq; honores Gilbertus noster Genebrardus, ex Regio litterarum Hebraicarum professore eligitur hoc anno Archiepiscopus Aquensis, acerrimus Hæreticorum hostis, & expugnator, cui, si nullo alio titulo deberet Aquensium Vrbs celeberrima, im̃ortaliter deberet gloriam ac famam, solo tanti Archipræsulis nomine partam & posteritati commendatam. *Vid. op. Cle. Rob. &c.*

Clarent eodem tempore Paschalis Venetus Monachus Carcerensis prope Atestum Cong. Camald. Episcopus Arbiensis: Augustinus item Fortunius Monach. Angelorum Florentiæ, scriptis celebris, libris inprimis Octo Hist. Camald. & aliis pluribus. Sed & Vitalis Zuccoli Patavini Abbatis insignis memoria relictis ingenij doctissimis lucubrationibus, quarum præcipuæ sunt.

Dialogorum super Metheor. lib. 1.
Enarrationum super con: Tassi, li. 1.
Traductio Cambiorum justorum
Commentariorum & Quæstionum super Platonem, lib.
Octgointa sermones super Cantica Canticorum.

*Et alia plura, vid. Arnold. VVion. &c.*

Eodem anno, quæ nostrorum perpetua fuit in novos ordines benevolentia, Ioannes Saracenus Vedastinus Abbas Atrabatensium Civitati inducit R.R.PP. Capucinos, (quos superius dixeramus à nostris primum exceptos & curatos) iisdemque Cænobium ibidem construit. *Cl. Rob. &c.*

*A.C.* 1596. *S.P.N.* 1116.

FLorentissimum fama nomen Ioannis Dorothei nostri, Monachi & Prioris S. MARIÆ Valensis, sive de Valle, Congreg. Cluniacens. I.V. Doctor. & in Academia Dolensi Professoris primarij, qui ob eximiam virtutem, & eruditionem factus Episcopus Nicepolitanus, & Suffraganeus Archiepiscopi Bisuntini; exin S. R.E. Cardinalium Granvellani & Lotharingi Vicarius. *Arnold. &c.*

Eodem anno, maxima sua, Cænobii & ordinis universi gloria, multaque sedis illius felicitate, creatur Archiepiscopus & Dux Cameracensis, Ioannes Saracenus, Amplissimi Cænobij Vedastini Antistes, & Philippi II. Hispan. Regis Consiliarius in sui sanctioris status Belgici status intimo Senatu. Litterarum omnium Mecænas munificus; de cujus ingenij monimentis consulendus. *Ferr. Locrius, &c.*

*A.C.* 1597. *S.P.N.* 1117.

NImis maturè, æterno omnium bonorum luctu terris eripitur, cælo dignissimus, Aquensium Archipontifex, sæculi nostri Phœbus, doctissimus noster Genebrardus Aquensium Archiepiscopus, idem Religione & pietate præstantissimus, de quo inter alios Franciscus de Sales Episcopus Genevensis, lib. 11. de Amore Dei, c. 11. cui Genebrardo mortuo, ære alieno parentavimus.

Abstulit una dies ævi decus; ictaque luctu
Conticuit sacræ tristis facundia linguæ.

Eum non immerito O. præclarum Ecclesiæ litterarumque sydus appellavit. *Et Cl. Robertus:* Genebrard decedè an grand regrè de toute la Chrestiente pour sa profonde Theologie & Savoir universel, Cæsar de Nostre-Dame en son Histoire de provence & sponde, scripsit inter alia.

Commentarios egregios super Psalmos.
Notas Chronicæ, sive Chronologiam, & universam Historiæ methodum
Chronographiæ à Principio Mundi, lib. 4.

Transtulit & de Hebræo in Latinum Chronologiam Hebræorum majorem, quæ Seder olam Rabba inscribitur, & minorem Seder olam zuta. Et plurima alia. *Videndi Anton. Possevin. Claudius Robert. Franciscus de sales, &c.*

*A.C.* 1598. *S.P.N.* 1118.

MOrtalibus valedicit, Bruxellæ mortuus Ioannes noster Saracen. Cameracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, atque Vedasti-

Vedastini Cænobii Abbas vir litterarum amantissimus, atque de iis, subjectisque optimè meritus. *Vid. Loc. & Belg. rer. script.*

Eodem anno Saraceno succedit in Cœnobii Vedastini præfecturam Philippus Caverrellius vir omni laude major, doctrina, genere, & virtute nobilissimus, de quo plura suo tempore.

Meritissimi sub hæc tempora Hieronymus Casinensis Abbas, & Victorinus Mansus ejus in honore successor, quorũ liberalitate insigne Seminarium, sic vocant, ad juventutem clericali disciplina imbuendam exstructum & instructum. Vnde colligas per nostros ad Clericorum educationem, quod sexcentis ejusmodi exemplis probare possemus, nihil unquã desiderari potuisse. Quo eodem anno Victorinus Stabiensis Episcopus à Clemente VIII. acerrimi judicii ac prudentiæ Sapa, creatus est, qui præsens ipse, dũ Victorinus ad Episcopatum subiret, prudentibus viri responsis, & reconditiore doctrina usque adeo captus est, ut eo impensius collaudato, asseruerit: Cathedræ quidem à se satis consultum esse, Antistiti vero item. Hinc facile fuit eidem Clementi, aliquot post annos, pinguiorem Episcopatum (Ariauensem scilicet) eidem conferre. *Sed vid. M. Ant. Scipio.*

Mortuus eodem anno Ioannes Fremypt, Cænobij S. Benigni Divionensis Monachus & infirmarius, insignis pietate, & nobilitate vir, Andreæ Archiepiscopi Bituricensis patruus, hoc Epitaphio decoratus.

Ioanni Fremioto, Patritio Divionensi, Cænobitæ, Benigniano, sæculo irregulari Regulæ observantissimo sanctimonia & bonitate insigni, Mathematicæ & Mechanicæ solerti, ad vitam quam diligentibus se Christus repromisit præcoci morte properanti. A. D. 1598. 4. Id. Iulij.

*Vid. Cl. Robert. &c.*

*A.C. 1599.* *S.P.N. 1119.*

VIxit hoc anno, ut immortaliter viveret doctissimus ille, & æquè Sanctissimus F. Ioannes Castaniza, Ioannis Alphonsi Curielis, celeberrimi illius Theologi animus (qui idem Curiel, quamvis ordinem nostrum non professus, multo tamen nostris accensendus, quibuscum & perpetuo ferè vixit, & sua omnia legavit, denique sepeliri apud eosdem voluit) in cujus unius laudibus foret quam diutissimè immorandum, quibus ut satisfaciamus utrumque, & nos expediamus, ipsius hic Epitaphium, pro compendio, exscripsimus.

Venerabili Magistro Frat. Ioanni de Castaniza Benedictino, Sermone aureo, ore fœcundo, in dicendo suavi, in persuadendo miro. Apostolo Paulo prædicatione simillimo. Ob amabilem vitæ suæ sanctitatem, honori & decori omnibus: post oblatas sibi à Philippo II. præclaras dignitates, ac magnificè spretas, charissimi sui D. M. Illefonsi Curiel petitione propè ipsum tumulato. Obiit 18. Oct. Anno 1599.

*Videndus Antonius de Yepes tom. 7. Cent. 7. f. 346. &c.*

Insigni rursus merito à nostris devincta RR. Patrum Societatis Iesu Sanctissima Religio, quibus hoc ipso anno in Vrbem Atrebatensem magno Reip. fructu receptis stupenda structura, atque amplitudine Collegium Philippus Caverellius Abbas noster Vedastinus exædificavit. *Vid. rer. Belg. script. &c. & Ferr. locr.*

Quo ipso anno alia fundatio Ioannis Lentallier Abbatis Aquicinctensis pro ejusdem Societatis Iesu PP. stabilita. *Vid. Cl. Rob.*

*A.C. 1600.* *S.P.N. 1120.*

INgenti fructu in Hispania nostri laborant, florente inprimis Vallisoletana Congregatione, ex qua innumeri doctrina, & sanctitate viri illustrimi prodière, quorum plurimi summa ordinis nostri gloria, & Regnorum Hispaniæ bono in Celeberrimis Academiis Complutensi, Salmaticensi, &c. Theologiam Philosophiamque publicè profitentur. Sed in Regulari quam maximè Cænobio, & præstantissima Benedictinorum universitate S. MARIÆ de Yrache, ingens nostrorum gloria, hoc tempore præsidentibus RR. MM. FF. Benedicto de Gacaza, & Manuele Angles, ejusdem Cænobij Abbatibus & (qui perpetuus honos Abbati est) Vniversitatis Rectoribus, *de quibus consulendus Antonius de Yepes to. 3. cent. 4.*

Eodem anno inter præcipuos Religionis, doctrinæ, & generis præstantia ex ordine nostro viros, in iisdem Hispaniæ Regnis, Orbe universo, & ipsius Clementis VIII. Summi Pontificis ore & publico decreto celebratur F. Ioannes de Castro filius Ferdinandi de Castro Comitis de Lemes Monachꝰ S. Vincentij Salmaticensis ob exi-

ob eximiam virtutem ad diversos in Congregatione Vallisoletana honores promotus: & hoc denique anno per Clementem VIII. Archiepiscopus Tarrentinus creatus, de cujus laudibus fusè cit. Yepes *tom. 7. cent. 7.*

*A.C.* 1601. *S.P.N.* 1121.

NE ulli sæculo sanguinis gloriosissimi Martyrum nostrorum pretiosissima purpura deesset; primus felici exordio hoc sæculum beavit, suumque cruorem ad ornandam Sanctissimæ Matris Ecclesiæ vestem impendit F. Marcus Barckwortus, alias Lambertus: qui post diuturnam carcerem, ex quo cum facile evadere potuisset, & aliis evadentibus, eumque ad hoc impellentibus sese conjungere; maluit tamen constanter ultimam mortis sententiam pro Christi gloria prestolari; post novem itaque examina, quæ ad judicum tribunalia subiit, tandem 27. Februarij dicto anno Londini Martyrio affectus, coronam Monasticam sibi eo ipso die, quo occisus est tonderi curavit; habitum Religionis (quem nimirum publicè portare in Anglia prohibentur) reinduens, in eaque fide mori, & pro ea, protestatus est, quam ordinis sui Monachi, primi omnium Anglis prædicassent. *Ex Reynero.*

*A.C.* 1602. *S.P.N.* 1122.

PRodigium sui ęvi claret F. Raphael noster Sarmientus, Hortensis Congreg. Cistert. Monachus, ea dicendi gratia & copia locuples, ut si eum cæteris conferre velles (ait Henriquez) parem vix aliquem invenire, majorem neminem posses. Celebrantur & alij ejusdem Cænobii Religiosi, qui utriusq; Regni Castellæ & Galletiæ scholas sua doctrina illustrarunt, & magno discipulorum concursu Theologiam & Philosophiam docuerunt, alij, verbi Dei disertissimi concionatores, Regiam urbem cæterasque illius provinciæ civitates stupore, & admiratione replevêrunt. *Vid. cit.*

Caverelij nostri Vedastini Abbatis, multa gloria, neque ab administrata solum prudenter utiliterque functione officii, & in studiosos, novosque ordines liberalitatis fama; sed ex litteris, & commendatis scripto lucubrationib9 partum decus; cujus floridum stylum inprimis commendat Locrius, & se non pauca pro Chronico suo fatetur mutuasse.

*A.C.* 1603. *S.P.N.* 1123.

COngregatio nostra Suevica, maximo non Cænobiorum solum, sed & vicinorum omnium bono, & longè positorũ ex pulcherrimi exempli intuitu, commodo, velut aquilæ juventus renovata, hortante inprimis Clemente ipso Pontifice maximo, & successum strenuè promovente, Ioanne Comite de Turre Nuncio Apostolico languescentem temporum decursu (quod in rebus omnibus fieri videmus) primum Monachicæ Religionis fervorem reaccendit. Vnde multa statim auctoritas Monachis, & incredibili flore novum quasi ver in Religionis paradiso sese ostendens, maximos Principes & Germaniæ proceres admiratione percelluit; ut qui novam rerum faciem intuerentur, vix lachrymis abstinerent, omnes in Dei laudes erumperent, ejusq; dexteræ hanc mutationem adscriberent. Inde concursus ad Cænobia pænitentium sine numero quotidianus, & dignissima imitatione, pro conditionis cujusq; qualitate, & facultate, exemplo se Monachorum, conformantium; ut in uno horum Cænobiorum (ut sileam cætera pari, aut majori numero Medicos animarum exponentium, sive in majore populi frequentia constituta) brevissimo annorum decursu ducenta quinquaginta septem hominum millia maculas conscientiæ suæ in nostrorũ sinu abluerẽt, quod eo mirandũ magis, Cænobio eodem, neq; in Civitate aliqua sito, neque curam animarum profitente.

*A.C.* 1604. *S.P.N.* 1124.

NEc minor gloria sub hoc ipsum tempus Congregationis Montis Sion in Hispania, cujus Monachi, quantumvis strictam profitentur clausurã, proximorem tamen utilitati consulere non desistunt. Habent hac de causa in Regnis Castellę, & Gallitiæ Philosophiæ & Theologiæ scholas & collegia, ex quibus nostra memoria atq; etiamnum eminentissimi prodiêre ac prodeunt viri, qui postea publicè professi sunt, & profitentur, non solum in ordinis Collegiis, sed & universitatibus. Quorum multi & per omnem Hispaniam celeberrimi extiterunt: interque eos excelluerunt: F. Cyprianus Ruys, F. Ignatius de Ibero, & F. Petrus de Lorca, primarius professor Complutensis, aliique qui Sanct. Theologiam docuerunt in Seminario Complutensi, Salmanticensem universitatem illustrant Reverendissimus Pater Frat. Ludovicus

Bernardi, F. Angelus Manriquez. Nec minore celebritate clarent, F. Bartholomæus Gomez, F. Dominicus de Aldave, F. Lupus de Cabanas, F. Alphonſus Perez, F. Chryſoſtomus Caverus, aliiq; plurimi, inter decora ſæculi noſtri ſum̃o applauſu referendi. *Vid. Henriq. &c.*

In Anglia noſtrorum ſe pietas ubique inſinuat, & veſte mutata converſioni, ſeu reductioni errantium omni vigilantia & cura intendunt, Congregatio Anglicana paulatim viribus ac viris creſcit; & vacillantium plurimorum, ea noſtrorum charitate, inconſtantia roboratur. *Vid. rer. Angl. ſcript. Reyner. aliiq; de fructu Congreg.*

*A.C.* 1605. *S.P.N.* 1125.

RVrſum alia Reformatio ordinis & Congregat. Ciſtert. in Gotlandia, (ut toti obſtupeſcamus ſuper tam admiranda, ſive noſtrorum vigilantia, ſive potius ſingulari Numinis in ordinem noſtrum benevolentia, ſingulis ſæculis, non unum, non duos ſolum, ſed plurimos zelantes pro Domini Domo excitantis, qui diverſiſsimis Regnis ac provinciis primum Benedictinum ſpiritum foveant, reſuſcitentque) reformante Pontificis Maximi juſſu, magno illo & ſpectatiſsimo, meritis ſanctitatis, & doctrinæ viro Ven. Laurentio de Zamara, in quo hoc ipſo tempore, tanta vitæ integritas, & candor effulſit, ut nõ modo totius devotæ plebis præconio ſancti, ac verè pij nomen acceperit, ſed & virorum Principum, tum Barchinæ & Cæſar Auguſtæ, quam Madriti, Regia Civitate; ita amorem atque animos perſtrinxerit, ut eum non aliquem è mortalium cætu, ſed tanquam Numen ab alto lapſum ſuſpicerent, ac venerarenter. Obligavit æternitatem ipſam, præter alia merita, immenſi laboris ac doctrinæ opere Laurentius noſter, quod Monarchiam Myſticam nuncupavit, omni divinarum, humanarumque ſcientiarum ornamento excultum, atque in diverſos libros diſtinctum.

De perfectionibus & attributis Divinis, & ineffabili myſterio SS. Trinitatis, lib. 3.

De cognitione propria, de caſu, hominis, miſeriis naturæ humanę, & effectibus peccati, lib. 4.

De prærogativis & laudibus Virginis MARIÆ, lib. 10.

De viribus illuſtribus Eccleſiæ, tomi 3. lib. 8.

De armis offenſivis, & defenſivis Eccleſiæ, lib. 2.

De fuga Beatiſsimæ Virginis in Ægyptum, lib. 1.

Sermonum in quadrageſima, to. 1.

In cantica canticorum dum ſcriberet, morte præventus ad im̃ortalitatem felicem evocatus abiit atque obiit. *Vid. Villeg. Marian. Mor. &c.*

*A.C.* 1606. *S.P.N.* 1126.

PLurimum ex ordine Sanctorum Martyrum glorioſiſsimo ſanguine tinguntur Anglia, Gallia, Belgium, & maximè Hibernia, in qua hoc anno conſtantiſsime pro fide, & Eccleſia occumbunt, F. Bernardus Trejur, & Eugenius Ogallahure Abbas S. MARIÆ de Samaria, quibus ab Hæreticis capita præciſa ſunt, ſimiliq; gloria refulſit B. Wilhelmus Walchæus, quamvis in carcere, poſt tredecim annorum captivitatem mortuus, *de quibus rer. Angl. ſcript. legendi.*

Clarent eodem anno, viri ſanctitatis opinione, & vitæ exemplo præſtantiſſimi venerabiles FF. Bernardus de Eſcobar Abbas Montis Sion, & Iuſtus Matienc9, de quorum meritis legendus *Henriquez. aliique.*

*A.C.* 1607. *S.P.N.* 1127.

INter ordinis ſydera cumprimis exſplendeſcunt, vitæ integritate, doctrina, & meritis graviſſimis ſum̃opere com̃endandi F. Prudentius de Sandoual, Monachus S. MARIÆ de Najara, & Abbas S. Iſidori, Chronographus Regius, à Philippo III. ob virtutum præſtantiam ſed & nobilitatis eminentiam promot9 primum in Tudenſem, dein Pampilonenſem Epiſcopum, cuj9 ingenij digniſsima extant monimenta. Nec minore laude excellunt Fr. Martinus Ximinez Monachus Valliſoletanus, Fr. Franciſcus de Canſeco Abbas S. Iſidori poſt Prudentium, F. Franciſcus de Vega, aliique in Hiſpaniis plurimi: *de quibus Yepes. &c.*

Sub hunc eundem annum Victorinus quondam Abbas Caſsinenſis, dein Stabienſis, mox Arianenſis Epiſcopus Clementi Sum̃o Pontifici probatiſſimus & acceptiſſimus, à Paulo V. nihilo minoris indicii ac ſapientiæ Pontifice inter aſſiſtentes Epiſcopos honorificè cooptatur, vir ampliſſimis honorib9 longè digniſſimus. *Vid. M. Ant. Scipio. &c.*

*A.C.* 1608. *S.P.N.* 1128.

ITem alius ex ordine noſtro, genere virtute, & doctrina nobiliſsimus, purpura ſangui-

sanguinis proprij decorem addit Domui Domini, & felicissimo rore impinguat agrum fertilissimum olim, nunc vero denuo excolendum, Regni Anglici, F. Georgius Gervasius, primum Duaceni Seminarii presbyter, dein à P. Augustino præposito Generali ordinis nostri pro Anglia ad habitum susceptus. *De ejus Martyrio nos tomo I. vitæ SS. Ben.*

De aliis nostrorum in Anglia laboribꝰ & periculis, sed & suppliciis olim plura, nunc ad finem maturamus, quando materia proxima sub oculis etiamnum versatur, & verecundiæ viventium merito parcimus. Ipso anno inter sanctos solemniter relata B. Francisca Romana, cujus congregatio ab ipsa non ita pridem instituta egregiè floret. *Ex vita, & subjecto actu Canoniz. &c.*

*A.C. 1609.* *S.P.N. 1129.*

FElicissimo successu proficit laudatissima & meritissima congregatio Anglicana pro convertendis Anglis, Scotis & Hibernis instituta, in quam plurimi pro suo zelo, ad Apostolicam planè functionem assumpti, constantiam suam, ac magnamitatem Ecclesiæ insigniter hodieque approbant, & plurimi sanguine jam suo testati sunt. *De quibus legendus Reynerus in Appendice & alibi, &c.* Sed ut zelum hunc animarum in nostris perpetuo laudatissimum, perpetuo conservatum, & hoc postremo sæculo rursum reaccensum Lector videat, votum professionis Monachorum nostrorum huic sanctissimæ congregationi nomen dantium, adscribendum duximus.

Ego N. Anglus Monachus professus promitto, spondeo, & voveo coram Deo, Beatissima semper Deipara Virgine, & Beato nostro BENEDICTO &c. me semper paratum fore in Angliam Fidei Catholicæ propagationis causa redire, atque ibi permanere, indeque reverti ad locum mihi destinatum, quando & quoties mihi præceptum fuerit à Reverendissimo Patre Præside Missionis, & Congregationis Anglicanæ.

INvidère hanc gloriam nostris nonnulli, mussitatumq; passim eam professionem Monachis minimè competere, quibus conveniret, contemplationi solum, non prædicationis, & docendi laboribus se dare: Vnde permoti Congregationis Hispanicæ primates, causam alioqui liquidam, & non semel definitam gravissimo celeberrimi Salmanticensis senatûs, facultatis Theologicæ judicio, & censuræ permittendam censuêre. Respexêre judices ad Bonifacii Papæ IV. suo tempore prolatum Decretum (quo ante mille nimirum annos ejusmodi querelas oppressas, & elusas pridem memoravimus) & usu perpetuo ac consuetudine fundatum institutum agnovêre; post producta Bonifacii verba, sic pergentes. Nos convicti tam aperta Pontificis decisione, non potuimus ei non subscribere, debita reverentia & observantia, atque ita censemus, Monachos BENEDICTINOS, quantum est ex professione, qua juxta Regulam suam devinciuntur, aut ex instituto seorsim vivendi à reliquis hominibus, ut liberius possint vacare contemplationi rerum Divinarum, non impediri, quo minus possint à suis superioribus mitti in Angliam, & alias provincias, ut dent operam reductioni Hæreticorum ad fidem Catholicā, à quo defecerunt: & conversioni quorumcunque infidelium ad eam. Addimus præterea perpetuo usu, & consuetudine fuisse in ordine Divi BENEDICTI hoc receptum, sum̄a & evidente Catholicæ Ecclesiæ utilitate, ut confirmat testimonium, cujus meminit Gratianus 16. q. 1. & præter id sunt plenæ exemplorum Ecclesiasticæ Historiæ, plena ferè omnium Catholicorū scripta, quæ hoc nomine hunc ordinem miris laudibus extollunt. Vnde cōmunis pene omnium Christianorum animis inhæsit opinio, innumeros ex hoc ordine Doctores, Concionatores, Martyres, & Pontifices prodiisse, adeo ut nemo sit, cui hæc ignota esse possint. Ita tenet Schola Theologorum Salmanticensium.

F. Bartholomeus Sanchius Decanꝰ.
Ioannes Alphonsus Curiel. Canonicus Salmanticensis.
F. Augustinus Antolinez.
Magister Andreas de Leon. Canonicus Pænitentiarius.
Magister Petrus Arrago.
F. Ludovicus Bernardus.
F. Petrus Ledesma.
Magister Sagredo de Porres, Canonicus Salmanticensis.
F. Petrus Corneio.
F. Franciscus Corneio.
F. Andreas de Espinosa.
F. Basilius Pontius Legionensis.
F. Dionysius Iubero.
Magister Gelanda. Profess. Hæbr.

F. Petrus de Herrera.
F. Bernardus Bivanco.

Et ego Antonius Ruano de Medrano publicus Apostolica authoritate Notarius, & Salmanticensis Academiæ Secretarius, facio fidem, fuisse hanc resolutionem Collegij Theologici ejusdem Academiæ, & Magistrorum ejus, quos novi, facta prius in suo claustro prædictæ difficultatis, publica conferentia, cui interfui, & de mandato ejusdem Collegii hoc publicum Instrumentum exhibui. *Die 27. Mensis Iulii 1609. Rogatus.*

Antonius Ruano de Medrano.

*A.C.* 1610. *S.P.N.* 1130.

RUrsum sanguine Benedictino sacranda fuit hoc anno, nostrorum laboribus, longo sæculorū decursu, exculta Anglia. Fuit is, qui Anglorum salutem sanguine, & vita potiorem habuit P. Ioannes Robertus de Mervinia, unus ex primis Monachis, qui post Religionis in Anglia suppresionem, ad ejusdem reductionem operandam fuit destinatus, vir magnæ constantiæ, zeli præcipui, charitatis; qui sæviente Londini peste gravissima, morientib9 intrepidè assistere, & Sacramenta ministrare, fidemque annunciare pro Christo, perseverantissima devotione sustinuit: postquam sæpe sæpius è carceribus in exilium missus fuisset: tandem ob fidei Catholicæ constantiam Londini 10. Decemb. sanguine suo Christo Domino litavit, morte felicissima & gloriosa, infinito populo spectante, cælum meruit. Ex Reynero. Ejus agonem fusius describit Antonius noster de Yepes, to. 4. in Chronol. Gener. aitque inter omnes Religiosos, qui in Insula illa laborarunt penè principem reputari posse, quod ad laborem & fructū prædicationis attinet. Fuit autem quinquies captus, & iterum Dei providentia ad multorum salutem liberatus: Sexta vero vice comprehensus ipsa Dominica I. Adventus, cum in Catholici cujusdam domo sacrum Missæ officiū fecisset. Octava die Decembris in festo Conceptionis B. M. Virginis in judicium productus mira constantia coram Iudicibus rationem reddidit fidei. Decimo Decemb. ad locum supplicij deduct9 coram toto populo sacerdotem se, ac Monachū Ordinis S. P. N. BENEDICTI professus suspensus est, ac postea exsectis intestinis, in quatuor partes dissectus, cum aliis quatuor Catholicis, interque 16. latrones, quorum unum in ipso supplicii loco per breve colloquium dicitur convertisse. *Sed vid. Yepes cit.*

Moritur eodem anno Iacobus Delrio Abbas de Bodelo Cong. Cistert. vir nunquam satis laudandus, cujus merita Epitaphium loquitur mortuo positum:

Abbatum exemplum, specimen venerabile morum,
Spes inopum, Fidei splendor, honoris honor.
Et patriæ communis amor, verè aurea prisci
Vena boni, & Rivus perpetuæ uber opis.
Quæ Delrio tibi simul omnia confluxêre,
Omnia nunc tecum tot periêre bona.
Aut potius cælum tecum subiêre petente
Omnia, ut Oceanum flumina prona petunt.

*Videatur Chrysost. Henriq. l. 1. d. 15.*

*A.C.* 1611. *S.P.N.* 1131.

ANglicana Missio & Congregatio nostrorum, æterno de Angliæ Regno merito, & studio Monachorum æternis sæculis commendando plurimum proficit, & legibus optimis providetur atque instituitur, atque anno sequente à Paulo V. Pontif. Maxim. confirmatur. Celebrantur ex Hispaniæ atque Italiæ Congregationis Monachis viri Religiosissimi, & doctissimi, qui Spiritu Dei pulsi certatim eidem Sanctissimæ Missioni nomen dantes, se veras Christi victimas, pro gloria Numinis, & salute populi, & Regni Anglicani ultro & sponte in sacrificium obtulêre. Inter quos extitêre RR. PP. FF. Anselmus de Mancestria Cassinensis, Augustinus de S. Ioanne Hispan. Robertus Sadlerus, Thomas Præstonus. Hillus Hispan. &c. Legendus, fuse omnia persequens Reynerus in App. parte 1.

*A.C.* 1612. *S.P.N.* 1132.

MOritur insigne ordinis nostri decus Reverendissimus P. F. Victorinus quondam Cassinensis Abbas meritissim9, exin Stabiensis, tum Arianensis Episcopus, denique inter Assessores Episcopus. Summi Pontificis adoptatus Clementi VIII. & Paulo V. charissimus: cujus superesse ait M. Antonius Scipio noster,

quæ

quæ scripsit, litteratorum judicio & confessione, plena doctrinæ, plena eruditionis, & ingenij volumina. *Vid.*

Iterum gloriosum hunc efficit annum, & Romanam Ecclesiam quidam è nostris novæ congregationis Monachis, sanguine suo condecorat, R.P.F. Guilelmus Scotus, nobilitatem generis, meritis gravissimis, & dignissima fidei constantia æternũ commendans, post crebros carceres & exilia, ad munus suum Apostolicum imperterrito semper animo reversus, Londini denique hoc anno, Nonis Iunii, Martyrio coronatus est. *Hist. Mart. Angl.*

*A.C.* 1613. *S.P.N.* 1133.

ILlustrissimum Hyberniæ, imo Ecclesię universæ sydus ex ordine, & congregatione reformata Cistert. in Hispania illucescit, vir revera Apostolicus R.P.F. Candidus à S. Bernardo Monachus Nucalensis, à prima juventute gratia Dei singulariter præventus, ac in omni deinceps vita miraculis à Deo honoratus. Is ad conversionem Patriæ in Hiberniam destinatus, illico ab Hæreticis interceptus, mira Dei bonitate, post liberrimam Fidei professionem ad Hiberniæ bonum maximũ dimissus est. Miranda prorsus sunt, quę compendium istud non permittit, quæ de ipso in vita narrantur. Claruit admirandis prodigiis, & omnis generis morbos & infirmitates, applicatione plantatum quarumcunque, Medicum pie simulans, nequid ejus sanctitati tribueretur, curabat. Ita de ipso in litteris ad superiores in Hispania scribit Reverend. Pat. Thomas Madan: *Hoc affirmo, homines graves suspicari, illum herbarum & plantarum scientiam, & cognitionem habere, ideoque cuique morbo insolita quædam adhibebat, quæ nunquam à Medicis audita fuere, nec ipse ejusmodi studebat, nisi in oratione. Hoc enim ipse notavi toto tempore, quo ei comes fui, quod nunquam nisi dicta Missa, alicui alicujus rei auctor esse, vel suadere vellet, post sacrũ vero facile omnibus consilia dabat, vel etiam mille hominibus, una die, &c.* Sed ipsum sanctum in Epistola ad Nucalenses suos Abbatem & fratres scripta audiamus. *Nova quæ jam habeo hæc sunt. De concionatore me medicum fecerunt, visitoque pauperes infirmos condolens eis, qui magis brutorum quam hominum vitã vivunt. Suadeo victũ mutare, nec aliam medicinam do; hoc modo plurimi convalescunt. Quod plebs considerans credidit me medicum esse, & claudi, debiles, cæci, & aliis infirmitatibus correpti ad me remedii ergo confluunt. Sique illis respondeo, me non esse Medicum, necquid remedii scire, non mihi credebant, & scandalizabantur, ut ergo scandalum vitarem, sanabam quot poteram, & applicabam quotidiano quæ nobis sunt in usu, & cinerem, salem, avenam, frigidam aquam, poma, & alia hujusmodi. Et contigit multos & insuetos morbos brevi tempore sanari, ut lepram, Hydropisim, cæcitatem, & alia, non solũ in pauperibus, sed etiam in nobilioribus Regni. Vnde contigit plurimos ad me confluere, & omni populi congregatione, de nulla ferè re agi, quam de nostra medicina.* Hæc ipse Sanctus unde merito in ejus vita, quam versu complexus est P. Stephanus Sortal, ista leges.

> Nam claudo, ægro, inopi, cæco, morientibus, orbo est,
> Pes, vigor, auxilium lumina, vita, Pater.

*Ita Henriq. l. 2. distinct. 33. & litteræ ejusdem S. Viri hoc ipso anno datæ. &c.*

*A.C.* 1614. *S.P.N.* 1134.

INsignem hunc annum facit, gloriosissimo triumpho B. Thomas noster Helmius, sive Dunstallus; adhuc novitius, sed jam pridem laureæ maturus, cujus felicissimum agonem fusius descriptum in nostris SS. ex ord. Tomis alibi proponemus; vir admiranda constantia planè Heroicus, qui priusquam moreretur, petiit ab judicibus, ut quia in porta Nordovicensi esset porta Divi BENEDICTI nomine sacra, caput demortui (quia supplicis affectorũ membra solent persequutores Angli prælongis sudibus, vel contis affixa in portis civitatum terroris incutiendi causa suspendere) in illa Divi BENEDICTI, porta ponerent, cujus Divi Religionem, & Regulam ipse profiteretur, quod & illi concessum est. *Vid. Reyner. & citat. V. MSS. &c.*

Inæstimabili merito laborat in Conversione Hæreticorum Hiberniæ F. Nicolaus Fagan, Monasterij Ferratiensis in Castella Monachus, electus Episcopus Waterfordiensis, ab Hæreticis pessimè mulctatus, & miraculis illustrissimus. *Vid. Henriq. cit.*

*A.C.* 1615. *S.P.N.* 1135.

SIne numero, & penè sine fundo, ut & inæstimabilia S. P. F. Candidi merita, qui ob gratiam curationum inauditam ab ipsis etiam Hæreticis honoratur, ab Rege

Angliæ ad curandam consanguineā evocatur, eamque mirabiliter sanat; aliis sola manuum impositione medetur, pari modo viris nobilissimis succurrit, infusa scientia illustratur, futura prædicit. Totus est prodigiosus. Audiamus denuo ipsum in litteris aliis ad suum Nucalensis Cænobij Abbatem: Dedit mihi Dominus exiguo, virtutem, faciendi signa in populo Barbaro, qualia nec Epistolis leguntur facta, ita ut in nomine Domini nostri Iesu Christi resuscitare à mortuis valeam, corpora in pulveres ab annis multis resoluta. Nullus tamen credat me ob ista, sive ob his similia parifaciendum Apostolis (ô dignam Monacho confessionem) aut aliquibus perfectis viris, cum exiguus sim, & peccator, & contemptibilis. *Ex Henriq. &c.*

*A.C.* 1616. *S.P.N.* 1136.

ITerum in augenda missione anglicana, & congregatione nova propaganda insigniter laboratum. Notanda solum subscribentium nomenclatura, unde colligas, quanti viri se pro salute Angliæ in hostiam obtulerint, si ij solum venerint numerandi, qui pro tot aliis soli subscripsêre. Sunt vero, qui tum aderant: F. Leander de S. Martino, Vicarius Missionis Hispanicæ S. Theologiæ Doctor; & in Academia Duacena linguæ sacræ professor Regius. F. Rudesindus Barlo Presbyter, Prior S. Gregorij dicti R. P. Vicarij assistens S. Theologiæ Doctor & Professor in Collegio S. Gregorij Duaceno. F. Ioannes Barnesius Doctor in artibus pro tempore missionis nostræ assistens, superior Benedictinorum Congregationis Hispan. in Hispan. in Collegio Marchianensi degentium, & in eodem primarius Professor publicus. F. Thomas Grynæus presbyt. Collegij Gregoriani Regens, S. Theologiæ Licentiatus, & Professor ejusdem in dicto Collegio. F. Thomas Torquatus presb. & Professor primarius in Collegio Marchianensi. F. Guilhelmus de S. Martino presb. & Collegij S. Gregorij Oeconomus. F. Anselmus Cronderus presb. & subregens in Collegio Marchianensi. F. Franciscus de Onuo presbyter. Concionator. F. Gregorius Hungatus presbyt. Theol. F. Bonifacius Wilfrod presb. Theol. F. Thomas Moringthonus presbyt. Theolog. F. Robertus de S. MARIA, presb. Theol. F. Cælestinus Trembius presbyt. Theol. F. Ildephonsus de S. Gregorio presb. Theolog. & professor publicus Philosophiæ in Collegio Marchianensi. F. Antonius de S. Guilelmo Philosophus. F. Iacobus de Sanct. Greg. Theolog. F. Deodatus de S. MARIA Theol. F. Maurus de Sanct. Ioan. Theol. F. Dunstanus de Sanct. Ioann. Theolog. F. Ambrosius de Sanct. Eduardo Theologus, &c.

Moritur eodem anno meritissimus Conversione infinitorum B. Candidus mortis suæ præscius, à morte miraculis illustrissimus, & post mortem etiam Conversione Hæreticorum Ecclesiæ operam navans. *Vid. Henriq. &c.*

*A.C.* 1617. *S.P.N.* 1137.

MVltis pro fide Catholica conservanda, & infidelibus convertendis exanthlatis laboribus, magno cum populi Catholici luctu, & mœrore diem extremum obit, absolutissimus perfectione & doctrina vir, Vener. F. Nicolaus Fagan, electus Episcopus Waterfordiensis, de cujus vitæ mirandis, & dignissimis de Ecclesia meritis, *leg. Chrysostom. Henriq. l.* 1. *dist.* 34.

De continuata tot seculis nostrorum in adducendis Deo Hibernis industria, ac labore, & hoc ipso tempore eorundem constantia ac fortitudine consulendus auct. cit. in Epistol. hoc anno ad ipsum data à quodam Hiberno Catholico, *l.* 2. *dist.* 37.

Moritur eodem anno B. Guilielmus Walchæus Congregat. Cistert. Monachus Episcopus Midensis in Hibernia & Martyr, post tredecim annos carceris, & multos cruciatus, dolore vulnerum in exilio extinctus. *Vid. citat.*

*A.C.* 1618. *S.P.N.* 1138.

SAlisburgensis Gymnasij initia, paulo post in universitatis celeberrimæ splēdorem adolescentia, Marco Sittico Archiepiscopo, & singulari ordinis nostri fautore, sese orbi magno Archipræsulis & Ecclesiæ ejusdem ornamento aperiunt. Sittico æterna nominis sui gloria, primū honori ordini, ordinem Diœcesi, restituente; adeoque impensa ante nongentos ferè annos à BENEDICTINIS Monachis suæ Ecclesiæ beneficia, quanto magis sero, tanto digniore munere, refundente. *Ex lit. S. Cæs. Majest.*

*A.C.* 1619. *S.P.N.* 1139.

ADmiranda virtutis fama excellit, & prædicatur Ioannes Malderus ex Abbate B. MARIÆ de loco S. Bernardi Cist. Cong. Antuerpiensium Episcopus. De quo Henriquezius in Abbatibus Cænobij ejusdem. Nihil antiquius duxit, quã Monasticam disciplinam restaurare, veteresque ordinis praxes ac consuetudines restituere &c. Vt enim piissimus est prælatus, nihil illi magis in votis, quam exemplis & scriptis, aurea primi Christianismi tempora reducere, ut jure optimo primis ordinis Patribus æquiparari debeat, &c. De laudibus ejusdem Reverendissimi Episcopi, nec ingenti quidem volumine satis, quantumvis præcisè res egregiè gestas concinnare, & cogere conaremur. Sed alibi aliquando fusius tractabimus. *Henriq. &c.*

*A.C.* 1620. *S.P.N.* 1140.

ÆTernum sibi in Benedictinorum omnium pectoribus, amplissimo de antiquissimo ordine nostro, merito, struit monimentum R. & Ill. S.R.I. Princeps Parisius Comes Lodronius Archiepiscopus Salisburgensis, Apostol. S.Sed. Legatus natus, dum Gymnasium à Marco Sittico antecessore erectum summa sua atq; ordinis nostri commendatione universalis studij Titulo atque facultate insigniendum à suprema S. Cæs. Majest. auctoritate contendit impetratque. Donata hęc universitas Privilegiis, Prærogativis, imunitatibus, exemptionibus, &c. ab eadem S. Cæs. Majest. iisdem omnino omnibus, quibus aliæ omnes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, &c. fruuntur, pariformiter, & æque principaliter, absque ulla differentia &c. atq; pro Patribus Benedictinis ab eadem S. Cæs. Majestate in perpetuum confirmata. Ex litt. & privilegiis hoc anno datis. Eandem fundationem, ac donationem ratam habuit, atque pro suo in optimos filios S. R. E. Benedictinos PP. amore & propensione, amplissimis gratiis, mirificè auxit, extulitque Sanctissimus D.N. Vrbanus Papa VIII. cujus ut & S. Cæsar. Majest. tabulas, brevitatis studio inserendas non esse censuimus; sed à Patribus potius ejusdem celeberrimæ universitatis, pro dignitate commendandas arbitramur.

Insigni ordinis & Congregationis Sanctissimæ Cisterciensis gloria creatus Archiepiscopus Dominicapolitanus, & Totius Novi Orbis Primas instituitur Reverendissimus & Illustrissimus Dominus F. Petrus de Oviedo Hortensis Monachus, postquam annis pluribus Philosophiam, ac Theologiam sum̃a admiratione Compluti professus esset, & virtutis doctrinæque insolentibus planè radiis longè lateq; effulgescens, Regi Catholico, & inprimis Pontifici Maximo, Hispaniæ, immo Europæ universæ, perinsigniter se commendasset. *Vid. Henriq. l.1. d.7.*

*A.C.* 1621. *S.P.N.* 1141.

INcredibile, quanto numero virorum Religiosissimorum & Doctissimorum efflorescat Congregatio nostrorum Monachorum in Hispania, ex quibus sub hęc tempora eminent inprimis RR. PP. FF. Prudentinus Sandovallius Prior perpetuus Monasterij Sanct. Ioannis Regalis de Naranco, & Chronographus Regius, multis aliis honoribus ob virtutem à Rege Catholico exornatus, tandem Pompelonensi Cathedra sublimatus, vir relictis ingenii monimentis toto orbe notissim9: dein Sebastianus de Villos lada, ob doctrinæ, & raram hæc ævo eximiæ sanctitatis famam, in Hispania celebratissimus, variisque muneribus perfunctus, in vita, & post mortem miraculis clarus. Alphonsus item de Corral, Abbas Sanct. BENEDICTI. Vallisoletanus, pari sanctitatis fama notissimus, & meritis gravissimis, si per institutum scribendi genus liceret, summoperè commendandus; F. Didacus de Marquina Abbas Sanfeliensis, F. Christophorus de Almeida, F. Ioannes de Gentierrez, F. Didacus de Vannegas, F. Gaspar Vuca, F. Franciscus de Cordona, omnes litteris, sive genere, atque meritis gravissimis illustrissimi. *De quibus consul. rerum Hispan. script. & Yepes noster, aliique.*

*A.C.* 1622. *S.P.N.* 1142.

SVccessu felicissimo, multo fidelium consolatione, at uberrimi spe fructus, immortali ordinis atq; nostrorum omniũ gloria, egregie propagatur ac crescit Congregatio Anglicana institutis hoc anno Provincialibus, sive diversarum in Anglia Provinciarum Superioribus. Cujus commissionis copiam proposuit in appendicis parte prima D. Clemens Reynerus noster eo ipso tempore congregationis ejusdem Secretarius. *Vid.* Vnde perpetuo colligas, quam nostris Anglorum Salus curæ

curæ perpetuo fuerit, quamque perditissimis temporibus, suæ etiam vitæ negligentes essent, modo proximorum saluti prodesse, atque pro Ecclesia laborare possent.

*A.C.* 1623. *S.P.N.* 1143.

INter alia ordinis præclarissima sydera effulget, & suum hoc ipso anno, lumen Empyreo cælo infert R.P.D. Adrianus Cancellier Abbas Dunensis, insignibus meritis gloriosus; quæ inter non minimũ illud, quod mira munificentia, & liberalitate sumptus, & necessaria suppeditarit, ad ædificia & sustentationem plurium Cænobiorum, & Collegiorum; quorum alij Deum laudant, alii proximorum utilitati, & juventutis instructioni vacant, fructu eorundem merito ad Adrianum etiã nostrum, & sexcentos ejusmodi, hoc ipso tempore, de aliis Religiosorum ordinib9 optimè merentes referendo. Quorum hic & deinceps, utpote viventium modestiæ, & verecundo rubori omnino parcendum duximus: adeoque, nullo modo defectu materiæ, sed modestia Religiosa, annos hos in viventium laudibus minimè extendimus. Obiit Adrianus ipsa Resurgenti Sacratissima Die, vir omni virtutis perfectione absolutissimus, juratus Corporis sui hostis, verus pauperum pater. Dum felix illius anima carne solvenda cũ morte luctaretur, cælesti lumine locus in quo decumbebat illustratus, illuminatissimo viro illustre sanctitatis testimonium præbuit. *Vid. Henriq. &c.*

*A.C.* 1624. *S.P.N.* 1144.

INcredibili merito Ecclesiam Matrem demerentur Congregationis Montis Sion in Hispania Monachi, qui & publicè in diversis universitatibus litteras, & SS. Theologiam, & Philosophiam profitentur, & ad Infidelium Conversionem in diversas Regiones missi innumerabilem mortalium multitudinem, ex inferi faucibus eripientes, gremio Ecclesiæ Roman. adducunt, de quorum sanctissimæ vitæ instituto, & præter SS. Regulam nostram constitutionibus fusè agit *Henriq. l.2. d.15.*

Inter celebriores per Hispanias Doctores celebrantur RR. PP. FF. Malachias Dasus Monachus Hortensis Congregat. Cist. ob morum gravitatem, & sapientiæ doctrinam Sacensis Episcopus creatus, eidem sedi in omni sanctitate præfuit, pauperum amator præcipuus, quidquid habebat in egenos liberaliter profundẽs, cujus præclara merita Dominus post ipsi9 obitum patefecit, evidentibus miraculis ad ejus sepulchrum frequenter patratis. Claret & F. Angelus Manrique scriptis doctissimis notissimus, disertissimus verbi Dei prædicator, Philosophus subtilissimus, Theologus consumatus, eaque in facultate Professor Academiæ Salmanticensis Ordinarius. Sed & celebris F. Basilius de Molina Doctor Theologus, publicus Theologiæ Professor in universitate Ferrariensi in Italia, vir fæcundissimi ingenii, scripsit de Immunitate Ecclesiastica librum 1. Celebrantur etiam Eugenius Martinez, Bernardus Lopez, Bernardus de Ribera, vir facilis ingenii & in enodandis Sacræ scripturæ difficultatib9, quæstionibusque dissolvendis felix, scripsit librum cujus titulus est: Conceptus S. Scripturæ, &c. Et quidem omnes unius Cænobii Hortensis in Hispania Religiosi, unde ingentem multitudinem totius Hispaniæ Cænobiorum sub uno capite, & Congregatione minimè dissimilium, submetiaris. *Vid. Henriq. &c.*

*A. C.* 1625. *S.P.N.* 1145.

INnumera multitudo eorum, quos ex ordine hoc ipso tempore, insigni vitæ innocentia, & doctrina atque eruditione mirandos orbi proponere, & æternis sæculis comendare oporteret, consulto prętermimus, ab aliis, & Reverendis inprimis Societatis Iesu Patribus sumopere commendatos, quorum tanta copia hoc tempore extitit, ut redivivus in terris Admirabilis Pater Noster BENEDICTUS, & revertisse in terras totus è cælo SS. Monachorum exercitus videretur. De quo nostrorum fervore, & antiquo Spiritu resuscitato ita R. P. Conzen Societatis insignis sacerdos Politic. lib. 6. cap. 46. n. 12. *Nunc vero omnes ordines ferventius & constantius, quam à trecentis annis factum sit sese reformant, alii aliorum exemplo excitati.* Et eodem libro 6. multo luculentius, cap. 11. *Veteres familiæ Religiosorum, pristinam integritatem, rigoremque recepêrunt, & in dies magis magisque reflorescunt, magna spe meliorum temporum. Cum tam Sancta, fortia, Deo sacratissima pectora, caliginoso mundo demonstrent, contemnere sæculi pompas, & sese pro nobis apud Deum interponant: & novorum turba selecta primitias spiritus præferentes senescenti orbi auxiliari conantur, &c.* Apud

Casinum

Casinum etiam nova luce sacra societas illustratur, Simplicio Caffarello Abbate, viro in paucis meritissimo, sub quo Casini antiqua dignitas, & fama reparata, Hospitalitas inprimis, quæ ex usu Monachorum nostrorum fere præcipua suspicitur, cum uno unico ille Iubilæi Anno Septuaginta peregrinorum millia hospitio exciperet, & pro dignitate tractaret. Sed de hac nostrorum in peregrinos ac pauperes liberalitate planè immensa, in ordine perpetuata stupenda olim referemus, quæ quantumvis fidem excedere videantur, reapse demonstrabimus. *M. Ant. Scip. &c.*

Eodem anno Ianuenses, supremo in discrimine, quem olim, dum superstes in terris ageret, amicum experti erant, tanto post è cælis Protectorem solemni voto evocant, Mellifluum Doctorem nostrũ; experti quamprimum sese exauditos. *Ex Manriqu. referamus*;

Ianuenses, verba Patris Sancti (Bernardi in Epistola quadam ad se data) *in æternum non obliviscar tui, adeo sibi firma esse censuerunt, imo & experti sunt*, ut etiam post quingentos ferè annos, Christi nimirum millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, cum excellentissimum Principem Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, quem hostem patiebantur nimis infensum, ditionis suæ oppida vastare, & sibi jam imminere, vix quinto ab urbe lapide conspicerent, omni humano auxilio desperato, fidem sanctissimi Patris interpellaverint, concepto voto, post alia in hunc tenorem.

*Posthæc, inter Divos Reipubl. nostræ Tutelares, Divum Bernardum; qui dum in humanis agebat, nostri in æternum non obliviscendũ, suis litteris spopondit, adscribere & connumerare promittimus, & vovemus, diem ejus festum celebrare, & à populis nostris, & à Clero, accendente Ill. Archiepiscopi & RR. Episcoporũ consensu, celebrari curare. In hac Ecclesia majori, vel in alia arbitrio nostro, Capellam eidẽ dicatam construere. Eadem die Divi Bernardi quotannis in perpetuum, solemnem processionem fieri, & sacrum solemne ad ejus altare, nobis pie assistentibus celebrari facere. Et demum manu Ducis, dicti sacri inter solemnia singulis annis in perpetuum, & pro hoc anno, duodecim puellis, ut vocant, dotes, scilicet libras centum unicuique earum persolvere. In cujus rei testimonium, has ab infra scripto nostro Secretario publicè lectas recipi, & subscribi, & signo nostro muniri jubemus. Datas in Ecclesia Cathedrali die Dominica 25. Aprilis, anno 1625.*

Hæc Ianuensis instante ruina suæ Reipubl. At quam ex voto, id votum ejus successerit, non multo post eventus monstravit. Nam Pater sanctus, dilato solum auxilio, quoadusque ipsius esse comprobaretur, in ipsa solemnitatis suæ vigilia, Hispana classe auxiliari propitius affuit, hostiles copias ocyus fugaturus. Nec quisquam in populosa urbe fuit, qui non Bernardi cognosceret tutelam, præsentem sanctum, cui beneficium acceptum reddendum foret. *Ita Manriq.*

*A.C.* 1626. *S.P.N.* 1146.

FLoret insigni omnium admiratione Congregatio nova Monachorum nostrorum in Belgio atque Lotharingia, eo ab ipsis Hesperiæ finibus derivata, de qua Balduinus Iunius in Chron. Mor. pag. 4. Cæterũ, inquit Monachi isti Angli (quorum primi ex Hispanicis Vallisoletanæ Congregationis Monasteriis in Belgium ac Lotharingiam venerunt) magna cum laude Philosophiam ac Theologiam publicè profitentur. Sic & Monachi pariter BENEDICTI in Congregationis Vitonianæ in Lotharingia, Francia & Burgundia, juventutem docent, catechizant, concionantur, sacras confessiones audiunt, & alia munia ad proximorum salutem spectantia obeunt, &c. Vnde rursum colligas, quam admirabilis Deus in sanctis suis, aliis aliisque locis ex ordine nostro perpetuo resuscitatis, &c.

*A.C.* 1627. *S.P.N.* 1147.

EXtinguitur (absque affectu ullo sanctè dixerim, & nemine, qui tantum virum noverit, gloriæ ejus invidente) magnum ordinis nostri, & Germaniæ universæ Prælatorum Decus, Georgius Abbas Weingartensis, à viris prudentissimis pro illuminatissimo habitus, à maximis Germaniæ proceribus, pro sancto honoratus, vulgo speculum Abbatum, Pater pauperum, humilitatis exemplar, Cænobiorũ reformator, prisca sinceritas, & longè dignioribus Titulis, à Summis Principibus Pater, Religiosissimus Abbas, à nonnullis sui sæculi Miraculum, neque privatim, sed palam, & in consessu virorum maximorum nemine refragante, tanta Nomenclatura honoratus. Nos in tanta meritorum copia, quid proferamus, omnino nihil cupimus, undique capimus, & cum bono Numine, annuentibus, quos à Numine primos veneramur, superioribus, nos aliquando, rara & mira, singulari volumine

lumine deprompturos, promittimus. Ingentibus prodigiis Casinum illustratur, Consilio ibidem agitato de ornando Sanctissimi Patris, & Patriarchæ nostri sepulchro; ara maxima ipsi Patri Beatissimo sacra sponte loco mota, prodigiosa luce apparente. Organis pulsante nemine auditis, aliisque sanè mirandis, singulari Numinis providentia, sanctitatem loci attestantibus, ut haud immerito judices, ea omnia restituendum primum ordinis fervorem, & integritatem portendere. *Sed de his leg. Maxim. Ant. Scipio, &c.*

*A.C.* 1628. *S.P.N.* 1148.

MIrum prorsus quot quantiq; eximia sanctitate Antistites ex ordine nostro, & Abbates atque Monachi diversissimis per Germaniam locis, ante sexcentos, octingentos, & mille propemodum annos incinerati, insolentissimis prodigiis sese ostendant, quasi reviviscant, qui immortali beatitate felices jam cũ Christo in cælis triumphant. Inter alios, decretus rursum in terris triumphus, insigni Bavariæ, Carinthiæ, Austriæ, Styriæ gratulatione ad VIII. & VII. Cal. Octobr. Sanctissimis Salisburgis Ecclesiæ, quondam Pontificib9 Ruperto, & Virgilio, nostri ordinis absolutissimi Monachis. Cuj9 solemnissimæ Pompæ descriptio, à Patribus nostris BENEDICTINIS universitatis Salisburgensis Professoribus edita, passim manibus teritur. *Vid. Thom. VVeiss. in Dedic. Salisb.*

*A.C.* 1629. *S.P.N.* 1149.

RVrsum alij in terris sese ostendunt, & ad confirmandos nostrorũ pios ubiq; locorum conatus, mortalibus immortales sese ingerunt, & admirandis prodigiis Helvetiæ, Sueciæ, vicinisque regionibus illucescunt, eximia ordinis nostri sydera SS. Othmarus & Notkerus, Sangallenses olim Monachi, insigni etiam pompa, post tot sæculorum, ab eo quo decessêre, decursu, honorati & translati. Vt ipsi etiam cælites, reflorescentibus primo flore Cænobiis applaudere, & denuo convivere suis velle videantur. Quæ omnia suis singillatim voluminibus essent explicanda. Virorum doctissimorum juxta ac sanctissimorum numerum inire si contendam9, id verendum, ne immensum ne innumerum aggrediamur: tantus ubique est, ut virorum doctissimorum & Religiosissimorum ore, & scriptis Manu propria litteris, prædicatum audierimus, & legerimus, quotquot in Lotharingia, quotquot in Hispania viderint, quotquot in Anglia, in Hibernia audierint è sacra nostra D. BENEDICTI familia Monachos, non homines, sed vere Angelos vidisse, audisse. De Germania nostra præclarissimum, testis exceptione omni majoris Sereniss. Guilielmi Bojoavorum Ducis, assertum in litteris ad Sereniss. fratrem Electorem Coloniensem: quod candidè vertimus, meismet oculis vidi majorem Monasteriorum partem, & eorum præcipua, tam insigniter reformata, & in tam bono statu, de quo quisq; cordicitus gaudeat, &c. Veniens ad ejusmodi Monasterium aliquod, videre mihi visus sum, verum antiquum zelum, & pietatem, prout ea instituta erant sine dubio à principio, & prout de iis in veterum monumentis scriptum scimus. *Ita de Reformationis nostræ rudibus initiis tantus Princeps Anno* 1597.

*A.C.* 1630. *S.P.N.* 1150.

RVrsum majoribus animis augendæ & propagandæ Reformationi Suevica nostra congregatio intendit, & unus inter turbulentissima Regni negotia; & ingruentes undiq; periculorum fluctus, Abbatum omnium labor est, suos omnes ad prima antiquissimæ sanctitatis exempla provocare & cæpta cum admiratione omnium intuentium studia & conatus religiosissima constantia prosequi. Restitutis interim per Wirtembergiam Cænobiis, eo quamprimum operarii ablegati, ingenti statim fructu vineam Domini excoluêre, indubiumq; omnibus, ipsis etiã Hæreticis erat, nisi paulo post mutata rerum facie, alii ingruissent fluctus, brevissimo temporis spatio futurum fuisse, ut omnes, aut prope omnes, ad quos se nostrorum prædicatio & labor extenderet, ad gremium Ecclesiæ Matris, nostrorum opera atq; industria, adducerentur. Nec minori fructu in Palatinatu & alibi laboratum, ut pauculos intra menses, animarum aliquot millia sint in Christo reconciliata.

Iterum ingens numerus virorum ex ordine præstantissimorum referendus, quorum tamen viventium Religiosissimæ parcendum modestiæ; Reverendissimum tamen Patrem F. Antonium Perez nostrum, quin nominemus saltem, non possumus, toto jam orbe, omnium ore atque litteris celebratum, quem in tanto omnium applausu, tanto securius superstitem, insigni præconio efferre ausa est, san-

Rursum de Hispanicæ congregationis viris sanctissimis ac præstantissimis agendum. Sed supersedere cogimur, annis prope singulis supra ꝓmissum excrescentibus: unus Franciscus Levotorus nominandus. Is miraculosè per vocem per aera lapsam ad Montem Serratum vocatus, ibidem egregia excelluit sanctitate, mira compunctione, & pænitentiæ rigore, omni posteritati exemplum proponendus. Semel ad serum in die comedebat, à fine Matutinorum media nocte, usque mane (ubi totum diem confessionibus excipiendis consumebat) coram crucifixi imagine orabat. Sed cætera apud Antonium de Yepes legantur. Obiit Octogenarius ipsa nocte Nativitatis Christi.

*A.C.* 1552. *S.P.N.* 1082.

IMmortali ordinis gloria, postremis hisce temporibus, primam nostrorum dignitatem repræsentat Gerardus Americurius Abbas S. Bertini beneficentia in Remp. laudatissimus hoc ipso anno Primus Audomarensium Episcopus ordinatus: adeo is honor perpetuo, à Numine Ordini nostro reservatus, ut plerique orbis Christiani Episcopatus posterioribus sæculis, ævo nimirum Benedictino conditi, vel à nostris primum initiarentur; certè omnes restituerentur, & ornarentur. *Ferreolus Locrius, &c.*

In Hispania illustrissimum ordinis lumen extinguitur, Venerabilis F. Petrus Alphonsus de Burgos, quondam in sæculo notissimus, Carolo V. Augusto char9, & sum̃a admiratione Monachum Monserrati professus, in quo Cænobio, ac dein cellulis montis solitariis, dignissima fama excelluit eximiæ sanctitatis. Contemplationi addictissimus utilitati posterorũ, non pauca reliquit, spiritu quo ipse plenus erat refertissima, quæ inter Yepes noster recenset.

De immortalitate, lib. 1.
De beneficiis Dei, lib. 1.
De SS. Sacramento Altaris, lib. 1.
De vita Solitaria, lib. 1.
De laudibus Cæli Reginæ M. V. lib. 1.
De præparatione ad mortem, lib. 1.

*Videatur Ant. de Yepes, tom. 4. centuria 5. fol. 245. &c.*

*A.C.* 1563. *S.P.N.* 1083.

SVm̃am ad omnes auctoritatem, & de sua eruditione, ac integritate opinionem obtinuit, sub hæc tempora per Germaniam celebratissimus Ioachimus Abbas S.R.I. Princeps Einsidlensis. Eum conventu Rapeswilensi dignum præ omnibus, & potissimum judicavit ordo Ecclesiasticus totius Helvetię, quem suo nomine ad Concilium Tridentinum mitterent. In quo quidem, jam pridem & multo quidem tempore, peregregio sanè ad posteritatem omnem merito laboravit Diethelm9 S. Galli Abbas, Princeps Helvetiis auctor, ut ad Concilium idem, Legatos destinarent. *Ex monim. Einsidl. & Sangall. &c.*

In Hispania, Italia viri ex ordine illustrissimi plurimi florent, apud Belgas; præter Blosium Lætiensem, insignes Antistites plures, quos inter Rogerius Montmorentius, Vedastinus Abbas hoc anno electus; vir ut genere sic virtutibus illustrissimus. In cæteris id notatum, quod præter virorum nobilium consuetudinẽ, invitus procerum conventibus interesset, animo anhelãs ad solitudinem quandam, ubi grato otio liceret Deo servire. Ita Ferreolus Locrius in Chron. &c. Mortuus hoc anno B. Iustinianus Bergomensis Congregationis novæ Camaldulensis Monachus, tribus ante mortem mensib9, quam ipse instare prædixerat, Major S. Eremi creatus, de cujus admirandis virtutibus acerbissimè dolemus nobis fusius hic agere per compendium non licere. Scripsit, ut erat doctissimus, ad utilitatem posterorum non pauca: quæ incendio deplorando posteris subtracta sunt, quã, ait Lucas Ruhensis, incendii jacturam, qui nôrint, sine lachrymis recordari, aut referre nequeunt; magnum scilicet lucubrationes illas Ecclesiæ Dei lumen allaturas fuisse, & Hæresum modernarum tenebras detecturas affirmantes. *Sed. Vid. Camald. script.*

*A.C.* 1564. *S.P.N.* 1084.

FLoret celeberrimus ille Historicus noster, F. Gonsalvus de Illescas Monach9 & Abbas S. Fromes Hispanus, auctor Historiæ Pontificiæ & Catholicæ, quæ sæpius jam excusa, æterna Gonsalvi gloria, toto orbe circumfertur & legitur.

Nec minori nomine celebratur F. Hieronymus Lauretus Catalanus, Monserratensis, vir Religiosissimus & ingeniosissimus, inter scriptores sui sæculi princeps, ob admirabilem

ſcribendi methodum, & ordinem referendus; qui de futuris ſæculis præcipuè meruit lectiſſimis duobus voluminibus. Sylvæ Allegoriarum. *Vid. Yepes.* Mortuꝰ eodem anno Illuſtriſſimus ille Carolus noſter de Croy, ex Abbate Affligemenſi Epiſcopus Tornacenſis, de quo ſuperius.

*A.C.* 1565. *S.P.N.* 1085.

INcredibile prorſus quanta conſtantia Ioannes Feckenamus noſter etiam in extremis rerum anguſtiis, carcere, ac vinculis, fidem catholicam propugnant; perfidiam Hæreticorum confuderit, afflixeritque. Admirandus ſanè magnanimitate Heros, nihil Reginam, Regnumque univerſum reveritus, cùm audiſſet juramentum ſuprematus Regii fuiſſe edicto Parlamenti propoſitum, in ipſis vinculis liber, argumentis graviſsimis demonſtravit, juramentum illicitum, adeoque invalidum fuiſſe. Aliquamdiu in ædibus Horni Pſeudo Epiſcopi detentus, ſed inciviliter & perfidè habitus, in turrim denuo Londinenſem retruſus eſt. Dein in Caſtro Wisbicenſi incluſus, ad finem usque vitæ detentus eſt, quo toto tempore, ait Pitſius, à Catholicis dogmatibus propugnandis, & ab aliis charitatis operibus exercendis, quoad fieri potuit nunquam ceſſavit. Vnde colligas, quæ primum ſolutus præſtitiſſet, qui tanta alacritate vinctus pro Eccleſię libertate laboravit. *Vid. Reiner. Pitſius, Staplet.*

*A.C.* 1566. *S.P.N.* 1086.

MOrte venerabilis Bloſij noſtri Lætienſis Abbatis triſtiſſimus annus, cujus æterna & imortalia merita apud piorum animos æternum operantur, fructificant, & fructificabunt, Scripta ejus Divini ſpiritus dictata eſſe, ut Doctiſſimi & Religioſiſſimi quivis ſentiūt, ſic omnes omnino ſummè venerantur, & religioſiſſimè conſervant. Inter alia, quæ reliquit univerſi, & Religioſorum conſolationi, numerantur Libri quatuor Pſychagogiæ: Appendix ex Ruperto. Collyrium Hæreticorum, cum Append. lib. 1. Expoſtulatio Chriſti. Epit. vitæ Chriſti Explicatio Paſſionis Dom. Farrago utiliſſimarum Inſtitutionum. Facula pro illuminandis Hæretis; Apologia pro Ioanne Taulero. Inſtitutio ſpiritualis. Exercitia quotidiana. Conſolatio puſillanimium. Dicta Patrum. Tabella ſpiritualis. Canon vitæ ſpiritualis. Enchiridion parvulorum. Speculum ſpirituale. Monile ſpirituale. Corona ſpiritualis, Salutaris doctrina. Speculum Monachorū. Scriniolū ſpirituale. Cimeliarchion piarū preculárū, preculæ pię. Medullæ pſalmodię. Ignariolum Divini amoris, &c. De Carolo V. Imperatore, ſuperius, quanti ipſe Bloſij libellos fecerit; Patris veſtigiis inſiſtens filius Philippus II. Hiſpaniarum Rex potentiſſimus, morti & ipſe vicinus, unicæ filiæ, Iſabellæ, claræ, Eugeniæ Belgarum nunc Principi, familiares hoſce libellos, ſibi auſcultanti, quotidie legendos præcepit. Bloſij virtus ſummos honores in Eccleſia meruiſſet, niſi ipſe conſtanter eos calcaſſet, & reſpuiſſet. Cameracenſem Ducatum & Archiepiſcopatum à Carolo V. Imp. oblatum multo majore laude repudiavit, quam quisquam & unquam adminiſtraverit. Obiit 7. idus Ian. ſepultus cum hoc digno, ſi quid dignum eſſe poſſit, tanto Antiſtite, Epitaphio.

Qui tres exactè linguas callebat ab ipſa
Ephæbia, virtutū omnium Narthecium.
Bloſius, heu cecidit; buſtoquo reconditur iſto,
Noſtri decus, miraculumque ſæculi.
Qui legis hæc vitę functo bona cuncta precare,
Et te para ad ſummi tribunal Iudicis.

*Vid. Ambert. Miræus, Ioann. Burgheſius, Ferreol. Locrius & alii Belg. ſcript. &c.*

*A.C.* 1567. *S.P.N.* 1087.

QVæ noſtrorum perpetua de ſocietate Ieſu merita: hoc anno agente & ſatagente Gerardo noſtro Americurio, primo Audomarenſium Epiſcopo: RR. Patres ſocietatis ejusdem primum Audomaropoli Collegium conſequuntur, ædibus in vico Velbruglio, ejusdem Epiſcopi benevolentia adparatis. *Ita Ferreolus Locrius, Claud. Robert. &c.* Vt videas, noſtris nihil unquam magis cordi fuiſſe, quā ſua & aliena opera ad bonum commune Reip. & Eccleſiæ ubique, & ſemper promovendum, perpetuo uti: ac proin Religioſarum familiarum quarumcunque fautores, patronos, & parentes extitiſſe. Extinguitur eodem anno inſigne illud Germaniæ & Sueciæ inprimis noſtræ decus, Gerwicus Weingarttenſis Abbas, ſummis

summis infimisque gratissimus, & gratiosissimus, Hæreticis etiam ipsis & verendus simul & venerandus, à quorum Principibus, pro eximia vitæ integritate, gratissima morum concinnitate, & singulari eruditione præcipuè diligebatur; cujus laudes, nec maximis voluminibus satis possunt explicari. Sepultus in suo Weingartensi Cænobio in Sacello B. M. Virginis, &c.

*A.C.* 1568. *S.P.N.* 1088.

HOc anno plures è nostris Boneffiensis, in Namurcensi Comitatu, Cænobii, Congregat. Cistert. Fratribus, Martyrio donantur; quibus, Cænobio ab Hereticis vastato & incenso, funes in præclaris ceciderunt. Vt nullo unquam tempore non Martyrii laureola Matrem Ecclesiam nostri ornaverint, triumpho cælum impleverint. *Vid. Chrysost. Henriquez. l.* 2. *d.* 40. *&c.*

*A.C.* 1569. *S.P.N.* 1089.

INgens fama sanctitatis Ludovici nostri de Strada Hortensis Abbatis, summos Principes, ac Magnates facile eidem copulavit, ut familiaritatem ejus undique exambirent, sæpius Ludovicum convenirent, & si per negotia non possent, per litteras de gravissimis ipsum negotiis consulerent, & iis quidem tanti momenti, ut ab ipsius voluntate totius Regni Castellani status pendere videretur. Extare, ait, Henriquezius in Hortensis Cænobii Bibliotheca librum integrum Epistolarum, quibus ferè omnibus, vel ad Principes ac nobiles datis modum regendæ familiæ præscribebat, vel ad Respublicas, eisdem, de rebus gravissimis consultus, sententiam suam aperiat. Inter alios Principes, qui ejus familiaritate, & colloquio plurimum afficiebantur, fuit etiam Ioannes ab Austria, celebratissimus ille belli Dux, qui Cænobium Hortense sæpissime adiit ea unica de causa, ut Ludovicum videret, cujus colloquii jucunditate ita afficiebatur, quasi cum Angelo Dei conferret. Nam cum illo de maximi ponderis negotiis agebat, eumque consulebat, nihilque illo inconsulto agebat, magno cum affectu, res suas, & proposita viro Dei commendans. Neque dubium (ait vitæ auctor) esse potest, quin ea de causa tantis victoriis potiretur, & de inimicis tanta trophæa erigeret. Dū enim hic gladium hostiū cruore imbueret, ille ut alter Moyses in cellæ suæ angulo (ecce Monachorum labores, & merita) puras ad cælum levabat manus, Deum rogans ut populo suo faveret, eosque qui nomen suū extinguere conabantur confunderet. Quod invictissimum hunc principem non latuit, ideoque non tam sibi, quam Deo, & hujus Sancti Senis precibus fisus in bella ruebat. *Ex vita.*

*A.C.* 1570. *S.P.N.* 1090.

LAbores suos ęternitati merito imortali consecrat, & posteritati relinquit Benedictus de S. Germano Monachus Casinensis, & ejusdem postea Congregationis Abbas, Latina, Græca, & Hebraica linguis doctus: Inter alia quæ doctissimê scripsit, referuntur,

In Psalterium Hebraicum Comentaria.
In Epistolas S. Pauli Apostoli commentaria.
In Psalmos expositio.
Tractatus de usuris.
Super libros Perihermenias, Priorū posteriorū, de Anima Aristotel.
In libros prædicamentorum Disputationes.
Proverbia animalium: Opus pulcherrimum.
De imitatione Ciceronis Tractatus.
Contra Calumniatores Apologia.

Floruit eodem tempore Philipp9 Fantoni Congreg. Camald. Monachus, Philosophus & Mathematicus, & ejusdem disciplinæ, in publico Pisanorum studio Professor. Scripsit de modo reducendi annum ad suum legitimum numerum librum I. & alia nonnulla.

Hunc usq; ad annum perduxit Historiam suam Georgius Cabillau Monachus Aldemburgensis, de re Historica meritissimus. *Sand. in scripto: Flandriæ. &c.*

Iterum ingenti merito de re litteraria meretur Abbas noster Aquiscinctinus Ioannes Lontaillerus, amplissimo Gymnasio excitato in Academia Duacena. Vt hoc ipso tempore passim nostri litteras non solum propagarent, sed alerent atq; animarent. *Fast. Belg. &c.*

Eodem anno purpura Martyrij vestem Ecclesiæ condecoravit B. Nicolaus Macgerald Monachus Congregat. Cistert. in Hibernia: is patibulo Dublimij suspensus, ac semivivus in quatuor partes divisus, egregium spectaculum cælo, & explum Ecclesiæ militanti præbuit. *Vid. Henriq. &c.*

*A.C.*1571. *S.P.N.*1091.

NVnquam ſatis pro meritis ampliſſimis de Repub. Chriſtiana, laudandus Hieronymus Socherius Sanct. Rom. Eccleſ. Cardinalis ex Monacho Claræ-vallis dein Abbate Cænobij ejusdem ad tantum honorem pro eximiæ ſanctitatis opinione evectus. Fuit Theologiæ, & virtutis laude chariſsimus, ſummis Principibus pro inſigni ſanctitatis fama præcipuè dilectus. Ejus opera & conſilio Henricus II. Franciſcus II. & Carolus IX. Gallorum reges uſi, ſolers hominis ingenium, ſapientiamq; ſingularem admirabantur. Abbas electus, ad Concilium Tridentinũ profectus, plenas Religionis ardore, & eruditione ſententias protulit: unde major illi nominis opinio parta novos honorum titulos cumulavit. Hinc Ciſtercienſium Congregationis Generalatu ſublimatus, ea prudentia Magiſtratum geſſit, eoque pietatis ſtudio cuncta gubernavit, ut minimè ſpectata quæſita purpura eum exornandum Pius V. cenſuerit. Sed incredibilis modeſtiæ vir, nullaque prorſus honorum cupiditate accenſus, ampliſsimam purpurę dignitatem ut acciperet, Pontificis juſſu, & amicorum precibus, vix tandem adductus fuit. Ergo presbyter Cardinalis Tit. Sanct. Matthæi in Merulana factus Romam veniens, in perpetuaque illa continentiſsimi animi tranquillitate conquieſcens, quam ſingulari magnitudine contempſit gloriam cumulo laudis ampliſsimo conſequut9, hoc anno Romæ obiit X. Calend. Novemb. Hoc Epitaphio honoratus.

Donno Hieronymo Socherio, Arverno, Pariſienſi Theologo præſtantiſsimo, qui Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. Gallorum Regibus, Carolo Cardinali Lotharingo, bonisque omnibus eximiè charus Claræ vallis Abbati, in Tridentina ſynodo ſententias doctrinæ, pietatis, ac prudentiæ pleniſsimas dixit. Inde Ciſtertii electus Abbas, ipſiusque ordinis Generalis, à Pio V. Pontif. Maxim. delatam abſenti Cardinalatus dignitatem ut acciperet vix adduci potuit: deinde in urbem accitus, ſingulari opum atq; gloriæ contemptu, & vitæ moderatione omnibus admirationi fuit. Vixit ann. 63. obiit X. Calend. Novemb. 1571. Monachi Cl. Val. ponitur. &c.

*Ex vita Pij V. Ciacon. Cl. Rob. Arnoldo VVionio, &c.*

Claruit hoc eodem año Martin9 Cuperus Mechlienſis Belga ex Abbate Criſpinienſis Cænobii, inter Montes Hañoniæ & Valencenas, Epiſcopus Calcedonenſis, & Archiepiſcopi Cameracenſis ſuffraganeus. *Arnold. &c.* Inter Monſerratenſes eminent FF. Philippus de S. Iacobo, Andreas de Sanct. Romano, Ioannes Carupmann9, viri de ordine meritiſsimi, vitæ exemplo illuſtriſsimi. *Vid. Ant. de Yepes. &c.*

*A.C.*1572. *S.P.N.*1092.

IN Belgio incredibile prorſus eſt, quanta noſtri pro fide Catholica ab Hæreticis perpeſsi, plurimis Cænobiis everſis atque incenſis, ac Monachis miſerè trucidatis, ſive potius glorioſiſsimè coronatis. Celebratur hoc anno inter alios pręcipuè conſtantia Cornelij Poldersmanni Monachi S. Salvatoris Antuerpiæ, Congreg. Ciſtert. qui Zirizeam Holandiæ, ad ejus oppidi Cænobiũ regendum miſſus, multa ibidem ſtrenuè præſtitit, tandem vero Monachis omnibus vel occiſis jam, vel inde profligatis. Cornelius mirabili conſtantia perſeveravit in ſuo Monaſterio potius mori eligens, quam vel Religionem mutare, vel locum deſerere. Ac proin ab Hæreticis in furorem verſis, atque veſano impetu in ipſum irruentibus immaniter trucidatus eſt, in feſto S. Valentini Martyris. *Henriq. Miræus, &c.*

*A.C.*1573. *S.P.N.*1093.

BEnedicti de Toco, ex Regia Epiri Regum proſapia editi, Monachi Monſerratenſis, fama ex virtutibus immortalis, ac proin Philippo Regi longè chariſſimus, ad ampliſſimas dignitates promotus, non Abbatiis ſolum diverſis, ſed & Epiſcopatibus, exemplo vitæ, & ſua in gerundis dexteritate prodeſſe jubetur, ex Abbate, factus Epiſcopus Biquenſis, poſtea Gerundenſis, demum Ilerdenſis. Cæterum in congregatione Caſinenſi, Hiſpanica, Burſfeldenſi ingens virorum doctrina, & virtute inſignium numerus, in Belgio inprimis: ubi prima ordinis lumina reſuſcitata licebit admirari. *Vid. rerum Belg. ſcript. &c.*

Inter viros ſæculi hujus doctiſſimos meritus referri noſter Montantius, Monachus Sanct. MARIÆ de Florentia congregationis Caſinenſis, qui ob præclaras

animi

animi dotes à Magno Hetruriæ Duce Cosmo Hospitalis Sanct. MARIÆ novæ Præses constitutus est. Transtulit ex Græco in Latinum Philosophiam Nili Monachi antiquissimi. *Vid. VVion. &c.*

*A.C.1574.* *S.P.N.1094.*

INter præcipua orbis & ordinis nostri decora merito referendus Referendissimus Dominus Matthæus Moullartius, Gisleniani in Advaticis Cænobii Abbas, qui hoc ipso anno Francisco Richardoto Burgundo, Atrebatium Episcopo mortuo, virtutis & doctrinæ, atque zeli incomparabilis (ita Ferreolus ipse Locrius) ad omne bonum propendentes nomine successor renunciatus est. Cujus utinam laudibus diutius immorari liceret; quem omnis ob merita præstantissima posteritas posteritati commendabit. *Vid. Belg. script.*

*A. C. 1575.* *S.P.N.1095.*

ÆTerno merito nostri constantiam suam, cælo, terræque probant sub hæc tempora, sub impio Elisabethæ Anglorum Reginæ imperio in Anglia & Scotia pro fide extrema omnia, & mortem perpessi. Sanè in sola Scotia, ex sola Cisterciensium congregatione, eodem ferè tempore, cum fluctuantem in pectoribus Scotorum orthodoxam fidem, confirmare satagerent, ducenti Monachi proprio sanguine salutem aliorum pulcherrimo exemplo redimere voluerunt. Vt videas quantum Ecclesia debeat universa longè pluribus aliis ex eodem ordine congregationibus, iisdem in Regnis fidei Catholicæ veritatem tam gloriosa subscriptione, signantibus, & Matrem sua purpura exornantibus. *Montalvus, Henr. Rer. Angl. script.*

*A. C. 1576.* *S.P.N. 596.*

INter Belgii sidera emicat insigni splendore Gaspar Bonincourt Atrebas, Eques Hierosolymitanus, dein Aquiscincti Monachismum professus, ex Monacho factus Audemburgensis Abbas: Græcè, Latinè, Gallicè, Teutonicè, Italicè, Hispanicè peritus: scripsit idiomate gallico peregrinationem suam Hierosolymitanam, & ad Montem Sinay: Sermones ad Fratres, librum unum de Arithmetica: item libros duos versibus gallicis, alterum de Prædestinatione, alterum de sui ipsius cognitione. *Sander. Locrius, &c.*

Floret, & celebratur æterna meritorum fama in provincia eadem Arnoldus Gantoisius Abbas Marchianensis, cui posteritas æternum debet Magnificum in Academia Duacena Gymnasium, ab eodem exstructum. Ita nostris proprium semper fuit, per litterarum studia juventuti & Patriæ consulere. *Fasti Belg. &c.*

*A.C.1577.* *S.P.N.1097.*

GErardus Americurius primus Audomarensium Episcopus ex Monacho & Abbate Bertiniano, vitæ muneribus defungitur. Vir fuit, teste Locrio, pietate, prudentia, atque liberalitate commendabilis, studiosorumque singularis amator: ac proinde rectè de eo Ioannes Molanus libro de Canonicis 2. cap.42. ita scribit: valde porro in Seminario Clericorum erigendo occurrit illustre in Belgio exemplum Gerardi ab Hamericourt Abbatis Monasterii Sanct. Bertini, quod est intra oppidum Sanct. Audomari, & ejusdem oppidi primi Episcopi, cujus ante paucos annos defuncti memoria in benedictione est. Is enim necdum in Episcopum postulatus, ac proinde ut Abbas, non ut Episcopus (ecce quam exponderet, meritum in Monacho, dignum Episcopo, doctissimus Molanus) in sua civitate incæpit in honorẽ septuaginta duorum Discipulorum Christi, pro totidem studiosis, fundationem erigere, ac dotare, ne unquam aut Civitati, aut territorio Audomarensi boni, & veri Pastores, ab Abbate plerisque in locis nominandi deessent. Ad quorum etiam institutionem, & totius orbis suæ majorem ornatum Episcopus factus Collegium Societatis Iesu, ibidem & erexit & dotavit. Denique ut seminarium illud non tantum Seminarium, sed etiam plantarium esset, in Lovaniensi universitate domũ extruit, quam Collegium Sanct. Bertini dici voluit, etsi vulgo Collegium Audomarense dicitur, in quo sub Regimine unius Præsidis, in gravioribus disciplinis formantur, postquam in studiis inferioribus sufficienter instituti fuerint. *Vid. Ferrar. Locrius, &c.*

Ipso anñ Calendis Octobris Matthæus Moullartius ex Gisleniano in Hannonia Abbate, in Atrebatium Pontificem ante bienniũ inauguratus, urbem magna Cleri

S. R. Q. A. congratulatione solemniter ingressus, demandatam sibi Spartam ornare aggreditur. Quo in munere, tanto cum splendore partes suas gessit: ut cum labore pietas, vigilantia, prudentia, modestia, continentia, & cæteræ quas in vero pastore requirit Apostolus virtutes, in eo certare de laurea viderentur. *Vid. cit. &c.*

*A.C.*1578. *S.P.N.* 1098.

RVrsus illustrissimo & mirando in omnem æternitatem exemplo quadraginta ex ordine nostro Martyres, Cœnobii Magiensis, Congreg. Cistert. Monachi, sanguinem suum fidei Orthodoxę subsignandæ constantissimè impendunt, & sacratissima jucunditate agrum Ecclesiæ Hibernicæ impinguant & inebriant. Ii cum Abbate suo, irruentibus in Cœnobium Hæreticis, ante SS. Eucharistiæ in templo sacramentum genua curvantes, se ipsos in sacrificium, pro mundi peccatis, & Hiberniæ, atque Ecclesiæ universæ salute obtulerunt, omnes omnino hæreticorum gladii contrucidati. Aberat tũ sorte ob negotia Pater Cœnobii Cellerarius, is reversus cum suo omnes immersos sanguine reperisset; totus in luctum effusus ac lachrymas, recordatus crastina assumptionem B. V. per Ecclesiam universam solemni festo celebrari, tantamque Matrem fratrum sanctorum solitis laudibus defraudari maximè indolens, flexis denique genibus, in has querelas erupit. Nosti virgo purissima, unica Domina protectrix nostra, quanta sollicitudine, quanta devotione, & diligentia semper tibi servierunt in hac domo, & celebrarunt omnia tua festa. Cur ergo permittis, ut tanta solemnitas, qualis ista, negligatur hoc modo? Hæc multis cũ lachrymis, & suspiriis protulit, quod magis festũ negligi, quam fratrum mortem doleret. Dum sic oraret, audit pulsari Monasterii Campanas, licet nemo illas accederet vel tangeret, & videt sanctorum Martyrum corpora surgere, & quodque caput suum humo tollere, & corporibus imponere. Quo facto ad sedilia sua vadunt, & Abbas vesperas, cæteris prosequentibus incipit, tanta cantus dulcedine, & suavitate, ut potius Angeli quam homines viderentur. De tanto successu valde miratus est Cellerarius, & tam cantus dulcedine captus est, ut apud se non esset. Magna cum gravitate & mora absolverunt sancti vesperas, quibus absolutis rursus mortui sunt, & in eundem statum redierunt. Miraculum hoc multis innotuit plurimique superfunt in Hibernia, quid illud evenisse meminerunt, potestque inter rarissima, quæ unquam in Catholica Ecclesia contigerunt memorari. Ita eorundem acta. Vnde colligas quam Deo & Cælitum Imperatrici clamor Monachorum in choro probetur, quem prodigiosissimo hoc miraculo, ad unius festi solemnitatem desiderari, seu deesse non patiebantur. *Henriq. Manrique, &c.*

*A.C.*1579. *S.P.N.* 1099.

EXtinguitur insigne ordinis decꝰ Thomas de Parentii Abbas Vedastinus, à puero ac ipso summo illo Imp. Carolo V. Cœnobio oblatus, singulari à modestia, & maturitate ad imperandum commendatus, vir omni virtutum genere ornatissimus: cui merito sanè suo sufficitur, dignissimus summis honoribus: Ioannes Saracenus, de quo ita Locrius. Fuit Saracenus, acerrimi judicii, præstantis doctrinæ, & ab ipsa velut natura ad summa factus. Accedebat vultus, & corporis dignitas, gratia mira in dicendo, in donando Regia liberalitas. Illum Philippus Rex sacratioris Consilii senatoribus accensuit: & postmodum sede Cameracensi, per obitum Illustrissimi D. Ludovici de Berlaymont vocante, ejusdem loci Archiepiscopum nominavit, &c.

Moritur eodem anno B. Romualdus Fabrianensis, Montis acuti Monachus post 56. annum conversionis, vir sanctissimus, tanta simplicitate, præter alias virtutes præditus, ut merito Paulo illi Magni Antonii discipulo sit comparandus. *Vid. Luc. Ruhens.*

*A.C.*1580. *S.P.N.* 1100.

MOritur Andreas Croquezius Prior Monasterii Hasnoniensis, vir litteratissimus: *de consul. Sander. in script. Flandria.*

Celebratissimus hoc ipso anno Silvanus Razzi Florentinus, Monachus Congreg. Camald. linguæ Hetruscæ alter Cicero appellatus: scripsit inter alia.

De descriptione Sacræ Heremi, lib. I.

Collectorium orationum ad Christum & B.M.V.

Coronam Domini, sive de vita Iesu Christi.

Vitam

Vitam B. MARIÆ Virg. & S. Ioannis Baptistæ
Quatuor virorum illustrium Cosmi Medicæi, &c. Vitas.
De Misericordia, lib. I.
Miraculorum B. M. Virg. lib. I.
De vita Christi: lib. I.
De vitis sanctorum & Beatorum Hetruriæ, lib. I.
Vitas illustrium Pictorum, lib. 3.

Traduxit è Latino in Italicum Sermonem, ut de Patria mereretur.

Evangelistarium M. Maruli.
Regulam S. P. N. BENEDICTI, cui annotationes adjecit.
Ioannem Ferum de Passione Domini.

*Plura alia secularia composuit. Vid. rer. Ital. script. &c.*

Gloriosissimo fine coronat vitam sanctissimam B. Gelasius oculinas Abbas Boylensis. Cong. Cister. Cænobii sæculi nostri splendor, ordinis nostri decor, & totius Hiberniæ gloria: Is hoc ipso anno ab Hæreticis comprehensus gravissimis tormentis excruciatus est. Summos honores, & dignitatum cumulos, interque alia Archiepiscopalem sedem & totius provinciæ Conatiæ dominium, si sibi annueret Regina promittente, constantissimè omnia rejecit, & contempsit. Quâ propter post multa, & gravia tormenta in carcere positus, & tandem mortis sententia prolata condemnatus est, & ad locum Martyrii optatum ignominiosè deductus, per plateas hominum concursu undique circumdatas, ut tanti Patris benedictionem, ac doctrinam sibi cælitus traditam acciperent. Vbi per totam viam incedens, tanto fervore, ac divino spiritu prædicavit, tantumque timorem & admirationem hæreticis incussit, ut quingentos homines dum ad patibulum duceretur converterit. Passus cum Monacho socio; post mortem Miraculis insignibus à Deo honoratus. *Henriq. &c.*

*A.C.* 1581. *S.P.N.* 1101.

INgenti prodigio, fidei hostibus Camberonense Congreg. Cistert. in Belgio Cænobium invadere parantibus & jam muros superantibus Divina adfuit virtus, & impiorum consilium turbavit: conjecti in effusissimam fugam milites, dum viderent magnum candidorum Monachorum numerum in hortis Cænobii in equis discurrentium, qui suos Clientes tuerentur. Recolitur grata memoria ingens miraculum solemni quotannis procesione, & victoria insignis B. M. V. adscribitur. *Henriq. &c.*

Moritur eodem anno admirabilis sanè in omni vita, & de Ecclesia universa, & Hispaniarum inprimis Regnis meritissimus Ludovicus de Strada, sępe laudatus, ea in hoc corpore perfectione, ut in eodem etiamnum agens delicias cælestes abundè degustarit, & in oratione divino splendore, & Angelicis spiritibus cingi videretur. *Vid. Henriq. l. 2. d. 27.*

*A.C.* 1582. *S.P.N.* 1102.

FLoret Euticius Cordes Belga Antuerpuensis Monachus S. Iustinæ de Padua & ejusdem cong. Abbas, qui in Concilio Tridentino, magna cum sua laude adfuit. Inter plurima quæ scripsit laudantur inprimis.

Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli
In Symbolum Apostolorum Commentaria.
Dictionarium Biblicum, &c.

FLoret item in Belgio Carolus Blendeque Atrebas, Asceta Marchianensis, qui scripsit Historiam quinque partitam de Energumenis. Alias item Historias memorabiles, transtulitque ex Latino in Gallicum senn. Violam animæ Raymondi Sebonij, &c.

Moritur hoc eodem anno, vir meritissimus, & æternæ memoriæ Abbas Marcianensis Arnoldus Ganthois: inter alia merita, constructo celeberrimo & sumptuosissimo Collegio ad utilitatem studiosorum in universitate Duacena commorantium, ferè immortalis, in cujus Collegii templo sepultus jacet. Vt mirari satis non possimus brevissimo tempore in solo Belgio tot à nostris excitata collegia, & gratias referre dignas posteri nostris nunquam possint, ob majorum & posterorum, Reique publicæ utilitatem tanto studio atque sumptu promotam ac curatam. *Vid. Arnold. in notis ad Martyr. Ben. 12. Maij, &c.*

*A, C.* 1583. *S.P.N.* 1103.

MOntis Coronæ possessione felices Camaldulenses nostri reformati, vulgo Grottani, quem ante quinquennium

nium donatione Illustrissimorum de Caraffa Comitum obtinuerunt, exinde Monachorum, & congregationis Montis Coronæ nomen, ipso primum summo Pontif. Gregorio XIII. illud imponente, usurparunt. Floruitque deinceps novo femore ordo, & locus ob sanctitatis famã, toto mox orbe deprædicatus, innumera paulo post peregrinorum multitudine frequentatus, inter præcipuos orbis terrarum visitur coliturque. Quantum inde in Ecclesiam universam ab exemplo Monachorum fructus redundet, iis explicandum relinquimus, qui ad Montem illum aliquando inviserunt: cum ad solam ære vulgatam ejusdem imaginem, sacro quodam horrore, & Religione intuentium animi occupentur, & ad Dei & Deiparentis laudem excitentur. Sed de viris sanctissimis & illustrissimis Congreg. Camaldulensis hoc ipso tempore viventibus consulendi, *Aug. Flor. & Luc. Ruhen. &c.*

*A.C.* 1584. *S.P.N.* 1104.

INterea quæ præcipuè miramur hoc sæculo, quibusque quæ sua sunt tam sedulo quærentibus, & Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, in Episcoporum electionibus, se solum ipsos circumspicientibus & contuentibus, singulari tamen Numinis providentia Episcopos Monachos ordini nostro nunquam defuisse, & mirabili quodam modo semper aliquos è nostris, Cellulam solitudine excoctos, ad diversos Episcopatus & honores extractos, iisdem summa cum dignitate ordinis, & subjectorum utilitate maxima præstitisse. Inter clios hoc ipso anno evocatus ad Cathedram Stragensem in Dalmatia Basilius Gradi Monachus Melitensis, Congregationis Casinensis, vir doctꝰ, & eruditus eoque honore dignissimus à Gregorio XIII. Summi nominis Pontifice judicatus: scriptis etiam egregiis de posteritate meritus. Pari honore ab eodem Pontifice hoc ipso etiam anno insignitus Marcus Fedocea Mirandulanus Monachus S. BENEDICTI de Mantua, & Abbas S. Vitalis Ravennæ Congreg. Casinensis creatus Episcopus Laquedonensis in Apulia, vir in Mathematicis scientiis eruditissimus, & Gregorio inprimis commendatus. Quorum aliorumque laudibus immorari supersedendum necessarium duximus.

Moritur eodem añо & ad felicem immortalitatem pergit B. Rudolphus noster Voronensis, quem Lucas Ruhensis merito suo scrinium virtutum, Regularis vitæ exemplar, & vitæ solitariæ normam appellat. De cujus virtutibus, obituque idem consulendus in histo: Erem. &c.

*A.C.* 1585. *S.P.N.* 1105.

MEritissimus ille de Ecclesia universa, incredibilis constantiæ, & magnanimitatis exemplo, fortissimus Christi Athleta, heros imperterritus, ad triumphos æternos, post longissimi squalores carceris, evocatur Ioannes Feckenamus noster, Abbas Westmonasteriensis, contemptis potentissimæ Reginæ familiari amicitia, amplissimis opibus ac honoribus, potentissimo Principatu, & amplissimo Archiepiscopatu insolentissima animi generositate planè admirandus. De eo sic Pitsius apud Reynerum: Ioannes Feckenamus, inquit, ordinis S. BENEDICTI Monachus Anglus, & tandem Abbas Westmonasteriensis creatus eo tempore, quo in Anglia regnarunt Philippus & Maria Reges Catholici. Vir cui Deus largas benedictiones, natura egregias contulerat dotes. Erat in eo pietas in Deum insignis, in proximos mira charitas, in majores singularis observantia, in æquales atque etiam inferiores mitis quędam affabilitas, in omnes dulcis humanitas; multiplex doctrina, redundans in concionibus facundia, incredibilis Religionis Catholicæ zelus. Cum jam non obscuris indiciis cerneret omnia vergere ad ruinam, & fidem avitam omnino periclitari, hostibus Ecclesiæ strenuè se opposuit, & habitis frequentibus concionibus, nonnunquam etiam publicis disputationibus, libris denique scriptis Ecclesiam Dei, & Catholicam fidem quantum potuit propugnavit. Cum denique regnante Elisabetha in Comitiis (parlamentum vulgo vocant) ageretur de fide Catholica extirpanda, & hæresi plantanda: intrepidus publicè prodiit, & apud solemnem illum Principum, procerum & populi cætum Anglica lingua eloquentissimam, & valde nervosam habuit orationem de veteri Patrum Religione retinenda, de nova non excogitanda nec introducenda. Cum autem res planè collapsa esset, & prævaluisset iniquitas, ille confestim carceribus mancipatus est, primum Londini in Carcere Equitis Martij, deinde in castro Wisbicensi (Turris Custodiam carceralem

ceralem hic omisit Pitsius, sed non tacuit Stapletonus) in universam continuis plus minus viginti sex annis. Quo tempore, à Catholicis dogmatibus propugnandis, & ab aliis charitatis operibus exercendis, quoad fieri potuit, nunquam cessavit. Inter cætera quæ præstitit charitatis officia, Ioanni Storæo legum Doctori propter fidem Catholicam capitis condemnato, per totam noctem adfuit, & ad mortem in crastinum pro Christo fortiter perferendam animavit. Sed ad ea quæ sunt eruditionis veniamus. Multas quidem easque eruditas exaravit lucubrationes, quæ pleræque propter temporum iniquitatem, & authoris incarcerationem etiam usque ad mortem, una cum eo interciderunt. Servarunt tamen boni viri quædam ejus opuscula, vel operum reliquias: inprimis sermonem quendam, cujus thema quasi spiritu prophetico sumptũ fuit ex Ecclesiastici capite 4. *Laudavi magis mortuos quam viventes, &c.* cui titulum fecit; sermonem funebrem in exequiis Mariæ Reginæ. Orationem habitam in Comitiis Angliæ. Contra juramentum supremæ authoritatis Regiæ in Ecclesiasticis lib. 1. De Eucharistia contra Hooperum. Scripsit etiam Commentarios in Psalmos Davidis, quod opus Londini in manibus auctoris vidisse nihil sanctè affirmavit Richardus Stainhurstius. Sed & illud periit, & ejusmodi alia. In vinculis confessor obiit anno Christi 1585. sub duro in Anglia Elisabethæ Regno. *Vid. Reynerus, &c.*

Eodem anno duo ex ordine nostro Cong. Cist. egregii Christi milites Beati Patricius & Malachias Monachi Bullienses Iberniam suo sanguine consecrãt, pro fide Catholica primum suspensi, & ante mortem alter in quatuor partes sectus, alter lancea adusque cor transfossus illustri triumpho ad im̃ortalitatem felicissimam pertigerunt. *Vid. Henr.*

Moritur eodem anno Benedictus de Toco ex Abbate Monserratensi ad diversos Pontificatus, Biquensem, Gerundensem, Ilerdensem pro eximiis meritis evectus, *de quo consul. Hispan. rer. script. & Yepes, l. 4. &c.*

*A.C. 1586.* *S.P.N. 1106.*

ITerum ex ordine nostro diversis Cathedris maximi Præsules petiti, easdem summa nostrorum gloria, utilitate subjectorum maxima felicissimè administrarunt. Quos inter eminet Constantinus de Lannoy ex Monacho celeberrimi illius & florentissimi Cænobii Sanseverini in Vrbe Neapolitana Episcopus de Vico, ac dein electus Archiepiscopus Rhegitanus in Apulia, hoc ipso anno mortuus. Quo eodem tempore ingenti gloria floruit Annas Giutius de Escras ex Monacho & Abbate S. Benigni Episcopus Lexoviensis, ac dein S. R. E. Cardinalis, qui Romæ jam grandis natu, ipsaque canitie venerandus cũ sum̃a prudentia eam ipsam omnibus probabat, innocentiam, cum qua S. BENEDICTI habitum non plus octo annos natus susceperat, cujus rei testem habeo Gasparem Scioppium, quo ille perfamiliariter usus est. Sed inprimis com̃endarunt se meritis gravissimis nostri, Ecclesiæ Laudunensi, ex quorum numero, quatuor sibi proximè succedentes hoc tempore Episcopi, ad eam sedem suis Cænobiis evocati, seu extracti insigniter claruerunt Ioannes Docæus ex Priore S. Dionysij, Ioannes Burseus ex Abbate S. Quintini, Valentinus du Glas, & Godefridus de Billus, uterque S. Dionysij Religiosi, Monachi Parisienses, Episcopi Laudunenses designati. *De quibus consulend. Clem. Rob. & Rer. Gall. script.*

Floruit sub hæc ipsa etiam tempora F. Rodericus de vadillo Monachus Vallisolettanus Cong. Hispan. Episcopus Cephaludensis, ob sapientiæ meritum in Siciliam usque evocatus. Vt videas eodem tempore, Italiam, Galliam, Hispaniam, Belgium, Siciliam, præstantissimos suis Ecclesiis Monachos ex Cænobiis nostris postulasse, adeoque de meritis nostrorum opinionem florentissimam semper fuisse. *Ex diversis rerum Gall. Hispan. Belg. script. &c.*

*A.C. 1587.* *S.P.N. 1107.*

IN Anglia dignissimus Beatæ memoriæ Feckenami Abbatis discipulus Segebertus Buclæus, Westmonasteriensis Monachus, ob egregiam in fide constantiã, carceribus emancipatus, pro eximia magnanimitate etiam in hac vita insigni à Numine gratia, & beneficio honoratur: quippe Monachis Angliæ omnibus sive à Regno profligatis cum unus ipse superstes esset, accendente Deo Hispanorum, atque Italorum Monachorum animos, quibus de captivitate, felicissimi hujus senis constabat, in ejus licet nomen, pro Reverentia tamen Ecclesiæ Anglicanæ, à nostris

nostris olim primum plantatæ, & mille penè annis felicissimè ad ministratæ, jurare, & nova quadam congregatione instituta, eundem sibi præfectum sive potius ut exemplar constantiæ, præpositum voluêre; ut paulo post ingenti spe fructus illustrissima illa congregatio nostrorum Anglicana, pro populi ejusdem ad Ecclesiam Catholicam reductione efflorescere t. De qua denique Pontificia auctoritate approbata, & fructu ejusdem suo loco.

*A.C.* 1588. *S.P.N.* 1108.

CEleberrimus ille & meritissimus de universi posteritate omni, doctissimis scriptorũ monimentis, si quis ullus alius, immortalis, Gilbertus noster Genebrardus, Monachus Mansarensis, & exin B. M. Virginis Semuriensis Prior, orbem radiis suis implet, & in sui admirationem longè lateque omnes convertit. Is præceptoribus olim usus, in Græcis Turnebo, in Philosophicis Carpentario, in Theologia Sanctæo; in singulare demum ipse Ecclesiæ, & universi ornamentum adolevit. De illo quia notissima pleraque ob insolentiam, & magnitudinem præcipuæ famæ, plura nunc scribenda non duxim9, quamvis deinceps aliqua ad certos annos referamus; quamvis, quantumcunque à nobis deprædicaretur, & ab aliis sit deprædicatus laudari (teste Cle. Roberto) satis, & pro dignitate nunquam possit: Cũ materia superet opus. *Vid. Hilarion de Coste in Elog. ill. Gall. Francisc. de Sales. Possevinus in app. VVion. &c.*

Floret eodem tempore in Italia Iacobus de Graffiis nobilis Capuanus, in Cænobio celeberrimo S. Severini Neapolitano, Monachum professus I.V.D. cujus inter alia opera Theologica plura commendantur, & diversis locis ob doctrinæ præstantiam impressi sunt libri 4. Decisionum aurearum Casuum conscientiæ, qui passim extant. &c.

*A.C.* 1589. *S.P.N.* 1109.

IN Hispania virorum in ordine genere, doctrina, & inprimis virtute illustrissimorum ingens planè numer9, inter quos præcipuè celebratur F. Ioannes de Castaniza, de quo suo loco inferius, F. Placidus de Salinus Abbas Monserratensis, F. Antonius de Corduba, F. Laurentius Niet9, aliique sexcenti, ad summos pro meritis honores à sanctissima congregatione Hispanica promoti: *de quibus consʃ. Yepes, l.4. & alij.*

Meretur inter alias ordinis congregationis inprimis de Ecclesia Catholica universa Congreg. Cistert. Montis Sion in Hispania perditissimo hoc tempore, quo tot Hæreticorum phalanges fidem orthodoxam undique oppugnant, variis passim collegiis, diversis in Academiis, Complutensi, Salmanticensi, &c. olim à se erectis, viros doctissimos, Theologos ac Philosophos præstantissimos educens, eodem Sanctissimæ Regulæ observantia præmunitos, ad universi utilitatem, iisdem in Academiis Professores publicos, sive, ut vocant, cathedraticos exponens, rursumque Cænobii disciplina & calore cellulæ refovens, iterumque bono publico remittens, & recipiens, *de quo leg. Chrys. Henr. &c.*

*A.C.* 1590. *S.P.N.* 1110.

MAtthæi Moullartii Episcopi Atrebatensis ex Abbate Gisleniano, ingens in Episcopatu administrando virtus & gloria enitet; cujus si vel primas in depingendo lineas duceremus, manum deinceps à prosequendo abstinere nunquã possemus, alibi tamen aliquando comodius, dignius, & copiosius, ad insignem ordinis gloriam præstabimus.

Hæc minor fama ex pari virtute, Ioannis Baptistæ Bertuzuli Cæsenatis, Fanensium in Marchia Anconitana Pontificis, qui ob morum dignissimam gravitatem, & sapientiæ doctrinam, super Candelabrum positus orbi atque ordini illustrissimum lumen prætulit, & de sibi subjectis præclarè meruit. *Ang. de Carp. Arnold. &c.*

Rursum memoranda Congregationis Montis Sion merita ponderosissima, quæ sane hoc loco vix notare, nedum prosequi longo encomio licet. De quibus fusè Henriquezius, qui præter alia, plurimos, ait, ad infidelium conversionem missos in Hiberniam inprimis, viros revera Apostolicos, qui innumerabiles homines ad Ecclesiæ Catholicæ gremium aggregarint. *Vid. lib. 2. dist. 15.*

*A.C.* 1591. *S.P.N.* 1111.

MOritur hoc anno Ven. P.F. Laurentius Genzalez Abbas Bonævallis, vir Angelica vita, hominum mores supergressus,

gressus, mortis suæ præscius: mortuusque suprema inter verba, circumstantibus undique fratribus vultu hilari dicens: Fratres video gloriam Dei, quibus in verbis cum expirasset, facies ejus Angeli simillima visa est, & signa alia, sanctitatisque argumenta apparuerunt. Sed de aliis ejus *Consul. Henriq. dist. 34. l. 2.*

Cum sacra congregatio Montis Sion, de qua superius, & numero Cænobiorũ, & Monachorum virtute, magis magisq; ornaretur & augeretur, eam Pontifices summi totis conatibus promovere curarunt, & insignia eidem Privilegia contulerunt, collegiorum inprimis eorundem universitatũ privilegia augentes, & confirmantes, de quibus consulendꝰ Auctor. cit. qui ait (rationem reddens, cur tanta multitudo, ad nostros conflueret:) Experiebantur enim singuli efficaciam mirabilem, qua ad reducendos peccatores ad viã salutis homines illi Deo dediti, penitusq; mundi vanitatibus crucifixi, pollebant, eorumq; salutaribus monitis plurimi, quasi coacti, semitam amplectebantur virtutis, &c.

*A.C.* 1592. *S.P.N.* 1112.

HOc anno pulcherrimum ordinis nostri ornamentum Pius Fundanus in Campania Episcopus, cælo asseritur, vir & genere illustris (ex antiqua nimirum Lotteriorum familia, patria Neapolitanus) & Religionis, & naturæ præcipuè bonitate commendandus, Monachꝰ inprimis Casinensis Cænobii, dein S. Severini Neapoli Prior, Fundanus denique Pontifex à Gregotio XIII. æquissimo meritorum ponderatore, creatus, & de grege suo præclare meritus. *Plac. Rom. Arn. &c.*

Pium pietate ac meritis proximè assequutus, Anastasius Vbertus Cæsenas Monachus, & Cellerarius Sanct. Mariæ de Monte, non procul à Cæsena, vir præter pietatis insigne monili insuper doctrinæ ornatissimus, qui Immolensium in Flamminia Pontifex electus, verbo & exemplo sive opere, egregie ovile Domini custodivit, & nõnullis lucubrationibus suis, qualis & quantus fuerit ostendit. *Arnold. &c.*

*A.C.* 1593. *S.P.N.* 1113.

VT alios omnes prætereamus, uniusq; ex una Cisterciensium sanctissima congregatione Monachi nostri meminerimus: Floruit hoc tempore, & isto inprimis anno Ven. & verè immortali præconio dignissimus Laurentius de Zamora S. Theologiæ doctor, scriptis, & discipulorum gloria celebratissimus, quem jure sanè meritissimo Ecclesiasticæ dictionis Tullium, non nemo, Theologiæ Homerum, Rationum fidei Aristotelem, & Paulum in pulpito Christiano differentẽ appellat. Quis enim, inquit, narrare sufficit, quod sceleratos homines ab ipsis inferorum faucibus extraxerit? quot obstinatos, ad scelerum cognitionem adduxerit? Quot mundi vanitatibus insatiabiliter deditos, ad earum contemptum revocaverit? quot denique cælitus vocatos per virtutis iter deduxerit? Sic enim demulcebat, ut vinctos quasi auditores teneret. Ita docebat, ut divinis sensibus aures impleret. Ita exhortabatur, ut virtutum ardoribus animos inflammaret, &c. *Vid. Henriq. &c.*

*A.C.* 1594. *S.P.N.* 1114.

INgenti Angliæ bono, Ecclesiæ atq; ordinis nostri immortali ornamento, congregatio illa, de qua superius, Anglicana felicissimo successu, quamvis à multis impugnata, efflorescit, & propagatur: nomẽ suum eidem dantibus Illustrissimis hoc ipso tempore in ordine nostro viris, quorum primi & præcipui extiterunt atque effulserunt: D. Gregorius Sayrus orbi catholico doctissimis in Theologia lucubrationibus notissimus; D. Thomas Prestonus, D. Anselmus de Mancestria; D. Antonius Martinus, Augustinus de S. Ioanne vir magni animi, sumi zeli, præcipuæque industriæ, & imperterritæ constantiæ. F. Ioannes de Mervinia, postea Martyrio affectus, ut & F. Marcus Lambertus. F. Maurus Scottus, F. Georgius Gervasiꝰ, diversis temporibus beata morte, pro Christi fide constanter suscepta, sæculo erepti cæloque inserti. Fuisse vero controversiam non parvam invidentium gloriæ, & laboribus tam sanctis & præclaris Benedictinorum nonnullis, ex litteris quas subjicimus Illustriss. Card. Alani ad Athanasium S. Trinitatis Cavæ Monachum apparebit, ex quibus quantopere placuerit maximo illi S. R. E. Cardinali causa nostrorum, lectori manifesto apparebit.

Charissime Frater, & Fili: binas à te litteras, ex quo in illa sancta loca concessisti accepimus: utrasq; eleganter & amanter, & quod caput est, religiosè scriptas. Prio-

Prioribꝰ per meos familiares respondi: his posterioribus aliquid nacti otij, ipsi rescribere voluimus: primum, ut non ab aliis solum, quantum à nobis diligaris, sed nostris id potius verbis, manusque nostræ scriptis tabulis intelligas; deinde ut cognoscas quanti faciamus illos tuos in sancta Religione progressus, de quibus te nunc multo magis in Domino, quam unquam ante in sęculo (licet semper propter præstantes animi dotes charissimus extiteris) amemus & complectamur; postremo ut gaudium hoc nostrum, quod de felicissima hujꝰ vitæ sorte planè cælesti concepimus, tecum communicemus. In quo genere licet mihi Apostolicis uti verbis: majorem horum non habeo gratiã, quã ut videam filios meos in veritate ambulare. Quod igitur contemptis rebus humanis tanto animi ardore, ac impetu cælestia consecteris, mundique hujus, & vitæ sæcularis sævissimis ac periculosissimis negotiis sæculi prudenter prætuleris: hoc bonum solidum ac summè tibi salutare fili ex animo gratulamur: nec à Christo optim. max. hujus consilij tui authore aliud continuis precibus, vel à tua charitate, vel à nobis postulandum est, quam ut opus salutis tuæ, quod ab ipso cœptum est, piè prosequatur & perficiat. Faciet autem, si tu, postquam manum ad aratrũ Domini posueris, retro non respicias, sed ad anteriora totis viribus contendas; Si Religionis graves, sed suaves labores naviter pertuleris; si tentationes fortiter & constanter repuleris; si ea quæ in sæculo vel ab Hæreticis, vel malis Catholicis, vel ab æmulis, vel ab invidis ad tui probationem perpessus es, ex animo prorsus ejicias tuo; ac etiam pro te persequentibus ores, quod faciunt omnes sancti in cælo; quorum tu nunc vitam, & charitatem cæpisti degere ac imitari in terra. Quidquid alij de hoc vitæ tuæ sanctissimo instituto sentiant, aut loquantur, tibi persuadeas velim, tuas rationes summæ curæ esse; atque hoc tuum de Religione capessenda consilium vehementer placere; nosque sperare te sanctissimo ordini in patria nostra florentissimo (NB.) restituendo, ac calamo & ingenio adornando ab hoc sæculo nequam divinitus ereptum esse. Quantum ergo in illa sanctissima disciplina proficies: tanto magis te amabimus, tantoquè minus te salutaris consilij hujus pænitebit. Si per Epistolarem brevitatem, aut scriptionis laborem liceret, possum pietati tuæ multa ex historiis nationis nostræ, de istius ordinis in Anglia celebritate & sanctitate commemorare; nam & Augustinus ipse, & cæteri sancti Gregorii discipuli, qui gentem nostrã ad fidem converterunt, erant omnes hujus ordinis: atque omnia primum instituta Monasteria (de quibus venerabilis Beda) sicut & ipse Beda, erant ejusdem instituti; & capitula Cathedralia universa, quæ posterioribus temporibus erant Canonicorum secularium, ab initio erant ordinis S. BENEDICTI; ita erat Cantuariensis Ecclesia tempore Lanfranci, Anselmi, Thomæ Martyris, qui & ipsi fuerunt Monachi ejusdem instituti. Vt nihil dicamus de nobilissimis Monasteriis Westmonasteriensi, S. Albani, Sanct. Edmundi, Glastenburiensi, cujus Abbas, sicut & plurimi alii claro perfuncti sunt Martyrio, tempore Henrici VIII. Horũ exempla te, mi fili, ac cæteros nostrates, ad hanc solidam in Christo & Ecclesia gloriam sectandam animare possunt: nos certè tantorum hominum sola commemoratione summopere delectamur: quæ quoque cogitatio, veterumq; rerum nostrarum memoria nos prolixiores quam voluimus effecit; sed ad animum utriusque nostrum non male; nam tecum libenter loquimur. Memineris ergo nostri in orationibus, & sacrificiis tuis: atque superioribus loci & ordinis istius à nobis multam salutem in Domino: qui & ipsos, pro hac in peregrinos & nostros Christianissima charitate, abunde beabit. Vale fili mi. Romæ ex ædibus nostris 12. Kal. Feb. 1594. Manu propria. Tuus in Christo Guilielmus Cardinalis Alanus. *De reliquis vid. Reynerus.*

Moritur eodem añо in Germania nostra, præclarissimis Abbatibus accensendus Ioachimus Sangallensium Archimandrita, vir Religiosissimus, & doctissimus, qui Parisiis & Averniis olim (ita fluctuante bellis Germania, nostri, Sangallenses, Weingarttenses, Einsidlenses, &c. ingenti sumptu in exteras provincias, ne ordini, & Ecclesiæ viri doctissimi deesset, ad studia mittebãtur) omnes scientias imbibit. De viri meritissimi laudibus, plura doctissimꝰ P. Iodocus Mezlerus Mon. S. Galli in 8. lib. rerum Sangall. quæ per multitudinem inserere non licet, nec libet. In Coadjutorem Episcopi Curiensis cum jure & decreto succedendi electꝰ, generosissimè recusavit. Fratres suos Dilingæ, Romæ, Parisiis, &c. in studiis aluit: Pontifici Max. Regibus Galliæ militem suum

sanctissima nostrorum in Hispania Congregatio, quanto evidentius, nullis eum tangi, molliri, seu flecti posse laudibus cognovit, in tanta universi acclamantis vocalitate surdum, laudum ac meritorum suorum depredicatione ignarum; gloriæ certa deinceps immortalitate, sæculo ejusq; præconiis vere mortuum; Ita de ipso & de ejus in SS. Regulam nostram Commentariis censuit Generalis Hispanicæ congregationis, & qui ob maturitatem Iudicij censores Religionis sunt designati. *Invenimus spiritu & nomine Antonium: in quo Deus duplicavit annonam, dum panem vitæ & intellectus, non de dimidio integrat, sed integrum sine fractione frangit, quē parvuli (immo & magni) hucusq; petierant; nec erat qui frangeret eis.* Nec minora quæ sequuntur. *Miramur Gregorium illum magnum, qui sanctus laboravit pro sancto, dum* Benedicti *sanctissimi sui parentis scripsit vitam, non laborasse Doctorem pro Doctore, Magistri sui præcepta denodantem. Miror hæc commentaria præteriisse Leandrum, Ildefonsum, Bedam, Anselmum, Casiodorum, Rabanum, & tot Doctorum turmas, qui sub sancta Regula militantes, nihil quod facerent, ex ea præterierunt; cur non quod docerent, cum magni vocati sint in Regno cælorum? Sed ut hi omnes, immo & exteri Patres, quin & Oecumenia Concilia, & Sacri Canones ad Regulam istam aspexisse videantur, non immerito ad Antonium nostrum sese ipsos suspicor reservasse, ut sub una appareverent mente, & sub uno pectore clausi: Commentaria hæc novissima, exquisierunt omnium antiquorum sapientiam, & inventum tradunt, &c.* Extant ipsius scripta Theologica, paulo post, quod speramus, summo rei litterariæ, & Scholasticæ Theologiæ bono, typis orbi communicanda, quem haud immerito non nemo, summi nominis Theologus, licet diversi omnino ordinis, Theologorum Hispaniæ Primatem, & Principem appellavit. Neq; talentum illud ipse abscondit, verum summo Hispaniæ ornamento, atque utilitate ex celeberrimis Cathedris miro omnium applausu, universo exposuit. Sed de ipso innumerisque aliis per Hispanias, Italiam, Belgium &c. immortali laude dignissimis, tunc convenientius, quando nec erubescere potro, nec dolere hac fama deinceps Nominis, poterunt, &c.

*A.C. 1631.* *S.P.N. 1151.*

PRisca Majorum nostrorum studia, & de orbe terrarum benè merita, in Italia, Hispania, Gallia, Germania passim reflorescunt, quando non uno jam loco, neque in iis solum, quæ per nostros, sive propter eosdem conditæ sunt, Academiis, nostri publice litteras profitentur, verum communi Rei Christianæ bono, collegia ejusmodi, Gymnasia, atq; universitates sive ipsi excitant, sive in gratiam Monachorum fundatas, suma auctoritate soli obtinent, ac moderantur. Præter enim ea, quæ supra commemoravimus, seu comemorare debuissemus; nova universitas Rhintelensis sub hęc tempora æterno nostrorum merito, gloriaque excitata fructum ingentem, & antiquo illi (quem abunde degustavit Majorum ætas, & nunquam satis miratus sera posteritas) haud imparem Ecclesiæ Dei, ex Monachorum laboribus pollicetur. Certè de Belgio in litteris ad nos datis die 12. Feb. Anno ipso, Aubertus Miræus, postquam nostrorum in superiore Germania studia commendasset: sic ait: Et vero in nostra Germania inferiore non jacent. In Flandria nominatim Gerardimontenses Benedictini, exemplo Patrum Societatis Iesu scholas litterarias juventuti, undiq; confluenti, annis superioribus aperuerunt: Duaci Philosophiam publicè docent, in Collegio seu Gymnasio Vedastino, quod nostra memoria Cavarellus Abbas Vedastinus à fundamentis exstruxit. Alibi, nec uno loco, Theologiam explicant: ut meo quidem judicio, velut reddita juventute, familia BENEDICTINA, hodie reviviscere videatur. Quid in Hispania, Italia, Gallia, & alibi sodales vestri agant, in originibus nostris Monasticis, Coloniæ editis, explicui, nec hîc repeto, &c.

*Ita Miræus.*

# COMPENDIUM COMPENDIOSISSIMUM

Ex Chronico

## R. P. D. ANTONII DE YEPES,

*Ex quo cum de ejusdem, tum de nostro operis proposito, prudens Lector, judicet; utroque utatur.*

A.C. S.P.N.

490 1 NAscitur Sanctissimus, & Admirabilis Pater Noster Benedictus.

493 13 Deserit mundum idem Sanctissimus Pater, in desertum se conferens.

494 14 Egregia excellit sanctitate, & summo rigore delicatissimum corpusculum excruciat.

497 17 Victor de carne, & Dæmone triumphat gloriosissimus juvenis, toto corpore cruentatus reperitur à pastoribus, & jussu Divino à Presbytero pascitur.

510 30 Eligitur à cujusdam Cænobij Monachis Abbas, multum recusans, quod sui, & eorumdem mores, & vitæ institutum minimè congruerent.

523 43 SS. Maurus, & Placidus, aliique Procerum Romanorum filij à parentibus eidem offeruntur. Miraculis insignibus effulget.

Duodecim condit Cænobia, plura enim alia. Ordo Monasticus propagatur.

528 40 Insidiis gravissimis S.P. à Florentio Presbytero appetitur.

Casinum proficiscitur. Idola evertit, lucos succendit, populum Christo adducit.

529 49 Casinense, toto orbe celeberrimum Cænobium exstruit. Cujus dignitas, opes, potentia, viri illustres,

Abbatum syllabus explicantur.

De Regula S.P. agitur, ejusq; excellentia.

De gratia sanitatum eidem S.P. à Numine concessa, ut & gratia miraculorum.

Spiritu prophetico illustratur, futura prænoscit, abdita cogitationum intelligit, aliis gratiis præpollet.

530 50 Ab Equitio, & Tertullo S.P.N. visitatur, à quibus liberalissimè Casinense cænobium dotatur, & locupletatur.

531 51 S.P.N. plurima Romæ, & per totam Italiam fundat, & condit cænobia. Exstruit ante omnia cænobium Sanct. Erasmi; & Sanct. Pauli Romæ.

532 52 Cænobia Sancti Salvatoris, & S. Spiritus Majelensia. Monasterium Novaliciense, exstruitur. Excitantur, & alia cænobia, præcipuum Tremitense in Insulis Diomedis. Sed & Monialium collegia instituuntur sub SS. Regula nostra.

Sanct. Maurus ordinatus Diaconus, enodatur dubium de sacerdotio S.P.N.

536 56 Propagatur Ordo, & S. placidus in Siciliam destinatur, miris in itinere signis claret, & Messanæ cænobium condit.

S.P.N. videt Germani Capuani Episcopi in sphæra ignea in cælum deferri; videt etiam in solis radio Mundum universum, & Divinam essentiam, de qua mirabili visione fusius cap. 5. Yepes, anni hujus.

537 57 Ordo à S.P.N. in Hispaniam usque propagatur, missæ Monachorum coloniæ, & conditum Monasterium S. Petri de Cardenna; quod exin insigniter floruit, & totas SS. cohortes cælo misit, vid. ib. Syll. Abb.

Funda-

Fundatur in Hispania cænobium S. Turibij de Lievana.

In Portugalliam usque nostri excurrunt, ubi exstruitur Monasterium Lorbanense.

538 58 Consulendus Yepes de statu Italiæ hoc tempore, & de Monachatu S. Silverii Papæ.

539 59 Fame sævissima grassante per Italiam, miraculose confluentes egenos sustentat S.P.N.

540 60 Ad S. Placidum in Sicilia invisunt DD. germani ejus Euticius; Victorinus, & Flavia.

541 61 Adpulsis ad Messanæ litora barbaris, S. placidus cum sociis, & Germanis Martyrio afficitur; quos sepelit Gordianus, & Martyrium describit. Restauratur S. Placidi Messanense Cænobium.

542 62 Gordianus, & Maurus semel litteris compellant S.P.N. Totilæ eventura prænunciat. Legati ex Gallia ad S.P.N. veniunt; petitum Monachorum ab eodem coloniam quibus ipse annuit.

543 63 S. Maurus destinatur cum sociis in Galliam, miraculis, maximè in itinere illustribus à DEO honoratur; plures in Gallia difficultates patitur.

Moriuntur SS.P. Adm. N. Benedictus; & sanctissima Soror ejusdem Scholastica, quæ ante mortem ad ipsum inviserat. Videndus hic porro Yepes de iis qui vitam ejusdem Sanctissimi P. scripsere de miraculis post ejus mortem, diversis capitibus.

544 64 Fundatur Glanofoliense in Gallia Cænobium celeberrimum à S. Mauro; singulari miraculorum gloria, ut & Sanctitate admirabili excellit S. Maurus. Florus princeps Theodoberto Regi charissimus Monachum profitetur.

545 65 Gordianus Constantino Casinensi Abbati scribit. Florent plurimi egregia sanctitate Sanct. Pat. Nost. Bened. discipuli; ædificantur plurima passim Cænobia: crescit in imensum Monachorum, & Sanctorum nostrorum numerus.

546 66 S. Romanus claret, & moritur. Claret idem S. Herculanus Monachus Ord. nostri, & Episcopus, postea Martyr.

Duo concilia celebrantur, in quibus aliqua in gratiam nostram sancita.

549 69 Status Regni Hispanici ab Yepes explicatur.

550 70 Vivit Abbas noster Dionysius Romanus, cognomento exiguus, author computi Ecclesiastici. Claret M. Ant. Cassiodorus, & fundatur Monasterium Vivariense.

552 Propagat mirificè Ordinem in Gallia S. Maurus, & plurima Monasteria passim exstruit.

Inter antiquiora cænobia nomen Ordini dat Monasterium, vulgo Majus Turonense, olim à S. Martino fundatum, & conditum. In eodem postea universitas instituta, nostris publice profitentibus.

Crotilda Franciæ Regina vidua plurima condit cænobia; in quorum uno tandem se ipsam includit.

Plures Sancti ex ordine celebrantur, inter quos eminent S. Monegunda S. Venantius? S. Leobardus.

Clarent Theodechiddis filia Reginæ Crotildis & S. Clodoaldus

Fundatur Monasterium Senonense, viris sanctissimis deinceps locupletissimum de quibus hoc anno Yepes.

553 73 Floret Gordianus, & describit Martyrium SS. Placidi, & sociorum auctoritate script. cons. Yeperum.

Gotthi in Italia dominantur. Ex nostris plurimi rarissima sanctitate clarent: quos inter præcipuè Isaac Abbas Nonnosus. S. Spes, &c.

554 74 Martyrium S. Vincentii Abbatis, S. Claudii Legionensis, & ejusdem Abbatiæ initia celebrantur. Vid. Yepes de ratione temporis, ut & de successu ejusdem Abbatiæ.

Claret S. Æmilianus, cujus vitam antequam Regulam nostram profiteretur, describitur.

Plura in Vrbe Toletana Ordinis nostri Monasteria ædificantur. Initia cænobii famosissimi Agaliensis; de ejusdem cænobii viris sanctis, & illustribus legatur hic Yepes.

Childebertus Rex multa condidit in Galliis nostro Ord. cænobia: interque ea eminet Arelatense.

555 75 Conditur cænobium S. Carilefi: claretque ejus conditor, & primus Abbas S. Carilefus, viris dein illustribus frequentissimum illud idem Cænobium; de quibus legatur Yepes hoc anno.

556 76 Celeberrimum S. Vincentij Cænobium Parisiense fundatur à Childeberto Rege, hodie dictum S. Germani.

S. Germanus Episcopus Parisiensis ab Antonio nostro celebratur, & recensentur Abbates S. Vincentij

Conditur aliud cænobium S. Vincentij de Mans.

Discipuli S. Germani, viri illustres numerantur.

557 77 Benchorense Cænobium in Hibernia longè celeberrimum.

558 78 Summa apud Reges, & principes auctoritate pollet S. Maurus Abbas, plurimis idem miraculis illustratur.

Lirinensis Insula Sanctissima, & Cænobium antiquissimum, post diversarum observantiarum varietatem Regulam S.P. amplectitur. Alia per Franciam Cænobia antiquissima reformata SS. Regulam nostrã amplectuntur. Inter quæ etiam Agaunense.

Claret S. Marculphus Abbas. (Vandopera.

559 79 Floret S. Leonardus Abbas Novaliciensis, & S. Leonhardus Abbas de

560 80 S. Simplicius Casino præest, tertius ejusdem Sanctissimi loci Abbas. In Italia sancti plurimi ex ordine elucescunt, eosque inter S. Libertinus, S. Eleuterius SS. Eutichius, & Florentius, de quibus S. Gregorius.

561 81 S. Machutus in Britannia minori celebris habetur, plurima ibidem Cænobia.

562 82 S. Sampson Archiepiscopus Dolensis fundat famosissimum Cænobium Dolense, inde congregatio Dolensis.

Clarent SS. nostri Maglorius, Paulus Episcopus Leonensis, Gildas Tudualo, Ethbinus, & alij plures in minore Britannia.

Floret S. Maynus noster, conditum ejus deinceps nomine Cænobium insignitur, in quo tres Reges cucullum pro purpura amplexi sunt.

563 83 Dumiense Cænobium Illustrissimum in Gallitia conditum: Celebratissimus S. Martinus noster Dumiensis, Braracensis Archiepiscopus. Monasterium de Tibaes in Portugallia fundatur.

564 84 Potentissimum S. Medardi in Gallia cænobium exædificatur. De cujus potentia, & nobilitate legatur Yepes hoc anno.

565 85 S. Radegunda Regina dein Abbatissa insignis.

566 Progressus nostrorum in Scotia. S. Columba noster Pictos convertit;

567 miraculis prodigiosissimus.

Conditum celebre illud, & frequentissimum deinceps Monachis cænobium Huense.

568 87 S. Launomarus Abbas sanctitate clarissimus.

88 Sancti Patroclus, & Marcius.

569 89 S. Æmilianus. (Magnus ille Hispaniæ Patronus) ordinem nostrum, & regum amplectitur.

573 93 Prophetico spiritu illustris S. Æmilianus.

574 94 Moritur S. Æmilianus atque ingentibus prodigiis ejus Sanctitas declaratur. Cænobium S. Æmiliani longè splendidissimum, & præstantissimum.

Multus est in hujus cænobii raris describendis Yepes noster, recensens cænobia eidem annexa, Abbates, viros illustres C. Vid.

Fundatur cænobium Sanctissimum B.M.V. Valuanera, & in hujus describendis qualitatibus fusior est Yepes noster hoc anno.

575 95 Benedictus I. Papa, ex Monacho Ord. nost. clarent Sanctus Hospicius, & S. Calupanus.

Funda-

576 96 Fundatur Monasterium S. Andreæ in Vrbe Romana. Claret S. Gregorius Magnus, agit hoc loco contra Baronium Cardinalem auctor noster Anto. de Yepes pluribus cap. clarent SS. Romula, & Redemtpa de quibus S. Gregorius in Dialogis.

577 97 Moritur S. Benedictus, I. & eligitur S. Pelagius II.

578 98 S. Ebrulphus noster inter sanctos hujus temporis eminet. Exurgit ejus deinceps nomen Cænobitarum perinsigne. Idem ipse alia plura exstruit, & mille quingentis Monachis præest.

579 99 Clarus habetur S. Eparchius Abbas.

581 101 Describitur status Ecclesiæ, & Ordinis hoc tempore.

S. Maurus Abbas abdicat se Abbatia, & eligitur Bertulphus.

582 102 In Monasterio Glanoforiensi moriuntur centum, & quatuordecim Monachi.

583 103 Moritur felicissimè S. Maurus Abbas.

Describitur status Monasterij Glanofolicensis, & miracula S. Mauri celebrantur. Vid. placet cap. Yepes de Glanofolio.

Maursmunster prope Argentinam sub hæc tempora conditum.

S. Gregorius Magnus missus Constantinopolim Legatus, fit familiarissimus S. Leandro nostro Archiepiscopo Hispalensi.

Moriuntur Regina Andovera, & Chindequinda filia ejusdem ex Chilperico Galliæ Rege, ordinis nostri sanctimoniales.

584 104 S. Leander Archiepiscopus Hispalensis eximia sanctitate Ecclesiam Dei illustrat. Vid. Yepes de statu Hispaniarum.

586 106 Destruitur cænobium Cassinense, nostri Lateranum secedunt, plurimis ibidem annis morantur.

Floret S. Martinus de Surento, & S. Suranus, & S. Antonius Monachus Cassinensis.

587 107 Nostri habitant etiam, & habent Ecclesiam Patriarchalem S. Laurentij Romæ.

Celebris habetur S. Salvinus noster Episcopus Albigensis.

588 108 S. Sulpitius Bituricensium Archiepiscopus florentissimus.

Multa cænobia ordinis nostri ædificat.

589 109 Regale Monasterium Cabilonense construitur per Regem Guntrammum.

Celebratur tertium Concilium Toletanum, in quo multa in favorem Monachorum sancita.

590 110 S. Gregorius Magnus summus Ecclesiæ pastor eligitur, quantumvis omni modo reniteretur, deniq; initio Pontificatu, præclarissimè de Ecclesia universa meretur.

591 111 Sanct. Gregorius, & Leander familiarissimè litteris semet compellunt.

Fundatur per insigne cænobium S. Petri de Arlanza, in quo Bamba Rex potentissimus postea Monachum est professus. Cænobij ejusdem res, & Abbates fusè describit hoc anno Yepes.

592 112 S. Gregorius M. felicissimè præest Ecclesiæ, in qua summopere cultum divinum promovet.

593 113 Mauritius Imperator lege lata, prohibet millites cucullum amplecti, quam illico corrigit Gregorius Magnus.

594 114 Monasterium S. Pancratij Romæ à Monachis occupatur.

Claret S. Maximiamus noster Archiepiscopus Siculus, à S. Gregorio Magno insigniter commendatur.

595 115 Claret Marinianus Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennatis.

Fundatur Monasterium Classense, hodie congregationis Camaldulensis principatu nobile.

Congregat Romæ Concilium S. Gregorius Magnus, in quo Regula S. P. N. approbatur, & confirmatur.

Insigni sanctitate exsplendescit in orbe S. Gregorius noster Archiepiscopus Turonensis.

596 | 116 Intendit conversioni Anglorum S. Gregorius Magnus.

597 | 117 S. Augustinus Monachus cum sociis secum ad conversionem Anglorum destinatis strenue in Anglia operatur.

Fundatur per Augustinum, & socios, plura per Angliam Monasteria, inter quæ præstantissima illa S. Salvatoris, & S. Petri, ac S. Pauli Cantuariæ.

Fliense celeberrimum Angliæ cænobium exstruitur, in Ecclesiam postea Cathedralem erectum.

598 | 118 Legatio à Recaredo Rege Hispan. & S. Leandro ad Gregorium Magnum decreta.

599 | 119 Pari sanctitate elucet in Hispaniis soror S. Leandri Archiepiscopi S. Florentina Abbatissa.

Celebrantur tres viri illustres Cyriacus Abbas S. Andreæ Romæ Sanct. Maximus Episcopus Syracusanus, & S. Ioannes Viclarensis Episcopus Gerundensis.

600 | 120 Celebris sanctitate S. Hermelinda, sive Hermelindis Monialis, S. Wolfius egregia sanctitate plurimum prædicatur.

601 | 121 Celebrat Concilium I. Lateranense S. Gregorius Magnus, in quo multa in favorem Monachorum.

Iterum aliud cogit Concilium Lateranense II.

In Oriente, etiam Hierosolymis nostri ordinis cænobia exædificata.

602 | 122 S. Claudius Abbas insignis habetur.

Multa scribit opera S. Gregorius Magnus. Miranda in summo honore humilitate excellit S. Gregorius M.

603 | 123 Prodigiosissimis miraculis comendatur à Deo S. Venerij Abbatis præstantissima sanctitas.

Brunichildis Regina ædificat celeberrimum Augustoduni cænobium.

604 | 124 Variis morbis tentatur; & conficitur S. Gregorius Magnus.

S. Gregorius Magnus miraculis illustratus.

De Trajani anima liberata pulchrè disputat Yepes.

Moritur S. Gregor. Magnus de Ecclesia universa meritissimus.

605 | 125 Clarent in Anglia, & indefessè in convertendis infidelibus laborant SS. Laurentius, Mollitus, & Iustus.

Fundatum celeberrimum Westmonasteriense S. Petri in Anglia Cænobium:

Excurrit hoc loco Yepes ad usque nostra tempora agens de nostrorum in Anglia Martyrum constantia, sub Henrico nimirum, & Elisabetha Regibus.

606 | 126 S. Faustus scribit vitam S. Mauri Abbatis. Fuit uterque discipulus S. P. N. Benedicti.

607 | 127 Fuit creatus Pontifex Maximus ex ordine nostro Bonifacius Papa quartus.

Sub quo Concilium celebratum, in eoque plura pro nostris à Patribus constituta.

609 | 129 Moritur S. Augustinus Anglorum Apostolus.

610 | 130 Concilium celebrat Bonifacius IV. in quo Monachorum honori præclarissimè consultū, iidemq; contra obtrectatores insigniter defensi; de quo legendus hoc año Antonius noster.

611 | 131 Describit Yepes rationem temporis, & statum Ecclesiæ atque Ordinis.

Claret miranda sanctitate S. Columbanus, Monachus Berctorensis, prædicator insignis per Galliam, & Germaniam.

Fundatur illustrissimum Cænobium Luxoviense, cujus præstantiam, & ab ubertate sanctissimæ prolis, felicitatem describit Yepes fusius.

612 | 132 S. Columbanus multa patitur, dum Theodericum Regem corripit, ac reprehendit.

S. Columbanus per Theodoricum Regno ejicitur, & venit ad Clotharium.

Floret S. Deicola Abbas S. Columbani discipulus.

Fun-

Fundatur Monasterium S.Petri Salisburgense.

S.Rupertus Episcopus Salisburgensis primus, Bavaris verbum DEI annunciat. Pertexit hoc loco Syllabum Abbatum S.Petri Salisburgensis Yepes.

S.Columbanus, & discipuli in Austrasia prædicant.

613 133 S. Columbanus concedit in Alemanniam.

614 134 S. Gallus liberat à Dæmonio Frideburgam filiam Ducis Alemanniæ Guntzonis, Sanct. Columbanus floret in Italia, & condit cænobium Bobiense.

615 135 Moritur magnus, & sanctissimus vir Columbanus, de cujus Monachismo pulcherrima affert Yepes hoc año.

616 136 Sanctus Atalus, & S.Bertulphus Monachi Bobienses, & in Abbatia S. Columbano electi successores clarent.

617 137 S.Eustasij secundi Luxoviensis Abbatis grandia merita. Nec minori encomio celebrandus, S.Walaricus Monachus Luxoviensis, in conversione gentilium meritus.

S. Eustasius in convertendis gentibus, ac Hæreticis laborat.

S. Fara Abbatissa rara sanctitate exsplendescit, & insignem cælo sanctarum filiarum familiam educat.

Luxovienses monachi necquicquam Abbatem sibi præesse desiderant, & evocant, S.Gallum id oneris prorsus detrectantem.

618 138 S.Agilus S.Columbani discipulus vivit.

Fundatur Cænobium Resbacense, cujus primus Abbas fuit S. Agilus.

619 139 Celebratissimi ex Ordine S.Ioannes Episcopus Syracusanus, & S.Helladius Archiepiscopus Toletanus.

620 140 Insigniter floret S. Amatus Monachus Luxoviensis, dein Abbas Montis S.Romarici.

621 141 S.Paulus Monachus Episcopus Virdunensis excellit.

De Monasterio Theologiensi fusius agit Antonius noster, ejusdemque qualitates describit, & catalogum Abbatum contexit.

622 142 De Machometanæ sectæ initiis agit auctor.

623 143 Celebrantur S. Licinius Episcopus Andegavensis, & S. Winebaldus Abbas Tricasinus.

624 144 Monachi nostri Regnum Northumbriæ ad fidem Christi perducunt.

625 145 S.Paulinus egregiè laborat in Angliæ Regno Northumb.

626 146 Eduuinus ipse Northumbriæ Rex ad fidem convertitur.

627 147 Totum Regnum cum Rege baptizatur.

628 148 In cælum abit S. Iustus Archiepiscopus Cantuariensis, cui sufficitur, S. Honorius.

630 150 Illustrissimus sanctitate Amandus, qui prædicatione sua in universa Gallia strenuè operatur.

Claret S. Alovinus S. Amandi discipulus.

Conditum Cænobium S. Petri Gandense, exin dictum S. Bavonis.

631 151 S.Arnulphus ex Duce Austrasiæ Mosellanicæ Monachus, Episcopus Metensis.

632 152 S.Amandus repræhendit Regem Galliæ, & Regno pulsus, ad conversionem Gentium convertitur.

632 152 S.Floribertus Abbas, & S.Livinus prædicationi indefesè instant, Sanct. Claudius Episcopus Bisuntinus cucullum amplectitur, & virtutibus, ac prodigiis insignitur. (cita sunt.

633 153 Concilium V. Toletanum celebratur, in quo multa pro monachis sanMoritur S. Paulinus Archiepiscopus in Anglia; moritur, & Eduinus Rex, à cujus morte res variæ per Angliam.

634 154 Admiranda sanctitate effulget S. Aydanus Archiepiscopus, insignis verbi Dei prædicator.

Construitur potentissimũ cænobium Lindisfarnense: factum exin monasterium Cathedrale monachorum: in quo viri plures sanctissimi convixere.

635 155 Saxones Occidentales convertuntur per S. Birinum.

636 156 Successus felicissimus Evangelij in Orientalium Saxonum Regno.
Sigebertus Rex monachum profitetur. Idem ante Cantabrigiensi universitate instituta de Regno meritissimus.
S. Aydarus imprimis celebratur.

637 157 Plurimæ Regum filię ordinis se nostro devoventes, ab Antonio enumerantur, omnes circa hæc tempora cucullum purpura potius ducentes, & eligentes, S. Ebba, S. Lausuida, S. Editha, S. Eaburga, S. Ositha, S. Aoduvena, Eracongotha, Sedrida, Edilburga, S. Syra, Sanct. Hilda, &c.

638 158 S. Faro Meldensis Episcopus, & S. Tiacrius insigni sanctitatis opinione celebres habentur.

639 159 S. Amandus ferventer insistit prædicationi. Instituit Cathedralem Argentinæ Ecclesiam, in qua Monachi vices Canonicorum objicere.

640 160 Barbaries Germanorum per Monachos abstergitur, propè cænobia eorundem populus congregatus, & urbes ædificantur. Plurima per Germaniam Monasteria exstruuntur, & à monachis universitates, sive Scholæ publicæ instituuntur: ex quibus ingens consecutus in Ecclesia fructus, & barbarorum studia ad liberalium artium, & virtutum præstantiam conversa.
Wisemburgensis Imperialis cænobij initia.

641 161 S. Rictrudis illustrissima princeps, velum, & cucullum induit.
Initia celeberrimorum Monasteriorũ Marcianensis, & Hamaticensis.
Clarent SS. Eusebia, Clotsendis, Allenda, & S. Maurontus germani S. Rictrudis liberi.
Floret S. Richarius Abbas Sanctissimus; Construitur Centulanum cænobium nobilissimum.

642 162 Tria cænobia excitantur pro nostris in urbe Treverensi.
Eminent insigni vitæ sanctitate S. Severa, S. Adela, & S. Hermina vel Irmina.

643 163 Iterum alia plura conduntur pro nostris cænobia Treveris.
Initia & splendor insignis cænobii S. Maximini Trevirensis; sive potius restitutio cænobij ejusdem, nostri Ordinis Monachis in illud primum introductis.
De cænobiis S. Eucherii, & S. Matthiæ Treveris pluribus hoc loco, agit auctor noster.
Celebre est Monasterium Mediolacense. Vid. Yepes hoc anno agens ibidem de SS. Clodulpho, Basino, & Luthroino.

644 164 Dagobertus Rex nostris mirificè favet.
Initia cænobii potentissimi S. Columbæ Sennonensis.
Describitur ab authore initium, splendor, & dignitas potentissimi cænobii Ord. nostri S. Dionysij Paris. Vid. Yepes. In eo aliquando cænobio litteras professi monachi, non aliter quam in universitate.

645 165 Sancti Reges Iudicael, & Iodocus, contempto Regno, sanctè in cænobio vivunt.
Plura cænobia exædificantur per S. Eligium gloriosum Christi confessorem, inter quæ eminet Solemniacense.

646 166 Yepes agit de statu Ordinis in Hispaniis, & de initiis vitæ S. Fructuosi.
Conditum Sanct. Petri de Montibus cænobium, cui præfuit Sanct. Fructuosus.
Principium cænobii S. Romani de Ornisga, per Cindasuindum Regem.

647 167 S. Eugenius II. Archiepiscopus Toletanus floret.
S. Gislenus celebratur, ejusq; nomine cænobium in Flandria.
S. Vincentij S. Waldetrudis, nec non S. Aldegundis res gestæ commendantur.
Castrilocense cænobium.

648 168 Pipinus Brabantiæ Dux, S. Iduberga conjunx, S. Begga, S. Gertruda filię eorum ab autore laudantur.

Ex

Ex Hibernia multi prædicatores veniunt in Galliam Belgiam. Videndus Yepes de eisdem viris præstantissimis hoc anno.
S. Gertrudis insignis sanctitatis exemplo refulget S. Foillanus, & S. Vltanus celebres habentur.
S. Amandi celebratur memoria.

649 169 Idem S. Amandus visitat limina Apostolorum.

650 170 S. Landelinus Abbas multa condidit cœnobia.

651 171 Monasterii Laubiensis initia: cujus conventus Patrum fuit dein Cathedralis.

652 172 De variis in Hispania successibus consulendus hoc anno Yepes.

655 175 S. Yrene Ordinis nostri sanctimonialis Martyrio coronata.
Concilium congregatur in civitate Toletana.

656 176 Concilium x. Toletanum: Sanct. Fructuosus fit Archiepiscopus Bracarensis.

657 177 S. Eugenius III. Archiepiscopus Toletanus floret.
S. Ildephonsus, Archiepiscopus dein Toletanus, celebris habetur.
Monasterium Stabulense celeberrimum fundatur, in quo præest Abbas S. Remachus.
In eodem cœnobio dein claruerunt S. Theodardus Episcopus, & Martyr, & S. Pabolenus.

658 178 Celebratur à sanctitate eximia Sanct. Trudo ex comite Hasbaniæ, Monachus noster: à quo celebre illud Ordinis nostri monasterium Trudonense.

659 179 S. Wandregisitus Abbas floret. Conditur nobilissimum Cœnobium Fontanellense in Normandia.

660 180 Translatum corpus S. Patris N. Benedicti nonnulli hoc annotare volunt, de quo pulchrè disputat Yepes hoc loco, & Floriacensis cœnobij initia ac splendorem describit. Item agit de S. Aygulpho.

661 181 S. Amandus fundat cœnobium Eleronense, in quo se recondens vitam denique absumpsit.

602 182 Batilda Franciæ Regina à cucullo insigniter exsplendescit.
Fundatum cœnobium Calense.
Fundatum S. Petri Corbeiense cœnobium amplissimum, viris illustribus deinceps frequentissimum.

663 183 S. Florentinus Episcopus ex Monacho, Argentinensibus præest.

664 184 Multi per Angliam excellunt ex Ordine viri præstantes.
Celebratur in monasterio Estrene salcense Concilium de celebratione Paschatis.

665 185 SS. Colmanus, & Agilbertus florent. Idem SS. Wilfridus, & Cedda vel Ceadda.

666 186 Monasterium Melrosense nominatissimum efflorescit.
Sanct. Cutbertus Melrosensis Monachus, dein Archiepiscopus Lindisfarnensis.

667 187 Post Deodatum Wighardus nominatur Archiepiscopus Cantuariensis, dein Adrianus Abbas, & post Adrianum Theodorus monachus.

668 188 S. Adrianus delatum Pontificatus Cantuariensis honorem omni modo à se removens, cogitur nihilominus cum S. Theodoro in Angliam proficisci.

669 189 S. Adeo datus ex Monacho dein Summus Pontifex insigni enitet vitæ sanctitate.

670 190 S. Theodorus Archiepiscopus cum S. Adriano Abbate partitur onera: uterque publicè litteras profitetur.

671 191 Describitur status Regni Francici,
Martyrij laurea coronantur.
S. Projectus, & S. Amarinus Abbas.

672 192 Mortuo Recensundo Rege, in Regni solium elevatur Wamba gloriosissimus, exin post aliquot Regni annos, & multa fortiter gesta monachum Ord. nostri professus.

Wamba

673 193 Wamba sive Bamba rebelles fortiter edomat; & multa præclarè gerit.
674 194 Wamba triumphans Toletum ingreditur, pace æquè ac bello gloriosus.
675 195 Wamba Regis studio Concilia diversa in Hispaniarum Regnis celebrata.

Idem Episcopatus honore aliquot ex cænobiis nostris ornari impetrat; nostrisq; impensissimè favet.

S. Valerius Abbas illustrissimus habetur, cujus vitam scripsit Ambrosius de morales.

676 196 Fundatio monasterij Bertiniacensis.

Clarent S. Audomarus Episcopus Tarvanensis, & S. Bertinus Abbas. Fusior in describendo S. Bertini cænobio Yepes, Syllabum ejus loci sanctorum pertexit.

677 197 Moritur S. Audoenus Archiepiscopus Rothomagensis.

Initia Flavicensis Abbatiæ, & aliorum monasteriorum per Sanct. Audoenum. Agit hoc etiam loco Yepes de Sanct. Geremaro Abbate, & S. Leufredo.

678 198 Ansbertus monachus, & Abbas Fontanellæ, & Archiepiscopus Rotromagensis claret.
679 199 S. Agatho Summus Pontifex ex monacho nostri Ordinis præest.
680 200 Farfensis cænobij nobilissimi in Sabinis initia, cujus progressus, & Abbates describit auctor noster.
681 201 Bamba Visigothorum Rex gloriosissimus cucullum pro diademate amplexus se in cænobio includens, vitam sanctissimè illic exigit.

Concilium duodecimum Toletanum celebratur.

682 202 Agit hic pluribus Yepes de pænitentibus variis per inquisitionem cænobio inclusis, deque eorum habitu.
683 203 Concilium decimum tertium Toletanum convocatur: de quo consulendus Yepes.
684 204 S. Benedictus II. Pontifex Maximus ex nostri Ordinis monacho.

Rex Galliæ hoc loco obiter attingit author ad pleniorem Historiæ cognitionem.

Fundatio Magni illius Gemetiacensis cænobij, toto orbe olim nobilissimi.

S. Philibertus Abbas claret.

S. Austrebeta prima Pauliacensis Abbatissa.

Agit alio rursum capite Yepes de vita S. Philiberti Abbatis hoc ipso añ, deque successore ejus S. Aichardo viro Sanctissimo, & de Sanctis Confessionibus 450. Gemeticensis cænobij Monachis S. Aichardi discipulis una die felicissimè mortuis. Sed & agit obiter de aliis nongentis ejusdem cænobij, licet multo post, una item die Martyrio affectis.

685 205 S. Martyrio coronantur S. Leodegarius Episcopus. Gravia patitur ab Ebroino Tyranno S. Amatus; pari furore in alios Galliæ sanctos insanit idem Ebroinus.
686 206 Sanct. Chilianus, & socij in conversione Franconiæ laborantes tandem perimuntur.
687 207 De supremis S. Guthberti Lindisfarnensis Episcopi agitur.
688 282 Plurium Angliæ Sanctorum meminit hoc loco Yepes, quos brevi elogio exornat S. Eadbertum Archiepiscopum Lindisfarnensem, Sanct. Eattam ejusdem urbis Pontificem, S. Bossonem Archiepisc. Eboracens. S. Eleuterium, S. Eddonem, S. Winfridum, S. Erchenwald. &c. omnes Pontifices diversarum Cathedralium Ecclesiarum.

Eodem anno celebrat memoriam plurium sanctarum Reginarum Ordinem nostrum professarum; ut S. Ediltrudis, S. Sexburgæ, S. Ermenildæ, S. Wereburgæ, S. Ælfredæ, S. Ethelfridæ, S. Chineburgæ, S. Eadburgæ, S. Wedæ, S. Quineldridæ, S. Milburgis, S. Miltridæ, S. Edilburgæ, &c. Vnde colligas, ex unius temporis felicitate reliqui quoque felicitatem.

S. Egberti

689 209 S. Egberti nostri ingentia de Ecclesia merita; de quibus consulendus Yepes hoc anno.

690 210 Ad Conversionem Germaniæ accinguntur, digno Apostolicæ functionis numero duodecim Monachi nostri, quos inter Principes eminet S. Wilibrordus, alias Clemens appellatus.

691 211 Clarissimus habetur Sanct. Vulmanus Monachus, & Abbas Boloniensis.

692 212 S. Othiliæ, sive Otiliæ celebre nomen, quæ plura ædificat Ordinis nostri cænobia; in quorum unico, cujus fuit Abbatissa, trecentas triginta moniales sanctissimè educavit.

693 213 Concilium XVI. Toleti celebratum, in quo aliqui Abbates promoti ad Cathedrales Ecclesias.

Videndus hoc eodem loco Yepes noster, de insigni Monachorum constantia, & indefesso labore in convertendis Mauris.

694 214 Vedastini Cænobij illustrissimi primordia, & nobilitas describitur, & viri ejusdem illustres aliquot celebrantur.

Duodecim nostri Apostoli provincias inter se partiti, toto animi sensu, ac pro viribus in Conversionem infidelium incumbunt.

695 215 S. Witbertus labores suos sanguine exornat, & gloriosissimo fine coronat, ab infidelibus crudelissime peremptus.

Alij multo fructu fidem Christi prædicando propagant.

S. Suitbertus Werdensis Episcopus mira sanctitate efflorescit.

696 216 Mortuum resuscitans Sanct. Suitbertus multos qui aderant gentiles convertit.

S. Wilibrordus à Sergio Papa consecratur Archiepiscopus, & propè Tajectum plurimos ad Christum adducit.

697 217 Concilium Vltrajecti celebratur, cui præsidet S. Wilibrordus.

Ex Anglia alii rursum è nostris in auxilium Apostolorum nostrorum occurrunt, & ipsi in diversas provincias destinantur.

Sancti duo fratres Erraldi Monachi Martyrio coronantur.

Fundatur Imperiale Monasterium S. Emmerani in Vrbe Ratisponensi, cujus nobilitatem, & Abbatum seriem describit Yepes.

698 218 Sanct. Willibrordus celeberrimi Cænobij Epternacensis fundamenta jacit.

S. Lambertus noster Episcopus admiranda sanctitate claret & tandem Martyrio coronatur.

699 219 S. Willibrordus in Francia, & Frisia, in Dei verbo disseminando Armeniæ laborat.

700 220 S. Vulfrannus Senonensis Archiepiscopus Frisonum Conversioni incumbit.

701 221 S. Hermelandus Abbas Antrensis. Fundatio Antri celeberrimi Ordinis nostri Monasterij.

702 222 Sanct. Wiro ad conversionem gentium ad juvandos Apostolos nostros duodecim missus cum Sanctis Plechelmo, & Otgero strenuè laborat.

703 223 Claret S. Benedictus Anglus Abbas Sanctissimus Magister sancti, & venerabilis Bedæ.

704 224 S. Andelmus Abbas dein Schireburnensis in Anglia Episcopus mira sanctitate exsplendescit.

705 225 Edilredus, Chenredus, sive Choenredus, & Offa ex Regibus Monachi.

Reges imitatæ Reginæ, & Regum filiæ, idem institutum amplexæ sunt, S. Chineswida S. Ethelredi Regis soror, Offæ Regis uxor, & S. Chineburga Alfredi Northumbriæ Regis uxor, Chineswidæ soror velum pro diademate amplexæ sunt. Eundem ordinem professæ, Sanct. Chinesdrida, S. Eadburga, S. Weda, de quibus consulendus hoc anno Yepes.

S. Guth-

706 226 S. Guthlaci nostri celeberrima memoria.
707 227 Conditum celebre Div. Michaelis Virdunense cænobium in Lotharingia.
708 228 Clarissimus S. Bonitus Arvernorum Episcopus, ac Episcopatu relicto postea monachus Magnilocensis.
709 229 Insignis apparitio Sanct. Michaelis Archangeli in Gallia, cujus proin honori in monte Tumba nobile ordinis nostri cænobium excitatur.
710 230 Prosequitur Yepes nostrorum duodecim in Germania Apostolorum labores, & fructum.
711 231 S. Switbertus prædicando multum proficit, mortuum ad vitam revocat, alia multa prodigiosè operatur.
Agit eodem anno Autor noster de Monasterio Werdensi, & de Canonizatione S. Swiberti.
712 232 Laborant indefessè in conversione Gentilium strenui cooperatores S. Swiberti S. Willeicus, S. Marcellinus Sanct. Werenfridus, & Sanct. Achatius.
In Hollandia agro Dominico excolendo operam insignem Ecclesiæ navat S. Adelbertus. Fundatum præstantissimum nostri ord. cænobium Egmundense.
713 233 Describitur Maurorum in Hispaniis barbaries Regnorum vastitas, & ordinis nostri status. Vbi mira, & lectu dignissima de Monachis, & cænobiis nostris.
714 234 S. Gregorius secundus, ex ordinis nostri Monacho Pontifex Maximus de Ecclesia meritissimus, qui primus in Ecclesiæ hostes exercitum collegit.
715 235 Florent hoc ipso tempore viri ex ordine nostro vita, & genere illustrissimi, Eleutherius ex Duce Austrasiæ Monachum professus, quem exin relicto item Ducatu consequutus Lambertus frater, pace ac bello gloriosissimus, cujus exemplum deinceps, & filius successor, & filiæ plures imitatæ cucullum purpuræ, ac auro omni antetulere clavis. S. Sebaldus ad conversionem Gentium accingitur, ac tandem Norinbergæ subsistit; celebrantur item S. Ioannes ex Monacho S. Hildæ Hagulstadensis Episcopus miraculis illustrissimus.
Effulgent eodem tempore Sanct. Herminus Abbas, & Episcopus Laubiensis, ejusque in eodem honore successor S. Theodulphus.
Agit sub finem hujus anni Yepes de incremento ordinis nostri, & Cænobiorum per Germaniam potentia qua videnda.
716 236 Describitur Europæ sub hæc tempora status, & afflicto oriente oppressisque ibidem Monachis, in Occidente eorumdem multiplicatio, Imperatoribus, Regibus, ac Principibus certatim cucullum Sanctiss. Pat. Nost. amplectentibus, monasterij Casinensis insignis restauratio.
717 237 Restauratur post longam vastitatem Hispania, & multa ibidem cænobia exædificantur 87. cænobia in sola Asturia olim, & nunc celebrata enumerat Yepes noster, ordinis nostri universa.
718 238 Fundatio Monasterii S. Ioannis de la Penna, quo anno de initio Regni Navarræi consulendus Yepes, ut & de Concilio Provinciali Arragoniæ Rege convocante Episcopos, & Abbates sui Regni ad idem S. Ioannis Pennense cænobium.
719 239 Agit eodem loco Yepes de Regibus in eo Monasterio sepultis.
720 240 Cænobium S. Galli in Helvetia conditur, quod sanctitate mirum in modum illustrat ejusdem primus Abbas S. Gallus.
722 242 Magnus ille Germaniæ Apostolus S. Bonifacius celebratur.
723 243 Idem vir sanctissimus à Gregorio nostro II. Pontifice Max. Episcopus ad conversionem Gentium ordinatur.
724 244 Fundatur potentissimum Germaniæ cænobium Augiense per S. Priminium Episcopum, cujus insignia facta, & plura ab eo condita cænobia com-

nobia commemorantur, nobilitas deprædicatur, & Schola inter universitates Ordinis spectatissima laudatur, viri Augienses illustres, ut & Abbates ejusdem Monasterii enumerantur.

725 245 Transfertur S. Augustinus magnus Ecclesiæ Doctor, & in Cænobio S. Petri de Cælo aureo, multis annis conditus nostrorum domicilio, & servitio usus est. Dignissima lectu hic plura reperies.

726 246 De statu Galliæ atque Italiæ discurrit Yepes noster, in ordine ad Historiam reliquam.

Clavis habetur S. Eucherius ex Monacho nostro. Aurelianensis Episcopus.

727 247 S. Ina Angliæ Rex & Ethelburga Regina ordinem nostrum profitentur.

Fundatur spectatissimum illud olim cænobium Glasconiense in Anglia, cujus prærogativa, & splendor describuntur,

728 248 Exsplendescit insigni sanctitatis, & doctrinæ fulgore S. Ioannes Damascenus, ejusque Magister B. Cosmas, de quorum Monachatu Benedictino pulcherrimè disseritur.

729 249 Diversis Provinciis eximia sanctitate ex Ordine florent S. Bainus, ex Abbate Fontanellensi Episcopus Morinensium, Ionas Abbas Fontanellæ vir doctissimus, S. Floribertus Huberti Aquitaniæ Ducis filius Abbas Stabulensis, dein Episc. Florbargisus Salisburgensis Episcopus ex Abbate S. Petri S. Wendelinus Scotiæ Regis filius Sanct. Britorraldus Archiepiscopus Cantuariensis Sanct. Edilwaldus Episcopus Lindisfarnensis, &c.

730 250 Plurima conduntur per S. Pirminium, & S. Bonifacium Monasteria, quæ inter splendescit Imperiale Murbacense Cænobium.

731 251 Moritur Sanct. Gregorius noster II. Pontif. Maxim. succedit Gregorius III.

Claret doctrina, & sanctitate illustrissimus Sanct. Venerabilis Beda noster, de cujus scriptis, & Monachismo Benedictino consulendus Yepes.

732 252 Elwangense Cænobium conditur, viris illustribus præstantissimum.

733 253 S. Corbinianus noster primum ac Cathedrale templum Frisingæ condit, & consecrat in honorem Sanctissimi P. N. Benedicti. Agit ibidem de pluribus olim in honorem ejusdem Sanctissimi P. N. Benedicti exstructis Monasterialibus, parochialibus, & Cathedralibus templis Yepes, & vitam prosequitur Sanct. Corbiniani primi Frisingensium Episcopi.

734 254 S. Pirminius fundat tria nobilissima Monasteria Amorbacense (sive Ammorbacense) Cellam Monachorum & Fabariense.

735 255 Strenuè laborat sanctiss. Germaniæ Apostolus noster Bonifacius in conversione Teutonum, ac plura exstruit monasteria.

Clarissima habetur S. Lioba Abbatissa, de qua miranda affert auctor de fructu ingenti maximè ab ejus vitæ exemplo consequuto, à cujus ore atque eruditione maximi Franciæ, & Germaniæ Principes pendebant: Pari sanctitate excelluit S. Thecla Abbatissa, de qua hoc eodem anno agitur.

736 256 Monasterium Hirsfeldense conditur, ejusque dignitas, & virorum illustrium frequentia commendatur.

Moritur S. Clemens noster Vltrajectensium Pontifex, cum se ante mortem in Cænobium rursus conclusisset; cui S. Bonifacius communi scriptorum opinione in Archiepiscopatu succedit.

737 257 S. Theodulphus Northumbriæ Rex relicto Regno, Monachum profitetur, & insigni sanctitate proficit.

S. Tetta filia Cutredi Saxonum Occidentalium Regis cucullum Regno anteponit, & pari sanctitate excellit.

738 258 Willicarius Archiepiscopus Viennensis ex Monacho nostro celebratissimus.

739 259 Moritur Favilla Rex II. Austrasiæ de nostris meritissimus.
S. Bonifacius aliquot per Bavariam Episcopatus erigit, & autor est plurium in provincia eadem cænobiorum exstructorum.

740 260 S. Bonifacius ædificandis cænobiis, & propagando Monachismo intentissimus. Plura hic ab Yepes cænobia celebrantur, diversis capitibus enumerata.

741 261 S. Bonifacius plures per Germanias excitat Ecclesias Cathedrales, & novos erigit Episcopatus, eosdemque terminis suis distinguit. Monachi Cathedrales passim instituti, & ex nostris ad Pontificatum evecti, strenuè in Ecclesia Dei, & infidelium conversione laborant.
S. Burchardus noster Herbipolensis Episcopus primus instituitur; cujus vitæ res gestæ narrantur, & S. Adelarius celebratur.
Moritur S. Gregorius III. Pont. Maxim. eligitur Zacharias Ordinis nostri Monachus, cujus merita commemorantur.

742 262 Concilium celebrat S. Germaniæ Apostolus Bonifacius.

743 263 Aliud ab eodem Concilium in Germania celebratur, ubi multa in nostri ordinis favorem per insignia.

744 264 Fuldense illustrissimum ac potentissimum Germaniæ Monasterium conditur per nostrum Germaniæ Apostolum S. Bonifacium, cujus præminentia, & qualitates, nec non viri illustres, ac schola publica ample commendantur.

75 265 Rursum Concilium in Alemania convocat S. Bonifacius noster. S. ipse Bonifacius eligitur primus Archiepiscopus Moguntinus. Aistettensis Episcopatus in Germania primordia.
Fit primus Episcopus Aistettensis S. noster Willibaldus.
Agitur hoc eodem loco de Germanis S. Willibaldi.
SS. Wunibaldo, & Walpurga, omnibus Sanct. Pat. Nost. Ordinem professis.
Virciliacensis cænobij initia, in quod translatum S. Mariæ Magdalenæ sanctissimum corpus.
Fundatum S. Michaelis de Cuxan in Catalaunia Monasterium in quo rarissima sanctitate exsplenduit S. Nazarius Monachus.

746 266 Viri sanctitate, & fama celebratissimi præcipuè hoc ipso tempore in ordine celebrantur. S. Ebbo Archiepiscopus Senonensis, S. Alboinus Episcopus Frislariensis, S. Wigisus Abbas, & Episcopus Laubiensis SS. Hatiinda, & Relinda Abbatissæ, Iacobus ex Episcopo Tullensi Monachus S. Benigni, S. Hidulphus Archiepiscop. Treverensis, &c.

747 267 S. Carolomanus ex Rege fit Monachus, cujus vita lectu dignissima ab Yepes describitur.

748 268 Per hæc tempora consecravit Ecclesiam Casinensem Zacharias Papa, & splendor ejusdem Cænobii exprimitur.

749 269 Monasterium Nonantulianum conditur, fitque primus Abbas S. Anselmus ex Duce Forojuliano Monachus. Multitudo sanctorum monachorum, & Martyrum ejusdem Cænobii deprædicatur. Abbatum item Syllabus texitur.

750 270 Rachisius Longobardorum Rex Monachum, relicto amplissimo Regno, in Cænobio Casinate induit. Thesia Rachisij Longobardorum Regis uxor, mariti exemplum sequuta eidem instituto se addicit. Patremque Reges, irritatæ filiæ Ordinem eundem profitentur omnes insigni vitæ sanctitate excelluere.

751 271 Childericus Rex Franciæ, & Gisala Regina cucullum induunt.
Fulradus Abbas S. Dionysij celeberrimus habetur.

752 272 Mortuo S. Zachariæ nostro Summo Pontifice, rursum ex eodem ordine sufficitur, S. Stephanus III. Monachus Casinensis, qui in cænobio Sanct. Dionysij Pipinum, & Bertham Franciæ Reges inauguravit, & coronavit.
S. Hildebertus Abbas primus Martyr pro defensione sanctarum imaginum.

Pipinus

753 273 Pipinus Rex ordini nostro plurimum favet,& tria insignia excitat cœnobia. S.Magni Faucense, S.Altonir. (cujus monachi cum ipsa fundatione, sive bonis fundatoris, translati ad montem S. Martini prope Palatium Guelphicum, à Ducibus Guelphis, hodie vinearum nomine, vulgo Weingartense, appellatur,) & S.Salvatoris Prumiense. Prumiensis cœnobij splendor,& viri illustres celebrantur.

754 274 Archiepiscopatu Moguntino se abdicat, eundemq; S. Lullo commendat, S.Bonifacius noster Magnus Germanorum Apostolus, atq; ipse ad conversionum pergit.

755 275 S.Bonifacius noster post innumera de Ecclesia, & Germaniæ Regno amplissimo merita, cum sociis in Frisia, prædicationis, & laboris finem sortitus illustrissimo Martyrio coronatur.

Præcipuorum ex sociis quinquaginta S. Bonifacij Martyrum Monachorum memoria celebratur.

S.Bonifacij merita, de Anglia, Germania, ordine nostro, ac Ecclesia universa mirum in modum deprædicantur.

756 276 Vltrajectensis Ecclesiæ status à morte S.Bonifacij describitur.

Clarissimus exsplendescit gravissimis de Ecclesia Dei meritis S.Gregorius Vltrajectensis Episcopus.

Pari sanctitatis fama, & meritorum gloria emicat S. Lebuinus, in conversione Gentilium indefessus.

Regale cænobium S.Benedicti Saguntinum extruitur, cujus potentia, splendor, & dignitas fusissime depingitur.

Agit hoc eodem anno de cathedralibus Benedictinorum in Hispania Ecclesiis Yepes, qui vid. omnia observatu longè dignissima.

757 277 Status Regnorum Hispaniæ describitur. Et cænobia ab Alphonso Rege condita commemorantur.

Eadbertus Rex Angliæ Monachum in Lindisfarnensi cænobio induit.

758 278 Gorziense Religiosissimum in Lotharingia monasterium fundatur.

759 279 Monasterium S.Iuliæ Brixiense conditur.

Fundatum item Sanct. Michaelis de Petroso in Hispanis Monasterium.

Extructum eodem anno monasterium Sanct. Iuliani de Samor in Gallatia per Regem D. Fruelam. cujus cænobij præstantia fusius explicatur.

760 280 Schlierseense in Bavaria cænobium exædificatur.

761 281 Monasterij S.Vincentij de Oviedo principia, cujus dignitas explicatur; de Cathedralibus nostris Monasteriis, deq; aliis cænobiis prope Ecclesias Cathedrales conditis prolixius agitur.

762 282 In cænobio eodem Asturiæ Regum veterum sepultura.

Inter Pontifices ex ordine nostro præstantiores hoc anno referuntur: Gaymbertus Archiepiscopus Cantuariensis, Monachus SS. Petri & Pauli Cantuar. & post ipsum Aderandus Archiepiscopus, ex monacho Malmesburiensi, S.Perwinus ex monacho item Malmesburiensi Episcopus casæ candidæ, &c.

763 283 Clarissimi habentur S.Abel Abbas,& Episcopus Laubiensis,& S.Amalwinus ejusdem in Episcopatu successor, S.Tamo item ex Monacho, & Abbate Amarbaricense Episcopus, Werdensis.

764 284 Monasterium Ottenpuranum in Suevia ædificatur in honorem Sanct. Alexandri: cujus viri aliquot illustres recensentur.

765 285 S.Naboris in Lotharingia cænobium fundatur, olim S. Hilarij appellatum.

766 286 Plurima per Bavariam exstruit cænobia Tasilo Dux Bojorum: quæ inter Wessenbrunnen, Mansee, Thierhaupten, &c.

Fundata item celeberrima Monasteria Chremsmunster, & Laurissense, in quo tandem Monachum induit ipse Dux Tassilo.

767 287 Constantinus Imperator monachos in Oriente sumopere persequitur.

768 288 S.Stephanus Papa IV. ex ordinis nostri monacho.

Pipini in nostros benevolentia commendatur.

Pipini Regis filiæ Caroli Magni sorores Idaberga, Ada, Giscla ordini nostro se addicunt.

769 289 S.Stephanus Papa, Concilium Romæ celebrat, & paulo post moritur de Ecclesia benè meritus.

770 290 Theodora Regina propter sterilitatem à Carolo Rege an aliam ob causam, repudiata, meliori sponso nubit, Christo Domino, ordinem in D. Iuliæ Brixiensi professa.

771 291 S. Adelardus Caroli Magni consobrinus, ob indignitatem repudij Theodoræ Reginæ Caroli conspectum fastidiens, & ipse Monachum induit, & in sanctitatem mirandam proficit.

772 292 Sub hæc tempora plura ædificantur cænobia in Hispaniis. Vid. Yepes.

773 293 Monasterium Imperiale Campidonense conditur, cujus splendor, & prærogativæ prædicantur.

774 294 S. Ioannis de Pravia in Hispaniis fundatur per Regem Silo, & Adosindam Reginam.

775 295 Clarissimus habetur Sanct. Rumoldus noster Archiepiscopus Dubliensis.

776 296 Italiæ status describitur, & Casinense cænobium inprimis floret, quando Numen hic ipso tempore miranda per S.P.N. Benedicti corpus operatur.

777 297 Claret Theodemarus Abbas Casinensis, de cujus ad Carolum Magnum litteris legendus Yepes.

778 298 Plura conduntur hoc año nostri ordinis cænobia in Catalaunia per Carolum Magnum, de quibus consulendus Yepes.

779 299 In Archiepiscopatu Treveniensi multi hoc ipso tempore ex ordine viri illustres prodiere, quos inter duo inprimis Archiepiscopi Treverenses Vilmadus ex Monacho S. Maximini Treverensium Pontifex, & successor Ricobaldus ex monacho Mediolanensi enituere.

S. Mariæ de Horreo ingens splendor, in quo uno cænobio decem Abbatissæ sanctitate vitæ insignes excelluere.

780 300 Principia sanctissimi cænobij S. Iustinæ de Padua ejusque splendor describitur.

781 301 Fundatur insigne monasterium S. Mariæ de Obona in Regno Asturicensi.

782 302 Pipinus ungitur Rex Italiæ, cui tutor adsignatur S. Adelandus noster Abbas Corbeiensis.

Celebratur S. Zenonis Veronense monasterium, ejusq; exordia describuntur. Plura in Gallicia monasteria excitantur.

783 303 Mortuo Silo Rege, Adosinda Regina pro purpura cucullum amplectitur. Clarent S. Beatus, & Æthereus.

784 304 SS. Beatus, & Æthereus contra Elipandi errores se strenue opponunt, & duobus libris eos refutant.

785 305 Ex ordinis nostri Episcopis hoc tempore præ aliis exsplenduere, S. Gregorius Episcopus Vltrajectensis, S. Albericus ejus successor, S. Remigius Episcopus Argentinensis, ejusque successor Sanct. Rato, Sanct. Simpertus Episcopus Augustanus, Sanct. Deotinus Episcopus Aurelianensis, Bertricus Episcopus Salisburgensis, Simbertus Episcopus Ratisponensis, & Adalwinus successor.

Florent etiam viri illustres sanctitate plurimi S. Frodinus Abbas Novalicensis, & S. Fremundus filius Regis Merciorum.

Ex genere illustribus Monachi eminent Carolomannus, & Pipinus filij Carolomanni Regis.

786 306 Albinus Flaccus vulgò Alcuinus vir eruditissimus, & scriptis celebratissimus claret, Theologię scholasticæ hoc ipso tempore initiũ nostris debe-

debetur, atq; in primis Alcuino. Clarissimus item eo ipso tempore Viuardus autor Martyrologii.

787 | 307 Explendescit pari luce ac fulgore Paulus noster, vulgo Diaconus, Monachus Casinensis.

788 | 308 Tasilo Rex Bavariæ Monachum induit.

Veremundus Asturum Rex pari modo relicto regno cucullum amplexatur, & amplectitur.

Sanct. Wileadus Bremensis Episcopus Gentilitatem indefessè profligat.

789 | 309 Neque minus strenuè laborat in Frisiæ conversione Daventriensium Apostolus S. Ludgerus.

Fundatur Imperiale Monasterium Werdense per S. Ludgerum Episcopum, cujus vita, & mors describitur.

790 | 310 Monasterium Dodoniense in Flandria exædificatur.

Idem Monasterium S. Ioannis Cilla prælata.

791 | 311 Agitur de fundatione universitatum Parisiensis, & Papiensis.

792 | 312 De statu Bavariæ disseritur. De vita item S. Angelberti Abbatis, Sanct. Richarij. & Pipino Monacho Caroli M. filio.

793 | 313 S. Alfreda filia Offæ Regis Merciorum cucullum induit.

794 | 314 S. Albani Moguntiæ cænobium exstruitur.

S. Albani aliud Monasterium in Anglia exædificatur, cujus splendor proponitur.

795 | 315 Abbatia S. Felio Guijoles exstruitur; cujus qualitates, & dignitas prædicantur.

796 | 316 Plura cænobia propè principales Romæ Ecclesias reædificata sive fundata.

797 | 317 Guilulphus Abbas Casinensis claret.

798 | 318 Rex Alphonsus Castus in Hispaniis regnat, cujus in nostros propensio extollitur.

S. Pelagii de Oniedo extruitur, & de illustribus ejus cænobij Monialibus agitur, ex quibus Regio genere, & majestate nonnullæ enituere.

799 | 319 Floret insigni sanctitate notissima S. Ida vidua.

800 | 320 Leo Tertius Pontifex Maximus Romæ coronat Imperatorem D. Carolum Magnum.

801 | 321 S. Petri de Las Buelas Monasterium Bæccelonense construitur.

802 | 322 Moritur Garzias Rex, & succedit Fortunius, uterque apud nostros sepultus.

803 | 323 Monasteria aliquot exstruuntur per Hispaniam, quæ inter numerantur S. Martini de Saras, & monasterium de Obarra.

804 | 324 Fundatur Cathedralis monachorum nostrorum Ecclesia de Valpueste legendus Yepcs.

805 | 325 Plurima per Italiam atq; Germaniam fundantur ordinis nostri Monachis Scotis monasteria; de quorum præstantia, & monachorum virtute videndus Yepes.

807 | 327 Mauri Monachos plures captivos abducunt.

Monasteria plura exstructa in Aquitania.

808 | 328 S. Bartholomæi corpus per Mauros dispersum nostri colligunt & posterorum pietati conservant.

809 | 329 S. Humberti in Flandria cænobium ædificatur.

810 | 330 Angelus Particiacum Dux Venetorum extruit Monasterium Sanct. Zachariæ.

Moritur eodem anno Pipinus Italiæ Rex sepultus in nostro S. Zenonis Veronensi Monasterio.

811 | 331 Multi filij, & filiæ Caroli Magni Imperatoris Ordinem nostrum professæ memorantur.

812 | 332 Viri ex ordine illustres plurimi; præ aliis celebrantur Hettho Basiliensis Episcopus Caroli M. ad Orient. Imper. Legatus; Eldoynus Archiepiscopus ex monacho Lirinensi, Aygulphus Episcopus Bituricensis,

Ayſtolphus Archiepiſcopus Moguntinus Amoluvinus Archiepiſcopus Salisburgenſis, Rato Epiſcopus Argentinenſis, Wolfleon Epiſcopus Conſtantienſis, Frotarius Epiſcopus Tullenſis, Cortila Epiſcopus Werdenſis, &c.

813 | 333 Quinque Concilia per Franciam celebrantur in iisq; multa in favorem noſtrorum conſtituuntur.

Legati ad Imperatorem Conſtantinopolitanum miſſi hoc año B. Hamularius Fortunatus ex Monacho noſtro Archiepiſcopus Treverenſis, & Petrus Abbas Novantulanus.

814 | 334 Moritur Carolus Magnus Imp. cujus de Ordine noſtro merita explicantur.

815 | 335 Principium, & incrementa S. Mariæ Regalis de Yrache.

Deſcribitur vita S. Veremundi Abbatis.

Grandes prærogativæ, & ſplendor ejusdem Monaſterii de Yerache commendantur cujus Abbas eſt ſimul Rector univerſitatis ibidem. Sed Conſul. Yepes.

S. Lintpurga claret. Et conditur Cænobium Ordinis perilluſtre Swarzachium.

816 | 336 Moritur S. Leo III. Pont. Max. & ejus excellentia deprædicatur. Succedit S. Stephanus IV.

817 | 337 Moritur S. Stephanus IV. & eligitur Paſchalis I. ex Ordin. noſtri Monacho.

Congregantur Monachi, & Abbates noſtri Aquisgrani ſuper obſervatione ſanctiſſimæ Regulæ. Vid. Yepes.

Hoc eodem loco multæ controverſiæ pulchrè enodantur.

818 | 338 Iterum agitur de filiis Caroli Magni monachis.

S. Apollinaris Caſinenſibus præeſt, quorum tunc Religio laudatur.

S. Paſchalis I. ædificat Romæ monaſterium S. Praxedis.

819 | 339 S. Beda Genuenſis, longè diverſus ab illo Angliæ, venerabilis cognomen merito, clarus habetur.

820 | 340 Wiquelcombæ Monaſterium in Anglia exſtruitur.

821 | 341 Reædificatur Eccleſia S. Cæciliæ in urbe per S. Paſchalem primum, eidemque adjicit Cænobium, quod in hodiernam diem Moniales noſtræ obtinent.

822 | 342 Fundatur Monaſterium S. MARIÆ de Aquilas.

824 | 344 Coronatur Imperator Lotharius à S. Paſchale noſtro, qui Sanctiſſ. Pontifex poſt menſes paucos ad felicem æternitatem abiit.

825 | 345 S. Sebaſtiani Martyris egregij corpus translatum in D. Medardi Cænobium noſtrum.

826 | 346 S. Ansgarius Corbeienſis Monachus in converſione Infidelium Danorum ſtrenuè operatur.

827 | 347 S. Gregorius IV. ex Monacho Foſſæ novæ fit Pont. Max. Et Foſſæ novę brevis narratio texitur.

828 | 348 Religione, & doctrina in Ordine eminent: S. Theodatus Abbas, Sanct. Rixfridus Epiſcopus Trajectenſis: S. Heſingerus Epiſcopus Werdenſis, S. Harrucus de Werda. Hieremias Archiepiſcopus Senonenſis, ejusque ſucceſſor Aldricus; celebratur etiam Adelelmus inſignis Hiſtoricus, & Freculphus Lexovienſis Epiſcopus.

829 | 349 Canones Concilii Pariſienſis aliquot tractantur, de velo noſtrarum Deo Sacratarum Virginum.

830 | 350 Initia, & progreſſus Cænobiorum Hirſaugienſis, & Corbeienſis in Saxonia, quod fuit ſeminarium Epiſcoporum, & Apoſtolorum ex Ordine ad converſionem Gentium deſtinatorum, Status Mundi, & Ordinis Benedictini deſcribitur, Hirſaugienſis Cænobij amplitudo commendatur.

831 | 351 Sanct. MARIÆ ſuperius in Vrbe Ratisponenſi Cænobium ædificatur.

832 | 352 S. Adelardus Abbas pro meritis celebratur, Corbeiæ Saxonicæ fundatio, &

tio, & prærogativæ amplius explicantur, S. Ansgarij Apostolatus commemoratur. Rursum agitur de Ecclesiis Cathedralibus Benedictinis, à S. Ansgario erectis. Clarent fama celeberrimi Drogo Archiepiscopus Metensis Caroli Magni filius, & Angelomus scriptorū monumentis clarissimus. Einardus item ex secretario Imperatoris Caroli Magni Selgenstadensis Monachus.

833 | 353 Ludovicus Pius à filiis improbè vexatus, & afflictus, cucullum tandem in Divi Medardi, aliquandiu indutus, dum aliter Deus Regni res disponeret. Iuditha Imperatrix pari modo reclusa tandem proposito, & voto Monialis in pace, & quiete moritur; cujus honor ab Yepes strenuè describitur. Frauwenmünster Tyguri potentissimum Monialium Cænobium fundatur.

834 | 354 Abbatum Casinensium S. Adeodati, Hilderici, & Auberti insignis memoria. Ducenti Martyres de Cardenna Cælis triumphantes recipiuntur.

835 | 355 Inventum Corpus Gloriosissimi Hispaniæ Tutelaris S. Iacobi. Fundantur perillustria Hispaniæ Cænobia S. Petri Antealteres, & S. Martini in Civitate S. Iacobi. De quibus consulendus fusior Yepes, & maximè de Monachis S. Martini facientibus officium in Ecclesia majore Sanctæ Mariæ de Cortezela, & servientibus corpori Sanct. Iacobi Apostoli.

836 | 356 Fundatur Monasterium del Zebrero in honorem B.M.V.

837 | 357 Bassacius Abbas Casinensis clarissimus, & sub eodem Cænobij status.

838 | 358 Rhabani Mauri Archiepiscopi Moguntini ingens fama. Ejusdem librorum syllabus texitur. Eodem tempore celeberrimi habentur Aymon ex Abbate Hirsfeldensis Episcopus Halberstattensis, duo Strabones, Theodulphus Abbas Floriacensis dein Episcopus Aurelianensis. Bertrammus Monachus, Christianus Deutmarus, &c.

839 | 359 Monasterium S. MARIÆ Virginis Wormatiense conditur.

840 | 360 Plura exædificantur Cænobia in Regno Navarræ.

841 | 361 Sanct. Germani Antisiod. transfertur: & viri ejusdem Cænobij illustres enumerantur.

842 | 362 Gandersheimense Illustrissimum in Germania Cænobium extruitur.

843 | 363 Moriuntur Alphonsus castus Rex Hisp. & Gregorius noster IV. Pont. Alex. qui inter alia mirificè coluit Ecclesiam Beat. Mar. Virg. trans Tyberim, ibique Monasterium condidit, in quo Monachos Canonicos aggregavit.

844 | 364 Res & statum describit Hispaniæ autor noster.

845 | 365 Mauri Christianorum provincias invadunt, plurimi ex nostris Martyrio coronantur. S. Germani miraculum contra Nordmannos recensetur. S. P. N. BENEDICTUS mirabilia plura contra Nordmanorum Regem & exercitum operatur.

846 | 366 Monasterium S. Cypriani de Calogo in Hispaniis.

847 | 367 Cōmendatur mira sanctitas S. Leonis Papæ hoc nomine quarti ex Monacho Ordinis nostri. Celebratur Concilium provinciale Moguntiæ, enumeranturque qui ex Ordine nostro viri illustrissimi interfuere.

848 | 368 Concilium II. Moguntiæ cogitur, cui rursum præest B. Maurus Rhabanus noster, & virorum illustrium ex Ordine qui adfuere nomenclatura profertur. De Hildesheimensibus nostris Monachis Canonicis agitur.

849 | 369 Florent inprimis B. Notgerus S. Galli Monachus, Werembertus, Hartmundus, ejusdem Cænobij Monachi, Otfridus Hersfeldensis, Lupus Ferrariensis, Waldebertus sive Wandelbertus Prumiensis auctor Martyrologij, Ioannes Scotus, de quorum scriptis prolixius agitur.

850 | 370 Status Hispaniarum depingitur, & de nostris Cordubæ Monasteriis multa afferuntur. De duplicibus Monachorum & Monialium Cænobiis olim frequentissimis agitur.

851 371 Martyrij corona donantur SS. Isaac, Petrus aliiq; plures.
852 372 Laurea Martyrij illustres fiunt S. Gumesindus, S. Servideus, &c.
Condita S. Sixti Placentinum, & S. Viti in Lotharingia Cænobia.
853 373 S. Remigij Rhemensis Archimonasterij splendor describitur.
Pipinus Aquitaniæ Rex, ejusque Germanus Carolus, purpuram & Regnum cucullo permutant. In Monasterio Turonensi Martyrio coronati centum viginti Monachi. In Hispania passi SS. Monachi Fandila, Anastasius, Felix &c.
854 374 Monasterium de las Dunas conditum.
855 375 Plures Cordubæ Martyrio afficiuntur. Clarent S. Folquinus, Marianus Scotus, S. Lotharius, &c.
856 376 Martyrium passi SS. Helias, Paulus, Isidorus, &c.
857 377 S. Bertharius Abbas Casinensis insigni sanctitate effulget.
858 378 In Septentrionis Regionibus ingenti fructu laborat S. Ansgarius. Clarissimus iisdem partibus illucescit S. Rembertus Bremensis Archiepiscopus.
859 379 Agitur de S. Eulogio Archiepisc. & Martyre, & titulo Abbatis.
860 380 Vita & Martyrium S. Meginradi Augiensis Monachi, initium Cænobij Einsidlensis, ex Principibus præcipuè celebrati: Lotharius filius Imper. Caroli Calvi, Carolomanus ejusdem Imp. filius Hugbertus eorundem frater, & Rothilda soror, omnes nostri Ordinis monachi, Alpaida item Ludovici Pij Imper. Luitgarda & Bertha Ludovici Alemanniæ Regis filiæ cucullo quam diademate illustriores. De aliis consulendus Yepes. De destructione Cænobiorum, & reædificatione, sopita persequutione in Hispaniis hoc etiam loco agitur.
862 382 S. Swituni Wintoniensis Episcopi celebris sanctitas.
863 383 Monasteria S. Felicis de Auca, S. MARIÆ de Puerto, SS. Petri & Pauli de Trubia in Hispaniis conduntur, in quorum postremo Episcopus Gladila Monachum professus atque etiam Abbas est electus.
864 384 Agitur de translatione S. Vincentij levitę & Martyris.
865 385 Celeberrimi hoc tempore Egilus Archiepiscopus Senonensis & Ruthardus ex Monacho Fuldensi Rector Scholæ Hirsaugiensis.
866 386 Res inquietæ in Gallia de quibus legendus Yepes. Claret Hugbertus ex Duce Monachus. Mortuo Ordonio Rege succedit Alphonsus Magnus, nostris addictissimus.
867 387 Principia antiquissimi Monasterij S. Victoriani in Aragonia.
868 388 Memoria Monasterij S. Stephani de Ozan. Bulgari ad fidem conversi eorumq; Rex Trebellius cucullum induit.
869 389 Translatum corpus S. Mauri discipuli S. P. N. BENEDICTI Clarus Sanct. Hunfridus noster Morinorum Episcopus. Agitur de octava synodo Constantinopolitana in ordine ad reliquam Historiam, defenditurque Anastasius Bibliothecarius & Aymoinus contra Baronium.
870 390 Hinckmarus noster Rhemensis Archiepiscopus vir sæculi hujus illustrissimus celebratur. Dani in Angliam irrumpunt ex nostris plurimi Mart. Fundatio Sanct. Walburgis Eistettensis, & Furnensis in Flandria.
871 391 Ansegisus noster Senonensis, collegit in tomum I. Leges Francorum Plura per Hispanias Cænobia ædificantur, quæ inter S. Vincentij de Ocayzta, è Vizcaya.
872 392 Regale Monasterium Saguntinum reædificatur.
873 393 S. Æmiliani Monasterium Seminarium Religionis celebratur.
874 394 Rex Britanniæ minoris Salomon Monachum profitetur. Monasterij Redonensis Splendor. Martyrio in Britannia plures coronantur.
875 395 Moritur Ludovicus II, Imperator conditus in Cænobio Sanct. Ambrosij Mediolanensi, cujus Cænobij dignitas Reliquiæ Sanctorum, aliaque describuntur. Successus Cænobij S. Martialis in Gallia commemorantur.
876 396 Moritur Ludovicus Germaniæ Rex apud nostros Laurissenses sepultus.

Caro-

877 | 397 Carolus Calvus Imperator naturæ concedit conditus in D. Dionysij Parisiis enumerantur aliquot Ordinis nostri Cænobia ab ipso ædificata. clarent Henricus Monachus Antisiodorensis illustris scriptor, Remigius item ibidem Monachus, vir doctissimus, dein Antisiodorensis Episcopus, qui diversas Galliæ Vniversitates doctrina sua plurimū illustravit. Milo item Monachus Elnonensis, Hugobaldus Sanct. Amandi. Paschasius Ratbertus, Bertrannus, & Ambrosius Ansbertus Theologi absolutissimi celebrantur.

878 | 398 Rex Alfredus Danis victis consilio B. Neoti Monachi nostri fundat universitatem Oxoniensem, ubi nostri publicè profitentur.

879 | 399 Moritur Ludovicus Balbus Rex Galliarum conditus in S. Cornelij de compendio. Florent Walbertus Episcopus Hildesheimensis, & Ado Episcopus Beluacensis. Clarent item Bertolfus Archiepiscopus Treverensis, & Wallo Episcopus Metensis, Eurardus item Archiepiscopus Senonensis.

880 | 400 Caroli Magni Monarchia in hæredes diversos diversa. Vid. Yepes.

881 | 401 De pluribus hujus temporis ex Ordine nostro Martyribus universim agitur.

882 | 402 Nortmannorum in Ecclesiam Dei furor, ut & Saracenorum in Italia irruptio describitur, infinitis per eosdem ex Ordine nostro Martyrio affectis.

883 | 403 Multi in Hispania per Saracenos Martyrio afficiuntur. Principia Monasterij S. Petri de Rocas Principia & successus Abbatiæ S. Isidori de Duennas.

884 | 404 Ingens multitudo Martyrum cum S. Berthario Casinensi Abbate.

885 | 405 Nordmanni devastant Galliæ Regnum. Clarent Goslinus Episcopus Parisiensis, Ansbaldus Abbas Prumiensis.

886 | 406 Prosequitur Yepes Nordmannorum in Gallias irruptionem. In unico Gemmeticensi Cænobio Martyrio sublati nongenti SS. Monachi.

887 | 407 S. Richarda Imperatrix Ordinem nostrum profitetur.

888 | 408 S. Rembertus noster moritur, succedit S. Adelgarius. Plura in Catalaunia Cænobia exædificantur per Wifredum Comitem de Barcellona S. MARIÆ de Ripot splendor & prærogativæ explicantur. Historia S. Imaginis Monserratensis, ejusque sacri loci & Monachorum præstantia prolixissimè celebratur.

889 | 409 Vngarorum irruptio memoratur.

890 | 410 Angelarius Abbas Casinensis fit Episcopus Theanensis, ei succedit Ragemprandus & Casinensium res comendantur Haderardo Abbate Hirsaugiæ felicitas prædicatur. Inter viros Ordinis illustriores: Salomon Episcopus Constantiensis Rupertus Monachus S. Albani, Amelricus Episcopus Spirensis, Adrebaldus Historicus Floriacensis. Sigismundus Episcopus Halberstattensis, Cuncigo Abbas Laurisensis, Herdericus Monachus Hirsaugiensis, &c. Inter genere illustriores celebrantur Ethelwida Alfredi Angliæ Regis uxor, Ethelsuida Merciorum Regina, & Hildegarda Ludovici Alemanniæ Regis filia, soror Caroli Crassi, Moniales.

891 | 411 Moritur Sunderoldus Moguntinus Archiepiscopus, succedit Hatho noster.

892 | 412 Plurimi Ordinis nostri Monachi maximè in Cænobio Prumiensi hoc anno à Nordmannis trucidantur, Rhegino fit Abbas Prumiensis.

893 | 413 Monasterium S. Salvatoris de Valdedios fundatur. Ecclesia Cathedralis Spirensis Canonicos Ordinis nostri habet.

894 | 414 Suatocopius Moraviæ Rex Monachum profitetur.

895 | 415 Concilium Triburiense celebratur, & viri illustres nostri eidem præsentes enumerantur.

896 | 416 S. Dionysij Episcopatus Mindensis Monasterium memoratur.

898 | 418 Claret S. Gennadius ex Abbate S. Petri de Montibus Episcopus Asturicensis. Plura ejus Diœceseos nostri Ordinis Cænobia nominantur.

nantur. Ecclesia Asturicensis Cathedralis à nostri Ordinis Monachis curatur.

899 419 S.Radbodus noster Episc. Vltrajectinus habetur clarissimus.

900 420 S.Fulco Archiepiscopus Rhemensis,& Martyr,effulget Plurima passim Cænobia fundantur: inter alia S. Vitalis apud Ravennates, S. Servatii in Lotharingia, & S. Salvatoris de Lorvela. Clarus S. Smaragdus Abbas.

901 421 Infiniti Monachi Martyres in D.Ioannis Messanæ in Sicilia. Fortunius II. Rex Navarræ Monachus Sanct. Salvatoris de Leyre clarissimus celebratur.

Ioannes IX. Pontif. Max. Monachus ordinis nostri.

902 422 Fundatur Sanct. Vincentii de Monsorte,& describitur. Fundatur item illustrissimum Cænobium S. Trudperti in Hercinia. Claret S.Grimbaldus Monachus S.Bertini. Plurimi Monasterii Nonantulani Monachi Martyres.

903 423 Moritur Ethelwida Regina, & Monialis. Monasterij de Algadese memoria.

904 424 Restauratum denuo Regale Cænobium Saguntinum.

906 426 Novaliciensis Cænobij splendor, & Bibliotheca celebratur.

907 427 Leonis V. & Christophori Romanorum Pontificum vitæ.

908 428 Insigne Cænobium Sanct. Stephani de Rivas del. Sil in Gallitia conditur. Eodem in Cænobio plurimi relicto Episcopatu vitam Monachicam amplexi sunt. Condita S.Salvatoris de Cinis, & S.MARIÆ de Ferreyra.

909 429 Clarus Sanct. Otgerus ex Monacho Corbeiæ Bremensis Archiepiscopus.

910 430 Huñi Monasteria plurima evertunt. Monasterium illud famosissimum S. Petri Cluniacense construitur: potentia, sanctitas, & dignitas prolixè commendatur. Ejusdem Cænobij viri sancti & illustres plurimi enumerantur.

911 431 Fundatur Monasterium S. Petri de Eslonca Regni Legionensis facile princeps. Conditum item Cænobium SS. Adriani, & Nataliæ in eodem Regno Legionensi.

912 432 Legendus Yepes de controversia super quorundam Cænobiorum fundatione.

613 433 Fundatum Monasterium S. Petri de Aureliaco, alias dictum Sanct. Giraldi.

914 434 Principia, & successus Monasterii S. Pauli Barcelonensis.

916 436 Conditum Cænobium S. Leocadiæ de Castannera ubi fuit Monachus S.Gennadius. Agitur de Episcopis Cixila, & Fruminio. Plurimi per diversas orbis partes ex Ordine viri illustrissimi exsplendescunt inter alios S. Gennadii Discipuli, & in Episcopatu successores, Fuertes, & Salomon viri spectatissimi, & meritis graves, Obecus Episcopus de Oviedo ex Monacho S. BENEDICTI Saguntino,&c.

917 437 S. Elfreda, & S.Elgida filiæ Eduardi Angliæ Regis, Moniales.

918 438 S. Winto noster Bremensis Archiepiscopus ex Monacho Corbeiensi Danorum, & Gothorum Apostolus. Principia insignis Monasterij S.Dominici de Silos, & splendor. Agitur fusè de S. Dominico Abbate, ejusq; miraculis.

920 440 Fundatur S.Martini de Albelda. Vita Abbatis Salij. Fundantur Monasterium S.Flori, exin Cathedrale.

921 441 Celebratur S.Guibertus fundator Monasterij Gemblacensis.

922 442 Conditum insigne Monasterium Beat. Mar. Virg. de Sobrado in Gallitia.

923 443 Monasterij de Santa Columba memoria.

924 444 Fundatio Monasterij S. MARIÆ de Pisca.

925 445 Celebratur memoria Monasterij S. Dictini Episcopi.

926 446 Principiũ Regni Alphonsi IV. Hisp. Regis, vulgo Monachi describitur.

Alphon-

927 | 447 Alphonsus Rex Hispaniæ Monachum profitetur.
928 | 448 Fundatur S. Claudij in Gallitia. Claret S. Hildebertus.
929 | 449 Plurimi per hæc tempora viri illustres ex Cænobiis maximè Laubiensi, & Hirsaugiensi, quos inter Hilduinus Archiepiscopus, Ratherius Diethmarus Hirsaugiæ Abbas, Theogerus Metensis Episcopus, Diethardus Hildesheimensis Episcopus, & S. Adelardus Monachus Hirsaugiensis celebrantur.
930 | 450 Vitæ insigniorum aliquot Reginarum, & filiarum Principum hoc tempore ex cucullo exsplendescentium breviter adnotantur. S. Eadgithæ S. Eadburgæ, S. Edelfredæ Alfredæ, & Algidæ Mathildæ Imperatricis, Mathildæ junioris Henrici Imp. filiæ, Mathildæ alterius. Otthonis I. filiæ. Elvitæ Ramiri II. Hispan. Regis filiæ, aliarumq;.
934 | 454 Status Ordinis atque orbis, depingitur. Nostrorum merita in conversione gentium. S. Æmiliani nostri octuaginta Maurorum millia trucidantis triumphus describitur.
935 | 455 S. Rosendus sive Rudesindus Episcopus Dumiensis claret Cellæ novę, Monasterium fundatur, ejusque præstantia.
936 | 456 S. Laurentij de Carguero describitur.
937 | 457 Bohemiæ conversio, & nostrorum merita prædicantur. S. Wenceslai Ducis Martyrium adnotatur.
938 | 458 Guntharius ex Monacho S. Emmerammi Episcopus Ratisponensis.
939 | 459 S. Gerardus Abbas Broniensis insignis ordinis restitutor, floret.
940 | 460 Illustrissimum Monasterium Magdeburgense conditur.
941 | 461 Vrsus Participatius ex Duce Venetorum Monachus.
942 | 462 Fundatio Monasterij S. Ioannis del Poyo in Gallitia, & splendor. Sanct. MARIÆ del Cambre conditus. Vita S. Hermoygij Episcopi Tudensis Ordinis nostri Monachi refertur.
943 | 463 S. Hermenegildus Monachus claret, adducunturque plura quæ ad reliquam Historiam faciunt.
944 | 464 S. Martini de Pinilla origo. S. Guillelmus II. Dux Normanniæ, restaurator Cænobii Gemmeticensis Monachus habitu, & voto noster. Fundatur celebre Cænobium Walciodorense. Moritur S. Odo Cluniacensis Abbas.
945 | 465 Hugonis Italiæ Imperatoris res gestæ, & Monachatus.
946 | 466 Vita S. Hunegundis Monialis absolutissimæ.
947 | 467 Restauratur Casinense Cænobium, ejusque Abbates.
948 | 468 Viri sanctitate, doctrina, & dignitatibus variis sublimes aliquot ex ordine recensentur; aliosque inter Gonzales Episcopus Legionensis, Sigerus Abbas Hirsaugiensis, Meginradus Monachus Hirsaugiensis, alter Hieronymus dictus, Witikindus Monachus scriptor egregius; plurimi item ex Ordine nostro Episcopi celebratissimi, quos inter Senonenses Archipræsules sibi proximè succedentes, Guillelmus ex Monacho S. Petri Vivi, Gerlanus ex S. Germani, & Hildemannus ex Dionysij Monasteriis. Clari item S. Helinwardus Episcopus Mindensis, S. Adon sive Odo Archiepiscopus Cantuariensis plures successive Episcopi Spirenses, S. Elphegus Episcopus Wintoniensis, Anno Wormaciensis, &c.
949 | 469 Artaldus noster Archiepiscopus Rhemensis insigni nominis fama celeberrimus.
950 | 470 Moritur Ramirus II. in Hispania sepultus in S. Salvatoris de Palaz. Celebre per hæc tempora Cænobium S. Martini de Albelda. Principia Monasterii Sanct. Prudentii in Hispan. quod primo nigrorum nunc Cistertiensium est.
951 | 471 Memorandum quid de Monasterio S. Martini de Alvelda.
952 | 472 Monasterium S. Martini de Castranneda restauratur.
953 | 473 S. Bruno Archiepiscopus Coloniensis plura condit Ordini nostro Cænobia quæ inter S. Pantaleonis & S. Martini.
954 | 474 Illustrissimus celebratur S. Majolus Abbas Cluniacensis.

S. Vdal-

955 | 475 S. Vdalricus Augustæ Episcopus voto ac habitu noster.
956 | 476 Admiranda S. Dunstani nostri Archiepiscopi referuntur gestæ.
957 | 477 S. Dunstani in repræhendendo Rege constantia, ac plura de eodem recitantur, &c.
958 | 478 Moritur S. Adon sive Odo Archiepiscopus Cantuariensis, vir zelosissimus pro Dei Ecclesia.
959 | 479 S. Dunstani vitæ reliqua pertexuntur.
960 | 480 S. Oswaldus Eboracensis Archiepiscopus laudatur. S. Ethelwoldus Episcopus Wintoniensis floret. Celebrantur aliquot concilia in Anglia per S. Dunstanum.
961 | 481 SS. Libutius, & Adelbertus Ruthenorum S. Adelbertus Sclavorum, Apostoli.
962 | 482 Aliquot Cænobiorum in Castilia meminit autor.
963 | 483 In Legionensi Vrbe ædificata S. Ioannis, & S. Petri, &c.
964 | 484 Fundatio S. Stephani de Ribas, & S. Vincentii de Pombeyo.
965 | 485 Vvilla Imperatrix monasticam profitetur.
966 | 486 Fundatio mirabilis. S. Michaelis in monte Caprasio.
967 | 487 Teresa Regina, Ordini nostro se devovet.
968 | 488 Duo Archiepiscopi Capuani Leo, & Gebertus Monachi Casinates; Ioannes item Abbas de Parma, Honestus Abbas Classensis, Bosoprimus Episcopus Merseburgensis, Adelbertus Archiepiscopus Magdeburgensis, Hugo Episcopus Cicicensis, Hattho Archiepiscopus Moguntinus, celebrantur.
969 | 489 Vivit S. Comes Osorius Gutierrez fundator Monasterii S. Salvatoris de Lorencana, & Monachus ibidem.
970 | 490 Moritur Comes Fernandus Gonzalez.
971 | 491 Fundatur S. BENEDICTI de Bages.
972 | 492 Conditum S. Andreæ de Ciruenna.
973 | 493 Otho I. Imp. moritur, multa Cænobia ædificantur.
974 | 494 Clarissima habetur S. Editha Regina monialis.
975 | 495 Agitur de Ecclesia S. Crucis in Ierusalem Romæ nostris inhabitanda concessa.
976 | 496 Monasterium S. Crucis Bergense construitur.
977 | 497 Moritur S. Rudesindus Dumiensis Episcopus. S. Senorina Abbatissa, claret. Fundantur S. Petri de Besalu, & Sanct. MARIÆ de serratex Monasteria.
978 | 498 Monasterium Monialium de Covarruvias ædificatur.
979 | 499 Illustrissimis sanctitatis radiis Germaniam implet Sanct. VVolfgangus.
980 | 500 Italiæ sancti aliquot illustres ex Ordine viri recensentur, Sanct. Romualdus, &c. Petershausen Cænobium Germaniæ ad Rhenum prope constantiam conditur. Super promissiones Ordini diversis Monasteriis à Deo factis pulchre disputatur.
981 | 501 De Conversione Regni Boemici agitur. Diethmarus ex Monacho primus Pragæ Episcopus, & secundus S. Adelbertus.
982 | 502 Sanct. Adelbertus mores Bohemorum ac impietatem graviter redarguit.
983 | 503 S. Adelbertus Romam atque inde Casinum proficiscitur. Vid. Yepes. S. Bonifacii Monasterium Romæ restauratur. S. Adelbertus in Bohemiam revertitur, dein in conversione Vngarorum strenuè laborat. Ex Vngaria in Poloniam usque excurrens, ex Polonia in Prussiam, illic Martyrio coronatur. De fundatione S. Georgii Majoris Venetiis agitur.
984 | 504 Spectatissimi Cænobii S. BENEDICTI de Padolitone initia celebrantur. Clarissimus effulget S. Medericus Abbas Eduensis.
985 | 505 Conditur insigne Cænobium Morervela in Episcopatu zamorensi. Agitur de vita SS. Froilani, & Atilani Abbatis, Fusius describitur excellentia Monasterii Morervelensis.

S. Petrus

966 | 506 S. Petrus Episcopus Compostellanus celebratur.
987 | 507 Varij successus in Italia, & Francia describuntur.
988 | 508 S. Lubentius Archiepiscopus Bremensis bene de Ecclesia meretur. Agitur rursum de Canonicis Monachis.
989 | 509 Agitur de fructu S. Adelberti nostri in Vngaria.
990 | 510 Plura ædificantur Cænobia; Fiscanense, &c.
S. MARIÆ de Carracedo illustrissimum Cænobium.
991 | 511 Herigerus Abbas Laubiensis. Adelboldus Episcopus Vltrajectensis, Osbertus Cantuariensis, aliique florent.
993 | 513 Clarissimum Sydus emicat S. Odilo Abbas Cluniacensis.
994 | 514 S. Ansfridus Vltrajectensis Episcopus celebratissimus.
995 | 515 Agitur de Canonicis Monachis Lindisfarnensibus, & Dunelmensibus.
996 | 516 Gregorius V. fit Summus Pontifex.
997 | 517 S. MARIÆ de Pomposia conditur, & S. Guidonis vita. Ioannes Abbas Casinensis vir sanctus claret.
998 | 518 Ioannes III. Abbas Casinensis insigniter prodest. S. Abbo Floriacensis vivit, ejusque Martyrium describitur.
999 | 519 Gerbertus Rhemensis, postea Summus Pontifex claret.
1000 | 520 In conversione Regni Vngarici laborat, præcipuè Anastasius Monach9. Fundatur Sanct. Martini in Pannonia potentissimum Monasterium.
1001 | 521 Principia, vitæ S. Romualdi referuntur.
1002 | 522 Moritur Otho III. Imper. succedit Henricus II. Plurima Romualdus fundat, & reformat Monasteria.
1003 | 523 Martyrium S. Petri Abbatis Sublacensis.
1004 | 524 Reformant ordinem, in Italia S. Romualdus in Gallia S. Odilo. Clarissimus S. Wilhelmus, Splendor fructuariæ.
1005 | 525 SS. Matthæus, Benedictus, Ioannes, &c. Martyrio coronantur.
1006 | 526 Sanct. Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus, & Martyr commendatur.
1007 | 527 Neoburgense in Germania Monasterium fundatur.
1008 | 528 Martyrium S. Brunonis Monachi nostri Archiep. Rusiæ. S. Bonifacii discipuli S. Romualdi Martyrium.
1009 | 529 S. Romualdi vitæ extrema, & mors felicissima. Camaldulensis Cænobii origo, & sanctitas.
1010 | 530 Otho Abbas S. Cucufatis à Mauris trucidatur.
1011 | 531 Monasterium S. Salvatoris de Onna, ejusque præstantia.
1012 | 532 S. MARIÆ Tuitiense fundatur. Agitur de Monasterio SS. Vdalrici & Affræ in Vrbe Augustana.
1013 | 533 S. MARIÆ Othmarsheimense, & S. Sebastiani in Guipuzcua.
1014 | 534 S. Bernwardus Episcopus Hildesheimensis claret.
1015 | 535 D. Michaelis Bambergense Monasterium, exstruitur.
1016 | 536 S. Simeon Monachus S. BENEDICTI de Padolirone claret. Arduinus Lombardiæ Rex ordinem nostrum profitetur.
1017 | 537 Eluira Veremundi II. Regis uxor cucullo exsplendescit.
1018 | 538 Diethmarus Episcopus Mersburgensis Historicus moritur.
1019 | 539 Vivit S. Olbertus Abbas Gemblacensis. Condita S. Laurentii, & S. Iacobi Lugduni Cænobia.
1020 | 540 Reformat plurima Cænobia S. Poppo. Fundatur S. Eadmundi Regis in Anglia.
1021 | 541 S. Andreæ Monasterium in Civitate Cambray.
1022 | 542 S. Henricus Imper. à S. P. N. calculi dolore liberatur. Celebrantur Athenulphus, & Theobaldus Abbates Casinates.
1023 | 543 Erbo Moguntinus Archiepiscopus celebrat Concilium Seligenstadiense, cui plurimi ex nostris Episcop. & Abbates intersunt. Celebrātur Meginfred. insignis Historic9, Meginfred. item alius ex Mo-

nacho S. Burcardi Herbipoli Archiepiſcopus Magdeburgenſis ſextus vel ſeptimus (videndus hic Yepes de primis ejusdem ſedis Archiepiſcopis omnibus ex noſtro aſſumptis) Warmanus Epiſcopus Conſtantienſis, Suno Epiſcopus Werdenſis, Egelnotus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Elias Scotus Abbas S. Pantaleonis Coloniæ Gauzlinus Archiepiſcopus Bituricenſis, Sanctius Epiſcopus Pampilonenſis. Sampirus Epiſcopus Aſturicenſis, Theodericus Treverenſis Monachus, & Theodorus uterque ex D. Matthiæ Cænobio, Berno Abbas Augiæ, Helpericus S. Galli Monachus, &c. De quibus legendus hoc anno Yepes, &c. Guido Aretinus Monachus noſter artis Muſicæ cum notis inventor clariſſimus habetur.

1024 544 S. Salvatoris de Corneliana fundatur per Chriſtinam filiam Veremundi Regis.

1025 545 Vita deſcribitur S. Chunegundis Imperatricis Monialis S. Crucis Confugienſis. Guilielmus III. Dux Aquitaniæ Monachum induit in S. Cypriani Pictavienſis Cænobio.

1026 546 S. Bononius Monachus S. Stephani de Bononia ingenti merito claret, qui S. P. N. Benedicti ordinem per Ægypti deſerta & alibi latiſſimè propagavit.

1027 547 S. Crucis Limburgenſe illuſtriſſimum in Spirenſi Epiſcopatu Cænobium conditur. Monaſterij Murenſis in Helvetia principia.

1028 548 S. Winoci Bergenſe in Flandria extruitur.

1029 549 S. Aniani in Galliis conſecratio & initia memorantur.

1030 550 S. Ioannes Gualbertus vir ſanctiſſimus, inſtituit Congregationem Ordinis noſtri celeberrimā Vallumbroſā, de qua fuſius aliquot capitibus tractatur. Claret S. Gothardus noſter Hildeſheimenſ. Epiſcopus, fundator Monaſterii S. Bartholomæi ejusdem Vrbis, Floret item S. Guntherus Altahenſis Monachus Eremita in Bohemia.

1031 551 Status Mundi, & Ordinis noſtri deſcribitur. S. Caſimirus Princeps Poloniæ cucullum induit in Monaſterio Cluniacenſi, atque poſt ſeptennium, annuente Romano Pontifice ad Regnum Poloniæ extractus illud feliciſſimè adminiſtravit. Fundatur S. Dominici Sorenſe in Italia Monaſterium.

1032 552 Monaſterij S. Ioannis de Corias principia.

1033 553 Fundatio Abbatiæ S. Salvatoris de Chantada. Moritur Robertus Galliarum Rex.

1034 554 Moritur Sancius Rex Hiſpan. ſepultus in noſtro Sanct. Salvatoris de Onna.

1035 555 Vita S. Simeonis Monachi Recluſi.

1036 556 Caſinatis Monaſterii eventus deſcribuntur.

1037 557 Moritur Veremundus III. Caſtellæ Rex.

1038 558 Richerius Abbas fit Caſſinenſis. Videndus Yepes de mirandis prodigiis S. P. N. Benedicti. Moritur ſanctiſſimus Vngarorum Rex Stephanus, ejusque. Vxor Regina Giſala cucullum amplectitur. S. Gerardus Vngarorum Apoſtolus inſigniter meretur.

1039 559 S. Bardo Archiepiſc. Moguntin. Meginfred. Archiepiſc. Magdeburgenſis Rudolph. Epiſc. Paderbornenſ. Bruno Mindenſ. Regimbald. Spirenſis Halicardus Pragenſis, Drogo Tarvanenſis, Garſias Arragonenſis, Garſias alius ex Abbate S. Æmiliani Epiſcopus, Froillanus & Arrianus Epiſcopi de Oviedo, Cyprianus Epiſcopus Legionenſis, aliique plures: recluſi item Ordinis noſtri ſanctiſſimi aliquot ſummopere celebrantur.

1040 560 Fundatio Monaſterij de Vendoſma, & ſplendor.

Eberſpergenſis Sanct. Sebaſtiani in Bavaria Cænobij res compendio relatæ.

1041 561 Reædificatur per hæc tempora Monaſterium S. Crucis de Bordeaux.

1042 562 Monaſterii Caſæ Dei origo, & Sanct. Roberti vitæ præſtantia commendatur.

Mona-

1043 | 563 Monasterium S. Andreæ de Espinareda, & Monasterium S. Nicolai de litore Venetiis, conduntur.
1044 | 564 Monasterium Selestadiense in Alsatia conditur.
1045 | 565 S. Bartholomæi Heidelbergæ fundatur.
1046 | 566 Moritur Gregorius VI. Pont. Max.
1047 | 567 Insigne Cænobium S. Zoili exædificatur. Agitur de Felice de Carrion. Alcalensi, Vid. de hoc Cænobio Yepes.
1048 | 568 Hugo Magnus eligitur Abbas Cluniacensis. Marciniacense Monasterium fundatur.
1049 | 569 Bruno ex Monacho Tullensis Episcopus, fit summus Pontifex.
1050 | 570 Admirandæ sanctitatis fama celebratur S. Alferius Abbas. Fundatum Cænobium illud famosissimum & sanctissimum Sanctæ Trinitatis Cavæ, à quo, principium etiam petendum militaris Ordinis præstantissimi Equitum S. Ioannis, Vid. Yepes.
1051 | 571 S. Bardo Archiepiscopus Moguntinus, Heribertus Episcopus Altisiodorensis, Anselmus Monachus Rhemensis, Aaron Abbas S. Pantaleonis Coloniæ, Aaron Episcopus Cracoviensis, Paulus Senonensis, Algerus Corbeiensis, Algerus Cluniacensis, &c.
1052 | 572 Principia potentissimi Imperialis Schafhusani ad Rhenum Cænobij. Principium item S. MARIÆ la Real in Civitate Najaria in Hispan. cujus Monasterij præstantia fusè describitur.
1053 | 573 Clarissimus habetur S. Procopius Monachus.
1054 | 574 Hermannus Contractus Monachus claret. Humbertus S. Leonis IX. in Orientem Legatus meritissimus. Agitur de Friderico Cancellario Summi Pont. & S.R.E. Cardinale, ad Imp. etiam Constantinop. legato, ac dein Cassini Monachum professo.
1055 | 575 Florentissimus Cassini status, S. Petro Abbate.
1056 | 576 Fridericus de quo superius Card. dein Monachus, eligitur Abbas Casinensis.
1057 | 577 Fundatur Conventrense Monasterium, idemque Ecclesia Cathedralis. Fridericus Abbas, Casinensis eligitur Pontifex Maximus.
1058 | 578 S. Petri Damiani nostri vitę principium narratur. Sanct. Crucis de Fonte Avellanæ Monasterii laudes. Vita S. Dominici Loricati pœnitentium miraculi.
1059 | 579 Hirsfeldensis Monasterii Vniversitas seu Scholæ commendantur.
1060 | 580 Guitmundus Archiepiscopus Aversanus, Luipoldus Archiepiscopus Moguntinus, Sigefridusque ejus successor, Aldelbertus Limburgius Episcopus Herbipolensis, Eimardus Episcopus Spirensis, Drogo Episcopus Morinorum, Godebaldus Episcopus Trajectensis, Sanct. Maurilius Archiepiscopus Rothomagensis, Hugo Antisiodorensis Episcopus, Heribertus item Antisiodorensis, Angelricus Archiepiscopus Lindisfarnensis Aldredus Monachus Wintoniensis, dein electus Archiepiscopus Eboracensis, aliique ex nostris Clarissimi.
1061 | 581 Prædicatur S. Wulstannus Episcopus Wigorniensis.
1062 | 582 S. Ioannis de Penna Monasterium laudatur, ex quo ordinariè assumpti Aragoniæ Episcopi.
1063 | 583 S. Alvitus Episcopus Legionensis, & S. Ordonius Asturicensis, Dominicus Abbas S. Sebastiani de Silos, celebrantur. Agitur etiam de gestis S. Garziæ Abbatis S. Petri de Arlanca.
1064 | 584 S. Anno Archiepiscopus Coloniensis. Sigebergense Monast. fundat. Agitur de S. Norberto Præmonstratensium Fundatore.
1065 | 585 S. Agnes Imperatrix Cucullum induit, item Sancia Regina Castellæ Fundatum Mesinense Cænobium. Conditum item Oetelstettense Monasterium.
1066 | 586 Vita S. Desiderij Abbatis Casinensis describitur, multi Casinates aliiq; celebrantur.
1067 | 587 Guillielmus Rex Angliæ fundat Monasteria S. Martini de la Batalla & S. Stephani Cadomense.

1068 588 Fridericus Abbas Hirsaugiensis vir innocentissimus deponitur.

1069 589 Magnus ille & Sanctissimus Guilhelmus Abbas Hirsaugiensis instituitur. Clarus S. Goderannus ex Monacho Cluniacensi Episcopus Maleacensis.

1070 590 S. Lanfrancus eximium Ecclesiæ sydus celebratur Monasterium Hasnoniense S. Eneconis Abbatis vita.

1071 591 S. Dionysij de Banto in Franconia, S. item Martini Sarisburiense. Sanct. MARIÆ de Hohenwart, Garstense, Gotwicense, Elsembacense, & S. Albani Alciacense monasteria fundantur. Alphonsus VI. Rex Hispaniæ Monachum induit in Sacro-Sanct. Primitivi & Facundi Monasterio.

1072 592 Mortuo S. Petro Damiani pari sanctitate Monachus in ejus locum S. R. E. Card. sufficitur S. Gerardus. Elucescit ingenti sanctitatis fulgore S. Anselmus noster Lucensis Episcopus, S. Victoris Massiliæ Splendor ac dignitas commendatur.

1073 593 Vita Sanct. Gregorij VII. antea Hildebrandi Monachi Cluniacensis aliquot capitibus compræhenditur. Aliquot ab ipso creatorum ex Ordine nostro S. R. E. Cardinalium elogia subtexuntur.

1074 594 Plura per Germaniam Cænobia ædificantur, & S. Blasij in Hercinia excellentia describitur.

1075 595 Petrus de Roda Episcopus Pampilonensis ex Monacho S. Petri de Tomeras. Claræ habentur Cæcilia & Athela filię Guilielmi Anglorum Regis Moniales. Fundatum S. Petri de las Duenas Monasterium insigne Monialium.

1076 596 Monasterij S. Fructuosi illustris memoria. Condita in Hispania plura Cænobia, inter quæ S. Antonini de Torques, S. Torquati de Yrestosa, S. Mariæ de Seros &c. Vita S. Sisehuti Abbatis subjicitur. Vivit item S. Stephanus. Fundatur Congregationis Ordinis nostri illustrissimæ Grandimontēsis, cujus dignitas & pręstantia describitur multis.

1077 597 Plurima per Catalauniam Cænobia reformantur, & in Bavaria exstruuntur.

1078 598 Salomon Vngariæ Rex Monasticum habitum ante mortem assumit. De aliquot Vngariæ Cænobiis tractatur.

1079 599 Historia celeberrimi monasterij S. Martini à Campis refertur. Monasterium S. Salvatoris Aquiscincti conditum.

1080 600 Plurima passim rursus ædificantur Cænobia, & reformantur.

1081 601 Fundatur S. Trinitatis Monasterium Dumfermilingense in Scotia. Claret Turgotus ex Monacho Archiepiscopus in Scotia. Marianus Scotus Monachus Historicus celebris habetur.

1082 602 Vita Sanct. Hugonis Episcopi Gratianopolitani Monachi Casæ DEI recitatur. Sanct. Petrus Rudolfus quintus Prior Camaldulensium floret.

1083 603 Monasterium Affligemiense in Brabantia conditur. Cænobium Sanct. MARIÆ Luxemburgense ædificatur.

1084 604 S. Arnulphus Abbas S. Medardi Episcopus Suessionensis in Gallia vivit. Pacem inter diffidentes conciliat & optime meretur.

1085 605 S. Colmanni Mellicense in Austria Monasterium celebratur. Cathedralis Toletana Ecclesia Monachorum fuisse perhibetur. In eadem Vrbe celebrantur plura ordinis nostri Cænobia, S. Petri de las Duenas, S. Servandi, Monasterium S. Salvatoris de Pennafiel, S. Victoris de Marsella, S. Dominici de Silos.

1086 606 Bernardus Abbas Saguntinus, exin pulsis Mauris primus Archiepiscopus Toletanus laudatur. Claret item Monachus Moysiacensis in Gallia Archiepiscopus Bracarensis in Portugallia Item S. Petrus ex Monacho Ord. nostri Episcopus Olmensis. Desiderius Abbas Casinensis electus Pontifex multo tempore renititur.

1087 607 Acceptat tandem Desiderius Pontificatum dictus Victor III. Vide miraculosam S. Petri Casinum properantis apparitionem apud Yepes.

Yepes. Clarus item Oderisius Abbas Casinensis Sanct. Rom. Eccl. Cardinal.

1088 608 Moritur Victor III. succedit Ottho Cardin. Episcopus Ostiensis Cluniacensis Monachus vir sanctissimus, cujus res gestæ fusius narrantur, S. Bernardus Vberti S. R. E. Cardinalis miraculis illustrissimus. Vallumbrosanæ Congregationis sanctitas, & laudes referuntur.

1089 609 Gebhardus Episcopus Constantiensis Monachus Hirsaugiensis, legatus per universam Germaniam officio suo præclarissimè fungitur. Ruthardus sive Richardus ex Monacho S. Petri Erdfordensis Archiepiscopus Moguntinus, multa pro Ecclesia Dei patitur. Idem fundat Monasterium S. Ioannis Richaugiense.

1090 610 Inter viros ordinis maximos maximi fiunt hoc tempore S. Altmannus Episcopus Pataviensis, & S. Thiemo Archiepiscopus Saliburgensis, & Martyr.

1091 611 Clarissimus Gebhardus Abbas Hirsaugiensis ac dein Episcopus Spirensis, S. Ioannis de Burgos Cænobij potentissimi principia memorantur, cujus primus Abbas Sanct. Adelelmus, ejusque res gestæ prolixius laudantur.

1092 612 Catanensis Cathedralis Ecclesia in Sicilia fundatur pro ordinis nostri Monachis. De quo consulendus Yepes hoc anno.

1093 613 Magnus, & sanctissimus ille Anselmus ex Monacho Beccensi Archiepiscopus Cantuariensis celeberrimus habetur.

1094 614 Hieronymus de Petragoras amplissimis meritis, & fame longè latèque notissimus effulget, ex ordinis nostri Monacho Episcopus Valentinus, & Salmaticensis. Dalmachius ex Monacho Cluniacensi Episcopus Compostellanus, Sanct. Imperatricis Adelheidis res gestæ, & professio Monachismi referuntur.

1095 615 Plura per Germaniam struuntur Cænobia. Neresheymense, Blaubyrense, &c. Memorantur item ædificata, seu restituta S. Martini Tornacense. S. Adriani, S. Iacobi de Pontida, &c.

1096 616 Rursum plura passim Monasteria condita: S. Georgij Ysnense, S. MARIÆ Forestense, Reinhausense, &c. Plura de Petro Eremitano nostri Ordinis Monacho exercitus Christiani in Palæstinam ductore afferuntur hoc anno. Videnda lectu dignissima de Psalterio B. M. V. ejusque usu propagato per nostros.

1097 617 Meritissimus de Romana Ecclesia Godefridus Abbas S. Trinitatis de Vandosima, cui datum ut & ipsi successores ejusdem Cænobii Abbates omnes eo ipso S.R.E. Cardinales essent.

1098 618 Principium illustrissimæ Abbatiæ Cisterciensis. Describitur status Ordinis nostri universim. Vita S. Roberti nostri primi Molismensis, & Cisterciensis Monasteriorum Abbatis multis describitur.

1099 619 De supremis: S. Roberti vitæ annis, & de Monachis Molismensibus agitur, S. Albericus II. Cistercii Abbas vir eximia sanctitate clarissimus aliquot nostri Ordinis Cænobia Ierosolymis condita: Plura item per universam Palestinam præcipuè in valle Iosaphat propè sepulchrum B.V.M. &c.

Viros inter ordinis illustres plurimi hoc tempore floruerunt, ex uno, sanè Cluniacensi Cænobio non pauci, cum maximis quibusque conferendi.

Guido Comes Matisconensis, Hugo Dux Burgundiæ, Luitolfus Comes, Albertus comes contemptu sæculi gloriosissimi, &c.

Celebrantur eodem tempore Hildebertus Archiepiscopus Turonensis. Peregrinus Monachus Hirsaugiensis. Gaufredus de Malaterra Historicus præstantissimus.

Fundantur aliquot per Germaniam ordinis nostri Monasteria, Augia Brigantina-Wiblinga, S. Crucis Donawerdense.

Moritur Sanct. Vrbanus noster II. Pontif. Maximilian. rursumque ex Monasterio Cluniacensi Monachus ad eundem summi honoris

noris apicem evehitur Raynerus, appellatus Paschalis II. vir meritissimus.

1100 620 Monasterium sanctissimum atque celeberrimum Fontis Ebraldi conditũ, à quo illustrissimæ congregationi Fontis Ebraldi nomen fluxit, & origo, Vid. Yepes.

Relatio insignis Monasterij S. MARIÆ de la Serrana, & Historia Fontis Ebraldi continuatur.

1101 621 Martyrij corona hoc anno donatur Sanctissimus Episcopus Monacho Hirsaugiensi Thiemo.

1102 622 Vita S. Otthonis Bambergensis Episcopi Pomeranorum Apostoli, à S. Otthone fundata Monasteria plurima numerantur; cumque relicto Episcopatu ad professionem Monachismi properaret, & obedientiam Abbati S. Michaëlis promisisset Abbas per obedientiæ eiusdem virtutem eidem præcepit (cum grave imminere Episcopatui malum metueret) ut Episcopus esse & prodesse pergeret. Inde sequuta Pomeranorum conversio, & plura ex obedientia Otthonis bona.

1103 623 Corpus Magni, & Sanctissimi illius Antonii Anchoretæ, ex Ægypto translatum in Gallias, plurimis annis apud nostros quievit, & curatum fuit.

Initia ordinis Equestris celeberrimi Equitum S. Ioannis Baptistæ, qui Originem suam nostris debent, cujus ordinis incrementa, & splendor describuntur.

1104 624 Claret sanctissimus Ordinis nostri Episcopus Ambianens Godefridus ex Monacho S. Quintini.

1105 625 Moritur B. Odorisius S. R. E. Card. & Abbas Casinensis, cui succedit Ottho ex comitibus Fundensibusque Monachus Casinas.

Plures ex ordine nostro ad Cardinalitium honorem à Paschale II. assumpti numerantur. Magnus & Sanctissimus Anagniensium Episcopus Petrus ex Monacho S. BENEDICTI Salernit. celebratur.

Vita S. Brunonis Hirsaugiæ Abbatis describitur.

1106 626 Monasterii Floriacensis cum Casinensi de Corpore Sanct. P. N. controversia.

1107 627 S. Bruno Episcopus Signiensis & Abbas Casinensis egregia fulget sanctitate. Principia celeberrimi Dunensis in Flandria Monasterij.

Varia per orbem exstruuntur Ordinis nostri, Cænobia, S. Walpurgæ in Diœcesi Argentinensi. S. MARIÆ Scheurense, Kuebacense, Malastorfense, Cortebergense, Vitringenle, Sanct. Paulinæ in finibus Thuringiæ.

1108 628 Moritur S. Albericus II. Abbas Cisterciensis, eligiturque Abbas tertius S. Stephanus idem primus Generalis Cisterciensis.

Cisterciensis congregatio in tantum crescit, ut toto passim orbe plurima construantur Cænobia.

1109 629 S. Anselmi præstantissimi Ecclesiæ Doctoris vita multis capitib9 describitur, & de asserta ab eodem immaculata conceptione multa irrefragabilia adducuntur. Item de Festo Conceptionis ab eodem in Ecclesia, & provincia Cantuariensi instituto agitur Moritur Magnus ille & sanctissimus Hugo Cluniacensis Abbas, cui succedit Pontius. Moritur Alphonsus VI. Hisp. Rex, à Cluniacensis Monachis tormentis purgatorii ignis ereptus.

Illustrissimum Monasterium Sanct. Clementis Toleti conditur & laudatur.

1110 630 Insigni nominis fama plurimi ex ordine florent, exque iis præcipuè Hugo junior S. Magni Hugonis consobrinus, Duardus de Bredon, Goderannus, S. Morandus, Sigebertus Gemblacensis, Gozelinus Monachus S. Bertini, Franco scriptor egregius, Balduinus ex Comite Flandriæ Monachus S. Bertini &c.

1111 631 Girardus eligitur Abbas Casinensis, & successus Casini describuntur.

1112 632 De S. Disibodi Monasterii restauratione agitur.

Sanct.

1113 633 S. Bernardi Melliflui Doctoris nostri vitæ Principia referuntur.
Fundatur Sanct. MARIÆ de Firmitate Cænobium, prima filia Cistercij.

1114 634 Pontiniacensis Abbatia conditur, secunda Cistercii filia.
Major Prior Camaldulensis totius sanctissimæ Congregationis Generalis instituitur.

1115 635 Fundatur illustrissimum Claræuallense Monasterium, ejusque Abbas primus instituitur S. Bernardus, de cujus vita pluribus agitur.
Sanct. MARIÆ de Morimundo conditur, ejusque excellentia commendatur.

1116 636 Raynaldus Archiepiscopus Lugdunensis clarissimus ex Monacho Cluniacensi. Virorum ex Ordine illustrissimum numerus multus profertur; inter quos Rodulphus Archiepiscopus Cantuariensis, Vdalricus Episcopus Constantiensis, Arnolphus Episcopus Spirensis. Elbo Episcopus Wormaciensis, &c. Clarus item Honorius Augustodunensis Monachus doctissimus scriptis relictis immortalis. Eadmundus item Monachus Cantuariensis, Erebertus Monachus Cluniacensis, &c.

1117 637 Fundantur plura per Alemanniam Cænobia Vid. Yepes.

1118 638 Condita item plurima pro Congregatione Cisterciensium Monasteria.
Moritur S. Paschalis II. Pont. Maxim. succedit Gelasius II. Casinensis Monachus cujus vita describitur.

1119 639 Moritur S. Gelasius II. in Cænobio Cluniacensi; cui rursum ex ordine nostro succedit Calixtus II. cujus res summa cum laude & nominis immortalitate feliciter gestæ referuntur. Vita S. Turstini, sive Turstani nostri Archiepiscopi Eboracensis describitur.

1120 640 Præmonstratensis Ordo per S. Nobertum instituitur, cui sancto, ut & ipsius Ordini nostri summopere faventes, & inprimis S. Bernardus, ejusdem Instituti Viris insigniter benefecerunt. Ioannis de Cirita primi in Portugallia Cisterciensis Congregationis Monachi præstantissimi vita contexitur.
S. Ioannis de Tarouca in Portugallia fundatur & commendatur.

1121 641 Claret Sanct. Erminoldus Abbas Pruseningensis. Moritur Bruno Abbas Hirsaugiensis & succedit Volmarus. Plura passim Monasteria ædificantur.

1122 642 Rursum multa plurimis locis Cęnobia fundantur, quæ inter Carcer Religionis de quo consulendus Trithemius.
Oderisius II. Abbas Casinensis, sub quo Casinenses Ordinem in Dalmatia promovent. Vita S. Petri Mauritij, vulgo Abbatis Venerabilis Cluniacensium describitur.

1124 644 Mittit suorum Colonias in Hispanias usque S. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis.
Fundatur S. MARIÆ Sponheymense Cænobium.

1125 645 Clarissimus habetur S. Matthæus ex Monacho Cluniacensi Sanct. R. E. Cardinalis Albanensis.

1126 646 Fundatum S. MARIÆ Ebracense Monasterium prope Herbipolim. Monasterium plurima fundata. S. Martini Anhusense, Edelstetten, Elchingense, &c.

1127 647 Igniacense Monasterium exstruitur.
Celebrantur S. Humbertus, & S. Guerricus.

1128 648 Raymundus ex Monacho nostro Archiepiscopus Toletanus præcipuè commendatur. Theodoricus Dux Lotharingiæ potentissimus relicto Ducatu fit Monachus Metelocensis.

1129 649 Vita Sanct. Guilielmi Abbatis apud D. Theodorici refertur. Plurima struuntur Cænobia & floret inprimis S. Vivina Abbatissa Bigardiæ Majoris. Celebrantur inter alios ex Ordine spectatissimos Sigefridus Monachus Glasconiensis, Rupertus Abbas Limburgensis, Rudolfus

Abbas S. Trudonis, Lucas Abbas Montis S. Cornelij, Guilielmus Malmesburiensis, Elmerus Monachus Cantuariensis Cuno Abbas Sigebergensis, &c. Illustrissimus item exsplendescit B. Rupertus Tuitiensis, &c.

1130 650 Vitæ gesta recensentur Innocentii II. ex Monacho Ordinis nostri Pontificis Maximi. Plures ab eodem ex Ordine Cardinales Sanct. R. E. assumpti. S. Bernardus insigniter de Ecclesia meretur.

1131 651 S. MARIÆ Aurea Vallis conditur. Moritur Stephanus Vngariæ Rex paulo ante mortem cucullum amplexus.

1132 652 Cisterciensium plura Cænobia exædificantur S. Aybertus Crispiniensis Monachus vir sanctissimus celebris habetur.

1133 653 Raynaldus IV. Cistercij Abbas & secundus Generalis Cisterc. eligitur. Rursum multa Cisterciensibus struuntur Monasteria. Moritur S. Bernardus Vberti septimus Generalis Vallumbrosanus cui succedit S. Atto vel Ottho Generalis octavus, de quibus Yepes.

1134 654 Concilium Pisanum celebratur, cui intersunt præcipua Ordinis lumina SS. Petrus Venerabilis, & Bernardus mellifluus. Ramirus ex Monacho Ordinis nostri extrahitur ad Regnum.

1135 655 S. Bernardi in Aquitania res gestæ, & Conversio S. Guilielmi Aquitaniæ Ducis memoratur. Opera S. Bernardi seu scripta commendantur, & enumerantur.

1136 656 Sugerij Abbatis Sandionysiani virtus & facta celebrantur, qui per absentiam Regnum administravit: & SS. Bernardo & Petro dilectissimus fuit. Aliquot Reges Ordinem nostrum profitentur cucullum pro purpura amplexi.

1137 657 S. Bernardus clarissimè de Ecclesia meretur & altera vice Romam proficiscitur. Iterum plura pro Congregatione Cisterciensi Monasteria excitantur vita S. Gerardi germani S. Bernardi describitur. Regalis Cænobii Dominæ nostræ de Ossera in Gallitia ponuntur principia. Item conditur insigne Monasterium Vallis paradysi, à Rege Alphonso.

1138 658 S. Bernardus in Gallia strenuè laborat, & optimè meretur. Theobaldus ex Abbate Beccensi fit Archiepiscopus Cantuariensis. Rursum multa Cisterciensibus Asceteria exædificantur Status Cænobij Casinensis sub Rainaldo Abbate, ac dein S. R. E. Cardinale describitur.

1139 659 Concilium Lateranense celebratur, in quo multa in causa Monachorum sancita S. Bernardus insignis Catholicæ contra Hæreticos propugnator.

1140 660 Monasterium Scotorum Herbipoli fundatum, cujus primus Abbas Macharius Magno illi Machario meritissimo jure comparatur. Fundatur item S. Egidij Monasterium Norinbergæ amplissimum & potentissimum. Fundata item alia nostri Ordinis Monasteria hoc ipso tempore, de quibus duobus capitibus agit Yepes. Prolixius vero describitur fundatio insignis Monasterii S. MARIÆ de Fitero, in Regno Navarræ.

1141 661 In Cænobio Montis salutis plurima miracula operatur Beat. Virg. MARIA.

1142 662 Congregatio nova Ordinis nostri Montis Virginis sumit initium, atque mirum in modum efflorescit. Vita S. Donati ejusdem Congregationis Monachi proponitur. S. MARIÆ de Monte Rami, atque alia plura Congregationis Cisterciensis Monasteria exstruuntur.

1143 663 Monasterium S. Petri de la Espina à Sancia Sorore Alphonsi Regis VII. conditur, quod & laudatur prolixius Insigne Collegium S. Vincentii Salmanticæ, quod erat antea Canonicorum Regularium ab Alphonso Imperatore Hispaniarum donatur Cluniacensi Monasterio, & Canonici ibidem nostrum Ordinem profitentur. Illud ipsum multis describitur.

1144 664 Rursum multa Cænobia exstructa, præcipuè Sanct. MARIÆ Hortense & Sanct.

& Sanct. MARIÆ de Valbuena. Claret Sanct. Martinus Hortensis, &c.

1145 665 Eugenius Tertius ex Monacho Cisterciensi fit Pontifex Maximus. Idem Eugenius multos ex Ordine ad summam Cardinalitii honoris sublimitatem provehit, qui enumerantur.

1146 666 Eugenius promovet indefesse profectionem sive expeditionem in terram sanctam in quo negotio strenuè etiam laborat S. Bernardus. Fundatum Monasterium S.. MARIÆ de Vervela.

1147 667 Plurimis miraculis coruscat S. Bernardus Abbas Clarissimus: celebratur ob eximiam sanctitatem S. Eberhardus ex Abbate Biburgensi Salisburgensis Archiepiscopus.

1148 668 Describitur vita S. Malachiæ nostri Archiepiscopi Hiberniæ. Condita Regalis Abbatia S. MARIÆ de Alcobaca in Portugallia, cujus præclara laus texitur. Res Hiberniæ ad intelligentiam reliquę Historiæ pertinentes tractantur.

1149 669 Fit Monachus Clarævallis Henricus Regis Galliarum germanus.

1150 670 Sanct. Hildegardis Abbatissa S. Ruperti revelationibus Divinis illustrissima.

1151 671 Memoria rerum Cisterciensium & inprimis S. MARIÆ de Bellmonte. Gratianus Monachus noster hoc anno publice Ius Canonicum in Vniversitate Boloniensi profitetur.

1152 672 Gozuvinus V. Abbas Cisterciensis claret. Fundantur Monasteria Sanct. Crucis, & de Roda, illud in Catalaunia, hoc in Aragonia, S. Elisabeth Schœnaugiensis, prophetiæ spiritu insignis celebratur.

1153 673 Moritur Eugenius III. Summus Pontifex, & laudatur idem & S. Bernardus Mellifluus, succedit S. Robertus ex Abbate Dunensi. Plures insigni sanctitate viri tempore S. Bernardi in Claravalle, S. MARIÆ de Poblete fundatur, & alia plura Monasteria.

1154 674 Electus Adrianus IV. Tractantur res Scoticæ in ordine ad Historiam. Diversis Congregationibus plurimi ex Ordine viri illustres numerantur. Godescalcus Episcopus Atreb. Henricus Saxo, Theobaldus Anglus, Guido Episcopus Beluacensis, &c. alij dein ex Camaldul. & Vallumbrosanis plurimi. Fundatio S. MARIÆ de Salzeda in Portugallia.

1151 675 Lambertus fit Abbas Cisterciensis: florent in Congregatione viri insignes.

1156 676 Militum de Alcantara, sive S. Iuliani primordia sub S. Regula nostra, eorum splendor & merita describuntur.

1157 677 Moritur Sanct. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, succedit Hugo III.

1158 678 Ordo celeberrimus Equitum Calatravæ sub Regula nostra institutus laudatur.

1159 679 B. Ottho Frisingensis, ex Monacho Cistercij Episcopus Frisingensis floret, S. Roberti Angli Abbatis Cisterciensis vita describitur. Fit Pontif. Max. Alexander III. qui diversos ex Ordine creat Cardinales.

1160 680 S. Petrus de Tarantasia Archiepiscopus ex Monacho Cisterciensi celebratur. S. Amatus Episcopus de Nusco ex Monacho Montis virginis claret.

1161 681 S. Fastradus Septimus Abbas Cistercii eligitur, de cujus vita Yepes plura. Cisterciensium ingens pro Alexandro legitimo Papa Constantia commendatur, S. Eskilus Archiepiscopus Lugdunensis fit Monachus Cisterciensis.

1162 682 Principia Equestris Ordinis de Avis. Profitetur Monachum Alcobatiæ Petrus Alphonsi Portugalliæ Regis Frater. Fundatur S. MARIÆ de Ruete.

1163 683 Fundatur Monasterium S. P. N. BENEDICTI de castro illustrissimum quod multis commendatur.

Describitur

1164 | 684 Describitur vita Henrici Monachi Cluniacensis Episcopi Wintoniensis in Anglia. Stephani Comitis Blesensium filii, Regis Anglorum nepotis, de cujus meritis fusè agit Yepes, ut & de fratre ejusdem Theobaldo. Obiit Henricus prophetiæ spiritu clarus Anno 1171.

*Hucusque meritissimus de Ecclesia universa, & sanctissimo inprimis Ordine nostro Antonius de Yepes. Historicus Regius, morte immatura nobis præreptus, sed cælo maturus, æterna sui nominis memoria in terris etiam immortalis.*

# CHRONOLOGIÆ BENEDICTINÆ
## LIBRI PRÆSENTIS, COMPENDIUM Authore R. P. D. GABRIELE BUCELINO.

A.C. | S.P.N.

480 | 1 *Afflictissimo Reip. Christianæ statu, malis deploratissimis medicus nascitur S.P.N. Benedictus.*

486 | 7 *Puer septuennis Benedictus Romam ad studia mittitur, & S. Felici Papæ commendatur, ubi impensè colens Deiparã, miros in studiis progressus facit.*

493 | 14 *Ab Urbe, & mundo se abripit Sanctus puer, duobus spectabili forma Angelis ducentibus.*

494 | 15 *In eremum & specum Sublacensem se abdit augustissimus juvenis, & veluti vivum sepulchro se infert, exemplar condendi à se instituti Inclusorum, & solitariorum.*

497 | 18 *Circumjacentem populum à bestiali mente, & damnatis ritibus ad saniora revocat, & memorabili triumpho de carne triumphat.*

498 | 19 *Multis ad ipsum confluentibus, certam vitæ ineundam rationem præstituit, & jam tunc Regulã meditatur quã deinceps Divino dictante Spiritu scribit.*

505 | 26 *A monachis S. Casinatis postulatus Abbas, nunc Cœnobitis, mox suis in Eremo discipulis consulit.*

506 | 27 *Primi Cœnobiorum suorum Sublaci fundamenta jacit, & Gymnasium primum sanctioris vitæ aperit, donec deinceps plenam & Romæ & Casini erigeret Universitatem.*

512 | 33 *Plura passim per Valeriam, & diversis deinceps locis condit Cœnobia, & Apostolico labore populo ad se confluenti consulit.*

520 | 41 *Romæ se magnis meritis commendat, & cum antiqua reformat Monasteria, tum virorum illustrium collatis symbolis, nova exstruit.*

523 | 44 *Sublacum reversum plures è Romanæ Urbis proceribus, sæpius conveniunt, alij liberos suos educandos, alii amplissimas possessiones offerunt. Ipso anno SS. Maurus Placidus & ipsi commendantur.*

524 | 45 *Iustinus Imperator fama sanctitatis, tanti viri accensus studio, factas ab aliis donationes confirmat, longè ampliora donat, & colonias Monachorum pro Oriente efflagitat, quibus possessiones amplissimas tribuit, & assignat.*

525 | 46 *Mirificè Ordo propagatur. Ideam Terracinensis Cœnobii mirabiliter præsens, cum abesset, S.P.N. designat.*

526 | 47 *In Galliis per S. Remigium, & S. Romanum Metuniacensem latè novum Institutum promovetur.*

527 | 48 *In Germanias usque exporrigitur; proferente, qui recens didicerat S. Fridolino, qui juxta fidem Christi, Apostolico merito, latè disseminat.*

528 | 49 *A Scotis atque Hybernis, magno numero Romam, & sacra per Italiam loca invisentibus, novum Institutum expetitur. Quod certatim viri sanctissimi amplectuntur.*

*Divinitus*

529 | 40 *Divinitus ad Conversionem Gentilium S.P.N. vocatur, & comitantibus Angelis Casinum migrat.*

530 | 51 *Idola evertit, lucos succendit, prædicatione continua, indomitum populum ad Christi fidem vocat ultimus Italiæ Apostolus S.P.N.*

531 | 52 *Ad Concilium Lateranense evocatur S.P.N. à Bonifacio II. Pont. Max. cujus, & Vrbis magno plausu, plurima singulis ferè Ecclesiis, Monachorum adjungit Collegia, & Scholas instituit. Ipso anno ab ipso sacrum habitum accipit Sanct. Turibius.*

532 | 53 *Illustrem Monachorum coloniam, cum eodem Turibio in Hispanias destinat, quorum plerique ad Pontificales evecti Cathedras, Apostolicis deinceps meritis se commendarunt.*

533 | 54 *Iustinianus Imperator, plures item mitti Monachorum in Orientem colonias efflagitat; quin & pro AEgypto, & Thracia aliisque provinciis idem urget.*

534 | 55 *Subactæ per Belisarium Africæ, idem Imperator similiter consulturus, Victoriæ participem esse vult Sanctum Patriarcham, Monachos petit, & varia illic construendis Cœnobiis loca assignat.*

535 | 56 *Magna Ordinis incrementa per Scotiam atque Hyberniam. Occurrunt ex Oriente Casinum usque pro instructione Græci Monachi, quos grandi miraculo sibi devincit S.P.N.*

536 | 57 *Stupendo exemplo, admirabili in luce totum intuetur orbem terrarum S.P.N.* & adhuc mortalis Deum ipsum, & in ipso Deo, quidquid infra Deũ est videt. *Rogatus item, Sardiniæ missis coloniis consulit.*

537 | 58 *Siculis, quos jam per suos pridem demeruerat, nepotem, & filium charissimum Placidum mittit, qui stupendo miraculo convocatos Regni, die indicta, ægros omnes, quotquot adesse poterant prodigiosè sanat.*

538 | 59 *Psalterij Mariani usus, cum ab ipso S.P.N. tum discipulis ejusdem longè lateque immortali cum fructu, & merito propagatur.*

539 | 60 *Duodecim lectissimam, Apostolicis numero, & meritis Monachorum coloniam, Toletum mittit, & urbem regiam ac Regnum mirè demeretur.*

540 | 61 *Solatur exiliũ suum cucullo S. Silverius Papa, apud nostros sponte exules in insula Palmaria; etsi per summam injuriam eodem à Belisario amictus. Meretur æternum de pauperibus, & Hospitibus S.P.N. quibus inexhausta liberalitate apud omnem etiam posteritatem suam consulit.*

541 | 62 *Martyrio coronatur Protomartyr Ordinis S. Placidus, cujus meritis Italia magna peste liberatur, Saracenorum valentissima classe mari mersa. Oblatas patrias Placidi ædes, in Monasterium Romæ convertit S.P.N. invisenti ad se B. Sylviæ prægnanti,* nativitatem, nomen, & officium Magni Gregorij prædicit.

542 | 63 *Ingens orbis, & Italiæ terror Totila Rex tremens ad pedes S.P.N. prosternitur, potenter corripitur, de eventuris edocetur; unde Italiæ, & orbi præclarè consulitur.*

543 | 64 *Gloriosissima morte, stans ante sepulchrum, elevatis in cælum manibus, magnus Imperator noster vita defungitur, & admirabili triumpho ad cælos deducitur, è cujus instituto, universa Ecclesia, non pauca Officio Ecclesiastico adjecit. Totilæ in Regnum Neapolitanum æquitas S. Patri debetur.*

544 | 64 *Regnum Galliæ per S. Maurum mirificè ornatur, & virorum Sanctorum copia beatur.*

545 | 65 *Tanta Casinatis cænobii hoc tempore, & deinceps perpetuo à Monachis sanctis gloria, ut memorabile sanctitatis Ecclesiæ probandæ argumentum unum illud Monasterium præbuisse videatur.*

546 | 66 *S. Herculanus Perusinus Episcopus, eum honorem, & Patriam nobili Martyrio condecorat. Multa in favorem Monachorum sancita.*

547 | 67 *Inter innumeros nunc, & deinceps Galliæ proceres, portu Religionis exceptos hoc anno Florus Princeps cum filio unico amplissimæ ditionis hærede S. Mauro se addicit, ipso Theodeberto Rege capillos ipsi præscindente.*

548 | 68 *Theobaldus Theodeberti filius, S. Mauri alumnus, ab ipso ad Regnum formatus Patri succedit.*

*Multa*

549 69 *Multa mortalium millia per Italiam, Hispaniam, Gallias, &c. salutem in cucullo quærunt, opes abjiciunt.*

550 70 *Omnia ferè Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Scotiæ cœnobia ordinem nostrum amplectuntur; interque alios Dionysius ille exiguus, reapse Maximus, singulare orbis, & ordinis decus.*

551 71 *Primi ferè ex Regibus, neglecto Regno cucullum exambiunt S. Clodoaldus Aurel. Regis fil. & S. Tichildis Clodovæi M. filia.*

552 72 *Ingens in Gallia ex nostrorum incremento fructus, & sanctorum virorum copia.*

553 73 *Orbem universum fama, & meritis implet B. M. Aurelius Cassiodorus ex V. C. Monachus noster.*

554 74 *Meritissimus de Hispaniarum Regno S. Vincentius Abbas protomartyr Ord. nostri in Hispania occumbit. Sanctorum ingens copia, quos inter exsplendescunt S. Isaac Syrus, S. Carilephus, S. Clotildis Gall. Reg. &c.*

555 75 *Germaniæ novum ex ordine nostro lumen affulget, Disibodus, cujus ope denique barbaries agnita profligatur.*

556 76 *S. Broioci in Britannia minore Episcopatus à Brioco nostro primo ibidem Episcopo nomen, & honorem habet. Clarent plurimi.*

557 77 *Hiberniam justi nostrorum exercitus opplent; duo, triave Monachorum millia unum sæpe cœnobium alit.*

558 78 *Theobaldus Aurel. & Astrasiæ Rex in participium quasi Regni S. Maurum nostrum vocat. A S. Marculpho nostro perpetua illa Regibus Galliæ gratia curandi strumas, &c. Agaunense, & Lirinense monasteria ordini addita totos cœlo exercitus educant.*

559 79 *Vnicum, & æternum afflictorum, & captivorum in hodiernam diem solatium claret S. Leonardus noster.*

560 80 *Præter eximia sanctitate viros, salutem Regnis potiorem in cœnobio quæsierunt Sanct. VVinfredus Scotiæ Regis filius. Ingertrudis, & Cordilla Galliæ Regum filiæ.*

561 81 *S. Maini in minore Britannia cœnobium plures è Regibus, è fluctibus seculi suo splendore allectos extrahit.*

*Vniversa ferè Hibernia Sanct. P. Nost. Benedicto se emancipat, & sanctitate proficit.*

562 82 *S. Sampson noster Abbas Dolensis, mutato honore Dolensis Episcopus jubetur. Ita plerique Episcopatus nostri initia sua debent.*

*Felicitatem suam hoc tempore debet Gallia S. Germano nostro, Rege Childeberto ab ipso prorsus dependente.*

563 83 *Pulcherrimo ad æternitatem omnem exemplo M. Aur. Cassiodorus ex V. C. Monachus litteras profitetur.*

564 84 *Floret S. Paulus noster Leonensis Pontifex, princeps ejus Episcopatus, à quo deinceps, & Ecclesiæ, & urbi nomen fuit.*

565 85 *Apostolica constantia Idololatriam denique universa Gallia proscribit S. Radegundis nostra Galliarum Regina.*

566 86 *Trecorensis Episcopatus initia S. Tudvvalo nostro debentur; ipsa insuper Princeps à morte Patronus deligitur.*

*Merentur de Ecclesia universa rarissimis meritis, & vitæ sanctissimæ exemplo S. Gildas, VVinvvalocus Ethbinus, &c.*

567 87 *Scotia nostrorum copia redundans orbis universi provinciis sanctorum manipulos destinat.*

*Pictos Ecclesiæ adducit S. Columba noster, & mille modis meretur.*

568 88 *Archiepiscopalem dignitatem Dolensi Ecclesiæ accessisse nostris referendum. Claret ibidem S. Maglorius noster, &c.*

*Iterum, alia Ecclesia Cathedralis, initia, honorem, & patronum nostris, & ei à quo nomen S. Asaphi habet, merito debet.*

569 89 *S. Æmilianus singularis Hispaniarum patronus, ordinem nostrum profitetur, & æternum meretur exstructo cœnobio, quod sanctorum, & Hispanorum Pontificum exin promptuarium extitit.*

570 90 *Diversis toto orbe provinciis sanctitas nostrorum miraculo est : Inter plurimos eminet S. Leander Hispaniæ Patronus.*

571 91 *Rursum Cathedralis Ecclesia originem, nomen, honorem nostris debet, Alethensis, ipsa etiam urbe nomen à S. Maclovio nostro usurpante.*

572 92 *Sed, & hoc anno Dumiensis Pontificatus initia ex cœnobio nostro surrexere, & Abbas illius S. Martinus primus Pontifex renunciatur. Idem Sanctissimus Episcopus Hispanias ab Arianorum Hæresi liberat: merito Apostolus, & Patronus Hispaniæ dictus.*

573 93 *Iterum summum honorem in S. familiam nostram infert meritissimus de Ecclesia universa S. Benedictus Papa I.*

*Eodem anno sanctissimus ille Galliæ Tutelaris Gregorius ex Monacho S. Martini fit Turonensium Episcopus.*

574 94 *Meritissimus de Hispaniarum Regnis, eorundem defensor æternus, S. AEmilianus moritur; sæpius exin hostes Hispaniæ profligare visus.*

*S. Andovera Chilperici Galliæ Reg. uxor, & S. Basina ejusdem filia cucullum amplectuntur.*

575 95 *Clotharius Rex Gall. Salutem debet S. Germano, Regnum felicitatem plurimam S. Mauro. Primus è nostris Gallias sanguine suo excolit S. Arnulphus Abbas Novaliciensis.*

576 96 *Omnia Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, &c. cœnobia ordinem nostrum amplexantur Sancti plurimi florent.*

577 97 *Moritur Sanctissimus Benedictus PP. I. cui succedit S. Pelagius II. item noster, uterque cathedram S. Petri rarissima Sanctitate condecorans.*

*Turbinibus sæculi ereptas cohortes integras cœlo asserit Sanct. Ebrulphus noster.*

578 98 *Meretur æternum de innumeris captivis, damnatis, mortuis Sanct. Eparchius Abbas.*

579 99 *Meritissimus de universo S. Germanus noster moritur, jure à Chilperico Rege, Ecclesiæ speculum, patriæ vigor appellatus.*

580 100 *Reip. Christianæ, & Ecclesiæ universæ præclarissimè consulit S. Pelagius noster plurimis Conciliis celebratis.*

581 101 *Gloriosissimè, & constantissimè catholicam fidem tuetur, & contra Arianos SS. Trinitatis Mysterium propugnat S. Gregorius noster Turonensis.*

582 102 *Nostris promoventibus duo hoc anno concilia celebrantur, Cabilonense, & Matisconense.*

583 103 *Plura Monachorum perfectorum millia passim numerantur. Meretur insigni legatione de Ecclesia S. Gregorius Magnus, S. Salvius noster Chilpericum Regem, adeoque Galliam à Sabellianismo avertit. Moritur S. Martinus Hispan. Apostolus, S. Leander noster de Hispaniis perinsigniter meretur, Rege Hermenegildo converso.*

584 104 *Idem S. Leander meritis Hispanias, implet, educans Patriæ SS. Isidorum, Fulgentium & Florentiam germanos suos, omnes ordinem nostrum professos. Moritur meritissimus ille prodigiis innumeris S. Eparchius.*

585 105 *Leovigildum Arianum Regem mira patientia ita vincit S. Leander, ut ipsi Recaredum filium commendaret summo universæ Hispaniæ bono.*

586 106 *Orientem, & urbem imprimis Constantinop. gravi errore liberat, convicto Eutichio Patriarcha S. Gregorius Magnus.*

587 107 *Meritis amplissimis celebrantur SS. Sulpitius Severus, S. Radegunda, Regina &c. Moritur magnus ille S. Salvicus.*

588 108 *Consulit egregiè Ecclesiæ universæ S. Pelagius Papa indicto Matisconensi Concilio, in quo Episcopos reformat.*

589 109 *Altero jam Rege ad Ecclesiæ unitatem traducto, Arianam Hæresim ex Hispaniis profligat S. Leander noster. Auctoritate S. Pelagii nostri PP. Concilium Generale Toletanum, item Narbonense, & Valentin. cogitur.*

590 110 *Pelagio mortuo Gregorius noster Magnus sufficitur plurimo nomine vix inito Pontificatu meritissimus.*

591 111 *Bajoaria cum Duce suo per S. Rupertum conversa, & ab eodem Salisburgensis Cathedra instituta.*

592 112 *Africa, & Hibernia, illa à Donatistis, hæc à schismate per S. Gregorium vindicata. Florent Sancti plurimi.*

593 113 *S. Gregorii Magni merita maxima, & ab eo scriptis, ac factis hoc anno Ecclesiæ egregiè consultum.*

594 114 *Manichæos in Sicilia, Donatistas in Africa, sed & gentiles Barbaricinos, & Iudæos eodem tempore idem expugnat.*

595 115 *Plurimi egregii ex ordine Pontifices diversis Ecclesiis præstant: Error, & arrogantia Patriarchæ constantinop. corrigitur.*

596 116 *Gregorius nostros ad conversionem Angliæ ablegat. Civium Romanorum salus debetur sanctimonialium precibus.*

597 117 *Edilbertus Angliæ Rex per nostros conversus. Initia Pontificatus Cantuariensis, &c. per nostros.*

598 118 *Probus Abbas ab Agilulpho Rege, Italiæ, & urbi pacem impetrat. Hæreticos Thessalonicæ, & Iudæos in Sicilia opprimit S. Gregorius.*

599 119 *S. Goar apud Treverim prædicationi intentus, eum populum Christo aggregat. & miris exsplendescit. Si unquam, hoc inprimis anno Sanct. Gregorius noster meretur; inter alia Istriam Ecclesiæ jungit.*

600 120 *Arianis fortissimè in Hispania debellatis meritisque amplissimis dives moritur S. Fulgentius Episcopus.*

601 121 *Gregorius & S. Columbanus Gallias Simoniaca Hæresi purgant. In Anglia nostri strenuè laborant.*

602 122 *Diversis Regnis Hæretici, & Schismatici opera M. Gregorij Ecclesiæ uniuntur. Africa imprimis juvatur. Plures mira sanctitate orbi prosunt, è Regibus multi salutem cucullo debent.*

603 123 *De Palmaria Insula, & Ecclesia universa meritissimus S. Venerius. Moritur S. Leander Gotthis ad fidem conversis, &c.*

604 124 *Moritur Magnus noster Gregorius, hoc ipso etiam anno inexplicabilibus meritis laudandus, verè immensus ipse thesaurus, Alfredo Rege testante: quia generis humani maximam partem cælo lucrifecerit.*

605 125 *Etiam mortuus Gregorius laboranti fame urbi adest. Sanctitate eximia ornat honorem Cardinalitium S. Petrus Diaconus.*

606 126 *Meretur immortaliter de Belgio S. Vincentius noster. Superant centies millium numerum SS. Virgines unius sæculi ex ordine nostro effulgentes. Machomet à S. Isidoro ex Hispaniis profligatur.*

607 127 *Fit Pontifex Rom. S. Bonifacius noster IV. de universo statim, & cælo meritissimus consecrato honori Admir. Matris templa Pantheon.*

608 128 *Exornat, juvatque miræ sanctitatis exemplo, & fructu Hispanias, & Ecclesiam universam S. Helladius Toletanus Archiepiscopus.*

609 129 *Moritur S. Augustinus noster Anglorum Apostolus, cui succedit S. Laurentius, mox de Scotia etiam, & Hibernia meritissimus.*

610 130 *Pluribus celebratis conciliis æternū meretur de Ecclesia S. Bonifacius IV. Eidem debet Metropolitanum honorem Toletum.*

611 131 *S. Austregisili nostri miranda de universo, & Galliæ imprimis Regno merita edomita maximè Regis avaritia memorantur.*

612 132 *Theodericum Regem, nec non Clothariū summo Regnorum bono, imperterritus corripit S. Columbanus, & Moguntiæ accolas ad fidem Christi adducit.*

613 133 *In Germania S. Gallus Idololatriam diversis locis profligat. Columbanus Mediolano Arianismum exterminat.*

614 134 *Haud impari, quo primus è nostris etiam Apostolus Angliæ, gloria, revocant hoc anno, & Adelvaldum Regem nostri Christo adducunt.*

615 135 *Galliæ Reges, & Regnum benè institutum, omnisque inde gloria S. Arnulpho nostro debetur, Metensi Pontifici.*

616 136 *Acephalitarum Hæresim triumphat, & eximiis meritis claret S. Isidorus noster Hispal. Archiepiscop.*

617 167 *Ad Photini, & Bononii Hæreses debellandas aptissimi Luxovienses nostri à Concilii Gallici Patribus designantur.*

*Agrestini errores, non Monachi solum nostri, sed & Sacræ Virgines, interque eas S. Burgundofora expugnant.*

*Ingenti*

618 | 138 *Ingenti fructu in Anglia laborat, & de Rege imprimis meretur S. Iustus Roffensis Episcopus. Plurimi Reges, & Principes salutem cucullo debent Oceano sæculi erepti.*

619 | 139 *Sanctorum copia ingenti Orbi consulit, & Ecclesiam excolit hoc anno Ordo nōster.*

620 | 140 *Meritissimus de Rege Clothario claret S. Faro noster Meldensis Episcopus. Sanct. VValbertus S. Columbinus. S. Clarus.*

621 | 141 *Rursum Idololatriæ ex Germania exterminandæ sedulo instat Sanct. Gallus, & socij.*

622 | 142 *Cathedris diversis immortaliter prosunt plurimi hoc anno ex Ordine Episcopi. Terror Regum S. Columbanus moritur.*

623 | 143 *De innumeris captivis, afflictis prodigiosissimè meritus effulget S. VVinebaldus Trecassinensis Abbas.*

624 | 144 *Moritur S. Gallus vir verè Apostolicus. S. Mellito plurimum Anglia Dorovernenses urbem suam debent.*

625 | 145 *In conversione Regis ac Regni Northumbriæ strenuè laborat S. Paulinus noster, Claret S. Austregisilus.*

*Regnis Galliæ mirificè prodest consilio, & auctoritate S. Arnulphus noster, cui Dagobertus Rex juvenis commendatus.*

626 | 146 *Belgio summoperè prosunt SS. Bertinus, Mumblinus, Bertrandus, &c. Galliæ verò Magnus ille meritis S. Claudius.*

627 | 147 *Provinciæ Berniciorum, & Deirorum, Regnumque Northumbriæ universum per nostros Christo adductum.*

*Orientales etiam Angli cum Rege Carpualdo, pluresque alii populi per Sanct. Paulinum conversi. Sanct. Arnulphus gravissimam dissensionem componit inter Reges Galliæ.*

628 | 148 *Lindissiræ provinciæ consulitur per nostros, & Episcopatus Lindisfarnensis, sed & paulo ante Eboracensis instituitur.*

629 | 149 *Compositis in Hispania rebus, & triumphatis Hæresibus scriptis sanè admirandis Ecclesiæ prodest S. Isidorus.*

*Relictis Regnis, & amplissimis opibus felicitatem veram in cucullo plurimi amplectuntur.*

630 | 150 *Conversioni infidelium accingitur S. Amandus noster Tungrorum, Eburonum Brabantiæ, Flandriæ, Alsatiæ Apostolus.*

631 | 151 *Potentissimus Galliarum Patronus S. Licinius noster Andegavensis Episcopus, de Ecclesia meritissimus moritur.*

632 | 152 *Magnus ille S. Claudius, & S. Arnulphus secundus à Rege, Galliæ moderator divino jussu Cænobia repetunt.*

633 | 153 *S. Eligius noster ad consulendum Regno Galliæ pro S. Arnulpho, Cænobio extrahitur. Obiit Sanctissimus Bavo.*

634 | 154 *S. Amandus Gall. Regem intrepidè corripit, & in exilium mittitur. Idem Vasconibus, Gandavensibus. Tornac. & Solanis verbum Dei annunciat.*

635 | 155 *SS. Florbertus. & Livinus innumeros Christo adducunt, & Martyrio etiam coronatus Livinus Tutelaris Gandensium eligitur.*

636 | 156 *Opera nostrorum, & maximè S. Isidori celebratur Concilium IV. Toletanum præsidente eodem.*

637 | 157 *S. Aidanus in conversione Gentilium indefessè, ingenti fructu laborat. Isidorus Concilium cogit.*

638 | 158 *S. Birinus noster Occidentales Saxones cum Rege Cynigildo convertit, & Dorcestrensem Episcopatum instituit. Moritur S. Ioannes Gerundensis Episcopus, Arianæ Hæreseos debellator egregius. Succedit S. Nonnitus.*

639 | 159 *Moritur Magnus Ecclesiæ Doctor, Hæreseon, & Mahometus triumphator, & Hispaniæ Patronus S. Isidorus. Ad conversionem gentium missus S. Gisalaricus noster, de Austria ejusque metropoli Vienna meretur.*

*Exemplo Sanctitatis mirando plurimas cælo cohortes adducunt SS. Claudius ejusque discipuli. Claret S. Magnus, &c.*

*Plurimis Regna præ cucullo vilent, ex iis eminet S. Ebba, Ethelfridi Regis filia Illustrissimo Martyrij genere cum plurimis patriam nobilitans.*

639 159 *S. Amandus noster revocatus Regno Galliæ mirificè prodest, nec minori fructu præest Biturigibus S. Sulpitius.*

640 160 *Barbarie absolvitur per nostros Germania, & juxta Cænobia pleraq; Germaniæ urbes exstrui cœptæ.*

641 161 *Moritur unicum Regni Gallici præsidium S. Arnulphus noster S. Rictrudis nostra de Rege mire triumphat.*

642 162 *Prædicatione sua æternum meretur de Pontina provincia, & ultramarinis Britannis S. Richarius Abbas.*

643 163 *S. Amando nostro debetur institutus Episcopatus Argentoratensis, mox etiam Vrbs propter nostros condita.*

*Plurima turba cucullo cælis asserta. Clarent eximia Sanctitate plures Regii generis, & dignitatis.*

644 164 *S. Furseus fidem insigniter propagat apud Orientales Anglos. Moritur Apostolicis meritis vir S. Paulinus Episcopus.*

645 165 *Multi è Regibus portu Religionis excepti, in cucullo Sanctitatis exemplo, universo prosunt.*

646 166 *Cantabrigiensis universitas instituta per S. Sigebertum Regem, Monachum nostrum. Alsatia illustrata.*

647 167 *Belgium, ut Paradysus Domini effloreseit, Sanctorum ex Ordine nostro copia, & fructibus.*

648 168 *SS. Furseus, Foillanus, Vltanus, fratres Germani, ex Regibus Monachi exemplo totas cohortes cælo lucrantur.*

649 169 *Immensitas penè sæculi fluctibus toto orbe ereptorum, ex constructione tot Cænobiorum.*

650 170 *Conversioni gentium diversis locis intendunt, SS. Amandus, Landelinus, Landoaldus, & Amantius.*

651 171 *S. Aidanus vir Apostolicus clarissimus habetur, S. Eligius conversioni Antuerpiensium, & Flandriæ insistit.*

*Plurimi ex nostris Apostoli strenuè laborant. SS. Etho, Bertvvinus, Eloquius Mombolus, Adalgisus, &c.*

652 172 *S. Emmerammus aliquamdiu virgaris Deum annuncians, Bojariæ prodest, tandem Martyrio coronatur.*

653 173 *Opera nostrorum Concilium Toletanum VIII. Mediteranei Angli Christo per nostros aggregati. Nostri plures eosque inter S. Honorius, & S. Deusdedit Columnæ Ecclesiæ celebrantur. Reges plures Monachi.*

654 174 *Prædicationem suam laurea Martyrii coronat S. Foillanus, S. Vincentii Comitis Hannoniæ merita commendantur.*

655 175 *Mira victoria contra Merciorum Regem parta: & fides per nostros amplissimè propagata.*

656 176 *Fructuosissimus ille Fructuosus Archiepiscopus Bracarensis instituitur. Principes multi salutem cucullo referunt.*

657 177 *Orientalium de SS. Trinitate errorem expugnat S. Eugenius Toletanus, & moritur; succedente Magno Ildephonso nostro, Hæresum triumphatore invictissimo.*

658 178 *Pro libertate Ecclesiastica fortiter pugnans S. Theodardus Leodiensis Episc. glorioso Martyrio coronatur.*

659 179 *S. Vrsmarus multos in Galliæ partibus ad fidem convertit, in Fania, Theoracia, sed & Menapum finibus.*

660 180 *Claret immortalibus meritis S. VVandregisilus, inter alia apud Caletenses fidem penè abolitam restituit.*

661 181 *S. Audomarus noster Idololatria apud Tarvanenses, & Marinenses triumphata felicissimè moritur.*

662 182 *Innumeris ad Christi Ecclesiam aggregatis, Magnus diversarum gentium Apolus S. Amandus cælo excipitur.*

663 183 *De Alsatia, & Dagoberto Rege meritissimus, innumeris prodigiis claret S. Florentius Argentinensis Episcopus.*

664 184 *S. Aigulphus noster cum sociis Martyribus insigni numero triumphos cæli auget, & terram purpura ornat.*

*Mori-*

665 | 185 *Moritur Flandrensium, Antuerpiensium. Frisonum, &c. magnus Apostolus S. Eligius Noviom. Episc. Eodem anno cælis recipitur S. VVandregisilus Caletensium Apostolus; Et Deusdedit vir Apostolicus.*

666 | 186 *S. Cutbertus prædicatione sua strenuè laborat, & Idololatriæ reliquias longè latèque feliciter eradicat.*

667 | 187 *Moritur Hæreticorum triumphator S. Ildephonsus, jure os aureum, & Fidei anchora appellatus. Claret S. Humbertus prædicatione de Antuerpiensibus, & Brabantinis optimè meritus.*

668 | 188 *In Anglia conversioni gentium toti incumbunt Sacro-Sanct. Theodorus, & Adrianus. Nostri dum Ecclesiæ, & Galliæ Regno consulunt exulare coguntur.*

669 | 189 *Nostris hoc anno summam felicitatem debet Anglia. In Sicilia totæ Martyrum cohortes in cælum missæ.*

670 | 190 *Galliæ Ecclesiam purpura sua ornant SS. Præjectus, & Amarinus. Tutelaris Montensium S. VValdetrudis moritur.*

671 | 191 *Innumeri hoc ipso tempore ex Ordine, sancti Ecclesiæ thesaurum meritis accumulant.*

672 | 192 *S. Ceadda S. Edilburgis, & innumeri in Anglia clarent, eosque inter præcipuè S. Sebbi Orient. Sax. Rex. De Anglia meritissimus Sanct. Theodorus concilium convocat.*

*S. Audoeno nostro debetur tranquillatum Galliæ Regnum, &c.*

673 | 193 *Ingentes ovium greges Christo adducit S. Begga, & Belgium illatione immensi Reliquiarum Thesauri beat.*

674 | 194 *Admiranda Constantia Ebroino resistit S. Philibertus, & innumero fructu Christi horreum implet.*

675 | 195 *S. Leodegarius Constantissimus Martyr coronatur, pro meritis plurimarum Ecclesiarum Tutelaris electus.*

676 | 196 *Obiit gravissimorum meritorum cumulis dives S. Adeodatus Papa. Anglia per nostros ut Paradysus Domini.*

677 | 197 *Inter Austrasios, & Francos pacem conciliat, & præclarissimè meretur Sanct. Audoenus.*

678 | 198 *Vindicata Auctoritas Pontificia debetur S. Agathoni nostro, ob sublatam summā pecuniariam pro confirmatione Imperatori debitam. Eodem anno ab eodem Ecclesia Ravennas Romanæ unita, & Frisii à S. VVilfrido Christo adducti.*

679 | 199 *Monothelitarum Hæresis per S. Agathonem expugnata. Per S. Honorium Anglia compositis litibus servata.*

680 | 200 *Romanum Concilium celebratum à S. Agathone nostro VVamba Rex Hispaniæ salutem in cucullo quærit.*

681 | 201 *Immortaliter meretur S. Agatho noster celebrato concilio generali VI. Constantinop. Monotheliis prorsus profligatis, & sacris imaginibus defensis.*

682 | 202 *S. Ansbertus de Ecclesia meritissimus celebrat Concilium Rothomagi, cui ipse præsedit.*

683 | 203 *Admirando vitæ exemplo innumeras Christo oviculas adducit Sanct. Etheldreda Regina.*

684 | 204 *Benedictus II. fit Pont. Max. cui debetur Pontificia libertas restituta, & plurimum aucta dignitas.*

685 | 205 *Restaurata urbs Romana, atque exornata debetur S. Benedicto II. nostri Ordin. Papæ.*

686 | 206 *Franconia cum Duce suo Gosberto per Sanct. Kilianum nostrum ad fidem conversa.*

987 | 207 *Moritur S. Rictrudis Marcianensis Abbatissa. Gallias meritis implet S. Amatus Senon.*

688 | 208 *Concilium Toletanum celebratur summo Ecclesiæ bono, præsidente S. Iuliano nostro; De schismaticis triumphum agit S. Sergius ex Ordine N. Pont. Maxim.*

689 | 209 *Franconia Christi Ecclesiæ aggregata, & instituto Herbipolensi Episcopatu, merita tanta Martyrio coronat S. Chilianus noster.*

690 | 210 *SS. Egbertus, Vvitpertus, & Theodorus ingenti per Ecclesiam universam fructu prædicant.*

691 | 211 *Ceducalla Orientalium Saxonum Rex opera nostrorum convertitur. Magnus ille Mommolenus claret.*

692 | 212 *Pseudo Concilio Constantinopolitano, & ipsi Imperatori constantia insigni obnititur S. Sergius noster.*

693 | 213 *Pulcherrimo in labore, conversione nimium antiquorum Saxonum, sanguinem cum vita profundunt SS. Euualdi.*

694 | 214 *Campaniam, Brabantiam, sive Taxandriam Christo adducit Sanct. Lambertus noster.*

695 | 215 *Teisterbandiæ, VVestphaliæ, Boroctuariorum, Frisonum, Batuorum, &c. Apostolus S. VVigbertus occumbit. Sanctissimus Audomarus Theoranensium Apostolus cælum plausu implet.*

696 | 216 *Idololatriam diversis in provinciis profligat felicissime S. VVillibrordus noster Trajectens. Pont.*

697 | 217 *SS. Suibertus, & VVilibrordus insigni fructu in Germania, Frisia, Tracia, &c. laborant.*

698 | 218 *Martyrio coronatur insignis ille Taxandriæ Apostolus S. Lambertus Tungrensis Episcopus.*

699 | 419 *SS. Anthelmus & Adamannus Ecclesiam constantissime propugnant, & schismate diversas provincias liberant. Pictavorum gens Ecclesiæ Romanæ se conformat, opera S. Ceolfridi Abbatis nostri.*

700 | 220 *Apostoli nomen apud Frisios indefesso labore meretur S. VVulfrannus Archiepiscopus Senonens.*

701 | 221 *Venerabilis Beda noster à Pont. Max. consulitur. Hasbaniorum Apostolus Sanct. Trudo in cælum abit.*

702 | 222 *Ad prædicandum Gallis Belgicis Evangelium ad Pipinum se confert S. VViro, de eodem meritissimus.*

703 | 223 *Anglia Paradysus Dei effecta, opera S. Benedicti Angli, & Monachorum nostrorum felici copia.*

704 | 224 *Victoriam insignem hoc anno debet Aripertus Longobard. Rex, & Ecclesia Romana, patrimonium suum S. Bonito nostro Arvernorum Episcopo.*

705 | 225 *Brunsvvicenses, & Boructuarij conversi per S. Suibertum. Mirificus ille noster S. VVilfridus claret.*

706 | 226 *Apostolico labore fructum ingentem Ecclesiæ accumulat S. VVillibrordus, claret S. Guthlacus.*

707 | 227 *Transiselanos Christo lucratur, Idololatria exterminata Sanct. Marcellinus noster.*

708 | 228 *Coloniensibus mirificè prodest vir Apostolicus Sanct. Suibertus, sed & VVerdensibus.*

709 | 229 *Leodiensis Pontificatus initia nostris debentur, ejusdem præcipuus item ex ordine nostro Patronus.*

710 | 230 *Ad salutis tutissimum portum, cœnobium confugiunt Ethelredus, Choenredus, Offa, & Chinesvvitha Reges.*

711 | 231 *Potentissimi Episcopatus Cæsaris VVerdæ initia debentur S. Suiberto nostro. Claret S. Ioannes Eboracensis Episcopus.*

712 | 232 *Innumeras oviculas Christi caulis aggregant SS. VVerenfridus, & Achatius Apostoli nostri.*

713 | 233 *Plures iterum Reges salutem cucullo debent, quos inter Alfredus Northumbriæ, & VVinocus atque Atrocus Britanniæ.*

714 | 234 *S. Adalbertus Edilvvardi Deirorum Regis filius Holkandiæ, & Lenemariæ conversioni intendit.*

715 | 235 *S. Gregorius noster II. Pont. Max. Vrbem restaurat, jura Ecclesiæ, etiam armis vindicat.*

716 | 236 *Frisingensis Cathedralis Ecclesia, nostris initia sua, & Patronum debet. Ordinatur gentium Apostolus S. Corbinianus noster.*

717 | 237 *Mirificus Saxonum, Frisiorum, VVestphalorum, Boructuariorum, &c. Apostolus S. Suibertus moritur.*

*Magnus*

718 238 *Magnus ille Germanorum Apostolus S. Bonifacius noster, ad prædicationem German. à Gregorio II. destinatur.*

719 239 *S. Bonifacius S. VVillibrordo in conversione Frisiorum coadjutor, strenuè collaborat.*

720 240 *Moritur S. VVulfrannus Senonensis Episcopus, Frisiorum item Apostolus. Claret S. Ioannes noster Damascenus.*

721 241 *Consulit Ecclesiæ universæ convocato concilio Romæ, & præclarè Sancitis S. Gregorius PP. II.*

722 242 *Occidentalis Ecclesia conversione gentium opera Sanct. Bonifacij mirificè propagatur.*

723 243 *Idem S. Bonifacius, Tonitrui filius à Baronio meritò appellatus etiam Hæreses profligat.*

724 244 *Insigni Constantia Grimoaldi Ducis scelus corripit, & ad saniora eum convertit S. Corbinianus. Vtilissimum Germaniæ universæ Asylum aperitur Augia Dives, innumeram multitudinem procerum cælo deinceps asserens.*

725 245 *Hassia Christo nomen dat; & magna pars Thuringiæ opera Sanct. Bonifacij nostri.*

726 246 *Admiranda animi magnanimitate S. Gregorius noster II. sacras imagines tuetur, & Leoni Imperat. se opponit.*

727 247 *S. Ioannes Damascenus Iconomachos fortiter debellat. Mirificè prodest, S. Pirminius Episc.*

728 248 *Apostolorum colonia ex ord. nostro, & Regno Angliæ Germaniæ immittitur. Beda de universò meretur.*

729 249 *Gregorius noster II. Vrbem ab interitu vindicat, & mirè de Luitpardo Longobard. Rege triumphat.*

730 250 *Idem S. Pontifex invicto animi robore Leoni Imp. Italiæ Imperio exuit, & Hæreticum pronunciat.*

731 251 *Immortalibus meritis cumulatissimus obiit S. Gregorius II. eligitur Gregorius III. qui illicò ad extirpationem Hæreticorum convertitur.*

732 252 *Magno orbis Christiani bono Concilium Romæ indicit S. Gregorius noster ejus nominis III.*

733 253 *Magna peste, Hæresi nimirum Erconvvolvi, Bavariam liberat S. Bonifacius. Leonem Imperatorem reducere parat Gregorius III.*

734 254 *Mirum in modum prodest Angliæ, & consilium flagitanti S. Bonifacio Nothelmas noster Dorovernensis Archiepiscopus.*

735 255 *Multi è nostris Orientem glorioso occasu pro SS. Imaginibus occisi exornant. S. Theodulphus conversioni gentium incumbit.*

736 256 *Ingens per hæc tempora toto orbe sanctorum ex ord. copia. Ecclesiæ Cathedrales per Germaniam Monachis datæ.*

737 257 *Ceolulphus Northumb. Rex salutem in cucullo quærit, & sanctitate eminet. Rursum Hæreticos expugnat S. Bonifacius.*

738 258 *Bojariorum exercitum cælo conscribit S. Bonifacius, & illatis Roma Sanctorum plurimis exuviis Germaniam beat.*

739 259 *Borealium omnium Regnorum Pipino Reg. parentium, sed & Frisiæ, atque Daniæ Apostolus moritur S. VVilibrordus.*

740 260 *S. Ina Rex Saxonum occidental. Vectigale Regium Ecclesiæ facit, eandem mirè ornat, & Monachum professus sanctitate vitæ eminet.*

741 261 *S. Bonifacii, Concilio in Germania celebrato, & Episcop. institutis meritum ingens. Debent nostris Titulum Christianissimi Reges Galliæ.*

742 262 *Moritur S. Gregorius III. præliis pro fide Cathol. gestis gloriosissimus, succedit S. Zacharias noster, illicò mirè meritus.*

743 263 *Sabinense, Narniense, Auximanum, Anconitanum patrimonium Sanct. Petro per Zachariam PP. partum. Concilium celebratur à S. Bonifacio Grandi peste Hæresum Adalberti, & Clementis per S. Bonifacium Germania liberatur. Iterum idem Concilium celebrat.*

744 264 *Concilio Romæ celebrato Ecclesiasticam disciplinam restituit S. Zacharias PP. Fuldense cœnobium de universo meritissimum.*

745 265 *Metropolitanæ sedis Moguntinæ initia S.Bonifacio nostro debentur. Iaem mirè Germaniæ, & Angliæ consulit.*

746 266 *Iterum duo potentissimi Episcopatus instituti, Aistettensis, & Herbipolensis S. Bonifacio debentur.*

747 267 *Salutem in cucullo quærit Carolomannus potentissimus Austrasiæ Rex, in quo sanctitate eximia claret.*

748 268 *Restituta rursum per Germanias Monachica disciplina mirificò consulit ordini, & orbi S. Bonifacius.*

749 269 *Saxones VVestphalosque Ecclesiæ imminentes è cælo triumphat S. Svvitpertus. Hæresim pessimam Gnaphæi jugulat S.Ioannes Damascenus.*

750 270 *Cucullo sanctitatem, sive profectus tanti opem debent Rachisius, Thesia, & Tatruda Longobard. Reges.*

751 271 *S.Bonifacii ingentia de Germanis, & Moguntina inprimis Archiepiscopali cathedra merita.*

752 272 *In inclytum Regem Pipinum ejusque dignissimam familiam Regnum Galliarum transfert S.Zacharias Papa.*

753 273 *Multa millia Christo, ejusque Ecclesiæ aggregat in Frisia Sanct. Bonifacius noster.*

754 274 *Vniversale quasi studium Germaniæ primum apud Fuldam per nostros inducitur atque propagatur.*

755 275 *S.Bonifacius Germanorum, & Frisonum meritissimus Apostolus, merita immensa sanguine condecorat.*

756 276 *Iterum alius è nostris Saxoniæ Apostolus, S. Sturmio in ejus gentis conversione strenuè desudat.*

757 277 *Dissolutam Cleri disciplinam summo Ecclesiæ bono coercet S. Stephanus noster Pont. Max.*

758 278 *Potentissimi Reges, & Principes fluctibus sæculi emergentes portu Religionis excipiuntur.*

759 279 *Germaniam fama sanctitatis implet S. Othmarus à quo æternus redundat Sangallensi cænobio per ipsum restituto, & præcipuè exculto honor.*

760 280 *Perpetuis ferè in hodiernam usque diem S. Othmarus Hæreticos confundit miraculis.*

761 281 *Publico sacrarum litterarum Gymnasio Eboraci instituto, & Bibliotheca comparata insigniter de Regno Angliæ meretur S.Egbertus noster.*

762 282 *Scriptis suis mirificè prodest Ecclesiæ egregius Doctor Venerabilis Beda noster, cujus superstitis lectiones in Ecclesia publicè recitantur.*

763 283 *Archimagister universi, & summus litterarum Dictator Alcuinus diversas per provincias immortaliter meretur.*

764 284 *Ex multis cænobiorum millibus totæ sanctorum legiones, mundo Numen conciliant.*

765 285 *Æternum orbis, & Ecclesia debet S.Gregorio nostro Trajectensium Episcopo Dorstradi Trajecti, &c. Apostolo.*

766 286 *Moritur S.& Venerabilis Beda noster innumeris de Ecclesia universa meritis locupletissimus.*

767 287 *Orientem nostri rursum sanguine suo purpurant, & pro SS.Imaginibus gloriosissimè decertant. S. Abel noster Archiepiscopus ad conversionem gentium de-*

768 288 *stinatus strenuè desudat.*

*Eligitur Stephanus IV. illico juvandæ Ecclesiæ intensissimus. Simoniacam Hæresim profligat Etho Episcopus Argentoratensis.*

769 289 *S. Stephanus egregiè consulit Ecclesiæ graviter laboranti indicto Romæ concilio. Idem fortissimus Iconomachorum debellator.*

770 290 *Litterarum studia toto orbe propagata, sed & res à Carolo Magno præclarè gestæ, etiam nostris debentur.*

771 291 *Velut in civitatem Refugii ad cænobia confluunt potentissimi rursum Reges, & Principes.*

772 292 *Mercede æternitatis felicissimæ donatur S. Stephanus PP. plurimis erroribus profligatis meritissimus.*

773 | 293 *Præclarè de universo, & Salisburgensibus maximè meretur S. Virgilius noster eorundem denique Patronus à Divo Ruperto nostro præcipuus.*

774 | 294 *Implet universum meritorum fama SS. Saxonum Apost. Lullus Archiepiscopus Moguntinus.*

775 | 295 *Moritur Thuringiæ Dorstad, &c. Apostolus S. Gregorius Episcopus. In Frisia convertenda sedulo operatur S. Ludgerus noster.*

776 | 296 *Inter præcipuos Germaniæ Apostolos, discipulus quondam, & cooperator S. Bonifacii claret S. VVilibaldus. AEterno prodigio in hodiernam diem sanctitatem S. VValpurgis nostræ tuetur contra Hæreticos Deus Opt. Max.*

777 | 297 *Rursum alius è nostris Apostolus, S. Sturmio claret, & interiores Saxones, quibus Evangelii fax nondum illuxerat Christo adducit.*

778 | 298 *Ingentia merita Alcuini nostri ab opere maximè illo ingenti, quo tota Biblia ipse emendavit. Nec minus ejusdem meritum dum libros de divinis officiis elaboravit. Laus Vsuardi item à compositione Martyrologii.*

779 | 299 *Multa manipulorum millia Christi horreo illata debentur S. Ludgero, ejusque ex Ordine nostro coapostolis.*

780 | 300 *VVederovia Christo Domino adducta moritur felicissimus Thuring. & Saxon. Apostolus S. Sturmio.*

781 | 301 *Aistettensis Vrbis initia S. VVilibaldo nostro debentur. Initia item oppidi S. Die, S. Deodato nostro.*

782 | 302 *Apud DoKumenses, HuchmarKos, & Dretenses Idololatriam expugnat S. VVilehadus Apostolus.*

783 | 303 *S. Svvibertus à Saxonibus VVestphalisque pro eximiis meritis specialis Patronus adoptatur. Circa hæc tempora plurima templa, & Cœnobia per nostros extructa.*

784 | 304 *Elipandi gravissimam Hæresim profligant SS. Beatus, & Ethereus nostri. Moritur Sanctissimus Salisburg. Episc. & Patron. S. Virgilius Carenthanorum Apostolatu meritissimus.*

785 | 305 *Rejecta Pontificatus Treverensis oblata sibi dignitate, Convertendorum Frisiorum laborem præfert S. Lugderus noster.*

786 | 306 *Augusta vindelicorum amplificata atque illustrata S. Simperto debetur. Varii è nostris Episcopi ornant Ecclesias.*

787 | 307 *Paulus Diaconus summis honoribus defunctus ad Religionis portum se recipit, Carolo Imperatori familiarissimus.*

788 | 308 *Initia ac felicitatem debet Bremensis Ecclesia S. VVillehado nostro primo suo Episcopo, & Patrono.*

789 | 309 *SS. Lugderus, & VVillehadus in Apostolatu suo strenuè desudant. Plures è Regibus cucullum ambiunt.*

790 | 310 *Meritis locupletissimus ad triumphos æternos evolat Frisiæ, & Saxoniæ Apostolus S. VVillehadus.*

791 | 311 *Moritur S. Burcardus primus Herbipolensis Episcopus, Franconiæ Patronus, & Apostolus, à quo præsulatui illi initia. Initia celeberrimæ toto orbe Vniversitatis Parisiensis per nostros, & maximè per Alcuinum.*

792 | 312 *Pari beneficio mox Italiam demerentur, instituta etiam Vniversitate Papiensi, agente inprimis Ioanne Scoto.*

793 | 313 *Honori SS. Trinitatis, festo ipsius propagato, & Officio composito consulit noster Alcuinus.*

794 | 314 *AEterno merito se Ecclesiæ commendat B. Paulus Diaconus Officium Ecclesiasticum componens, & scriptis plurimis Ecclesiam illustrans.*

795 | 315 *Initia nostris debet, sed & felices successus Paderbornensis Episcopatus hoc anno.*

796 | 316 *Restitutis atq; ornatis per Vrbem Basilicis, sed & Clero atq; populo ope & opibus consulens egregiè meretur de omnibus S. Leo noster Pont. Max.*

797 | 317 *Alcuini rursum ingentia merita, à compositione inprimis Missarum Votivarum, & relictis ingenii monimentis.*

798 | 318 *Merita sua universo commendat quadriga scientiæ omnis, Clemens, Rhabanus, Claudius, & Ioannes Scotus nostri.*

*Speculum*

799 | 319 *Speculum admirandæ prorsus, patientiæ S. Leo III. pro justitia indignè exoculatur, & miraculo incolumis à Numine Ecclesiæ redditur.*

800 | 320 *Immortali merito longè meritissimus de Occidente universo S. Leo noster, illuc Imperio Occidentali translato.*

801 | 321 *Debet Leoni nostro PP. Ecclesia universa, Rogationes, sive tridui ante Ascensionem ritum solemnem. Moravi ad fidem conversi per S. Goduvinum.*

802 | 322 *S. Lugderus è Frisia ad usque confinia Daniæ excurrens Fosceteslandiam Ecclesiæ adjungit.*

803 | 323 *Haytho, & VValda Episcopi orbi universo auctoritate, & consilio prosunt. In Haythonis gratiam urbis Basileensis Dominium Præsulatui adjectum, ipse alter fundator habitus, &c.*

804 | 324 *Nostris originem, famam, gratias debet celeberrima rursum cathedralis Ecclesia Valpuesta in Hispania.*

805 | 325 *Plurima per Gallias atque Germaniam erecta Xenodochia æterno debito nostris obligantur. Omnes longe lateque provinciæ Scotis Monachis implentur, indè summo Ecclesiæ bono diversis Cathedris, viri sanctissimi præficiuntur.*

806 | 326 *Relictis Episcopatibus plurimi passim ad cœnobia confluunt, hoc ipso tempore in sola Augia plures Episcopi Regulam amplectuntur.*

807 | 327 *Galliæ atque Italiæ ingens felicitas administrante pro Pipino juniore provincias S. Adelardo nostro. Spoletum & Beneventum æternum obligantur S. Adelardo per eum inter se reconciliatæ.*

808 | 328 *Arnulphus Nortumbriæ Rex per nostros Regno restitutus. Infinita ex ordine lumina exsplendescunt.*

809 | 329 *Moritur S. Ludgerus Protoepiscopus Monasteriensis, Apostolus Saxonum, &c. Vlmæ urbis splendor, & incrementa nostris debita.*

810 | 330 *S. VVilhelmo nostro Gellonensi Monacho debetur Gallia à Saracenis liberata. Schola Augiensis Germaniæ utilissima.*

811 | 331 *Incredibilis numerus orbis Principum hoc ipso tempore Mundi fluctibus exemptorum.*

812 | 332 *Scholis plurimis per Europam institutis æternum nostri merentur: adeo ut sola Gallia antiquis Romanis, & Atheniensibus æquaretur.*

813 | 333 *Gravissimo Reip. Christianæ in negotio tractandæ pacis cum Imp. Constantinop. strenuè laborat Hamularius noster.*

814 | 334 *Germania exuta barbarie, ita bonis artibus floret, ut non illatæ, sed inter nostros natæ viderentur. Sub Carolo Magno, felicitatem suam universus mundus nostris debet, vel ipso quidem Carolo teste.*

815 | 335 *Initia, incrementa, jura, immunitatemque nostris debet præclara urbs Lucernensis in Helvetia. Theologiæ, & Humaniorum litterarum studium primus Lugduni instituit Leidradus, noster Episc.*

816 | 336 *Septentrioni novum sydus illucescit Magnus ille Apostolus noster S. Anscharius. Compostellana Ecclesia, Episcopalem, Ovetensis Archiepiscopalem honorem S. Leoni tertio debent.*

817 | 337 *Sanctitatem Ecclesiæ commendant vitæ SS. exemplo post mortem S. Leonis III. Sanct. Stephanus V. & hoc anno electus post ipsum Sanct. Paschalis I. ordinis nostri Monachi.*

818 | 338 *De Oriente universo multis modis hoc anno meritissimus Sanct. Paschalis noster Primus.*

819 | 339 *Civitas Refugii, & Asylum Christianæ libertatis Casinum à Baronio sub hæc tempora deprædicatur. Floret Magnus æque venerabilis Italiæ Beda vir meritissimus.*

820 | 340 *Per Saxoniam Apostolica prædicatione plurimum desudat Sanct. Kortilla Abbas Amarbaricanus.*

821 | 341 *Fons Consilii, & Iustitiæ Regula appellatus S. Adelardus, ut prodesset ab universo Galliæ Regno revocatus. Immensitate scientiarum prodest Rhabanus noster. Titulus Card. S. Cæciliæ nostris debetur.*

822 | 342 *Imperatori, ut publice pœnitentiam susciperet, auctor est S. Adelardus, idem columen Regni Galliæ prædicatur.*

*Inæsti-*

823 343 *Inæstimabilia S. Paschalis nostri PP. merita ob auctum Patrimonium S. Petri, & liberam Romanorum Pontificum, & Episcoporum electionem, &c.*

824 344 *Rursum miranda merita S. Paschalis I. stipendia Clerici aucta æternum debent, sed & captivi transmarini libertatem.*

825 345 *Gotthia cum suo Rege Olao ad Christum conversa. Mox & Suecia cum suo Rege, sed & Regiones finitimæ Christo adductæ per S. Ansgarium nostrum.*

826 346 *Daniæ Rex Haraldus Christo dat nomen, laborat strenuè in ejus Regno S. Ansgarius.*

827 347 *Potentissimus Episcopatus Upsalensis in Suecia, ut & alij plures ibidem nostris initia debent. Meretur de Ecclesia universa B. Hamularius.*

828 348 *Egregium Ecclesiæ ornamentum Pontificum Romanorum sanctitas, quam dum præessent nostri insigniter conservavere, hocque anno S. Valentino nostro successit S. Gregorius IV. meritis gravissimus.*

829 349 *Ostia Tiberina à Gregorio nostro munita, & Italia contra Saracenos strenuè defensa.*

830 350 *S. Theodulphus noster Ecclesiæ prodest. Hirsaugiæ cænobium conditum, ex quo meritorum dein immensitas.*

831 351 *Scholas per Daniam instituit S. Ansgarius, & ad eruditionem etiam pueros coemit. Plures è nostris Martyres.*

832 352 *Immortaliter ipsi etiam mortui debent Hamulario nostro vere Fortunato instituto & composito officio mortuorum. Amaburg. Transalbinorum Metropolis Primatus sui dignitatem Ansgario nostro debet.*

833 353 *Ad gravissimas dissensiones Ludovicum inter Imperatorem ejusque filios componendas S. Gregorius noster Summus Pontifex ipse in Gallias proficiscitur.*

834 354 *Drogo noster Metensis Pontifex ex Monacho Luxoviensi Imperium, & Gallias ab interitu vindicat.*

835 355 *De cælo ipso, & cælitibus omnibus præclarissimè meretur S. Gregorius IV. instituto Omnium Sanctorum festo.*

836 356 *Moritur Academiarum orbis præcipuarum institutor, Rector atque animus Magnus ille noster Alcuinus.*

837 357 *Græcarum litterarum studium invehit Germaniæ Rhabanus noster. Nostri passim publicè docent.*

838 358 *Corsica Insula salutem suorum, ac vitam debet Sanct. Gregorio nostro à Saracenis erepta.*

839 359 *Rursum dissensiones gravissimas in Regno Galliarum componit S. Gregorius noster, & Ecclesiæ consulit.*

840 360 *Ingens Sanctorum, & Doctorum ex ord. copia Ecclesiam ornat. Corpus S. Bartholomæi inventum nostrorum precibus.*

841 361 *Præcipuus Homiliarum declamator, singulare ordinis atque Sydus Haymo Halberstadensis claret.*

842 362 *Primus, & præcipuus Helsingorum Apostolus S. Stephanus Corbeiensi Monachus strenuè meretur.*

843 363 *Immortale atque dignissimum tanto viro meritum Strabonis nostri, cui primum debetur Glossa ordinaria comportata.*

844 364 *Bremensem Cathedram ex Episcopali Metropolitanam effectam Saxones Sanct. Ansgario nostro debent. Felicitas Hispaniæ jure sanctitati Alphonsi Regis nostri adscribenda.*

845 365 *Magni illius Hinckmari Rhemensis Archiepiscopi, & Hilduini Abbatis ingentia de Gallis merita.*

846 366 *Freculphus Luxoviensis totius sæculi decus, immortalibus ingenii monimentis æternum orbi prodest.*

847 367 *Libertatem eligendi Pont. Roman. rursum periclitantem æterno merito redimit S. Leo noster IV. idem illibata Imperio jura Cæsaribus promittit: grandi peste, sed & incendio urbem liberat, &c.*

848 368 *Concilio Moguntiæ celebrato insigniter de Germania Rhabanus meretur. Idem à pestilentissima Godscalci Hæresiarchæ lue eandem vindicat.*

849 369 *Insigni victoria Divinis Mysterius armatis legionibus nostris Saracenos debellat S. Leo noster.*

850 370 *Leo Pontifex Ecclesias urbis restituit. Hispanias illustri certamine animat, & sanguine suo ornat S. Perfectus M.*

851 371 *Anglia universa Tributaria fit Romanæ Ecclesiæ, ita permoto sanctitate S. Leonis PP. Rege ejusdem Addulpho. Rursum plures è nostris pro fide in Hispania occumbunt.*

852 372 *Rursum nostri Hispanias suo sanguine excolunt. E Gallia Godscalci Hæresim Hincmarus eliminat.*

853 373 *Romæ Concilio celebrato insigniter Ecclesiæ consulit S. Leo. In Galliis atque Hispaniis plures è nostris Martyres.*

854 374 *Centumcellense oppidum eversum à Saracenis, restitutũ, & plura alia loca munita debentur S. Leoni nostro. Debet eodem tempore initia sua, & omnem exin felicitatem, nostris Tigurinorum Metropolis.*

855 375 *Lotharius Imp. portu Religionis excipitur, S. Leo moritur cui vitam atque opes Italia debet S. Petrus noster conversioni gentium intentus Martyrio pro laboribus coronatur.*

856 376 *Rursum apud Frisones alius è nostris Apostolicos labores glorioso fine Martyrii consumat S. Hieron. Plures item in Hispania Martyres. Bassatio Abbati Casinensi debetur Campania à Saracenis liberata. Rhabano Vniversus orbis debet Isogrammaticæ expositionis S. Scripturæ inventionem, & alia plurima Gallia, & Germania.*

857 377 *Indicta Moguntiæ Synodo præclarè meretur Carolus noster ibidem Archiepiscopus. Cella, & Episcopicella oppida condita nostris originem referunt.*

858 378 *Bremensem & Hamburgensem Cathedras copulatas, & successores vicarios Sed. Apost. in omnibus gentibus Danorum, Suecorum, Sclavorum, &c. constitutos S. Ansgario nostro debetur. Iterum relapsos sub uno Rege ad gentilismum Danos revocat, & Regem ipsum convertit S. Ansgarius.*

859 379 *Rursum in Hispania purpura sanguinis nostrorum Ecclesiæ decorem commendat. Occumbit gloriosus ille S. Eulogius noster.*

860 380 *S. Remberti Apostolatu in Dania gloriosus hic annus. Collegia, Xenodochia, &c. per septentrionem plurima extruit S. Angarius.*

861 381 *S. Bertharius Abbas Casinensis plurimos labores suscipit ad Italiam à Saracenis liberandam.*

862 382 *Viri sanctitate atque doctrina præstantissimi ex ordine nostro Ecclesiæ mirum in modum consulunt.*

863 383 *Germaniam suo sanguine tingit S. Meinardus noster à quo initia dignissimi Einsidlensis cœnobii, ex quo infinita in orbem merita redundarunt.*

864 384 *Regum ac Principum plurimi salutem in cucullo quærunt, in S. Galli unico cœnobio 200. seu 300. sanctitatis nomine eodem tempore celebrantur.*

865 385 *Moritur Maximus Sueciæ, Gotthiæ, Daniæ omniumque Aquilonarium Apostolus SS. Ansgarius.*

866 386 *Ex Scholis nostrorum virorum doctissimorum agmina prodeunt. Cantum Musicum varia modulatione primus in Germania componit Ioannes noster Monachus, discipulus Rhabani.*

867 387 *Immensi penè labores, & merita innumera Sanct. Remberti nostri in conversione gentium, & liberatione captivorum.*

868 388 *Hinckmarus noster causam Ecclesiæ apud Reges summo ejusdem bono agit, & æternum meretur. Diligentia nostrorum omnis Historia, unica lux temporum, in orbe subsistit, & conservatur.*

869 389 *Convertendis Bulgaris nostri egregiam operam navant, quorum Rex Trebellius Monachum induit.*

870 390 *Angliæ, & Scotiæ Regna nostrorum sanguine fœcundantur. Ingens Heroissarum SS. Virginum constantia.*

871 391 *Ansegisi Senonensis Archiepiscopi æternum ab insigni exemplo meritum, inter alia legibus Francorum in volumen collectis. Gallia florentissima, & felicissima sanctorum, & Doctorum ex ordine nostro copia.*

872 392 *Neque minor Germaniæ felicitas ex tantorum virorum multitudine.*

873 393 *S. Adalgairus incredibili labore in Dania, Suecia, Gothia desudat. Burgundia multum debet Ysoni nostro.*

S. Salo-

874 | 394 *S.Salomon ex Rege Britanniæ minoris Monachus, hoc anno Ecclesiam suo etiam sanguine honorat.*

875 | 395 *Corbeienses Monachi multas Slavorum provincias, & Rugianos inprimis ad fidem Christi vocant.*

876 | 396 *Nostri ex Hibernia catervatim in Gallias, & Germaniam effunduntur, & cathedras scholasque beant.*

877 | 397 *Hinckmarus Regno Galliarum utilior quam Reges ipsi, instruendo eosdem æternùm meretur, relictis maximè eis suæ operæ monimentis.*

878 | 398 *Regnum Angliæ vastum incultumque à nostris denuo restituitur, excoliturque, & Rex veniam à Deo obtinet.*

879 | 399 *Gitro Danorum Rex, precibus S. Neoti merentibus, insigni clade profligatur, atque exin Christo dat nomen.*

880 | 400 *Oxoniensem celeberrimam Academiam institutam Angli Sanct. Neoti nostro debet, sive potius ejus splendorem, ac restitutionem pridem per nostros instituta.*

881 | 401 *Ingens Martyrum ex ordine numerus per Hispan. Gallias, Belgiumque. Fraudem Græcorum nequissimum detegit Ioannes Diaconus.*

882 | 402 *Hæresim prædestinatorum convincit Hinckmarus noster. Rursum totæ Martyrum legiones ex Ordine cælo adscriptæ.*

883 | 403 *Scholas ipsas purpura Sanguinis sui ornat S.Ioannes Scotus noster à discipulis lente confossus.*

884 | 404 *Ingens Monachorum, ex universa Italia, confluentium, Casini cum Berthario Martyrio afficitur multitudo.*

885 | 405 *Immensa in orbem utilitas per nostros redundavit: instituta Confraternitate fratrum vulgo Conscriptorum, in quam Impp. & Reges potentissimi adscripti, & pietas longè latèque propagata.*

886 | 406 *Rhemensium Scholarum auctor Fulco noster Archiepisc. idem multis nominibus de Gallis meretur.*

887 | 407 *Iterum toti Martyrum exercitus ex Ord. nostro: Solum Gemeticum Monaster. nongentos una die victimas consecrat.*

888 | 408 *Moritur Magnus ille Danorum Apostolus S.Rembertus. Conditum in Monte Serrato Cænobium ex quo immensa meritorum copia in orbem dimanavit.*

889 | 409 *Apostolatum suum Martyrio consummat gloriosissimus Sueciæ, Gotthiæ, & Helsingæ Apostolus S.Stephanus. In iisdem Regionibus haud impari fructu labores prosequuntur SS. Otgerus & Adalvvardus nostri.*

890 | 410 *S. Samson Abbas S. Zoili, strenuè pro Ecclesia contra Saracenos pugnat, & Mahometi sectam debellat.*

891 | 411 *B. Sunderoldus Archiep. Moguntinus pro patria occumbit. Succedit totius Germaniæ bono maximo Hattho.*

892 | 412 *Rursum de Ecclesia merentur strenuè, eamque excolunt plurimi nostri Martyres.*

893 | 413 *Imminenti Ecclesiæ ruinæ ut subveniat Fulconem nostrum hortatur Summus Pontifex. Idem suæ etiam Ecclesiæ æterno merito prospicit.*

894 | 414 *B.Fulco Galliæ regno insigniter consulit, & pro eo indigna patitur, plures è regibus cucullo beantur.*

895 | 415 *Concilium Triburiense operâ nostrorum utilissimum. De Germania atque Ratisbona meritissimus B. Tuto noster.*

896 | 416 *Salomon Constantiensis, & Hattho Moguntiæ Præsules universum cum Cæsare administrant.*

897 | 417 *Friderico nostro Patriarchæ Aquileiensi Magna Virginum Virgo, & Ecclesia debet festum Conceptionis B. Mariæ Virg.*

898 | 418 *Adalgarius, & VViggarius Apostoli nostri, ille in Suecia ac Dania, iste in Helvetia præclarè merentur. Debet se totam rursum Gallia Fulconi nostro, & Odonis Tyranni, & Nortmannorum illuvie liberata.*

899 | 419 *Agrum Frisiæ Apostolico labore percolit S. Kadbodus noster Trajectensis Episcopus.*

900 | 420 *Illustrissimo Martyrio innumera merita coronat S. Falco noster pro defensione libertatis Ecclesiasticæ occisus.*

901 | 421 *Incredibili Martyrum copia ex Ordine nostro Ecclesia exornatur, & Sicilia maxime fæcundatur.*

902 | 422 *Pro defensione Religionis, & libertatis Ecclesiasticæ S. Grimbaldus fortiter certans in exilium actus moritur.*

903 | 423 *Iterum plurimo nostrorum sanguine ager Dominicus impinguatur.*

904 | 424 *Doctoratu suo, & Hymnorum ab Ecclesia receptorum compositione insigniter meretur B. Ratpertus Monachus.*

905 | 425 *Ioannes IX. Pont. Max. Ecclesiam afflictissimam recreat, & tribus conciliis celebratis plurimum juvat.*

906 | 426 *Copiosissimus triumphis Martyrum nostrorum denuo hic annus. Immortale nostrorum meritum ob innumeram librorum copiam posteritati transmissam.*

907 | 427 *Ex ore Tutelonis nostri varios Ecclesia cantus excepit, hodieque cum ejusdem merito usurpat.*

908 | 428 *Constantia Vrbs ad Rhenum atque lacum Bodamicum auctam se atque exornatam debet Salomoni Episcopo.*

909 | 429 *Moritur insignis Sueciæ, Gotthiæ, Frisiæ, &c. Apostolus S. Adalgarius, cui succedit in Apostolatu S. Hogerus.*

910 | 430 *Conditur Sanctissimum Cluniacense Cœnobium, quod totos paulo post Sanctorum exercitus cælo transcripsit.*

911 | 431 *De Principibus ac Magnatibus Germaniæ meritissimum Augiæ Cœnobium, totas cohortes cœno sæculi eductos recipit.*

912 | 432 *Germaniam insigniter demeretur S. Notkerus Balbudus, quem Impp. in rebus gravissimis consulebant.*

913 | 433 *Moritur gravissimis de Imperio meritis locupletissimus Hattho Archiep. vulgo secundus Imperator dictus.*

914 | 434 *Salomoni nostro, Pontifici suo, Ecclesia Constantiensis, jura sua, & bona servata debet, & insidiantibus prærepta.*

915 | 435 *Magnus Saxonum, Suecorum, Danorum, &c. Apostolus S. Hogerus, post longos labores præmia æterna recipit.*

916 | 436 *Sanctissimus VVimo noster Bremensis Archiepiscopus efferatissimos Gothiæ populos Ecclesiæ reducit.*

917 | 437 *Post innumeros apud Frisios labores ad quietem vocatur Sanctissimus Frisiæ Apostolus Radbodus.*

918 | 438 *Debet amplissima Diœcesis Constantiensis Salomoni nostro Episcopo S. Pelagii Patroni sui exuvias, &c.*

919 | 439 *Moritur de Imperio universo atque inprimis Germania, & Constantia sua meritissimus idem S. Salomon.*

920 | 440 *Albanense in Hispan. & S. Flori in Arvernia Cœnobia conduntur, quibus originē suam referunt cognomines duo potentissimi Episcopatus.*

921 | 441 *De Germania æternum meretur Otfridus Monachus noster, qui patriam linguam ab interitu revocavit.*

922 | 442 *Diversi passim Episcopatus felicitatem nostris debent. Ruthgerus Archiep. Trever. Decretorum librum utilissimum collegit.*

923 | 443 *Regino noster Prumiensis opus de Ecclesiastica disciplina absolvens, eam mirè adjuvat, & propagat.*

924 | 444 *Misnensis Saxoniæ Cathedra Originem suam, & splendorem nostris debet.*

925 | 445 *Germaniam iterum Martyres nostri suo sanguine ornant atque impinguant.*

926 | 446 *Quod nec Imperator hoc tempore præsumeret solus S. Guibertus noster Vngarorum exercitui occurrens eosdem redarguens plurimos Christo adduxit.*

927 | 447 *Consilia B. Hildeberti nostri Ottho Imper. & Imperium universum nititur, & juvatur.*

928 | 448 *Contra Anthropomorphitarum Hæresim Ecclesiam constantissimè propugnat B. Ratherius noster.*

929 | 449 *Quedlinburgense illud sanctissimum Cœnobium conditum, cui totæ Principum Germanorum cohortes salutem suam referre constat.*

930 | 450 *Relapsos ad Gentilismum Danos cum Insulis omnibus adjacentibus ad Christum reducit S. VVimo noster.*

Sacra-

931 451 *Sacramentariorum Hæresi insigniter occurrit B. Ratherius. Reges & Reginæ plurimæ salutem in cucullo quærunt.*

932 452 *Devictis Saracenis, liberata atque peccata Italia, saluti suæ in Cœnobio consulit B. Ursus Participatius.*

933 453 *Nordmannos ac Suecones Christi Ecclesiæ immortali merito aggregat S. VVimo Apostolus noster.*

934 454 *Plures egregia Sanctitate Episcopi vitæ exemplo, & grandibus meritis suæ cathedræ, & Ecclesiæ universæ plurimum prosunt.*

935 455 *Causæ, & negotia universi ad Cluniacenses Monachos deferuntur, atque iisdem commendantur.*

936 456 *Hugone Rege, & Alberico inter se conciliatis gravi internecione Italiam liberat S. Odo. Idem disciplinam Ecclesiasticam in Italia collapsam restituit. Moritur magnus ille noster Danorum, Gothorum, Sueonum, Sclavorum, Cimbrorum, & Scytharum Apostolus S. Unni.*

*Ottho Magnus Imperator primus Germanorum à Sanct. Hildeberto nostro inauguratur.*

937 457 *Flandriæ Ecclesiæ plurimum debent Transmaro Tornacensi Episcopo, eas in libertatem asserente.*

938 458 *S. VVenceslaus noster Bohemiæ Dux Martyr occumbit. S. Odo miraculis ac sanctioris vitæ exemplo plures ad saniora revocat.*

939 459 *Grandi fructu universi Belgii collapsam restituit passim disciplinam S. Gerardus Broniensis.*

940 460 *Plurimum debet S. Dunstano nostro, sed & vitam eidem debet hoc anno Rex Edmundus.*

941 461 *Admirandus in Ecclesiam redundat fructus* 2000. *Cœnobiorum se Sanctissimo Odoni nostro subjicientibus, & catervatim naufragis sæculi portu Religionis in tutum receptis.*

942 462 *Rursum in componenda Italiæ pace laborat S. Odo, & plurimis aliis titulis præclarissimè meretur.*

943 463 *Salutem in cucullo quærit Constantinus III. Scotiæ Rex Sanctitate vitæ plurimi Orbi prosunt.*

944 464 *Hugo Italiæ Rex post vigesimum Imperii annum Religionis portu recipitur.*

945 465 *Bohemia, S. Ioannis Pennensis Cœnobii Monachis denuo debet lumen fidei communicatum.*

946 466 *Iterum Angliæ Regnum longè felicissimum, Edredo Rege, seque Regnumque S. Dunstano nostro subjiciente.*

947 467 *S. Ælphegus VVintoniensis in Anglia Episcopus de eodem Regno meritissimus in cœlum abit. Nostri exorientes Hæreses opprimunt feliciter.*

948 468 *Christus Dominus Cœlo descendens ipse consecrat Sacellum B. M. V. Einsidlense, ab ipso cœnobio, & ejus Monachis ingentia dein in Germaniam beneficia propagata.*

949 469 *Artaldo nostro Archiepiscopo suo Rhemenses debent præter plurima Comitatum Rhemensem, &c. Eidem Gallia universa plurimum obstricta. Plures Reges cucullum amplexi.*

950 470 *VVormatiensis Cathedra in gratiam Annonis nostri liberalissimè aucta. Sic & aliæ plurimæ.*

951 471 *Reges ac Principes plures cucullo tecti de sæculo triumphant. Templa, & Xenodochia aucta in Urbe Constantiensi S. Conrado nostro debentur.*

952 472 *Scholarum apud nostros ingens, & inexplicabilis utilitas, ex quibus hoc tempore Sanctorum ac Doctorum tota agmina prodiere.*

953 473 *Debet initia Annoni, & progressus, reliquis D. Galli Abbatibus, opulentissima hodie Urbs Sangallensis.*

954 474 *Otthonem Regem, filiumque ejus Luitolphum paratis exercitibus inter se concursuros conciliat S. Adalricus.*

955 475 *Merseburgensis potentissimi Episcopatus initia nostris debentur: Sed & Victoria de Ungaris relata.*

S. Dunstanus dum Regem à sceleribus revocat, exilio mulctatur. Inde Regnum penè omne concidit, quoad deturbato Rege, Dunstanus revocatur.

956 476 Vniversum cumulat, & prodigiosè factis mirificè exornat Sanct. Majolus Abbas Cluniacensis.

957 477 Felicissimum rursus Regnum Angliæ, dum S. Dunstano Edgarus Rex seipsum, & Regnum subjicit.

958 478 Moritur meritissimus ille de Belgio S. Gerardus, Abbas Broniensis, qui in hodiernam usque diem grandibus prodigiis mereri nunquam desiit.

960 480 S. Adelbertus noster in causa fidei apud Russos gravissima patitur. S. Dunstanus illustri exemplo Pontificem perditissimum veneratur.

961 481 VVidichindo nostro æternum obligata posteritas omnis ob Historiam. Principes plures portum Religionis subeunt.

962 482 S. Guiberto nostro præter plurima quæ ipsi debentur, referenda initia oppidi Gemblacensis. Verè aureum suum Chronicon scribit Flodoardus.

963 483 S. Ethelvvoldus noster meritorum immensitate celebratissimus Angliæ Regno prodest.

964 484 S. Osvvaldus noster VVigorniensis Episcopus acerrimus inferi debellator Ecclesiam illustrat.

965 485 VVilla Italiæ Regina cucullo Regnum posthabet. Principes Germaniæ Sanct. Galli Monachis ad pietatem accenduntur, atque inde ingens Imperio bonum accrescit.

966 486 Meretur de Vniverso imperio præclarissimè Hattho noster Moguntinus Archiepiscopus.

967 487 Innumerum pauperum multitudinem ab interitu vindicat Sanct. Etthelvvoldus. Eckardus Sanct. Galli Monachus Otthonem juniorem Imperio educat atque informat.

968 488 Milverburgensis in Misnia Episcopatus nostris originem debet. In conversione gentium sedulus S. Adelbertus.

969 489 Primus è nostris Merseburgensium Episcopus Boso Ecclesiam ornat. In Cœnobio admirandam consequitur sanctitatem S. Mathildis Imperatrix.

970 490 Incredibili fructu opera S. Dunstani Concilium Generale adversus incontinentiam clericorum celebratur, cui ipse præsidere à Ioanne Pontif. Maxim. jubetur.

Idem Sanct. Dunstanus inaudita planè constantia Regem Edgarum corripit, & punit.

971 491 Primus Magdeburgensium Archipontifex cathedram miranda sanctitate exornat S. Adalbertus noster. Plurimam debent SS. Ethelvvoldo, & Honesto nostris Ecclesiæ Vvintoniensis, & Ravennatensis.

972 492 Moritur B. Ratherius noster insignis, extirpator Hæresis. Anthropomorphitarum, veritatis zelator, Principumque terror.

973 493 Summa enitet in Cœnobio vitæ sanctitate Adelheidis Otthonis Magni Imper. quondam Conjux. Gliscentibus Hæresibus Eucharistico Sacramento insidiantibus strenuè nostri occurrunt.

974 494 Splendidissimum Ecclesiæ universæ atque orbi sydus illucescit Sanctissimus Romualdus noster.

975 495 Sententia pendentis in Cruce Christi Imaginis Monachorum causa in Cathedralium Ecclesiarum possessione defenditur.

976 496 Dignissimum Apostoli VVandalorum Titulum meretur S. Adalbertus noster.

977 497 S. Ingelmundus Renemariensium Apostolus celebratus, qui etiam à morte plurimum meretur.

978 498 Summo universi bono se longè latèque extendit Congregatio Camaldulensium, cui dat nomen Petrus Vrseolus Saracenorum domitor.

979 499 Miranda S. Dunstani contra Regem constantia. Monachorum insignia de Angliæ Regno merita.

980 500 S. VVolfgangus noster celebratus. De Vngaris primus eorum Apostolus præclarissimè meretur.

981 501 Scholæ Magdeburgenses opera S. Adalberti plurimum efflorescunt, & orbi prosunt.

982 502 Insigni opera at labore Bohemorum Apostoli nomen lucratur Sanctissimus Adalbertus noster.

Hildesheimensis Ecclesia, & canonici opem ac sortem suam debent Othvvino nostro Episcopo.

983 503 Moritur S. Adalbertus Apostolus VVandaliæ, Ethelredo Regi pro Ecclesiæ libertate se constantissime opponit B. Dunstanus.

984 504 Sanctissima Editha Regina Monacha nostra moritur, cui debet se ipsum ab interitu liberatum Rex Canutus.

985 505 Viri ex Ordine doctissimi Hæreses rursum profligant, & de Historia æternum merentur.

986 506 B. Miladæ nostræ, Bohemiæ Ducissæ, primas Scholas publicas debent Boemi. Claret doctissima illa Rosvvidis.

987 507 Claret VVitegovius Abbas Augiensis, ob merita, vulgo Os & manus Regis. Prima, item inter catholicas columnas.

988 508 Insignis Germaniæ, & finitimarum Regionum Apostolus S. Lubentius Bremensis claret.

Moritur mirificus ille Dunstanus noster Cantuar. Archiepiscopus. Vir verè Apostolicus.

989 509 S. Adalbertus summis Boemorum votis ad Apostolatum suum revocatus, Pontificis, & Synodi jussu redire cogitur, & strenuè laborat.

990 510 S. Adalbertus idem Geisa Duce ad fidem converso Vngariæ etiam Apostolatum meretur.

991 511 Tribuno Memo Monacho nostro, quondam suo Duci Veneti Patriam debent contra Otthonem Imper. defensam. Compostellana Cathedralis Ecclesia, adeoque S. Iacobus, debet Patrimonium suum S. Petro Episcopo nostro.

992 512 B. Abbo noster Floriacensis Abbas Titulum Apostoli Vasconum meritus Martyr occumbit.

993 513 Multa operariorum millia agrum Dominicum incolunt opera S. Majoli nostri. Idem Principum oraculum fuit, & miraculum universi.

994 514 Incredibile pietatis argumentum per universum orbem, propagante reformationem Cluniacensem S. Odilone.

995 515 S. Leo noster Abbas S. Bonifacii in Vrbe, Ecclesiæ insigniter consulit, celebrato Rhemis Concilio, cui jussu Ioannis XV. ipse præsedit.

996 516 S. Gregorio V. debent honorem suum Electores Imperii, & Germania. Consequens inde bonum Tiburtini, nomen, vitam, atque omnia debent Romualdo nostro ab exitio vindicanti. Ottho III. Voto fit noster, quamvis morte interveniente præventus sit.

997 517 Martyrio coronatur S. Adalbertus noster Magnus Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Prussiæ, &c. Apostolus.

998 518 Immortaliter æternum debent S. Odiloni & Cluniacensibus Monachis, animæ purgatricibus flammis addictæ atque addicendæ, eorum per Ecclesias memoria instituta.

999 519 Moritur de Ecclesia, Imperio, Germaniaque meritissimus Gregorius V. cui succedit magnus ille Gilbertus.

1000 520 Hungaria Sylvestro nostro Titulum Regni, Metropolitanæ sedis dignitatem, & Regni insignia debet.

1001 521 Plurimum meretur sanctissimus ille Hunnorum, Sclavorum, & Ruthenorum Apostolus S. Bonifacius.

1002 522 Vngariam indefesso labore demerentur nostri. Nostris eadem debet Regem suum Stephanum.

1003 523 Primus ingenti gloria, & merito, sacræ militiæ classicum occinit Sylvester noster II. Eidem debetur Horologii, & organi aquatici inventio. Idem jurium Ecclesiæ strenuus defensor.

1004 524 Berengariana Hæresis pullulans, & paulatim serpens à nostris primum deprehenditur, & impugnatur. S. VVilhelmus noster Abbas Fructuariæ periculosissima bella avertit à Galliarum Regno.

1005 525 Argentoratensis Episcopatus auctus, & insigniter locupletatus debetur Alvvicono-

*co nostro, cui ipsa etiam urbs Argentoratensis dono data. Eodem modo propter Adalberonem ditata Basiliensis Ecclesia.*

1006 | 526 *Multas hominum myriades nostri hoc tempore eleemosynis sustentant. In Polonia ac Boemia per nostros fides propagatur.*

1007 | 527 *Immortali prorsus merito Ecclesiam obligat S. Fulbertus Carnotens. invictissimus ejusdem contra invasores bonorum, ac jurium Ecclesiæ belli Dux, & triumphator.*

1008 | 528 *Martyrio labores suos coronat insignis noster Prussiæ, Lituaniæ, & Sarmatiæ Apostolus S. Bruno Archiepisc. Summa ordinis gloria, atque universi emolumento Decretorum volumen absolvit Burcardus VVormatiens. Episcopus.*

1009 | 529 *Alius rursum Russorum, Hunorum, Sclavorum Apostolus S. Bonifatius Martyr occumbit, cui originem suam in acceptis refert Gnesnensis Archiepiscopatus. Sanctitate sedem S. Petri ornat S. Sergius IV.*

1010 | 530 *Poloniam sanctissimi sanguinis sui purpura tingunt Benedictus, Matthæus, &c. nostri.*

1011 | 531 *Angliæ Regnum rivis nostrorum sanguinis irrigatur. S. Elphegus hostium exercitum ab internecione liberat. De Illirico atque Vngaria meritissimus S. Ioannes Abbas Casinensis.*

1012 | 532 *Austriam Sancto Sanguine suo ornat atque impinguat Illustrissimus Martyr noster S. Colomannus.*

1013 | 533 *Regnum Vngariæ laboribus suis Christo jam pene universum lucrantur plures nostri SS. Monachi.*

1014 | 534 *Summo universi bono S. Henricum Cæsarem, acriter corripit, corrigitque Sanct. Poppo Abbas Stabulens.*

1015 | 535 *Hildesheimensis civitas jura Vrbis, & Mœnia, sed & Germania universa plurimum debet S. Bernvvardo nostro.*

1016 | 536 *Erchenboldo nostro plurimum Ecclesia Moguntina, & initia, ac opes suas debent Canonici S. Crucis ibidem.*

1017 | 537 *Nostrorum industria atque opera repullulascens Manichæorum Hæresis in Gallia opprimitur.*

1018 | 538 *Moritur Ditmarus noster de re Historica meritissimus, Catholicæ fidei assertor strenuus, & Hæreticorum nostro etiam tempore, æternus malleus.*

1019 | 539 *Rursum immortalibus meritis Basiliensem Cathedram obstringit Adalbero noster, accedentibus ad jus ejusdem Dominiis Pfeffingensi, & Landehrensi. S. Osbertus institutis publicè scholis de Belgio meretur.*

1020 | 540 *Moritur S. VValboldo Episcopus Leodiensis, qui inter alia merita gravissimas simultates inter Coloniensem, & Imperatorem composuit.*

1021 | 541 *Egregius Hæreticorum expugnator B. Guido noster, Musices docendæ, usitatam hodie rationem, invenit.*

1022 | 542 *Sanctissimum Henricum Imperatorem suum ab Admirab. P. N. Benedicto sibi restitutum, debet orbis Christianus, qui mortis periculo se Casinensi cœnobio devovit.*

1023 | 543 *Branthoo nostro Halberstadensi Episcopo, fortunas suas, atque omnia debent duo Canonicorum Collegia. Sanctitate, & doctrina clarissimi viri clarent.*

1024 | 544 *Moritur S. Henricus noster Imp. Aug. quem nostris Imperium debet. Benedictus Papa à S. Odilone è purgatorii flammis eripitur.*

1025 | 545 *S. Chunegundis Imperat. cucullum amplectitur. Cucullum præ Italiæ Regno, eligit VVilhelmus Aquitan.*

1026 | 546 *Revocavit pristinam Ecclesiæ disciplinam Burchardus VVormatiensis. Eidem debet se restitutam VVormatia.*

1027 | 547 *AEgyptum à Barbarie absolvit, & strenuè de AEgyptis meretur S. Bononius Abbas noster, S. Romualdus Cœlum triumpho implet, felicissimo transitu, congregatioque Camaldulensis ea sumit incrementa, ut totus terrarum orbis Monachismum professurus videretur.*

1028 | 548 *Moritur S. Fulbertus noster Carnatensis, quocum Philosophiæ in Francia studiũ, & decus præcipuum periit.*

1029 | 549 *Rursum de Vngariæ Regno ingentia nostrorum merita, in disseminatione Evangelij.*

S. Ioan-

1030 550 *S. Ioannes Gualbertus ordinem nostrum profitetur, atque Ecclesiam universam illustrat.*

1031 551 *S. VVilhelmus noster bellum civile in Regno Galliarum sopit, & Reges inter se conciliat.*

1032 552 *Magnam Cæli Imperatricem demeretur, & Vngariæ Regnum S. Gerardus, quod vectigale B. M. Virgini facit.*

1033 553 *Robertum verè pium Galliæ Regem, Galli nostris debent: clarent multa SS. millia.*

1034 554 *S. Popponi nostro Stabulensi plurimæ provinciæ debent Sanctorum copia se locupletatas.*

1035 555 *Arabiam atque AEgyptum Monachi nostri æterno merito, gravissima in fame prodigiosissimè sustentant.*

1036 556 *Berengarinæ Hæresi, jam in apertum erumpenti, pro Ecclesia opponunt pugiles nostri plurimi.*

1037 557 *Præter Vngariæ Apostolatum Silesiæ Apostoli Titulum meretur S. Gerardus, cui primam etiam in finibus suis Cathedralem sedem Moravi, ac Silesij debent.*

1038 558 *B. Guido Aretinus noster insigni constantia, & felicitate errores Berengarii convincit, enervatque.*

1039 559 *Ex Vngaria insolens Beatiss. Virginis cultus, Dominæ nostræ Titulo, in universum orbem propagatur.*

1040 560 *S. Chunegundis Imperatrix in cucullo miram indipiscitur sanctitatem, nec minor felicitas Gisilæ Vngariæ Reginæ S. Stephani uxoris.*

1041 561 *E cænobio, formatissimus Regno extrahitur B. Casimirus Poloniæ Rex, cui præcipuam suam felicitatem Poloni debent.*

1042 562 *Miranda prorsus constantia Ovonem Regni Vngarici invasorem, redarguit, & rejicit S. Gerardus noster.*

1043 563 *Immensa hoc tempore Sanctorum in ordine copia Orbi gratiam meretur. In solo Cluniaco Sanctorum millia convixere.*

1044 564 *Ingens meritum S. Gregorii VI. Papæ, qui statum Pontificii primo juris restituit, pacem quasi postliminio reduxit.*

1045 565 *Patris Patriæ titulum in Regno Poloniæ meretur B. Casimirus noster, quod etiam Ecclesiæ Romanæ tributarium facit.*

1046 566 *Stupendo mirandæ humilitatis exemplo, ut periculum schismatis tolleret, S. Gregorius Pontificatu se abdicans ad cænobium rediit.*

1047 567 *Beat Vngariam glorioso sanguine Protomartyr Vngariæ, Silesiæ insuper, & Moraviæ Apostolus S. Gerardus.*

1048 568 *Meritis locupletissimi cælum petunt SS. Odilo Cluniacensis, & Poppo Stabulensis Abbates, quibus multorum millium animi atq; corporis Salus debetur.*

1049 569 *S. Leo IX. electus à Cæsare, rejectis Pontificiis insignibus liberum eligendi jus Clero, & populo Romano restituit. Idem primo Pontificatus anno tria concilia celebrat, Hæresim Simoniacam profligat, &c. In Siciliam ad prædicandum Dei verbum missus S. Humbertus noster strenuè desudat.*

1050 570 *Insigni universi bono duo Romæ Concilia S. Leo IX. celebrat. Idem de Venetis æternum meritus Patriarchatus ibi Cathedra constituta.*

1051 571 *Vniversi bono maximo Vallumbrosana congregatio propagatur, & multos orbi apud Deum patronos alit. Libidinis turpissimum scelus ex Ecclesia undique profligat S. Leo noster.*

1052 572 *Immortali laude dignissimum studium S. Leonis nostri, quo ut Imperatorem, & Regem Vngariæ dissidentes conciliaret, difficillimum iter in Germaniam suscepit. Perniciosissimam, de reordinandis ordinatis à Simoniacis, Hæresim, unus Damianus noster profligat.*

1053 573 *S. Leo noster agit cum Imperatore de intoleranda Northmannorum immanitate opprimenda.*

1054 574 *Laborat æterna cum ordinis gloria S. Humbertus noster, in Orientali Ecclesia cū Romana conjungenda. Moritur immortaliter de universo, & Germania meritus S. Leo, Item Hermannus contractus, ex cujus ore universa Ecclesia toties veneratur cælitum Imperatricem:* Salve Regina, &c.

1055 575 *Grandi prodigio Ecclesiam Simoniacis prælatis liberat S. Hildebrandus noster. Sed & Berengarium ipsum convincit.*

1056 576 *Inæstimabilia S. Damiani nostri merita officio B.M.V. in Ecclesiam, & usu flagellorum introductis. Idem ut Feria II. animabus defunctorum liberandis, sexta, Dominicæ passionis, Sabbatum B. M. Virginis memoria distinguerentur auctor fuit.*

1057 577 *Originem nostris debet Ecclesia Cathedralis Conventuensis. Meretur æternum S. Stephanus IX. noster.*

1058 578 *Moritur Sanct. Stephanus PP. insignis libertatis Ecclesiasticæ defensor. Sanctitate Regium nomen ornat, regnumque beat S. Casimirus noster Rex Poloniæ.*

1059 579 *Relapsum tertio Hæresiarcham Berengarium, Hæresim ejurare nostri cogunt. Inter alios nostros Albericus Casinensis propugnatoris SS. Sacramenti Titulum meruit. S. Damiano nostro se debent Mediolanenses, ducentorum ferè annorum Hæresi Nicolaitarum liberatos.*

1060 580 *Ex S. Lanfranci nostri Schola Theologia Scolastica enata. VVeingartensi Cœnobio salutem plurimi Germaniæ proceres debent.*

1061 581 *Contra Schismaticos, & Hæreticos constantissimè Ecclesiam propugnant SS. Hildebrandus, & Damianus.*

1062 582 *Incredibile rursum S. Damiani meritum in Concilio Osboriensi omnibus Patribus ipsi contra Antipapam acclamantibus.*

1063 583 *Florentinos à Simoniacæ Hæreseos pestilentissima lue liberat S. Petrus noster Monachus.*

1064 584 *Incredilili dicendi libertate Imperatorem aggressus Damianus, effecit denique ut Legatum pro Schismate componendo Romam mitteret, inde in Concilio Mantuano Antipapa rejectus est.*

1065 585 *S. Petrus Damianus varias rursum Hæreses, Incestuosorum, Nicolaitarum, &c. profligat. Principes plurimi Religioni se addicunt.*

1066 586 *In conversione Sclavorum desudat plurimum S. Benno noster. Berengarianam Hæresim constantissimè oppugnat S. VVolphelmus.*

1067 587 *Ecclesiæ universæ bono maximo efflorescit congregatio nostra Columbina. Marianus Scotus de re Historica æternum meritus, & totus Doctorum exercitus in ordine nostro floret.*

1068 588 *Ingens illud Ecclesiæ universæ decus, Magnus Hirsaugiæ Abbas S. VVilhelmus efflorescit.*

1069 589 *Insigni infamiæ malo Imperatorem atque Imperium liberat S. Petrus Damianus noster. Principes plurimi in cucullo servati.*

1070 590 *Alphonsus Hispaniarum Rex salutem suam hoc anno nostris debet. Sanct. Lanfr. Summo Angliæ bono, Ecclesiæque universæ ornamento fit Archiepiscopus Cantuariæ. Alexandri Summi Pontificis salutem debet Ecclesia universa S. Ioanni nostro Lucensi.*

1071 591 *Tribus præclarissimis voluminibus errores Berengarii profligat B. Guidmundus noster Aversanus.*

1072 592 *Ravennates S. Damiano nostro se debent à schismate vindicatos. Idem diluvii universalis exsiccator.*

1073 593 *Infinita quasi primo Pontificatus anno S. Gregorii nostri VII. de Ecclesia, & Imperio merita.*

1074 594 *Rursum de diversis aliis regnis ingentia S. Gregorii nostri VII. merita. Idem expeditionem contra Northmannos, & Saracenos parat.*

1075 595 *Concilium Romæ ab eodem celebratur & diversis per orbem Regnis egregiè consulitur.*

1076 596 *Summo Regni Galliarum bono, Ecclesiæ univirsæ ornamento Congregatio Grandimontensis propagatur. Croatiæ, ac Dalmatiæ Regna Coronam, & Reges Gregorio nostro VII. debent.*

1077 597 *Sigefrido Moguntino Archiepiscopo Moguntina Diœcesis debet Simoniacis se liberatam. Fornicarii Presbyteri in Flandria oppressi à Gregorio VII.*

1078 598 *Norvvegiam in dilatanda fide Christiana demeretur S. Gregorius. Idem eodem anno Concilia plura celebrat summo Ecclesiæ bono.*

*Meretur*

1079 | 599 *Meretur de Ecclesia universa Berengario Hæresiarcha in pleno Concilii Romani consessu convicto S. Bruno noster Signiensis dein Pontifex. Inter innumera merita pacem diversis provinciis, & Regnis conciliat, & Dalmatiam à gravi clade eripit S. Gregorius VII.*

1080 | 600 *Nunquam satis laudanda nostrorum in Ecclesia contra schismaticos defendenda magnanimitas. Infiniti S. Gregorii nostri labores.*

1081 | 601 *S. Gregorius Pontificia auctoritate Occidentis, Orientisque Imperatoribus opponit, & hoc anno Alexium vincit.*

1082 | 602 *Romam ab incendio, & hoste liberat S. Gregorius. S. Norberto nostro plurimum prosunt.*

1083 | 603 *Abundante malitia nostri spiritu Domini magnis incalescunt, & potentissimi proceres sæculi inconstantiam fastidientes sese cucullo tegunt.*

1084 | 604 *De Orientis occidentisque Imperatoribus triumphat S. Gregorius VII. Sed & de schismaticis S. Anselmus Lucensis.*

1085 | 605 *Moritur Gregorius VII. verè Maximus Pont. immenso immeritorum cucullo verè immortalis, & de Cælitum etiam Imperatrice meritissimus. Obiit Robertus Guiscardus S. P. N. Benedicto addictissimus fortissimum in prælio S. P. N. Benedictum Cælo descendentem expertus.*

1086 | 606 *Desiderii Abbatis Casinatis mirandum contemptus honorum, rejecto summo Pontificatu exemplum deprædicatur. S. Anselmus Lucensis etiam mortuus Schismaticos Ecclesiæ conciliat.*

1087 | 607 *S. Victor II. Pont. Max. Saracenos in Africa profligat, & Romam schismate liberat.*

1088 | 608 *Eligitur S. Vrbanus noster II. qui vix adito Pontificatu ad S. P. N. Casinum invisens, morti proximus prodigiosè per S. P. N. curatus, Ecclesiæ restituitur. De Toletano Archiepiscopatu ejusque Ecclesiis immortaliter merentur S. Bernardus noster, & alii nostri.*

1089 | 609 *Fluctuanti Ecclesiæ insigniter adest S. Vrbanus II. Meretur de Ecclesia universa S. Gebhardus Dux Zaring. Episcopus Constantiensis.*

1090 | 610 *Duo Concilia uno anno celebrat S. Vrbanus II. S. Thiemo Archiep. Salisburgensis velut alter S. Athanasius pro Ecclesia exagitatur.*

1091 | 611 *Sæculares homines, instituto Sanct. VVilhelmi Hirsaugiensis, vitam quasi Religiosam sub Magisterio Monachorum vivunt. Iterum concilium celebrat B. Vrbanus.*

1092 | 612 *Nostrorum egregia contra Schismaticos Ecclesiæ navata opera. Catanensis in Sicilia Cathedra nostris originem debet.*

1093 | 613 *Rursum generali celebrato Concilio perinsigniter meretur S. Vrbanus. Moritur S. Lanfrancus, cui felicitatem suam omnem debet Regnum Angliæ. Succedit Magnus ille S. Anselmus noster.*

1094 | 614 *Profligat repullulascentem Sabellianorum Hæresim S. Anselmus. Idem defensor Ecclesiasticæ libertatis.*

1095 | 615 *Duo iterum Concilia celebrat S. Vrbanus PP. Zamorensis Episcopatus nostris originem debet. S. Bernardus Florentinus Schismaticos Ecclesiæ conciliat.*

1096 | 616 *B. Vrbanus PP. auctor Cruciatæ contra infideles. Eodem anno, haud impari merito, Officium B. M. V. etiam ad Clericos transfert, & rursum Concilium celebrat, Turonense.*

1097 | 617 *Immensa S. Anselmi merita, profligatis in pleno Concilio Græcis, & Mahometanis plurimis conversis.*

1098 | 618 *Rursum Concilium Romæ celebrat S. Vrbanus, in quo S. Anselmus Schismaticos profligat. Summa universi utilitate Ecclesiam nova Congregatione Cisterciensi beat S. Robertus noster.*

1099 | 619 *De Saracenis triumphat, & Hierosolymam recipit S. Vrbanus: idem moritur immensis meritis locuples.*

1100 | 620 *Immortalibus meritis demeretur Ecclesiam S. Paschalis II. qui inter alia mox Pictavis Concilium celebrat: & in Oriente innumeros infideles profligat. B. Gebhardus noster Constantiensis, vir verè Apostolicus, Murus pro Domo Dei appellatur.*

Alte-

1101 | 621 *Alteram in Palæstinam expeditionem expedit S. Paschalis II. Innumera Sanctorum ex ordine copia.*

1102 | 622 *Iterum concilium celebrat B. Paschalis, in cujus & Gregorii VII, gratiam auctum insigniter S. Petri Patrimonium.*

1103 | 623 *S. Ioannis Equestris Ordo nostris initia debet. S. Anselmus pro libertate Ecclesiastica exulet.*

1104 | 624 *Compostellanæ Sedis Archiepiscopalis dignitas à nostris profecta. Concilium Trecense celebratur. In Persia, Armenia, Palæstina, atque ipsa AEthiopia, nostri pro Christo strenuè desudant.*

1105 | 625 *Paschalis PP. rursum Concilio celebrato Ecclesiæ consulit. Eidem se denique Henricus Imp. submittit.*

1106 | 626 *Ecclesiam diu concussam restituit Paschalis. Innumera hominum multitudo in portum Religionis evadit.*

1107 | 627 *Iterum inexplicabili merito Ecclesiam juvat S. Paschalis Concilio II. Trecensi celebrato. S. Bruno Abbas Casinensis pro Ecclesia strenuè laborat, & de Berengaria Hæresi triumphat.*

1108 | 628 *S. Paschalis Tyrannos varios opprimit, Romanorum insolentiam compescit, & Concilium Beneventi celebrat. S. Anselmus ingenti merito, pro Ecclesiastica libertate decertans, Regem denique convincit, flectitque.*

1109 | 629 *Inæstimabili merito Deiparentem V. ejusque amatores, devincit Sanct. Anselmus Festo Conceptionis introducto.*

1110 | 630 *Immensum meritum Opera Paschalis PP. Investiturarum juri diu vindicato Imperatorem renunciasse. Eidem Paschali debentur initia Episcopatus Bethlemitici.*

1111 | 631 *Egregius pro domo Dei zelator S. Bruno Casinensis, ipsi etiam summo Pontifici erranti, occurrit.*

1112 | 632 *Concilium Generale Romæ celebrat S. Paschalis in quo scandalo Fidelium medetur.*

1113 | 633 *Palæsthinam & Ecclesiam universam felicissima sanguinis sui purpura nostri exornant.*

1114 | 634 *Admiranda constantia Henricianam Hæresim oppugnat Chuno noster Cardinal. Comes Vracensis. Duo rursum Concilia celebrantur.*

1115 | 635 *B. Guido Archiepiscopus Viennensis Galliam beat. Trojano Concilio Ecclesiam mire juvat S. Paschalis.*

1116 | 636 *Rursum Concilium Romæ celebrat Paschalis. Lugdunensem Ecclesiam egregiè ditat Rainaldus Archiepiscopus.*

1117 | 637 *Origo Congregationis Fontis Ebraldi ingenti fructu & Ornamento Ecclesiæ. S. Benno noster Misnensis Episcopus etiam mortuus Cæsarem & Schismaticos impugnat. Concilium in Apulia per Paschalem nostrum.*

1118 | 638 *Moritur Paschalis II. innumeris de Ecclesia meritis ditissimus: Ecclesiasticæ libertatis restitutor. Succedit Gelasius II. ex Mon. Casinate, qui plurimam diem Pontificatus suo sanguine consecrat. Nostri Orienti plurimum prosunt.*

1119 | 639 *Celebrato ingentis fructus Viennensi concilio moritur B. Gelasius II. PP. Succedit Calistus II. ex Monasterio Cluniacensi, qui mox bellum ob investituras felicissimè comprimit. Idem mox indicit Concilium Rhemense.*

1120 | 640 *Debet Viennensis Ecclesia Calisto nostro PP. primatus dignitatem. Idem Calistus ad purgandam Ecclesiam totus incumbit.*

1121 | 641 *Calistus PP. rebelles Ecclesiæ edomat. Cæsarem ad officium revocat, permovetque.*

1122 | 442 *Eidem Calixto debetur Concilium Generale Romanum quo Ecclesiæ disciplina restaurata. Debetur eodem anno VVormatiense, quo denique sic Cæsarem flexit, ut Electionibus Episcoporum sponte renunciaret.*

1123 | 643 *Hispania Calixto nostro debet S. Iacobi Apostoli sui honorem mirè propagatum, & Compostellanæ Sedis Metropolitanam eminentiam. Eidem debetur ingens victoria de Saracenis reportata.*

1124 | 644 *Pomerani à S. Othone nostro ad fidem conversi. Hibernia desolata restituitur, resurgit-*

*surgitque per S. Malachiam nostrum. Memorabili exemplo, potentissimus Noricorum Dux Henricus, in Vineis Monachum profitetur.*

1125 | 645 *Moritur Magnus ille Bruno noster Signiensis Pontifex, gestis pro Ecclesia legationibus immortalis.*

1126 | 646 *Petrobussianorum Hæresim obterit B. Petrus Venerabilis Abbas Cluniac. Obiit S. Stephanus Grandimontensis Ordinis institutor, ex quo ingentia in Orbem merita.*

1127 | 647 *Insigni merito Concilio Drecensi præsidet B. Matthæus noster S. R. E. Card. ibidemque strenuè laborat pro Ecclesia S. Bernardus Clarævall. Tyri Archiepiscopatus initia nostris debita.*

1128 | 648 *Beatus Stephanus noster electus Patriarcha Hierosolymitanus pro juribus Ecclesiæ sese Regi opponens, eadem suo sanguine defendit.*

1129 | 649 *SS. Ecclesiam juvat & ornat mirificè, Mirabilis ille Abbas noster Rupertus Tuitiensis. Episcopos corigit, inutiles dejicit S. Matthæus noster Cluniacensis.*

1130 | 650 *Ecclesiæ gravissimis procellis agitatæ contra Schismaticos adest S. Bernardus Abbas Clarævallensis.*

1131 | 651 *S. Innocentius II. noster Concilium Rhemense indicit, in quo repetente Lothario Regi investituras. S. Bernardus ipsum mira auctoritate absterruit. Balduinus Hierusalem & Stephanus Vngariæ Rex salutem in cucullo quærunt.*

1132 | 652 *S. Innocentius noster PP. Galliam reformat, Synodū Placentiæ indicit. Pisanorum cum Genuensibus bellum componit.*

1133 | 653 *Hæreses in Armorica confutat D. Hugo noster Rothomagensis Archiep. Hildebertus idem Turonensis Archiepisc. merito à S. Bernardo magna Ecclesiæ columna appellatur.*

1134 | 654 *Celeberrimo Concilio Pisano Schismaticos profligat Innocentius II. S. Bernardus Mediolanenses à Schismate liberat.*

1135 | 655 *Aquitaniæ amplissima provincia cum suo Duce Guilhelmo insigni Sanct. Bernardi constantia Ecclesiæ reconciliatur.*

1136 | 656 *Inæstimabilia Sugerii Sanct. Dionysij Abbatis de Regno Galliarum merita, qui sui temporis Salomon appellatur, & pulcherrimis legibus Regnum reformat. Ludovicus Galliæ, & Ericus Daniæ Reges salutem in cucullo quærunt.*

1137 | 657 *B. Innocentius Papa gravi Romam atq; Italiam metu & tyrannide liberat. Apostoli titulum apud Hybernos meretur S. Malachias Metropolita.*

1138 | 658 *Ingenti merito Ecclesiam Schismate liberat S. Bernardus, persuadetque ut Victor pseudopontifex se Innocentio subjiceret.*

1139 | 659 *Summo Ecclesiæ bono Concilium Romæ Generale cogit B. Innocentius, & Arnaldistarum Hæresim profligat. Eodem anno Rogerium Siculum mirabiliter lucratur, & pænitentem Regni insignibus ornat.*

1140 | 660 *Petrus Venerabilis execrandum illum Hæresiarcham Abailardum errores non solum abjurare persuadet, sed & Monachum profiteri: ut in sanctitate dein proficeret.*

1141 | 661 *S. Vicelinus Aldeburgi Episcopus, Slavos, ac VVandalos convertit. Innocentius Papa totus in componendis intestinis tumultibus.*

1142 | 662 *Insignibus meritis Innocentium Papam, & Ludovicum Galliarum Regem gravissimè dissidentes conciliat SS. Petrus Cluniac. & Bernardus Claræval. Abbates.*

1143 | 663 *Reddita Ecclesiæ pace moritur B. Innocentius II. Papa, Galliæ Regem ferocius sævientem compescit S. Bernardus.*

1144 | 664 *Politicorum Hæresim & Romanorum obstinationem gravissimè impugnat Sanctus Bernardus. Ad Cluniacenses Monachos in gravissimis causis ex universo orbe concurritur.*

1145 | 665 *Pontificatus Eugenii III. initia Armeniorum per nostros conversione illustrantur. Idem Romanos rebelles compescit.*

1146 | 666 *Bellum sacrum indicit Eugenius Papa ad illud Maximos Reges & Principes permovet S. Bernardus. Eodem anno jussu Eugenii alia item expeditio suscepta adversus Boreales populos paganos.*

1147 | 667 *Expeditio in terram sanctam auspiciis Eugenii Papæ procedit, & absente Rege. Regni cura Sugerio Abbati committitur. Exortas eodem tempore Apostolicorum,*

*corum, & Porretanorum, Hæreses profligat S. Bernardus. Idem de maximè Petrus Cluniacensis Abbas Henricianam Hæresim expugnant.*

1148 668 *Summo Ecclesiæ bono Eugenius PP. Concilium Rhemense indicit, Eudonis Hæresim evertit. Bellorum gravissimorum incendia sopita. Moritur S. Malachias magnus ille Hyberniæ restitutor. Scalabim expugnatam S. Bernardi meritis debent Portugallenses.*

1149 669 *Inæstimabilibus meritis Germaniam demeretur universam S. Bernardus innumeros ad meliora revocando, sanando, ædificando, &c.*

1150 670 *Rarissimo merito S. Petrus Abbas Cluniac. Rogerium Siciliæ Regem cum Cæsare conciliat, Græcorum item Augustum ad saniora adducit.*

1151 671 *Immortali Ordinis splendore, Orbis commodo Gratianus noster Decretorum volumen absolvit.*

1152 672 *S. Bernardus Summo Pontifici ejusque successoribus plurimum prodest scriptis quinque de consideratione libris S. Elisabeth Schonaugiensis innumeram multitudinem ad pœnitentiam pellicit.*

1153 673 *Compositis intestinis tumultibus moritur B. Eugenius Papa. Eodemque anno in cælos abit ditissimus inæstimabilibus meritis Sanctus Bernardus.*

1154 674 *Moritur Anastasius Papa, Europam universam fame exedente prodigalissima liberalitate commendatissimus. Succedit Adrianus IV. ex Sueciæ & Nortvvegiæ Apostolo Apostolicus creatus.*

1155 675 *Ingenti peste Orbem liberat Adrianus Papa Arnoldo Heresiarcha profligato & cremato. Idem Schismaticos compescit. Adrianus Papa in conciliandis Romanæ Ecclesiæ multum laborat, & Legatos Constantinopolim mittit.*

1156 676 *Ingenti Ecclesiæ fructu, ejusque hostium detrimento ac terrore instituitur Ordo de Alcantara sub Regula nostra. Incredibili SS. copia Ordo efflorescit, paucissima Cœnobia multa sanctorum millia hoc ipso tempore alunt.*

1157 677 *Moritur S. Petrus Venerabilis, dictus invictissimum Ecclesiæ propugnaculum. Alius rursum sub Regula nostro Ordo à nostris instituitur, militum de Calatrava, Maximo Maurorum ac Saracenorum malo.*

1158 678 *Rudolphus Abbas S. Trudonis felicissimè Simoniacos impugnat. Scriptorum in Ordine mira copia, qui orbem universum, & sæcula æterna suis lucubrationibus demerentur.*

1159 679 *Moritur Adrianus IV. postquam Apostolicæ sedis dignitatem magnopere amplificasset, & S. Petri patrimonium contra Siculum strenuè defendisset.*

1160 680 *S. Eberhardus noster Salisburgensis Archiepisc. admiranda constantia contra Cæsarem & Schismaticos pro Ecclesia Dei murum se opponit.*

1161 681 *Immortale meritum B. Petri Tarentasiensis Archiepisc. funestissimum bellum inter Galliæ & Angliæ Reges componentis, eosdemque à Schismate revocantis.*

1162 682 *Eligitur Cantuariensis Archiepiscopus S. Thomas noster, professus ante electionem Regi se adversarium fore propter Ecclesiasticam libertatem, pro qua mox fortiter decertat. B. Hildegardis miro exemplo Catharorum Hæresim debellat. Egbertus Abbas repullulascentem Berengarii Hæresim scriptis & disputatione publica felicissimè profligat.*

1163 683 *Moritur B. Iossio ingenti merito, cultus B. V. M. in universum propagator. Sanct. Thomas Cantuariensis indignè ferens Regis ad suam electionem auctoritatem intercessisse, Romam profectus Papæ pontificatum resignat, & recipit.*

1164 684 *Moritur meritissimus ille de universo Decretorum Compilator Gratianus. Sanct. Thomas incredibili labore pro libertate Ecclesiæ desudat.*

1165 685 *S. Elisabeth Schonaugiensis Abbatissa moritur innumeris meritis meritissima, prophetiæ spiritu Orbi futura incredibili fructu prænuncians. Sibylla Fulconis Regis Hierosol. filia in cucullo miram sanctitatem indipiscitur.*

1166 686 *Potentissimi Germaniæ Dynastæ velut ad portum salutis invalescente Schismate confugiunt, & Monachos in Sanctissimis Cœnobiis Sangallensi, Augiensi, Schaffhusano, VVeingartensi, S. Blasij, &c. profitentur. Iterum S. Thomas Cantuar. pro Ecclesia, Regios Legatos, & plures Angliæ Episcopos nihil reveritus, quod Cæsari Schismatico faverent excommunicat.*

1167 787 *Ingens Episcoporum ex Ordine numerus diversissimis provinciis optimè consulit.*

*sulit. De Oriente optimè nostri item merentur. Sanctus Thomas Cantuariensis etiam exul legatus ad Regem missus mira constantia ipsum aggreditur.*

1168 688 *Moritur Conradus Salisburg. Archiepisc. Cæsarum germanus, patruus, sororius, eorundem tamen pro Ecclesia impugnator fortissimus, merito à Baronio immobilis veritatis columna appellatus. Pari constātia Cæsari & Henrico Duci se opponit Conradus alter Lubecensis Episcopus. S. Thomas Cantuariensis etiam alteri Regi, nimirum Galliæ fortissimè resistit, eumque denique ad sanctissima revocat.*

1169 689 *Ingenti rursum Sanctorum numero Cluniacum Ecclesiam ornat, Orbi prodest. Iterum novis præliis S. Thomas, & Prodigiosa planè constantia pro libertate Ecclesiæ dimicat.*

1170 690 *Fulgidissimum illud Ecclesiæ Sydus S. Thomas hoc denique anno pro Ecclesiæ libertate felicissimè occumbit.*

1171 691 *Moritur Magnus ille Schismaticorum obtritor S. Petrus Tarentasiensis, de Ecclesia non solum sua, sed universa meritissimus.*

1172 692 *Ordo Humiliatorum sub Regula S. P. N. institutus, ingentibus meritis, Ecclesiam ornat, adjuvatque.*

1173 693 *Henricus Episcopus Lubecensis, insigni constantia contra Græcorum errores, in Oriente præliatur. S. Thomas Cantuar. etiam mortuus insignibus prodigiis Ecclesiasticæ libertati consulit, & in Sanctorum numerum refertur.*

1174 694 *S. Thomæ precibus ingenti victoria Rex Angliæ potitur; eidemque debet Cismarina & transmarina in potestatem redacta.*

1175 695 *Inaudito exemplo Orbi universo prodest una sanctissima Virago Ord. nostri Beatissima Hildegardis, quam, consilium opemque efflagitantes Romani Pontifi-*

696 *ces, Cæsares, Principes, Episcopi & sanctissimi conveniunt.*

1176 *Oritur pestilentissima Albigensium Hæresis, contra quam illico nostri è Cœnobiis velut fortissimis Ecclesiæ propugnaculis tela stringunt & contorquent.*

1177 697 *B. Eskilus Lundensis Archiepisc. plurimis à Gentilismo conversis insigniter de Ecclesia meretur. Viri ex Ordine doctissimi scriptis universam implent, Ecclesiam ornant, Hæreses diversas profligant.*

1178 698 *Moritur Sebastianus noster Zianus, Magnus ille Venetorum Dux, cui Veneti debent Ducalia ornamenta, immunitates Imperiales &c. Orbis verò universus Papam & Cæsarem reconciliatos, &c. Schisma sublatum.*

1179 699 *Constantissimè contra Albigenses decertat Henricus Abbas Clarævall. Gallia S. Thomæ Cantuar. debet Philippum Ludovici filium, Regem suum è mortis faucibus ereptum, regnum servatum.*

1180 700 *S. Bertoldus Apostolatum suum Livoniæ, Martyrio consecrat: idem insigni Ecclesiæ fructu Ordinis Militum Cruciferorum Generalis instituitur. Moritur & alter Livoniæ Apostolus S. Mamardus Episcopus, qui plurimos Ecclesiæ lucratus est.*

1181 701 *Moritur inæstimabilibus meritis opulentissima S. Hildegardis, relinquens æternis sæculis Scriptorum insignem thesaurum, meritorum maximum cumulum.*

1182 702 *Hæresim gravissimam, primo initio opprimit S. Bertoldus Abbas Mont. Angelorum & auctorem Hæresis revocat.*

1183 703 *Celeberrimis Archiepiscopatus Montis Regalis initia nostris debentur, Guilhelmo ex Abbate ibidem creato Episcopo.*

1184 704 *Decus universæ Galliæ ex Regum ejusdem sanguine excellit B. Petrus Igniacensis Abbas contra Albigenses. Nostri fortissimè Ecclesiam propugnant.*

1185 705 *Immortali merito Ecclesiam universam demeretur Petrus de Insula Abbas Casinensis in re gravissima ab Alexandro Papa ut Ecclesiæ adesset advocatus: Innumeri hoc tempore in portum Religionis emergunt.*

1186 706 *Mirando exemplo B. Henricus Altæcumbæ Abbas ac S. R. E. Cardinalis Pontificatum Summum Orbis atque Vrbis rejicit, præferens Crucis contra Hæreticos & Mahometanos prædicationem. Idem de Germania meretur.*

1187 707 *Gregorius VIII. pacem inter Christianos omnes Principes sancit, eosdem ad expeditionem Palæsthinensem excitat.*

1188 708 *Fridericum Barbarossam Imper. Reges Galliæ, Angliæ &c. D. Henricus noster ad crucem suscipiendam efficacissimè permovet.*

1189 709 *Idem contumacissimum Ecclesiæ adversarium Cæsarem obedientissimum format, actionem item inter Flandrenses & Atrebatenses componit.*

1190 710 *Insigni Ecclesiæ ornamento & fructu Congregatio Florensis instituitur per S. Ioachimum Abbatem.*

1191 711 *Incredibili studio rursum nostri in Albigensis Hæreseos lue expurganda desudant. Cardinales & Episcopi è nostris plurimi Romanam & alias Ecclesias mirè juvant.*

1192 712 *Aureus Malipetra Venetorum Dux in portum Religionis se recipit. Cui Veneti debent Iaderam receptam, & Insulas Vrbi circumjectas, ditioni Venetæ adjectas.*

1193 713 *Glasconiensis Episcopatus initia, hoc anno, Monachis nostris debentur. S. Amatus Nuscensis Episcopus & mortuus miris prodigiis contra Hæreses decertat.*

1194 714 *Iterum Ecclesia summopere ornatur & juvatur à Congregatione nostra Cavensi, quæ totas Sanctorum cohortes cælo alit, & eò viam innumeris mortalibus monstrat & præit.*

1195 715 *Eventura Orientis Imperio, si sapere voluissent, insigni merito prædicit B. Ioachim Abbas, & de Venetis egregiè meretur.*

1196 716 *Montispessulana universitas erecta nostris plurimum debet. S. Homoboni exemplo & miraculis Hæretici quivis obstinatiores Ecclesiæ reconciliantur.*

1197 717 *Maximis merito, & consolatione Afflictorum instituitur Ordo SS. Trinitatis de redemptione captivorum, dein S. Mariæ dictus.*

1198 718 *Dominicani Sacro-Sanct. Ordinis initia quodammodo nostris referenda, cujus institutor à nostris in matris utero agnitus, apud nostros educatus, rudimenta sanctitatis posuit, nomen etiam ipsum à Sanct. Dominico nostro Silos mutuatus.*

1199 719 *Moritur meritissimus de posteritate omni Dodechinus noster, scriptor celeberrimus: quo eodem tempore plurimi è nostris lucubrationibus suis Orbi mirificè consulunt.*

1200 720 *S. VVilhelmus Bituric. Archiepisc. Regi Galliæ pro Ecclesiæ libertate, & Hæreticis pro fide Catholica fortissimè resistit.*

1201 721 *Helinandus Frigidi Montis Monachus 48. libris Historic. à mundi principio insigniter de universo meretur. Moritur B. Ioachim Abbas præter supradicta libris illis quinque de concordia veteris & novi Testamenti meritissimus.*

1202 722 *Reges Principesque iterum plurimi salutem in cucullo quærunt, sanctitate proficiunt; unde ingens totis provinciis utilitas, Ecclesiæ splendor.*

1203 723 *Suerinensis celeberrimi Episcopatus initia nostris debentur. Clarent ibidem Berno & Brunvvardus Episcopi.*

1204 724 *Tolosates Hæreticos sacris interdicit B. Fulco Archiepiscopus: & Legatus Apostolicus contra Albigenses destinatus mirè de Ecclesia meretur, à Iacobo de Vitriaco Sanct. Rom. Eccles. Cardinale totius Ecclesiæ Christi fortis columna salutatus.*

1205 725 *B. Guilmelmus Bituricensis Archiepiscopus Aquitaniæ consulturus integrum contra Albigenses exercitum colligit.*

1206 726 *Moritur Roffredus Cassin. Abbas & Sanct. Rom. Eccles. Cardinal. Henrico Imper. charissimus, quem contra impium Tancredum concitans, traducto exercitu de Italia æternum meritus est. Romanæ ditionis oppida &c. plurima recuperans.*

1207 727 *Moritur B. Didacus Oxoniensis Episc. Hæreticorum malleus, incredibiles labores pro Ecclesia Dei, pedes conficiens longa itinera, perpessus. Idem de Ordine Sanctissimi Dominici longè meritissimus.*

1208 728 *Cistercienses nostri æterno merito laborem suum Ecclesiæ probant, in proterenda Albigensium Hæresi.*

1209 729 *Moritur B. Guilhelmus Archiepiscopus Bituricensis, pro gravissimis meritis Patronus Nationis Franciæ in celeberrima universitate Parisiensi adoptatus. Eodem anno B. Conradus Sanct. Rom. Eccles. Cardinalis de Ordine SS. Patrum*

Domini-

Dominicanorum præclarissimè meretur, cui pro tanto merito apparens B. V. M. gratulatur.

1210 730 Moritur S. Martinus Episcopus Segunt. contra Saracenos potentissimus, ad quem Rex Alphonsus, & omnes militiæ Duces, ante prælium pro ope imploranda confluebant.

1211 731 Ioannes Abbas Fordensis claret, de Ioanne Rege ejusque Regno, ac re litteraria longè meritissimus.

1212 732 B. Arnaldus Abbas Generalis Inquisitor Hæreticorum, & Narbonensis Episcopus, mira felicitate Hæreticos longè latèque obterit, captos bello, ne ad perfidiam redirent, obtruncari jubet.

1213 733 Beat. Petrus de Castro novo primus ante B. Arnaldum Hæreticorum Inquisitor, præclarissimum munus martyrio insuper coronat.

1214 734 Ingentem hostium exercitum S. Fulco noster Archiepiscopus Tolosanus precibus profligat.

1215 735 Debet Sanctissimus Patrum Dominicanorum Ordo B. Arnoldo nostro dignissimo Sanctæ inquisitionis munus in se derivatum, à quo ingens Ecclesiæ fructus.

1216 736 Idem Sanct. Ordo debet D. Fulconi nostro primam S. Romani Ecclesiam, & Monasterium, ac sui confirmationem, ejusdem opera à S. Romana sede impetratam.

1217 737 Præclarissimè de Germania meretur B. Conradus Card. Apostolicæ Sedis Legatus. Idem Pontificatus Maximi honorem à se amolitur.

1218 738 Stupendus omnino tot diversissimarum Sanctissimi Ordinis nostri Congregationum fructus, ex quibus singulis integræ SS. Cælo phalanges hoc tempore transmittuntur.

1219 739 Cruce signatis summo cum imperio præesse jubetur B. Conradus Cardinal. qui & in Hispaniis & Germania pro Ecclesia multum desudat.

1220 740 Merentur scriptis & sanctisimis vitæ exemplis de universo Beati Ethelredus & Gualterus Morgan. Abbates & Cæsarius Eistarbacensis.

1221 741 Moritur insigne Ordinis decus B. VValtherus Abbas Vitlar. Monialium reformatione, & plurimorum Cænobiorum fundatione deprecatores pro mundo plurimos constituens de eodem meritissimus.

1222 742 Miraculum sui sæculi Episcoporum Sanct. Ranaldus Episcop. Nucerinus moritur, pro summis meritis & vitæ sanctitate perpetuus Nuceriæ protector delectus.

1223 743 Memorabili calcati honoris exemplo, ex Archiepiscopo Casselensi in Hibernia fit humilis Cistercii Monachus Ven. Donatus, cui succedit ex eadem familia Marianus, in cujus gratiam dotatur ab Henr. III. Rege cathedra.

1224 744 Moritur B. Christina, vulgo mirabilis, admirando vitæ genere universum ad pœnitentiam provocans, & alumnos Christo adducens.

1225 745 A Beato Arnaldo Episcopo exorata B. V. M. visa Cælo descendere, & hostilem exercitum cædere. B. Conradus præest Conciliis Moguntino, & Leodiensi, Ecclesiam reformat, & concubinarios Clericos corrigit.

1226 746 Moritur B. Beatrix Atestina Principum æternum speculum, de Atestinis æternum merita, quos deinceps mortis imminentis semper admonuerat: Franciscani primam Ecclesiam, & multa alia nostris debent.

1227 747 Mortuo Honorio III. sufficitur Gregorius IX. qui illico grandibus meritis se Ecclesiæ probat. Moritur B. Conradus Cardinalis Hæreticorum malleus.

1228 748 Hoc denique anno S. Fulconis nostri indefesso studio Hæresis Albigensium exturbatur, & Comes Tolosanus eandem ejurat.

1229 749 R. Patres Dominicani & universus orbis debent Casinatibus nostris Maximi Doctoris Thomæ Aquinatis sanctissimam educationem. Petrus Zianus Venetorum Dux fit Monachus in S. Georgii Majoris; cui Veneti celeberrimum Cretæ Imperium debent.

1230 750 Orientem meritis implet Gerardus noster ex Abbate Cluniacensi Patriarcha Hierosolymitanus. Scotiam martyrio suo exornat B. Adamus Episcopus Cathanesij.

1231 | 751 *Immensis meritis dives S. Fulco pace apud Tolosales, & finitimos stabilita in Cælum emigrat.*

1232 | 752 *Ingenti Ecclesiæ Vniversæ fructu Congregatio Sylvestrinorum instituitur, & late propagatur. Floret viris sanctissimis Congregatio Cavensis.*

1233 | 753 *Rursum insigni merito sub Regula nostra Ordo Montesiæ originem sumit, & diversis provinciis mirè consulitur.*

1234 | 754 *Insigni Ecclesiæ & Pontificatus ornamento & fructu Geruntinus in Calabria Pontifex eligitur Ven. Matthæus, monachus & Abbas Florensis, Beati & illuminatissimi Ioachimi Abbatis discipulus.*

1235 | 755 *S.R.E. Cardinalium, Archiep. & Episcoporum ingens ex Ordine numerus Ecclesias diversas juvant & ornant.*

1236 | 756 *Doctrina & sanctitate Admirabilis Benignus Abbas celebratur. Rursus potentissimi Cordubensis Episcopatus initia à nostris.*

1237 | 757 *Iterum novum novi Pontificatus à nostris initium recepta ejectis Mauris Corduba, Venerabili Lupo Abbate Fiteriensi ad id muneris evecto. Claret Ven. Caducanus ex Episcopo Monachus.*

1238 | 758 *Mortalib. valedicit B. Iordanus Ord. Præd. Generalis sanctissimus, & S. Lutgardi nostræ apparens, uti vivens fecerat, denuo ipsam orat Ordinis Dominicani Matrem esse, & apud Deum advocatam.*

1239 | 759 *Reges & principes plurimi ad portum Religionis se recipiunt, & mira sanctitate Regnis, & Orbi prælucent.*

1240 | 760 *Iterum pulcherrimo exemplo Isabella Ludovici VIII. Regis Galliæ filia; & Berengaria filia Ferdinandi Castell. & Legion. Regis. Aliique Principes salutem in cucullo quærunt.*

1241 | 761 *Moritur B. Gregorius IX. ingentibus meritis dives, Hannibalinæ Hæresis oppressor. Salutationis Angelicæ propagator. Idem Vrbē ad obsequiū reduxit. Genuenses & Venetos composuit. Perusinos item dissidentes pacavit, &c.*

1242 | 762 *SS. Orlandus & Verdiana stupendis prodigiis in Dei laudes universum concitant & provocant.*

1243 | 763 *Moritur S. Bernardus Episcopus Vicensis, qui insolenti prodigio Mahometanos è Regno Valentino profligat. Fit Summus Pontifex Innocentius IV. qui illico Ecclesiam maximis meritis sibi obligat.*

1244 | 764 *Concilium Generale Lugdunense debetur B. Innocentio nostro. Eidem Reges Galliæ debent Titulum Regis Christianissimi. Debent eidem S. Romanæ Eccl. Cardinales galerum purpureum.*

1245 | 765 *Claret illustrissimum Ord. Sidus Ven. Odoardus Calmensis in Italia Episcopus mirabili Zelo Friderico Imperatori obniti ausus. Clarent Ven. Henr. ex Archiepiscopo Bituric. mon. & B. Theobaldus Abbas.*

1246 | 766 *Moritur magnus ille Edmundus noster Cantuar. Archiep. Ecclesiasticæ libertatis propugnator acerrimus. Idem crucis prædicatione de Ecclesia meritissimus.*

1247 | 767 *Egregiè floret & fragrantia Hispanias replet, verè Hortus B.M.V. Monasterium Hortense, cui hoc anno Beatæ mem. Rodericus Ximonius Archiepisc. Tolet. Bibliothecam & seipsum legat. Clarent plures ex Ord. Sanct.*

1248 | 768 *Camaldulenses nostri eximiis meritis diversissimas provincias obligant; & Ecclesiam exornant. Clarent in Ordine plurimi vitæ sanctitate.*

1249 | 769 *Gallias fulgoribus sanctitatis percellit, & multum populum Christo lucratur Beatus Bonifacius Lausanensis Episcopus. Moritur Marianus Thuamensis in Hibernia Archiepiscopus, magnum Regni illius Sydus.*

1250 | 770 *B. Bonifacius Lausanensis Episcopus constantissime ipsi Imperatori pro Ecclesia opponit, & ab eodem captus prodigiose liberatur.*

1251 | 771 *Casinates insigni constantia Cæsaris aversati gratiam, gravissima damna pro Romana Ecclesia patiuntur.*

1252 | 772 *Innocentius noster IV. Tartaros ad Christi Ecclesiam vocat; & Regnum Neapolitanum ditioni pontificiæ adjicit.*

1253 | 773 *Miraculum patientiæ orbi diu repræsentans S. Fina Reclusorum nostrorum institutum*

*stitutum complexa cœlis invehitur. Claret & meretur egregiè Ven. Andreas Abbas Populeti, Rege Iacobo ad meliorem frugem revocato.*

1254 774 *Moritur meritissimus de Anglia S. Hugo Eliensis Episc. Abbas Abbatum dictus, & Episcopus Episcoporum. Moritur S. Innocentius IV. de SS. Ordinibus Dominicanorum & Franciscanorum singulariter meritus.*

1255 775 *De Ezelino tyranno triumphans, è carceribus ad cœlos evehitur B. Arnaldus Abbas S. Iustinæ de Padua. Fit Abbas Cist. B. Guido, qui B. Arnulphi Villar. canonizationem impedit: ne multitudine Sancti vilescerent.*

1256 776 *Excellentissimum Ordinis Decus S. Bonifac. Episcopus Lausanensis, universam Ecclesiam ornat, quem Angeli ipsi honorant.*

1257 777 *Mirifica vitæ sanctitate Belgium irradiat B. Beatrix, priorissa B. M. V. de Nazareth, ab usu psalterii Mariani & Deiparæ cultu commendatissima. Apud Russos præclare meretur Ven. Gerardus, primus Abbas Oppatoviensis, designatus ejus gentis Episcopus.*

1258 778 *B. Thesaurus Abbas & S.R.E. Card. Legatus Apost. dum vitam suam pro Ecclesia in omne discrimen abjicit, & in componenda factione Guelph. & Gibell. laborat, martyrio coronatur.*

1259 779 *Sylvestrinorum Ordo ab Alexandro nostro IV. confirmatus Ecclesiam mirificè juvat; similiter Camaldulenses.*

1260 780 *Rursus nostri vestem Ecclesiæ purpura sua ornant Cuprunicenses in Polonia Monachi à barbaris cæsi.*

1261 781 *Moritur Alexander IV. Ecclesiasticum jus contra Manfredum pro virili defendens, & bellum Asiaticum maximo animo, & impensis parans.*

1262 782 *Cucullum rejecto diademate amplectitur Blanca Alphonsi III. Portugalliæ Regis filia. Beatrix item Alestina exemplum sanctitatis Orbi facta. Ita semper plurimi Principes plurimum nostris debent.*

1263 783 *Cultum Deiparæ summo studio, fructuque promovent Patres nostri Camaldulenses. Egregia sanctitate Ecclesiæ consulunt BB. Sperandeus, Martinus Generalis Camald. Stanislaus Abbas, &c.*

1264 784 *Camaldulensis familia mirè exsplendescit, & totas deprecatorum pro mundo Legiones in Cælum destinat.*

1265 785 *Admiranda vitæ sanctitate mirè exsplendescit B. Haleka reclusa prope Monasterium Sichemense, à morte non minus quam in vita singularis patriæ Tutelaris à Numine designata.*

1266 786 *Insignis Ecclesiæ columna Ioannes de Toleto S. R. E. Card. & pari dignitate Bernardus Casinas clarent.*

1267 787 *Ingentia Militantium Ordinum nostrorum hoc tempore merita, qui diversissima Regna hostium metu liberant.*

1268 788 *Mundo universo maximus accrescit fructus ex laboribus & sanctitate Congregationis Cavensis.*

1269 789 *Clarent multi præstanti eruditione & magnis meritis ex ordine nostro Episcopi. Memorabilis solemni SS. atque BB. Monasterii Clarævallis Monachorum translatione hic, annus, quorum supra nongenta corpora, solemniter, ut vocant, elevata sunt.*

1270 790 *Plurimus perfectissimorum Episcoporum numerus diversis provinciis de perfectione sua communicat.*

1271 791 *Incredibile quantum numerum sanctitate & eruditione illustrium sola familia Cisterciensis hoc tempore Ecclesiæ subministraverit.*

1272 792 *Moritur Bernardus Casinensis S.R.E. Card. duabus grauissimi negotij Legationibus in Galliam atque Orientem felicissimè confectis longe meritissimus.*

1273 793 *Moritur immortalis fama & meritis Ottho ex monacho Vrsicampensi S.R.E. Card. vir Apostolicus, qui S. Ludovicum Regem ad expeditionem sacram concitauit, & multo nomine de Ecclesia meruit.*

1274 794 *Inexplicabile rursus de Ecclesia meritum B. Petri de Morono Congregationem nostram Cælestinam instituentis admirando cum Ecclesiæ fructu.*

1275 795 *Priore anno magnis duobus Orbis & Vrbis syderibus ex ordine nostro Ioanne de Toledo, & Ioanne de Franciogia S.R.E. Cardinal. extinctis substituitur Theobaldus*

baldus de Cecano Abbas Fossæ Novæ, in cujus sinu, ut sic loquar, Sol ille Dominicani ordo S.Tho. apud Fossam Novam felicem animā exhalavit.

1276 796 Iacobus Aragonum Rex abjecto diademate cucullum amplectitur; eodemque tempore ingens procerum & maximè Germanorum copia è fluctibus mundi in portum Religionis se recipit.

1277 797 Magna sanctitatis opinione non tam populis, quam Galliæ Episcopis mire prælucet Robertus ex monacho Chalisiensi Silvanectensis Episcop.

1278 798 Nec minore Orbis utilitate in parem securitatem Ordo noster Principes fœminas innumeras recipit.

1279 799 Illustre Mariani nominis, & amoris sui monimentum condit Beata Margarita è Regibus Cypri oriunda, Comitissa Flandr. monasteriū Flinense, in quo seipsam consecrat. Sanctitatem eruditioni jungit Ioannes Abbas Burtensis in Anglia, regnum demeritus dignissima Annalium scriptione.

1280 800 Claret admiranda sanctitate æternis sæculis Divinissima Gertrudis nostra, & iratum mundo Deum potentissimis precibus reconciliat.

1281 801 Siculi hoc anno Casinatibus, & Sanctissimo Patriarchæ nostro debent Carolum Neapolis Regem mirè profligatum.

1282 802 Moritur Sanctus Torellus Monachus noster, incredibili prodigiorum copia Ecclesiam summopere exornans.

1283 803 Egregia sanctitate facem Vrbi præfert B. Ioannes cogn. Rainutius, patria Tudertinus, S. Pauli in Vrbe Monachus. Biturigibus consulit ex monacho charitatis, Archiepiscopus Simon de Belloloco, verè Primas Galliarum.

1284 804 Trophimus noster Hamariensis Episcopus acerrimus Ecclesiasticæ libertatis propugnator, pro eadem Episcopatum, & patriam relinquere cogitur.

1285 805 Archipræsulatu Eboracensi sponte se abdicans Guilielm. VVichvvane Pontiniaci monachum induit, miraculum factus sui temporis Pontificum, magnis à numine miraculis illustratus. Augustissima illa Styriæ atque Cella Mariana conditur, unde tot in eas provincias beneficia.

1286 806 Heleonora Henrici III. Angliæ Regis uxor cucullum diademati præfert, & Angliæ sancto exemplo consulit.

1287 807 Insignis Translatio B. Ioannæ nostræ Camaldulensis, & erectum eidem immortalis meriti monimentum hoc anno à Balnensibus: ob Patriam à peste vindicatam. Clarent multi viri illustres.

1288 808 Divinissima nostra Gertrudis decus Ordini atque Orbi ingens addit, de qua Christus ipse testatus ejus anima se in universo cariorem non habere.

1289 809 Iubente Deo eadem BB. Gertrudis libros Insinuationum scribit, in quibus Deꝰ universo gratiarum ingentem cumulum pollicetur.

1290 810 Inter præcipuos Orbis, & Ordinis Apostolus B. Petrus Cælestinus innumeras animas Christo lucratur.

1291 811 S. Petrus noster de Morono, magno merito Ordinem suum sub auspiciis Benedictæ Matris Virg. & Benedicti Patris strenuè dilatat.

1292 812 B. Mechtildis soror B. Gertrudis, scripto mirabili libro revelationum, sequuturis æternum sæculis prophetico spiritu consulit.

1293 813 Demeretur insigniter Seraphici Patris restitutum B. Sancia nostra, Sancii Regis Portugalliæ filia, soror Alphonsi Regis, Monialis Cellensis, quæ prima illud Regno introduxit, amantissimè fovit, & promovit.

1294 814 Inaudito ad eam diem exemplo B. Petrus Cælestinus summo Orbis gratulatione Pontifex Maxim. electus post quinque menses summum honorem denuo rejicit, postquam utilissimum orbi suum ordinem confirmasset.

1295 815 S. R. E. Cardinales & Episcopi sanctitate & doctrina illustrissimi facem universo præferunt.

1296 816 S. Petrus Cælestinus felicissime in carcere moritur, quem universi ad resumendum Pontificatum deposcentes persuadere nunquam potuerunt.

1297 817 Magnum rursus sydus ex Ordine, & Admontensi Styriæ Cœnobio exsplendescit Beatæ mem. Engelbertus Abbas maximis revera Scriptoribus, & Marianis maxime Cultoribus adnumerandus.

1298 818 Apostolica virtute & prædicatione BB. Gertrudis plurimos Christo adducit.

Doctissi-

1299 819 *Doctissimorum virorum ex ordine insignis thesaurus universo promittitur. Maria Eduardi IV. Angliæ Regis filia in cucullo salutem quærit.*

1300 820 *Hæresum diversarum in Gallia gliscentium semina nostri opprimunt & plurimi suo sanguine ac morte Ecclesiæ gloriam augent.*

1301 821 *Dum Hæreticis nostri pro Ecclesia viriliter se opponant, non pauci martyrii purpura exornantur.*

1302 822 *Guilhelmus de Nangiaco, & Guido de castris pulcherrimis ingenii monimentis de universo merentur.*

1303 823 *Moritur Bonifacius VIII. Papa eruditione & vitæ integritate, ac magnis meritis conspicuus, cujus corpus trecentis ab obitu annis repertum est incorruptum. Fuit à puero nostris addictissimus, & pro suis erga eosdem meritis, Benedictinis accensendus.*

1304 924 *Tirolensem provinciam, illustri marryrio nobilitat B. Hermannus de Schoenstein Abbas Mariæmontanus, mire pro Monasterio suo à morte excubans.*

1305 825 *Cælestinæ Congregationis nostræ incredibilis in Ecclesia fructus, ad quam ingens hominum concursus.*

1306 826 *Miram Christi passi in seipso imaginem orbi repræsentat B. Elisabethæ de Spaelbeck monialis Herchenrodensis, sacris stigmatibus in manibus pedibus & latere insignita.*

1307 827 *Magna illa magnæ Gertrudis soror Mechtildis, illuminatissima Divino Spiritu, non ætatem solum suam vitæ exemplis, sed sequuturas omnes scriptis illuminat acceditque.*

1308 828 *Longe lateque & æternis etiam sæculis prodest S. Methildis nostra, divinæ gratiæ fluenta, mirabili libro orbi communicat.*

1309 829 *Turbato diversis factionibus Imperio nobilissimi quivis cucullum amplectuntur, & saluti consulunt.*

1310 830 *S. Humilitas, inæstimabili merito instituit Ordinem Virginum Vallumbrosanarum, unde ingens in Ecclesiam redundat fructus.*

1311 831 *Moritur divinissima illa Gertrudis nostra, in cujus gratiam Christus Dominus orbi inæstimabilia pollicetur, & per eam rogantibus elargitur.*

1312 832 *Moritur illuminatissima à S. Spiritu Mechtild, quam matris titulo, quod in cordibus multorum memoriam sui genuisset, Christus ipse honorat & commendat.*

1313 833 *S. Petrus Cælestinus à morte plurimos demeretur prodigiosissima ope, etiam mortuorum suscitatione, ob quæ sanctos inter solemni ritu refertur. Viri ordinis Illustres celebrantur.*

1314 834 *Plurimi è Cœnobiis nostris ad S. R. E. Cardinalatum, & Cathedras Episcopales extracti, immortalia relinquunt suæ industriæ monimenta.*

1315 835 *Insignis Pontificii honoris contra Regem Galliarum assertor Henricus Cisterciensium nostrorum Generalis extinguitur.*

1316 836 *S. Deocarus Abbas Hasenriedanus oppidi, & provinciæ Tutelaris consalutatur. Nostri in Arnoldi Villanovani erroribus opprimendis strenuè laborant.*

1317 837 *Infidelium Maurorum exercitus felicissimè ab Europa & Hispaniis maxime avertit ordo noster Montesiæ Equitum.*

1318 838 *Sancti Adelbertus & VVenceslaus invocati, prodigiose Bohemis suis in prælio assistunt, memorabili victoria obtenta. VVilhelmus Generalis Cisterc. Commemorationem B. M. V. omnibus horis, æterno, de cœli Regina, merito, adjicit.*

1319 839 *Insigni fructu Ecclesiæ & Regnorum Hispaniæ Ordo Militum Iesu Christi in Portugallia sub Regula nostra instituitur.*

1320 840 *Orbem illustrant universum Martinus Polonus Archiepiscopus Cosentinus, & Petrus Boerius Episcopus Vrbevetanus.*

1321 841 *Magnum superioris Stiriæ Sydus occumbit, Beatæ memoriæ Engelbertus Abbas Admontensis. Moritur item Iacobus Abbas Pontigniaci, alter S. Edmundus.*

1322 842 *S. Flori in Arvernia Episcopatus nostris sua initia & splendorem debet. Clarent plures Episcopi nostri.*

1323 843 *Eximia Ordinis merita rependens Ioannes 22. Papa Casinatem Ecclesiam in Cathedralem Regularium erigit.*

1324 844 *Mortuos æquè ac vivos demeretur Beatus Angelus de Gualdo Conversus Benedictinus, magnus dein patriæ Tutelaris, quam sæpe à peste, incendiis, bello, prodigiosè eripit.*

1325 845 *B. Maria Regis Portugalliæ Dionysij filia, Monialis B.M.V. de Odivelas, exemplo miræ virtutis Regnum universum percellit. De re litteraria præclarè nostri merentur.*

1326 846 *Matthias Comes à Buckeck elector Moguntinus ex Monacho nostro, insigniter de Imperio, & Moguntia meretur.*

1327 847 *Artesiam plurimum illustrat & demeretur B. Sagalus Abbas. Patronum afflictorum miris beneficiis se clarè demonstrat B. Thomasius Camaldulensis, maximè in juvandis prodigiosè Herniosis.*

1328 848 *Petrus Episcopus Vrbevetanus insignibus ingenii monimentis posteritati prodest.*

1329 849 *Orbem plurimum illustrant scriptis suis Thomas Pontius, aliique plures, ille sectam novam ejusque gravissimum errorem profligat.*

1330 850 *Petrus Rogerii Archiepiscopus Rotomagensis Iuri canonico facem profert, idem insigni exemplo, incredibili fructu, mirabili successu, verbi divini prædicatione plurimos Christo lucratur. Plurimi Principes ad portum Religionis confugiunt, eosque inter elucescit Isabella Caroli Valesij filia.*

1331 851 *Mirabile Orbis & Virginum inprimis omnium speculum B. Paula nostra Florentina, meretur osculum pueri Iesu, & inde lactis Virginei reliquiis inescari. Clarent egregii ex Ordine Episcopi.*

1332 852 *Floripolitani nostris debent urbem suam insigniter auctam, atque ornatam. Clarent meritissimi S.R.E. Card.*

1333 853 *Miro Ecclesiæ universæ commodo sacri Ordines nostri Grandimontensis, & Montis Oliveti, novo fervore & fructu efflorescunt.*

1334 854 *Eligitur Benedictus noster XII. qui illico ingentibus meritis Pontificatum exorsus, Cardinalium avaritiam corrigit; pacem conciliare adgreditur & Ecclesias Vrbis reparat, Curiam Apostolicam immundissimam purgat.*

1335 855 *Admiranda rerum mutatione Benedicto Pontifice efficiente Episcopi Galliæ, Italiæ, Germaniæ, &c. reformantur.*

1336 856 *Stupenda magnanimitate Commendatarios profligat Benedictus XII. eisq; commendas à prædecessoribus concessas eripit. Idem consanguineos non agnoscit, nepotismum excommunicat.*

1337 857 *Velut Aquilæ juventute reflorescit Vniversus SS. Ordo noster à SS. Benedicto XII. reformatus.*

1338 858 *Idem meritissimus Pontifex Ludovicum Imperatorem ad saniora revocare, & pacem inter Reges Galliæ, atque Angliæ conciliare satagit. Idem incredibili magnanimitate populo Romano persuadet ut Senatoriam dignitatem, quam diu Regio nomine gesserat, Ecclesiæ auspiciis administraret.*

1339 859 *Benedictus noster contra Reges Marochiorum, & Granatæ exercitum cruce signat, miraculosiss. victoria ad 400000. hostium cædit & capit.*

1340 860 *Idem Magnus Pontifex Fratricellorum Hæresim opprimit, Simoniacos compescit, & incredibili constantia contra Reges Bohemiæ, & Angliæ pro libertate Ecclesiæ consurgens eos excommunicat.*

1341 861 *Idem Armeniam ad communionem Ecclesiæ vocat, in Tartariam Apostolos destinat; libertati Ecclesiasticæ insigniter consulit.*

1342 862 *Moritur meritissimus noster Benedictus XII. Restitutoris Ecclesiarum titulum merito indeptus; paulo ante mortem multo cum bono Ecclesiæ Pænitentiariæ Officium reformans. Succedit noster Clemens VI.*

1343 863 *Frigidissimas Septentrionis regiones, novo calore accendit B. Gerekinus Asceta, pro quo Cœli Regina, quandoque ministrare dignatur.*

1344 864 *Apud Tartaros, & Armenios nostri Apostolico Zelo strenuè desudant. Iterum alia nostra in Septentrione Sydera illucescunt.*

1345 865 *Clementi nostro VI. Pontifices debent splendidissimum Palatium Avenionense; Idem insigni merito Rothomagensem Ecclesiam mirificè exornat, ditatque.*

1346 | 866 *Mira constantia Clemens noster Ludovico Imperatori se opponit, obstinatum Imperio dejicit, & alium eligi jubet, quo facto insigniter de Imperio meretur. Congregatio Vallumbrosana viris præstantissimis Ecclesiam exornat sub Generali ejusdem Ord. B. Michaele Aretino.*

1347 | 867 *Clementi nostro VI. debent hoc anno Reges Galliæ titulum Christianissimi.*

1348 | 868 *B. Bernardus Tolomæus Fundator Olivetanorum sanctissimè moritur cum multas Cælo cohortes peperisset. Eodem anno immani totū per Orbem lue grassante, incredibili sollicitudine ægris subvenit Clemens VI. noster Papa.*

1349 | 869 *Æternum debet Clementi nostro Orbis Pontifici Academia Florentina, hoc anno instituta, ab ipso egregie ornata.*

1350 | 870 *Immortali merito universum demeretur Clemens noster VI. qui Iubilæum centesimi anni ad quinquagesimum reduxit.*

1351 | 871 *Ingentia plurimorum Episcoporum nostrorum de Ecclesia merita, Guilhelmi inprimis de S. R. E. Cardinalis ob insignem, multique fructus ad Longobardos legationem.*

1352 | 872 *Moritur Clemens noster Pontifex Max. cui debet Ecclesia insignem illum eligendi Rom. Pontificis ordinem.*

1353 | 873 *Contempti Episcopalis honoris egregium exemplar Novitius etiamnum Ordinis Lubertus à VVenden Veteranis facem præfert, confundit omnem omnium ambitionem. Clarent plures nostri Episcopi.*

1354 | 874 *Ioannes V. Catacuzenus Imp. Orientis, coactus quidem, Imperio se abdicat, & Monachus noster factus, contra Saracenos egregie decertat.*

1355 | 875 *S. Brigittam in condendo novo ordine, & Regula, præcipue juvat B. Petrus noster Monachus, & Prior B. M. V. de Alvastra, & immortaliter omnes ejus sequaces demeretur.*

1356 | 876 *Helias de S. Aredio ex Abbate S. Florentiæ Episcopus Vceticensis, atque inde S. R. E. Cardinalis claret.*

1357 | 877 *Richardus Cicestrius, Ioan Petroburgius, Galfredus VVatertonus pluresque alii è nostris Angliam, magnis ingenii monimentis sibi devinciunt.*

1358 | 878 *B. Vlpho Nericiæ Princeps Sueciam admiratione implet, & vitæ exemplo illustrat. Claret apud Colonienses Ioannes è veteri Monte, Generalis Vicarius Electoris.*

1359 | 879 *Magno merito etsi modico fructu sacrilegis obnititur, & pro Ecclesiastica libertate decertat Beatæ mem. Ioannes de Chaumenaio Generalis Cisterciensis.*

1360 | 880 *Mirabile dictu, quanto Ecclesiæ cum fructu denuo, primo fervore, diversæ nostræ Congregationes efflorescant, Camaldulensis nimirum Vallumbrosana, Olivetana, Grandimontensis, &c.*

1361 | 881 *Androinus noster de Roca S. R. E. Cardinalis claret, plurimis Legationibus in componenda pace felicissimus.*

1362 | 882 *Vniversa Ecclesia plurimum debet Ordini nostro ob electionem Sanctissimi Pontificis Vrbani V. qui ope S. P. N. Pontifex renunciatur.*

1363 | 883 *Servorum B. M. V. novum Ordinem multis modis demerentur nostri, præcipuè Androinus Abbas Cluniacensis, dein S. R. E. Cardin. & magnus Ordinis delectus Protector.*

1364 | 884 *Gravissimis Legationibus pro Ecclesia, & Imperio defungitur Lambertus Abbas, idem Cænobio ad summas Cathedras extractus, eas mirè exornat.*

1365 | 885 *Insigni merito B. Vrbanus V. exulem diu apud Gallos Sedem Pontificiam denuo transfert. Incredibili tanti Pontificis, & Ecclesiæ jubilo Ioannes Paleologus Orientis Imperator Romā veniens Vrbano se & Ecclesiæ submittit.*

1366 | 886 *Sylvestinorum Ordinis nostri Congregatio insigniter efflorescit, & Ecclesiam viris præstantissimis ornat.*

1367 | 887 *Anglicus noster Sanct. R. E. Cardinalis gravissima legatione de Ecclesia benè meretur.*

1368 | 888 *Stupendum prorsus, unum hominem S. R. E. Cardinalem Simonem de Langham tam diversis pro Ecclesia laboribus suffecisse. Idem Carthusianos insigniter demeretur.*

*Collapsam*

1369 889 *Collapsam Ecclesiæ disciplinam felicissimè restituit S. Vrbanus V. Idem Bononiensem Academiam bellis stratam erexit.*

1370 890 *Beat. Vrbanus Papa indicto jejunio capita SS. Petri, & Pauli reperit. Idem usum Agni Dei rei reintroduxit.*

1371 891 *Egregium pænitentiæ exemplum ambitiosi damnati à se ad honorem Pontificium aditus Iaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus, seipsum exauctorat, & inter nostros se recipit. Clarent multi scriptores.*

1372 892 *Claret Guilielmus Brihamus Norfolciensis Monachus, qui insigni merito, primus VVicleffum adoriri ausus, magno animo eidem se pro Ecclesia opposuit.*

1373 893 *Ob insignia merita ad summos, & diversissimos honores Cœnobiis extracti Ioannes de Grangia, & Petrus de Stammo.*

1374 894 *Celeberrimus ille vir Arnoldus Abbas veteris montis, inter sydera eruditorum mirè exsplendescit, qui ab universis Germaniæ Academiis dicitur Nominales relegasse.*

1375 895 *Egregia sanctitate, & insigni constantia VVicleffi Hæresiarchæ scelus, primus depræhendit, & convincit Simon de Langham noster Sanct. Rom. Eccles. Cardinalis.*

1376 896 *Majorum suorum more, nostri, in ejusdem VVicleffi Hæresiarchæ perniciosissimam Hæresim felicissimè consurgunt, eosque inter præcipuè Guilielmus Bingham Nordoniensis Monachus.*

1377 897 *Rursum alius in VVicleffum, fortissimus Antagonista consurgit Vtredus Bolton Monachus Dunelmensis.*

1378 898 *Olivetana nostra familia, ubertate pinguescens oleæ, dum cum annis aliorum deflorescunt studia, sacrum vitæ rigorem ipsa adauget, & mirè proficit. Meritissimus de Regno Sueciæ, & omni posteritate B. Petrus Prior de Alvastra moritur.*

1379 899 *Steph. Brickingtonus VVilhelm. Thornæus, Castertonus Norvic. aliique scriptores nostri bono publico magnis ingenii monimentis consulunt.*

1380 900 *Omni qua potest ratione VVicleffo obsistit Simon noster Sonthraius, & alius è nostris Oxoniensis Doctor.*

1381 901 *Miro exemplo Cœnobio S. Benigni ad Regnum Poloniæ extrahitur Vladislaus Dux, ægrotans autem ad Cœnobium referri petit, in eoque moritur.*

1382 902 *Ioannes VVellius Ramesiensis Monachus errores VVicleffi felicissimè, & constantissimè convincit,*

1383 903 *Memorabili zelo, dum una se mulier insanæ militum libidini opponit B. Ioanna Monialis de Castro, & scelera repræhendit ab iisdem immaniter trucidata est, mirè servatis cæteris Virginibus.*

1384 904 *VVicleffum impiissimum Hæresiarcham Præfecturam Collegii Cantuariensis nequiter exambientem, ingenti merito duo è nostris ejusdem Collegii rectores, deturbant.*

1385 905 *Mellifluus Doctor noster Bernardus, tanto post à morte, benè mereri de Lusitanis non desinens, implorata ope sua, Regem, & Regnum servat, & memorabilem de hostibus victoriam impetrat.*

1386 906 *Anglicus B. Vrbani V. ex fratre nepos, summis auctus honoribus præclarissimè de Ecclesia meretur, gravissimis maximè Legationibus.*

1387 907 *Pro libertate Ecclesiæ strenuè laborat Gerardus Sacræ familiæ Cisterciensis Generalis, aliaque inter præclarè facta, præclarissimum volumen contra Commendas, Summo Pont. dedicat.*

1388 908 *Ingens Pontificum è nostris diversorum gloria, eosque inter Petrus Aiscelini S. R. E. Cardinalis, de re inprimis litteraria felicissimè meretur.*

1389 909 *Benè meritus de Rege Angliæ Richardo, extinguitur Thomas Brintonus ex Monacho Norvvicensi Roffensis Episcopus. Claret VVichboldus Kulmensis in Prussia Episcopus pro libertate Ecclesiæ pugil strenuus.*

1390 910 *Nicolaus Radcliffus Monachus S. Albani mirum, quantum in extirpatione Hæreseos in Anglia desudat.*

1391 911 *Hippolytus Mediolanensis Sacræ familiæ nostræ Olivetanæ Generalis, optimis constitutionibus fervorem Sacrum fovet, & promovet, magno publici bono.*

Sanct.

*S. Richardo nostro sanitatem mentis, & corporis debet Carolus VI. Rex Galliarum.*

1392 | 912 *Adamus Eston S. R. E. Cardinalis, præter alia maxima merita, totum vetus Testamentum ab Hæbreo in Latinum transfert, & pro Ecclesia strenuè laborat.*

1393 | 913 *Bernardus de Turre Episcopus Lingonensis insigni merito se Galliæ, atque Angliæ commendat, ob præclarè insumptam in componendis illis Regibus operam.*

1394 | 914 *Moritur Guilhelmus de Chanaco S.R.E. Card. celebratissimus, & plurimi Ecclesiæ Magni proceres præstant.*

1395 | 915 *Simon Southrajus noster nunquam quiescens, diversis libris editis Romanam Ecclesiam defendit, Hæreticos obterit.*

1396 | 916 *Claret insigni vitæ exemplo Ven. Vincentius Ferrerius Abbas Populetanus S. Vincentii Ferrerii carne, & spiritu propinquus & eidem plurimum charus, & familiaris.*

1397 | 917 *Adamus Episcopus Londoniensis moritur Regni Britannici Zelator maximus dictus, cui debet Ecclesia festum, sive officium Festi Visitationis B. Mariæ Virginis.*

1398 | 918 *In Hibernia pro vitæ meritis, plures è nostris ad diversas cathedras Pontificias evecti nomen, & honorem primævum Ordinis tuentur.*

1399 | 919 *Ingens Archiepiscoporum, Episcoporum, &c. in Ecclesia ex Ordine numerus, eam præclarissimè demeretur.*

1400 | 920 *Plurimi ex Ordine nostro Martyres, Ecclesiam sanguine suo defendunt, ab Hæreticis maximè in Bohemia.*

1401 | 921 *Nostris plurimum promoventibus, quod Vrbanus VI. jam approbaverat, Bonifacius IX. Solemnitatem Visitationis Beat. Mar. Virg. confirmat, & propagat, cujus Officium paulo ante mortem Adamus noster Eastonus Cardinalis composuerat.*

1402 | 922 *Inter Ecclesiæ præcipua decora, effulgent Gerardus Atrebatensis, Raimundus Bononiensis, Ioannes Lincolmensis Episcopi.*

1403 | 923 *Multi ex Ordine egregiis meritis Episcopi diversis provinciis prosunt, è quibus Robertus Tonata Scopiensis in Orcadum Insulis Conradus Soderensis in Mannia, Ioannes Derensis in Hibernia, &c.*

1404 | 924 *Hussiticæ Hæresi exorienti cum pro virili nostri se opponunt, tota per Bohemiam Cœnobia Martyrio exhauriuntur.*

1405 | 925 *Illustre speculum vitæ sanctioris, Galliæ eripitur Iacobus Generalis Cisterciensis:* Religionis forma, devotionis exemplar *appellatus. Idem* Splendidior Sole, *inter elogia Abb. celebratur.*

1406 | 926 *Angelus noster Corarius S. R. E. Cardinalis mira Sanctitate Ecclesiam ornat: Idem hoc anno electus Romanus Pontifex.*

1407 | 927 *Mundo in præceps rapto, cum Sacra passim canibus projicerentur, summa magnanimitate se se opponunt, Cistercienses maximè nostri, & Ecclesiasticam libertatem, tueri conantur.*

1408 | 928 *DEIpara multis argumentis suam erga Patres nostros Olivetanos benevolentiam demonstrat. Florent iterum magni ex Ordine Præsules, & Scriptores.*

1409 | 929 *Claret magnus, & meritissimus ille Ludovicus Barbus noster, à cujus mox Congregatione Ecclesiæ ingens fructus, atque ornamentum accessit.*

1410 | 930 *Calatravensem, & Alcantarensem Illustrissimos Equitum Ordines, à veteri disciplina male dilapsos reformat Ioannes Abbas Morimundensis, & leges iisdem promulgat.*

1411 | 931 *Lucas Mazolus à B. Gregorio XII. S.R.E. Cardinalis adoptatus, sub quo Ordo noster Humiliatorum renovatur ut Aquila.*

1412 | 932 *Plurima Cœnobia per Italiam, insigni omnino fructu adjunguntur, ad institutam noviter reformationem S. Iustinæ.*

1413 | 933 *Orbem universum illuminat Abbas noster Panormitanus, jure merito Lucerna juris appellatus.*

1414 | 934 *Pontificales Cathedras meritis implent Robertus Asaphensem in Anglia, Matthæus*

*thæus Anconensem in Italia, Robertus Laonensem in Hibernia, Ioannes Engolismensem in Gallia, aliique magno numero.*

1415 935 *Cum ipso Hæresiarcha Hussio, ejusque sectatoribus publicè congressus Matthæus Aulæ Regiæ Monachus triumphat.*

1416 936 *Fidem, & fidelitatem Sedi Apostolicæ debitam gloriosissima morte Deo consecrat Henricus Abbas Casinensis.*

1417 937 *B. Gregorius XII. immortaliter de Ecclesia meretur, in gravissimo Schismate, Pontificatu se abdicans, inaudito exemplo, ut de electo deinceps Ecclesia certior fieret.*

1418 938 *Mirè effulgent plures ex nostris, finito hoc anno Constantiensi Concilio, à Martino Papa ob strenuam Ecclesiæ navatam operam laudati, è quibus Matthæus de Pillard, Clarævallis Abbas, Ecclesiæ Gallicana, ut vocant, Ambasciator, Ioannes de Martiniaco, & plures alii.*

1419 939 *In Concilio Constantiensi, æterno merito præclaram Ecclesiæ operam, nostri navant.*

1420 940 *Ingentia rursus in Orbem Vniversum redundant merita Cælestinorum nostrorum, & Vallumbrosanorum Sanctitate.*

1421 941 *Ecclesiam Gallicanam perditissimis temporibus mirè illuminat, veri exemplar Pontificis B. Ludovicus, ex Abbate Tornusij creatus Archiepiscopus Arelatensis. Claret insigni etiam Sanctitatis opinione Ludovicus alter, Abbas Savigniaci. Sed & plures ex Ordine Martyrio illustrantur.*

1422 942 *Libros Decretalium Senensi in Vrbe publicè interpretatur Panormitanus, ingens Ordinis nostri decus.*

1423 943 *Odo de Pereria Vir Sanctus eligitur Abbas Cluniacensis. Inter Pontifices eminent Guilelmus de Nanton Archiepiscopus Senonensis, David Cluanensis, Iacob Miletensis, Ioannes Basileensis, Epiphanius Neritonensis.*

1424 944 *Magno prorsus merito, Hispanias, & Sacram familiam nostram Cisterciensem demeretur Beatæ memoriæ Martinus de Vargas, qui auctoritate Martini V. Papæ, & Ioannis Castellæ Regis, felicissimo successu ordinem reformat. Ei strenuè cooperatur B. Mem. Martinus alter cognomento de Longono.*

1425 945 *Insigni Hispaniarum fructu, & gloria Sanctissima Congregatio Montis Sion instituitur.*

1426 946 *Inter densissimas Orbis tenebras admirandæ Sanctitatis radiis exsplendescit, S. Francisca Romana, novæ familiæ Institutrix, quam familiariter ipse S. P. N. cælo descendens in dirigendis suis instituit, ut & Magnus Ecclesiæ Doctor Gregorius.*

1427 947 *In Silesia Sanctæ Matris Ecclesiæ vestem sanguinis sui purpura multi ex Ordine tingunt, & ornant, Novæ cellæ inprimis Monachi ab Hussitis interempti.*

1428 648 *Moritur Ioannes Sacræ nostræ Cisterciensis familiæ Generalis, præclarè non semel de Ecclesia meritus, in Hussitis maximè, atque VViclefistis opprimendis.*

1429 949 *Æterna Fidei Catholicæ gloria, Hæresim Hussiticam confundunt nostri in Bohemia, & suo sanguine copiosissimo Ecclesiæ agrum irrigant.*

1430 950 *Claret Magnus ille Laurentius Iustinianus, primus Patriarcha Venetus, de patria sua longè meritissimus.*

1431 951 *Claret mirabile peccatoris conversi exemplar, B. Petrus Marginet, ex Apostata adultero, prædone, scandalo populorum, pænitentiæ speculum, Monachus Populeti, miraculorum gloria celeberrimus.*

1432 952 *Memorabili exemplo Divinæ dignationis, missus ad Sanct. Franciscam Roman. Sanct. Thomas Apostolus, Eugenium Papam commonere jubetur, pro tollendo gravi Schismate, turbulentæ Synodi Basileensis decreta, quantum fieri posset, rata haberet. Quod maximo Ecclesiæ universæ bono, ab Eugenio est præstitum.*

1433 953 *Congregatio nostra Camaldulensis miro Ecclesiæ ornamento efflorescit sub B. Ambrosio è Porticu Generali.*

1434 954 *Fontis Everardi, lympidissimus splendor, magno Galliæ, & Ecclesiæ ornamento, cujus Sacræ familiæ luminaria exsplendescunt hoc anno Margarita de Mom-*

de Mommorancus, & Maria de Harcour, extinctæ illi modo suffecta, ornamenta æternæ Gallicæ Nobilitatis.

1435 955 Clarent Ioannes Ioannis Borbonii Ducis filius Cluniacensis Monachus, & Eleonora Regina Aragonum Monialis contemptu Mundi, & præclarè gestis facem Orbi præferunt.

1436 956 Approbatur hoc anno solemniter ab Eugenio IV. Regula S. Franciscæ Romanæ, defixis omnium Romanorum obtutibus, magno Vrbis fructu, in recentissima, & præsentissima sanctitatis exempla.

1437 957 Rursus stupente Italia nova ex Ordine nostro Congregatio S. Iustinæ Sanctitatis, & meriti primævi exemplo universo illucescit. Ludovicus Barbus Tarvisinus Episcopus Episcopatum Sanctitate ornat.

1438 958 Nec Hispanis desunt raræ miracula Sanctitatis, è quibus Venerabilis Bartholomæus Populeti ex Regio Medico Monachus, & Abbas, supra omnem medicorum scientiam, prodigiosè medetur, quin & mortuum reddit vitæ. Plures sub hæc tempora Martyres.

1439 959 Magnis meritis clarus celebratur Ioannes eo nomine VII. Abbas, & Generalis Cisterciensis, quem magno sanè Elogio Monimenta Cist. honorant.

Lux Prælatorum, vox & tuba Conciliorum.

1440 960 S. Hieronymns noster Camald. Cong. Lituanorum Apostolus, Schismaticorum, & Hæreticorum fulmen corruscat. Moritur admirabilis illa S. Francisca Romana, cui summum ornamentum Ecclesia debet, Institutionem nempe Congregationis Virginum Montis Oliveti.

1441 961 Nicolaus noster Panormitanus Abbas, dein Archiepiscopus, insigni omnium applausu, S.R.E. Cardinalis renunciatur.

1442 962 Patientiæ in magno Principe rarissimæ Illustrissimum exemplar orbis habet in B. Ferdinando nostro, Sacræ Militiæ de Avis Magistro, qui post res præclarè gestas pro fide, captus ab hostibus, Deiparam, & cælites ad se invisendos pertrahit. Sequenti anno in carcere extinctus.

1443 963 Decus æternum Ecclesiæ, Regno, Ordini addit B. Ferdinandus Ioannis Portugalliæ Regis filius Magister General. Ordin. Equit. de Avis vitæ Sanctitatis, & Martyrio illustris.

1444 964 B. Ioannes Bassandus Cælestinæ familiæ nostræ, cæleste planè ornamentum, cælesti vitæ rationi ordinem reddit, orbem exemplis accendit.

1445 965 Moritur Magnus ille noster Nicolaus de Tedeschis, de Vniverso immortaliter meritissimus.

1446 966 Bernardus Aquensis, Philippus Lingonensis, Ioan. Borbonius Podiensis, Augustinus Famaugustanus, Nicolaus Calipolitanus, aliique ex Ordine Episcopi florent.

1447 967 Sanctitate, & eruditione purpuram, & Ecclesiam ornat Ioannes noster Messanensis S.R.E. Cardinalis. Guilielmus de Estontevilla ex Priore S. Martini de Campis S.R.E. Card. Legationibus gravissimis, multisque aliis titulis de Ecclesia meritissimus.

1448 968 Magna Sanctitate Abbas, B. Eustachius Iardinettensis, Ordinem passim reformat, & attonitos exemplis vitæ religiosæ populos rapit, & accendit, clarus Prophetiæ Spiritu.

1449 969 Ludovicus de Palude Doctor Parisiensis S. R. E. Cardin. eximiis meritis se Orbi commendat.

1450 970 Rursus alia nostri Ordinis Congregatio Bursfeldensis, longè latèque exemplo, & meritis proficit.

1451 971 Ne regia quoque deesse pergerent in Ordine exempla Sanctitatis, decus verè Regium effulget B. Philippa Ferdinandi Cypri, & Petri Aragonum Regis soror, Monialis S. Dionysij de Odivelis, præter Sanctimoniam, relictis etiam ingenii monimentis, immortalis.

1452 972 Pontificia, & Regia authoritate Parisiensem Academiam reformat Guilielmus noster de Estontevilla.

1453 973 Magnis vitæ meritis Belgio prodest, rarum sæculi hujus ornamentum B. Petrus cognomento Siis, Dunensis Cænobii Prior, strenuus disciplinæ Monachicæ reformator.

1454 974 *Doctrina, genere, & maximè Sanctitate Neapolim, Siciliam, Italiam universam illustrant nostri Congregationis S.Iustinæ Monachi.*

1455 975 *Infulis Pontificiis decus addunt, varias provincias demerentur, Guilielmus Rothomagensis, & Iacobus Messanensis Archiepiscopi: Michael Insulanus, Iacob Arborensis, & multi alii Episcopi.*

1456 976 *B.Nicolaus Genuensis, & B.Odo de Pereria Abbas Cluniacensis, & Carolus Archiepiscopus Mediolanensis mirè merentur.*

1457 977 *Etiam à morte mereri non desinit B.Nicolaus noster Genuensis, innumeris ægris solo etiam vestis ejus contactu sanatis, salutem cucullo debentibus. Claret Mariana.*

1458 978 *Ad cælos, terris subtrahitur B. Bartholomæus Populeti Abbas, magna miraculorum gratia illustris, cujus exemplo, ipsi etiam Reges utiliter accensi sunt.*

1459 979 *Non minus Bartholomæo Reges, ac Regnum demeretur Michael del Gado, ejus in Abbatia successor, Romanis Pontificibus charissimus. Clarent Artus noster Burdegalensis Archiepiscopus, Bartholomæus Derensis, aliique Pontifices ex ordine illustres.*

1460 980 *Immortali merito Biblior. & Canonum Concordantiam primus molitur Ioannes Abbas Nivicellensis.*

1461 981 *Moritur Sanctitatis opera, & fama longè celebratissimus ille Sardineti Abbas B. Ioan. Eustachius. Primævæ Sanctitatis exemplo illustres celebrantur Monachi nostri Sublacenses.*

1462 982 *Nobilitatis humanæ cæleste decus, mortali etiamnum in corpore exsplendescit B. Margarita Montferratensis Princeps, B. Magdalenæ Albensis Monialis, cujus exemplo tota rapitur Sabaudia.*

1463 983 *Inter præcipua Ordinis Sydera novam Orbi facem præfert Himbertus de Lana, Sacræ familiæ Cisterciensis Generalis, cujus exemplo, antiphona, Salve Regina Vesperis solum, seu Completorio subjungi consueta, omnibus Horis Canonicis subjuncta est.*

1464 984 *B. Margarita Ludovici Sabaudi filia Theodori Paleologi Vxor, à morte mariti nostra, Sanctitate insigne ornamentum Ecclesiæ, familiæ & suis provinciis attulit.*

1465 985 *Amatoribus Marianis præludens suaviter Cygnus, moritur B. Petrus Dunensis, de transitu edoctus, inter cantandum:* O intemerata, &c. *felicissimè extinctus, quo ipso tempore claret alter in superiore Germania Petrus, Abbas S. Petri Salisburg. Capellanus Deiparæ dictus.*

1466 986 *Meritissimus de Galliarum Regno, & posteritate omni Ioannes chariter Monachus S.Dionysii Parisiis frater Guilielmi Parisiensis Archiepiscopi. Insigni exemplo egregiæ demissionis purpuram oblatam respuit Vdalricus Abbas Sanct. Galli.*

1467 987 *Celebri sanctitatis opinione Episcopos resuscitat, exemplo animat Beatæ mem. idē eruditionis laude celebratus Ioannes Zerdan ex Monacho Populeti Episcopus Barchinonensis.*

1468 988 *Nicolaus noster de Genis Cosmographiam restituit, & præclarissimè de posteritate meretur.*

1469 989 *Etiam Sacræ Virgines nostræ, velut fax mundi, universo illucescunt quas inter enitet B. Eustochia nostra Sanct. Prosdocimi Monialis meritis prægnatissima.*

1470 990 *Ordinem Equestrem Velleris Aurei insigniter extollit, & demeretur Ioannes noster Abbas Bertiniensis.*

1471 991 *Ne nullum non ordinem nostri demererentur, Ioannes Abbas Divi Bertini, Aureum illum B.M.V. & S.Andreæ Velleris Aurei Equestrem Ord. scripto perinsigni de religiosis Constitutionibus volumine, Institutum Orbi, simulque Ordinis alumnis commendat.*

1472 992 *Inter Camaldulenses nostros emicat splendoribus Sanctitatis B. Petrus cognomento Teutonicus, inter Cistercienses anonymus conversus, quorum ille Pium II. iste S. Antoninum, inter cælites assumptos, ipsa hora obitus illorum mirè oculati intuiti sunt.*

*Illustre*

1473 993 *Illustre Ordinis nostri decus Ioannes Ioffredi ex Monacho Cluniacensi Atrabatensis Episcopus, & S.R.E. Cardinalis Ecclesiam ornat.*

1474 994 *B.Beatrix à Sylva Portalegræ Comitissa, formæ miraculum, amoribus sæculi à Virginum Virgine præripitur, magna deinceps novæ conditrix familiæ futura; Monialis Toletana. Theobaldus ex Illustrissimo Comite S. Pauli & Fiennes, & Duce clarissimo humilis Monachus, Cardinalis designatur.*

1475 995 *Vas electionis plenũ gratiæ, & Veritatis deprædicatur Ioannes de Villiers ex Abbate S. Dionysii S.R.E. Cardinalis.*

1476 996 *Moritur Magnus ille Cisterciensium nostrorum Abbas, & Generalis Humbertus de Lana, adeo potens coram Rom. Pont. & PP. Purpuratis pro libertate Ecclesiæ contra Commendas Orator, ut lachrymas iisdem eliceret. Succedit Ioannes de Circio, quem Massam omnibus virtutibus elimatam, Bonifacius Simoneta appellat.*

1477 997 *Magna Gloria Sacræ familiæ nostræ Virginum Fontis Ebraldi, seu Everardi, in qua Cælorum Augustæ, Illustrissimæ Galliarum Principes, magno omnium exemplo ancillas se devovent, quibus mortua hoc anno Maria Britanniæ Ducissa præest Anna de Orleans Lud. XII. Regis soror.*

1478 998 *Universos sui admiratione percellit Guilhelmus de Estonteville Sanctæ R,E. Cardinalis de Romanis, & diversissimis Cathedris meritissimus.*

1479 999 *Magna opinione sanctimoniæ honorem Ordinis tuetur Sacram purpuram ornat; Georgius Costa ex Monacho & Abbate Alcobatiæ Cardinalis Episcopus Albanus, dein Tusculanus & Portuensis, cum Dei prius Regem ac Regnum Lusitaniæ plurimum demeruisset.*

1480 1000 *Clarent ex Ordine nostro viri Illustrissimi Godefridus Baluesius Virdunensis Monachus Sanct. R.E. Cardinalis, & Cosmas de Melioratis Cardinalis, viri maximi.*

1481 1001 *Apud Andomaropolim magno merito cultum Beatissimæ Virginis promovet, Ioannes de Lannoy Abbas ibidem Sodalitio perinsigni sub nomine Virg. Præsentatæ instituta.*

1482 1002 *Post innumera in Romanam, Andegavensem, Biterrensem, Rothomagensem, merita moritur Guilhelmus Totavillanus S.R.E. Cardinal.*

1483 1003 *Insigniter Regium genus & Ordinem nostrum in Galliis illustrat Ioannes Borbonius Abbas Cluniacensis, sub quo sanctissimum illud Cænobium, ad primævam enititur sanctitatem.*

1484 1004 *Novo Ecclesiæ ornamento multarum millium bono instituitur Ordo sive Congregatio nostra Conceptionis à B.Beatrice.*

1405 1005 *Hoc & superiore anno, immortali sanè merito, novam sub Regula S. P. N. condit familiam, Titulo longè gratiosissimo Conceptionis B. M. V. B.Beatrix nostra, monialis S.Dominici de Silos in Urbe Toletana.*

1486 1006 *Infanda auri Sacri, Commendis & Simonia invalescentibus, cum res eo devenisset, ut à multis Regibus Innocentius Papa de extinguenda penitus SS. Cisterciensi familia sollicitaretur, verbo petens & exemplo Ioannes Cisterc. Generalis tantis fluctibus verè solus obnititur, simulque Ordini & libertati Ecclesiasticæ consulit.*

1487 1007 *Congregationes S.Iustinæ, & Bursfeldensis novis radiis Orbem replent. Claret Gaspar Papiensis eximiè sanctus.*

1488 1008 *Plures potius institui Sacras familias, quam extingui ex Numinis voluntate esse illustri miraculo sub hoc tempus patuit, cum Diploma Confirmationis Roma B. Beatrici nostræ missum, navi & omnibus naufragio pereuntibus, illud tamen, fusis precibus integrum illæsumque ab aquis, felicissima Fundatrix, in scrinio suo reperiret. Clarent multi viri illustres ex Ordine.*

1489 1009 *Arelatensem, Lugdunensem, Burdegalensem, Episcopatus & Romanam Ecclesiam insigniter demeretur Andreas de Espinays.*

1490 1010 *Miraculum Orbis Carolus noster Ferdinandus claret, alter sæculi hujus Homerus, idem licet cæcus Parisiis publicè docens. Inter innumeros ex Ordine sæculi contemptu illustres eminet Caroli Valesii filia Ludovici XII. Galliæ Regis Soror Anna.*

1491 1011 *B. Maphæus Gerardus Camald. S. R. E. Card. Venetiarum Patriarcha purpuram, & Ecclesiam meritis vitæ condecorat.*

1492 1012 *Ex Infulis Pontificalibus exsplendescunt, & variis consulunt Ecclesiis & provinciis, Robertus Briconet ex Abbate S. Vedasti Archiepiscopus Rhemensis, Godefridus Catalaunensis Antonius Petrus Vabrensis, Henricus Archiepiscopus S. Severinensis in Calabria, &c.*

1493 1013 *Benedictinorum Primitiæ Antipodes, primum hoc ævo è nostris Apostolum Indiarum & Americæ Patriarcham Bueillium merentur.*

1494 1014 *Hispanias & Regem Catholicum strenuè demeretur Ioannes Payus Abbas Populeti, cujus magnis meritis plurimum tribuit idem Rex, & magna eidem Regni negotia committit.*

1495 1015 *Æternis magni ingenii monimentis, Angliæ honori, & rei litterariæ consulunt Thomas Radburnus, Guilhelmus Cellingus, Thomas VVestmonasteriensis, & alii Scriptores nostri.*

1496 1016 *B. Bernardinus Gandolus singulare Ord. nostri lumen emicat, & doctrina & sanctitate Camaldulenses ornat.*

1497 1017 *Iterum illustris Ordinis Reformatio, præcipitante quotidie in deterius mundo, suscepta primum in Monasterio Casalis Benedicti: inde cognominata, & multo cum fructu & fidelium ædificatione latius propagata.*

1498 1018 *Plurimi per Italiam ex Ordine nostro viri sanctissimi Ecclesiæ sanctitatem, & felicitatem commendant.*

1499 1019 *Ingens in Ecclesiam universam consequitur fructus ex Sanctissima Congregationis novæ in Hispania institutione. Sed & eo ipso tempore Sagiensi Congregatione instituta mirificè sanctitas nostrorum accenditur.*

1500 1020 *Nostri in novo Orbe felicissimè laborant, in una Hispaniola supra 17000. Idola comminuunt, & ad cumulum, suo sanguine novum Orbem irrigant.*

1501 1021 *Montisferrati toto terrarum orbe celebritas spargitur, & à Sanctis Monachis nostris cultus Deiparæ mirè propagatur. Camaldulenses nostri sanctorum copia fertiles Ecclesiam ornant. Claret præcipuè B. Eusebius Hispanus Monachus.*

1502 1022 *Trithemius noster, ut mundi miraculum deprædicatur: eximia vitæ sanctitate enitet Franciscus de Castro.*

1503 1023 *Insigne Episcoporum speculum mundo subtrahitur Godefridus noster ex Monacho S. Germani Catalaunensis Episcopus: Nec minore laude celebratur Theophilus Camald. Drivastensis Episcopus. Claret Lucas Bernardus Patavinus.*

1504 1024 *Insigni prodigio S. P. N. Benedictus profligatis Gallis Hispaniarum Regi Neapolitanum Regnum tradit.*

1505 1025 *Casinum & ab hoc dicta Congregatio insigniter exsplendescit, & Campania à nostris excolitur.*

1506 1026 *Auctoritate Pontificia alii nostri in Persidem, & ad finitimos Persis Indos profecti conversioni gentium feliciter intendunt.*

1507 1027 *Immortali merito velut præscius futurorum exorituras hæreses scriptis profligat Trithemius Abbas. Idem invalescentem passim Magiam opprimere, & eliminare satagit.*

1508 1028 *Primos in America Ordinatos Episcopos & pastores, fundatas Ecclesias, instituta seminaria Antipodes nostris debent.*

1509 1029 *Summo Ecclesiæ ornamento novo fervore exardescit Congregatio Vallumbrosana. Clarent BB. Simeon & Angelus viri sanctissimi.*

1510 1030 *Moritur maximorum meritorum vir B. Garsias de Cisneros Congregat. Hispanicæ Rector, Sydus Hispaniæ clarissimum.*

1511 1031 *Trithemius solus sæculum hoc laudibus implet, solus Bibliothecam universo mirandam ingenio, & manu propriis instituit.*

1512 1032 *Sanctitate & doctrina Ecclesiæ honori mirè consulunt Paulus Orlandinus & Ioannes Cianones.*

1513 1033 *B. Paulus Iustinianus rarissima vitæ sanctitate, ut genere illustrissimus, primæ sanctitati celeberrimam Camaldulensium Congregationem restituit.*

1514 1034 *Galliam per insigniter demeretur F. Antonius Bohier ex Monacho Fiscanensi Bitu-*

Bituricensis Archiepiscopus & Galliæ Primas. Claret & in Hispania insignis Ordinis propugnator F. Ludovic. Mendez ex Monacho Episcopus Sidoniæ.

1515 1035 Iacobus de Ambasia Monachus Gemeticensis Claromontanus Pontifex meritis gravissimis Cathedræ suæ prodest.

1516 1036 Moritur magnus ille Trithemius, totius arca sapientiæ appellatus. Sed & maximi meriti vir Petrus Goffier, Frater Arturi Magni Francia Magistri Abbas S. Dionysij.

1517 1037 Ob egregiam vitæ sanctitatem Cœnobio extrahitur, & galera purpurea ornatur Petrus Quirinus Patricius Venetus. Eodem anno ob merita gravissima eodem honore excolitur Antonius Boerius Monachus Gemmetricensis.

1518 1038 Ingens sanctissimorum doctissimorumque virorum in Hispania numerus. Benatus de Breschia fit Constantiensis Episcopus.

1519 1039 Nullo unquam sæculo, tot eodem tempore Sanctissimæ Ordinis nostri Congregationes effloruere, ex quibus Sanctorum mira copia. B. Homodeus sæculi hujus miraculum rutilat. Honoratus Casinas Monachus fit Episcopus Insulanus. Obiit Boherius Cardinalis.

1520 1040 Rursus nova Ordinis Congregatio Grotanorum, sive Montis Corona Sanctorum usque hodie fertilissima, instituta à B. Paulo Iustiniano.

1521 1041 Ad novam inauditi rigoris Congregationem, veluti in portum ingens naufragorum numerus emergit. B. Hieron. Suessanus mirè celebratur.

1522 1042 Sanctissimo Viro Ignatio Lojolæ Monserratenses nostri maximè merentur, eoque merito RR. Societ. Iesu Patres, uti & mundum universum amantissimè sibi obstringunt. B. Michael Florentinus Coronam Domini adinvenit.

1523 1043 Inter præclarissima Ordinis merita, referenda propagatio Rosarii Coronæ Domini, à nostris toti Orbi commendatæ.

1524 1044 Innumeros à blanditiis sæculi abstractos Christo adducit B. Paulus Iustinianus. Clarent Galeatius Gabrielius, & Iustin. Bergomensis.

1525 1045 Præclarissima sanctitatis fama Ecclesiam lætificant, & augent ex Ordine plurimi quos inter ex solo Monserratensi Cœnobio exsplendescunt præ aliis F. Christophonus de Zamora, F. Maurus de Alfaro, F. Franciscus de Bejar.

1526 1046 Ingenti merito novo exorienti RR. PP. Capucinorum Ordini Camaldulenses nostri mirificè prosunt, eumque fovent.

1527 1047 B. Hieronymi Suessani ineffabiles virtutes celebrantur, adeoque meritum ingens mundo cætero in interitum ruente.

1528 1048 Aymandus Gauffier ultimus Abbatum Regularium S. Dionysij, idemque Episcopus Albiensis, vir longè meritissimus moritur, Obiit eodem anno immensorum de Ecclesia meritorum vir B. Paulus Iustinianus Institutor Congregationis Montis Coronæ.

1529 1049 Incredibilis nostrorum in Germania Hæreticos, inter eorumque conatus constantia, multis millibus ab exitio servatis.

1530 1050 Inter præstantissimos ex Ordine Pontifices eminent Philippus de Cosse Constantiensis, & Eusebius Priolus Vegiensis Episcopi.

1531 1051 Monachorum studia æterno merito Ecclesiæ & Imperio commendat Guerricus Abbas VVeingartensis gravissimis perfunctus Legationibus.

1532 1052 Insigni conatu Hæreticis se objicit Dicthelmus Abbas S. Galli, quos etiam armis atterit, & nutantes in fide restituit.

1533 1053 Philippus Albani Ducis frater Corbeiensis Monach9 ob merita gravia summis honoribus augetur, & Cardinalis Episcopus Tusculanus renunciatur.

1534 1054 Inter plurimos Ordinis Sanctos celebratur B. Petrus Favensis. Nostri per Germaniam ob fidei constantiam extrema patiuntur.

1535 1055 Inæstimabili merito Hispanias sibi obligat B. Ludovicus de Strada Complutensis Collegii rector: qui idem Societ. Iesu Patres contra adversarios tuetur, operaq; sua ut ad Complutensem universitatem admitterentur efficit.

1536 1456 Nostri Angliam, quam olim Christo lucrati sunt, hoc etiam postremo sæculo sanguine suo ornant, & fœcundat. Vitingus noster Glasconiæ Abbas murum pro domo Dei se opponit contra Regem Angliæ. Moritur meritissimus de Hispania B. Petrus de Burgos.

1537 1057 Gernicus Abbas VVeingartensis, cum gravissimo rerum suarum, & vitæ periculo, & incommodo, Imperii commodis prospicit.

1538 | 1058 *Rursum Gervici laudes memorandæ, cujus inter præcipuas censeri debet Collegii Sueviæ Abbatum institutio.*

1539 | 1059 *Nostri defensores libertatis Ecclesiasticæ, omnibus per Angliam Cœnobiis, bonisque excluduntur, multi mactantur.*

1540 | 1060 *In Hispaniis & Italia viri sanctissimi & eruditissimi Orbi illucescunt. Veneratur ante omnes Hispania Alphonsum de Burgos, inter familiares Caroli V. Imperatoris olim Principem.*

1541 | 1061 *S. Ignatio non satis apud Monserratum prima Conversionis subsidia quæsisse, apud nostros S. Pauli, sua Religionis vota nuncupat.*

1542 | 1062 *Eminentissimum honorem Cardinalitium mirificè ornant vitæ meritis Gregorius Cortesius, & Philippus de Camera.*

1543 | 1063 *Celebratur inter clarissima sæculi hujus lumina F. Benedictus de Toco ex Regum Epiri ultimorum Orientis Imperatorum sanguine Monserratensis Monachus.*

1544 | 1064 *Insigni rursus de Ecclesia meritum sanctissimum SS. Societ. Iesu Ordinem, primis initiis, insigniter fovent nostri, & universo commendant.*

1545 | 1065 *Iacobus Regius Bituricensis Archiepiscopus, & Antonius de Monte Pontifex Civitatensis, insigne decus Ecclesiæ addunt.*

1546 | 1066 *In summa tenebrarum densitate, fulgentissima ex Ordine nostro, maximè Coronæ Montis, sydera exsplendescunt. Gervvicus VVeingartensis Abbas à fide & integritate Carolo Imperatori probatissimus rursus gravissimis Imperii negotiis adhibetur.*

1547 | 1067 *Idem plurimas passim Vrbes, & amplissimas ditiones in fide Ecclesiæ, & Cæsaris continet, frementes inter Hæreticos velut adamantinus sibi constat.*

1548 | 1068 *Gregorius Cortesius noster summo in honore studiorum suorum minimè immemor, præclarissimis scriptis purpuram & Ecclesiam ornat.*

1549 | 1069 *Ioannes Feckenanus noster stupenda constantia, etiam ex carceribus Hæreticos Angliæ universos provocat.*

1550 | 1070 *Benedictus Canophilus, & Miniatus Pittus, inter eruditissimos, inter Religiosissimos meritissimosque Filibertus de Rie, & Petrus de Balma, Genuenses successivè Episcopi, nec non F. Carolus de Croy Tornacensis Episcopus emineat.*

1551 | 1071 *F. Georgius Martinusius Cardinalatum ornat. Velut stella in medio nebulæ Hæreticorum oculos perstringit Henricus Clausius Abbas VVibtingensis, scriptis doctissimis meritissimus.*

1552 | 1072 *Ioannes Feckenanus noster sub Maria Regina è carcere eductus, ita Hæreses profligat, ut nemo congredi sit ausus.*

1553 | 1073 *Ludovici Blosij Abbatis Lætiensis insignia merita universo commendantur. Moritur B. Iodocus Palmerius.*

1554 | 1074 *Ex Ordine nostro egregii pugiles pro Ecclesia Catholica se Hæreticis opponunt, Itali, &c.*

1555 | 1075 *Miraculum Episcoporum postremi ævi Isidorus Clarius claret, de Fulginati Cathedra sua longè meritissimus. Hieronymus Suessanus noster, egregio ad immortalitatem exemplo purpuram à Paulo IV. oblatam cucullo posthabet.*

1556 | 1076 *Insigni merito B. Maurontus Abbas noster celeberrimam illam Vrbem, Duacenam grandi prodigio ab hoste liberat.*

1557 | 1077 *Antonius Simonis Sanctissimæ Congregationis Montis Angel. de diversis Ecclesiæ Cathedris, Minoritana, Sutriensi, Nepiensi, meritissimus effulget. Nec minori gloria effulgent Ioannes Olivetarius ex Abbate Suessano Episcopus Andegavensis, & Tristanus Sanctonensis Episcopus.*

1558 | 1078 *Feckenanus noster de Anglia, Regina Elisabetha, & proceribus multis meritissimus. Carolus V. lectione opusculorum Blosij nostri mirè accensus S. Iusti Cœnobium ingreditur.*

1559 | 1079 *Innumerabiles ferè homines à morte liberat grandi miraculo B. Ludovicus de Strada Abbas Hortensis.*

1560 | 1080 *Egregia vitæ sanctitate Ecclesiæ suæ consulit Chrysostomus noster de S. Gemiliano Casinas, Archiepiscopus Ragusinus; idem de Insula Melitensi meritissimus.*

*ſimus. Exſplendeſcunt hoc ipſo tempore Simon de Maille Archiepiſcopus Turonenſis, & Ioannes Doceus Epiſcopus Laudunenſis. Feckenanus denuo noſter in Regni comitiis mutationem Religionis convellit, Archiepiſcopatum Cantuarienſem reſpuit. Clarent plurimi illuſtres ſanctitate & meritis, quos inter Didacus de Lerna, Michael Fornerius, &c.*

1561 1081 *Claret egregia vitæ ſanctitate ex innumeris aliis Franciſcus Levoretus Monſerratenſis: & Angelus de Faggis Abbas Caſinenſis.*

1562 1082 *Rurſum à noſtris initium celeberrimus Audomarenſium Epiſcopatus, ordinato illic primo Epiſcopo Gerardo Americurio. Moritur exiguæ ſanctitatis fama celeberrimus Alphonſus de Burgos Monſerratenſis.*

1563 1083 *Ioachimus Abbas Einſidlenſis Ordinis Eccleſiaſtici nomine Helvetiorum ad Concilium Tridentinum Legatus inſigniter meretur. Clarent Ludovicus Blaſius, & Rogerius Montmorentius Abbates. Moritur Beatus Iuſtinianus Bergomenſis meritiſſimus.*

1564 1084 *Gonſalvus de Illeſcas & Hieronymus Lauretus celebrantur. Moritur Carolus Princeps Cimacenſis ex Abbate Epiſcopus Tornacenſis.*

1565 1085 *Obſtupeſcenda rurſus conſtantia Feckenanus noſter juramentum ſuprematus Regii ut illicitum ridet & expugnat.*

1566 1086 *Bloſius repudiato Ducatu & Archiepiſcopatu illuſtrior, quam quiſquam adminiſtrato plenus grandium meritorum moritur.*

1567 1087 *Inſigni de Audomarenſibus merito, Collegium PP. Societ. Ieſu illic condit Gerardus noſter primus ibi Epiſcopus. Moritur lectiſſimus ille & de Imperio meritiſſimus VVeingartenſis Abbas Gervvicus.*

1568 1088 *Noſtrorum plurimi etiam poſtremo hoc ſæculo Eccleſiam ſui ſanguinis purpura ornant, in Comitatu Namurcenſi.*

1569 1089 *B. Ludovicus de Strada Caſtellanum Regnum demeretur. Idem victorias ingentes Ioanni de Auſtria impetrat.*

1570 1090 *Rurſum decus Eccleſiæ addit ſanguinea laureæ B. Nicolaus Macgeraldus. Viri doctiſſimi plures recenſentur.*

1571 1091 *Inſigni ſanctitatis fama purpuram Cardinal. meretur & ornat Hieronymus Socherius Abbas Claræ vallis, idem de diverſis Regibus meritiſſimus. Claret item Martinus Cupperus Epiſcopus Calcedonenſis.*

1572 1092 *Cornelius Bolderſmannus, & plurimi e noſtris Angliam, Hollandiamque ſanguine ſuo irrigant, nobilitantque.*

1573 1093 *Benedictus de Toco Monſerratenſis ob virtutis famam Cœnobio extractus inſigniter Epiſcopatibus Biquenſi, mox Gerundenſi, demũ Ilerdenſi meretur.*

1574 1094 *Virtutis doctrinæ atque zeli incomparabilis ſpeculum, inſigni cum merito Belgis proponitur Matthæus Moullartius Atrebatenſis Epiſcopus ex Abbate S. Gisleni.*

1575 1095 *In Anglia & alibi rurſus plurimi noſtri Martyres: in ſola Scotia ducenti eodem tempore ſanguine matrem Eccleſiam exornant.*

1576 1096 *Iuventuti, veterum noſtrorum more egregie conſulit, magnifico Gymnaſio Duaci exſtructo Arnoldus Abbas Marchianenſis.*

1577 1097 *Moritur Gerardus noſter Audomarenſis Epiſcopus, cujus de recenti Diœceſi æterna merita & exemplum celebrantur.*

1578 1098 *Hybernia feliciſſima irrigatione quadraginta è noſtris Martyres ſanguine ſuo colunt & impinguant.*

1579 1099 *B. Romualdus Fabrianenſis. Paulo ſimplici, Magni Antonii diſcipulo comparandus moritur. Item Thomas de Parentis.*

1580 1100 *B. Gelaſius Abbas Boylenſis ſæculi noſtri ſplendor Martyr occumbit, ipſo ſupplicii loco 500. homines convertens.*

1581 1101 *Cæleſtis candidorum Monachorum exercitus Camberonæ fidei hoſtibus congreſſus eos in effuſiſſimam fugam conjicit. Moritur admirabilis, & meritiſſimus ille Abbas Ludovicus de Strada.*

1582 1102 *Celeberrimo Collegio conſtructo Duaci de re litteraria, ſtudioſiſque meritiſſimus Arnoldus Ganthois Abbas Marcian. moritur. Florent Eutitius Cordes, & Carolus Blendecque viri doctiſſimi.*

1583 1103 *Novo fervore effervescit Congregatio Montis Coronæ, & Mons iste ob sanctitatis famam, ex orbe terrarum universo multitudinem pellicit & mirè perficit.*

1584 1104 *Cathedrales Ecclesias nostri mirè exornant Basilius Geradi Episcopus Stagensis, & Marcus Fedocea Episcopus Laquedonensis. Scrinium virtutum, & Regularis vitæ exemplar, postremæ ætati sanctitatis exemplo consulit B. Rudolphus Veronensis.*

1585 1105 *Merito maximis Ecclesiæ martyribus accensendus moritur in carcere Feckenanus noster constantiæ exemplum stupendum BB. Patricius & Malachias Bullienses crudelissimè mactati Hiberniam suo sanguine consecrant.*

1586 1106 *Italia, Gallia, Hispania, Belgium, Sicilia præstantissimos hoc ipso tempore Episcopos è Cænobiis nostris extrahunt. Hos inter eminent Annas de Escars ex Monacho Episcopus Luxoviensis, mox S.R.E. Cardinalis, Constantinus de Lannoy Archiepiscopus Rhegitanus, C.*

1187 1107 *Rursus exemplar Constantiæ admirandæ è carceribus Angliam illustrat Segebertus Bucleus Monachus VVestmonasterii.*

1588 1108 *Orbem radiis suis implet Ecclesiæ & universi ornamentum Gilbertus Genebrardus noster Prior Semuriensis. Claret item Iacobus de Graffiis Sanseverinas.*

1589 1109 *Congregatio Hispana Montis Syon ad universi utilitatem Sanctitate, atque eruditione præstantissimos viros producit.*

1590 1110 *Innumerabiles homines ad gremium Ecclesiæ congregant, viri ex Ordine Apostolici ad conversionem Hiberniæ &c. ex Hispania missi. Ioannes Baptista Bertutulus Fanensium Episcopus, & Matthæus noster Atrebatenus Pontifex præclarè merentur.*

1591 1111 *Salutaribus nostrorum in Hispania monitis, stupenda rerum mutatio. Moritur B.M. Laurentius Conzalez Abbas verè Angelus.*

1592 1112 *Rursum Cathedrales Ecclesias mira vitæ integritate ornant Pius ex monte Casinensi, Fundanus & Anastasius Immolensis Episcopi.*

1593 1113 *Mirè de Ecclesia meretur Laurentius de Zamora Tullius, Homerus, Aristoteles, Paulus ab eruditione, & pietate dictus.*

1594 1114 *Congregatio nostrorum Anglicana ad ejus conversionem Regni, Apostolico exemplo instituta, mirificè efflorescit. Insigne Abbatis & Principis speculum Ioachimus S. Gallensis, contemptu honorum, zelo Religionis celebratur.*

1595 1115 *Genebrardus noster eligitur Archiepiscopus Aquensis, & Hæreticos felicissimè expugnat. Idem de Archiepiscopatu meritissimus.*

1596 1116 *Ingenti felicitate Cameracensium Dux & Archiepiscopus creatur Ioannes Saracenus. Claret Ioannes Dorotheus Episcopus Arliensis.*

1597 1117 *AEvi decus, præclarum Ecclesiæ, litterarumque Sydus Genebrardus Archiepiscopus moritur relictis immortalibus universo monimentis.*

1598 1118 *De Cameracensibus meritissimus moritur Ioannes Archiepiscopus. Clarent Victorinus Episcopus Stabiensis, & B. M. Ioannes Fremiotus S. Benigni Monachus.*

1599 1119 *Moritur egregia sanctitatis fama F. Ioannes de Castaniza. Atrebatenses, & Societ. Iesu Patres demeretur Caverellius noster.*

1600 1120 *Ingens eruditissimorum numerus Hispanias beat. F. Ioannes de Castro ob eximia merita creatur Archiepiscopus Taratinus.*

1601 1121 *Sæculum hoc felicissimè inchoat, & S. Matrem Ecclesiam purpura sanguinis sui honorat F. Marcus Barckvvortus.*

1602 1122 *Galletiæ & Castella Regna, stupore, admiratione & fructu implent Raphael Sarminetus & alii nostri.*

1603 1123 *Insigni longè latèque fructu juventute Aquilæ juvenescit Congregatio nostrorum Suevica, & strenuè in Ecclesia laborat.*

1604 1124 *Ingenti periculo nostri Angliæ se insinuant, & strenuè desudantes conversioni Hæreticorum intendunt.*

1605 1125 *Rursus alia Ordinis nostri reformatio, & ab hac fructus ingens Gottlandiæ authore Venerabili & sancto viro Laurentio de Zamora.*

1606 1126 *Gallia, Anglia, Hibernia, Belgium postrema etiam ætate Martyrum nostrorum sanguine irrigantur. Clarent item sanctitate vitæ plurimi, eosque inter Bernardus de Escobar, & Iustus Mantiencus.*

1607 1127 *Tudensis, Pampilonensis, Stabiensis, Arianensis Episcopatus à nostris mirè ornantur. Victorinus noster Casinas Abbas inter Assistentes Pontifici Max. Episcopos à Paulo V. adsciscitur.*

1608 1128 *Rursus decorem ex sanguine Martyrum nostris Anglia debet. Beata Francisca Romana inter Sanctos relata; cujus Congregatio insigniter floret.*

1609 1129 *Æterno ad posteritatem omnem exemplo nostri sanguinem, ac vitam pro conversione Hæreticorum devovent.*

1610 1130 *Ioannes Robertus de Mervinia, vir sane Apostolicus, post inuumeros labores, plenus meritorum sanguine suo Angliam beat.*

1611 1131 *Hispani certatim missionem Anglicanam exambiunt. Clarent Anselmus de Mancestria, Thomas Prestonus, &c.*

1612 1132 *Moritur de Romana, multisque Ecclesiis meritissimus Victorinus Abbas Casinensis, & Episcopus. Guilielmus Scotus purpura gloriosi sanguinis Matris Ecclesiæ vestem tingit.*

1613 1133 *Apostolicus revera vir F. Candidus Monachus Nucalensis admirandis prodigiis claret, Conversioni Hiberniæ intendit.*

1614 1134 *Miraculis Illustrissimus F. Nicolaus Fagan ex Monacho Ferrariensi, VVaterford. Episcopus, ab Hæreticis pessime mulctatur, in Hibernia item insigni cum fructu desudans. B. Thomas Cunstallus decorem domui Domini addit gloriosissimo suo sanguine passus Londini.*

1615 1135 *Memorabili fructu Britannicis insulis se commendat Ven. P. F. Candidus noster Nucalensis, mirificus mortuorum in oculis Hæreticorum resuscitator, verbo, vitaque vere Apostolicus.*

1616 1136 *Generalissimo propagandæ fidei zelo, viri ex Ordine egregii, Congregationi Anglicanæ suum adscribunt nomen, vitam & sanguinem pro conversione animarum offerunt, ac devovent.*

1617 1137 *Duorum maxime illustrium pro fide Christi pugilum, imo Heroum, ad triumphos æternos transitu memorabilis annus, Nicolai Fagan electi VVatterfordiensis, & Guilielmi VValachæi Midensis, Episcoporum, postquam multa & gravia pro Christo exantlarunt. Claret multi egregia vitæ sanctitate.*

1618 1138 *Inter moniales etiam mirifice propagatur perfectionis ad amussim Regulæ studium opera Venerandæ memoriæ Margaritæ de Vennii & Villamont. Abbatissæ Vallis Gratiæ, miraculorum gloria illustrissimæ. Ipso anno moritur Ven. Antonia de Orleans Institutrix Congr. de Calvario.*

1619 1139 *Celebri sanctitatis opinione ipsorum etiam Infidelium oculos, & mentes perstringit Ven. Paulus Abbas Ordinis nostri, orthodoxæ fidei cultor & promotor, prope Campam Majoris Armeniæ Vrbem, miraculis illuster.*

1620 1140 *Alterum etiam Orbem virtutis atque eruditionis fulgoribus illustrat Petrus de Oviedo Hortensis Monachus electus hoc anno & consecratus Archiepiscopus Dominicapolitanus & Totius Novi orbis Primas. Excolitur plurimũ & ornatur à Cæs. Maij. confirmante Rom. Pont. Vniversitas nostra Salisburgensis.*

1621 1141 *Virorum eruditionis laude, sanctitatis opinione illustrium plures celebrantur, è quibus hoc anno Gabriel à S. Maria, ex monacho & Priore Delavariensi Archiepiscopus Rhemensis & Galliarum Primas, verbo & exemplo potentissimus, plurimos, eosque inter magnos etiam Principes Rom. Ecclesiæ lucratur.*

1622 1142 *In procuranda Anglorum salute plurimum nostri desudant. Primævam Cluniaco reddere disciplinam illustri exemplo vitæ, & magnis conatibus allaborat Iacobus de Arbous, Beatæ mem. Margaritæ dignissimus patruus.*

1623 1143 *Memorabilis felicissimo ad superos transitu annus, Ven. viri Desiderii à Curia, Congregationum SS. VVitoni & Hydulphi, ac S. Mauri Parentis & zelantissimi institutoris, item V. Ven. VVilhelmi à S. Alexio Fuliensis & Adriani Dunensis, non sine opinione sanctitatis, ex hac vita migrantium.*

Plurimos

1624 1144 *Plurimos infideles pro conversione eorundem missi Ecclesiæ lucrantur, Congregationis Montis Sion in Hispania Monachi. Vita emigrat Ven. Dionysij de Argentier Abb. Claravallis, miraculorũ deinceps gloria usq; hodie illustrissimus.*

1625 1145 *Maximo Orbis in declive ruentis exemplo & fructu in Gallia, Germania, atque Hispania, Monachorum Congregationes ad primævum Ordinis fervorem revocantur, prodeunt multi viri illustres.*

1626 1146 *Mirifica illa Ordinis Virginum nostrarum Reformatrix Ven. Margarita de Arbous Villemont. &c. in vita & post mortem stupendis illustrissima miraculis, sancta morte defungitur. In procuranda populi salute strenuam passim Romanæ Ecclesiæ navant operam cum Fuliensis, tum SS. Mauri & Vitoni Congregationes.*

1627 1147 *Alius rursum Ordinis Reformator immortalibus jungitur Ven. Bernardus de Montgayllard. Aureæ-Vallis Abbas, miraculorum gloria Illustrissimus, quo ipso anno, haud impari Reformationis studio successuque felix, religiosissimè defungitur Georgius Abbas VVeingartensis. Ingentibus prodigiis Casinum illustratur.*

1628 1148 *Celeber annus festivissima SS. nostrorum Ruperti & Virgilii, Bavariæ quondam & Carinthiæ Apostolorum solemnissima translatione. In Indiis nostri præclarè merentur; Petrus inprimis de Oviedo Indiarum Primas, sub hunc ferè annum, celeberrimæ in Regno Peruensi Vrbis Quitensis Pontifex designatus.*

1629 1149 *Iterum festiva admodum Translatione SS. Othmari & Notkeri in Monasterio S. Galli, solemnis annus. Serenissimus VVilhelmus Bavariæ Dux mirè commendat ferventissimum per Germanias Studium Reformationis. Pulcherrimo incremento augetur Sanctissima Congregatio nostra Filiensis, accessione Societatis Britannicæ, haud ita pridem à Ven. & Sanctæ mem. Patre Natale Marsio, Monacho majoris monasterii instituta.*


1630 1150 *Iterum nova gliscit per Hispanias adamussim SS. Regulæ Reformatio ad Sacra Mœnia, è qua dein illustria Regnis illis sydera illuxere. E maximis Theologis elucescit sub hoc tempus Venerandæ memoriæ vir Antonius de Perez noster, Vrgellitanus postea pro meritis Pontifex, demum Archiepisc. Tarraconens.*


1631 1151 *Reflorescunt passim cum apud nostros in Monasteriis, veteri instituto, Studia litterarum tum apud alios promoventur. In conversione Hæreticorum nostri plurimum desudant.*

1632 1152 *Multorum per Germanias sanguinis purpura & agonibus Heroicis illuster annus, quorum aliqui præclarè inter tantos patriæ fluctus meruere. Mirati hostes ipsi Monachorum studia, & collectas posteritati Bibliothecas deprædicant.*

1633 1153 *Etsi ingens virorum illustrium, & de multis provinciis nec non re litteraria meritorum copia affluat, & ad hunc ipsum, quo hæc edimus annum Iubilæum produci queant, quia tamen plerique superstites in oculis omnium sunt, malumus suomet virtutum splendore innotescere, & alieno indigitari digito quam nostro; quanto etiam dignius est, seipso quemque exsplendescere, quam lumine, seu caloribus illustrari alienis, & ne contra Divini Spiritus dictata, quemquam in vita sua, concursu nimirum vitæ necdum exacto laudare videamur. Qui tamen in omni gratia sua, magnificum in mortalibus atque immortalibus, Deum in Benedictis suis Benedictum, magnificamus, benedicimus, & adoramus in sæculis æternis, Amen.*

Ad majorem Dei, Benedictæ Virginis Matrisq; & Benedicti Patris gloriam.





ANNAL

BENEDCTIN

FIET II